





BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA
3
12 — F
14




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12 F
14

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS XIV.





BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.^MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XIV.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI XIV.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE *ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Ioannis Baptistæ Gonet: De Summo Pontifice. Ioannis Echij: De Primatu Petri aduersùs Lutherum. Ioannis Fabri: De Primatu Petri, & Rom. Pont. contra Lutherum. Ioannis Matthæi Cariophilli: Confutatio Nili, de Primatu Papæ. Ioannis Roffensis: Conuulsio calumniarum Vlrichi Veleni. Item: Confutatio errorum Lutheri circa Diui Petri successores. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt Decimusquartus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 30. Iunij. 1698.*

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES

Quorum opera in hoc XIV. Tomo continentur.

INDEX CAPITVM

Huius Decimiquarti Tomi.

IOANNIS BAPTISTÆ GONET BITERRENSIS,

Ordinis Fratrum Prædicatorum, Prouinciæ Tholosanæ, Strictioris Obseruantiæ, in Academia Burdigalensi Antecessoris.

De Summo Pontifice, ibique Synopsis. pag. 1.

DISPVTATIO III.

De Ecclesia.

DISPVTATIO IV.

De Summo Pontifice.

IOANNIS ECHII.

De Primatu Petri aduersùs Lutherum, Libri tres; Vbi multa in suas de veteri, & primitiua Ecclesia ex ipsius Concilijs, & originalibus desumpta, ibique Synopsis. pag. 36.

LIBER PRIMVS.

Cap.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

Cap.

IOAN-

IOANNIS FABRI EPISCOPI CONSTANTIENSIS,

In ſpiritualibus Vicarij.

Opus aduersùs noua quædam, & à Chriſtiana Religione prorsùs aliena Dogmata Martini Lutheri, ibique Synopſis. pag. 226.

IOANNIS MATTHÆI CARIOPHILLI, Archiepiſcopi Iconienſis.

Confutatio Nili Theſſalonicenſis, de Primatu Papæ, ibique Synopſis. pag. 477.

CAPVT PRIMVM.

IOANNIS ROFFENSIS IN ANGLIA EPISCOPI.

Conuulsio Calumniarum Vlrichi Veleni Minhoniensis, quibus Petrum numquam Romæ fuisse cauillatur, ibique Synopsis. pag. 514.

EIVSDEM AVCTORIS.

Confutatio Errorum Lutheri circa Diui Petri Successores. pag. 556.

IOAN-



IOANNIS BAPTISTÆ
GONET,
BITERRENSIS,

Ordinis FF. Prædicatorum, Prouinciæ Tholosanæ, Strictioris Obseruantiæ, in Academia Burdigalensi Antecessoris.

DE SVMMO PONTIFICE.

Ioanne Baptista Gonet Bitterrensis, Ordinis Prædicatorum in D. Thomæ doctrina enutritus, eam post canonicam Doctrinam præ cæteris habuit, & duxit Religioni ab ea non deflectere. Post longum in Theologia Scholastica studium Professor, in Academia Burdigalensi, & Antecessor electus illi non tantùm Academiæ, sed & alijs, & per eam Academiam toti illuxit orbi. Superfluum est attexere elogia huic Auctori, cum omnium manibus teratur, omnes instruat. Illum vsque ad cœlum extulit Academia Burdigalensis: Illum Academia Parisiensis speciali elogio est prosecuta adoptans in filium, & illius clypeum sub adamantina incude limatum fatetur. Illum Reges omnes priuilegijs prosecuti sunt vbique Catholicum. Eius Clypeum Impressores fatigantem vbique locorum vidimus, nam post tres Gallicanas editiones, secunda exijt in Germania, tractatibus varijs nunquam in lucem editis prodijt auctior, & correctior. Illum Thomistæ omnes maximè venerantur, imò quamplures nulla scripta dictantes, ipsum in Theologia legunt, vtilitate ex ipsa experientia quotidie cognita. Ipsum Auctores contrarij valdè mirantur, & in ea impugnando integras sectiones insumunt, & valdè ingenium acuunt, vt videre est in Deo sciente P. Martinez. Tandem concludam cum Doctissimo illius Clypei, & Manualis approbatore, vbique celeberrimi homines, vbique celeberrimæ Bibliothecæ, & totius Europæ doctissimæ Prouinciæ mirantur, & laudant. Edidit autem Clypeum Theologiæ Thomisticæ contra nouos eius impugnatores, cum lemmate allusiuo ad Solem Aquinatem, & ad Scripturam, refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis. Diuisit autem in quinque tomos: in 1. post Encomia D. Thomæ, agit de natura, & qualitatibus Theologiæ, de Deo vno, & attributis. In secundo agit de Prædestinatione, de Sanctissima Trinitate, de Angelis, de homine, eiusque statibus. In 3. agit de beatitudine, de Actibus humanis, eorumque moralitate. De virtutibus, ac donis, de vitijs, ac peccatis, de legibus, nec non Dissertationem Theologicam de probabilitate. In quarto agit de erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum, de gratia, de iustificatione, & merito, de virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, ac de ineffabili mysterio Incarnationis. In quinto agit de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistia, de

Pœnitentia, de Extrema Vnctione, de Ordine, de Matrimonio. Addit etiam ordinem, claritatem, eruditionem, miscuit vtile dulci, & scholasticam methodum satis spinosam SS. Patrum, & eruditionibus floribus conspersit. Post scriptum clypeum cum viderent, non solùm omnes Bibliothecas eum librum cupere, & vbique imprimi Impressores eum exiguis in tomis edidere; sed hoc adhuc auiditatem non explebat discentium, vndè coactus est clypeum abbreuiare, & è clypeo ipse idem fecit Manuale Thomistarum, seu breuem Theologiæ cursum in gratiam, & commodum studentium editum Biterris ex typis Henrici Martel. Nec adhuc compendio isto contenti aliqui, vt eum semper in manibus haberent, ipsius compendij compendium effecere, & ex paruo magis paruum effecere. In hoc tamen Sole maculas inuehere aliqui, & maculam, quæ totum Solem hunc obscuraret, si macula esset. Inuentus est, qui velit ipsum ex integro rapuisse omnes tractatus suos ex manuscriptis aliorum, quæ ideò ordine retrogrado incipiendo ab vltimo edita sunt. Sed quis credat hominem in Academia Burdigalensi Professorem, Academiæ Parisiensi notissimum hoc fecisse? Sed occurrit ipse idem in Præfatione ad Lectorem huic obiectioni. Cæterùm illud Plinij mihi in mentem venit ingenui esse hominis profiteri, per quem profeceris. Quare nolo id ingenuitati meæ deesse, teque, Amice Lector, huius admonendum esse existimat. Interdum præter cæteros Scholæ nostræ Theologos, quorum opera lucem publicam aspexerunt, omniumque manibus teruntur, quæ vbique consului, interdum etiam conieci oculos in scripta Lectorum Prouinciæ nostræ Tolosanæ, quæ in scholis dictata sunt, & excepta, inter quæ plures tractationes reperi, quæ si ederentur pauci sunt Theologi, qui de eodem argumento essent anteponendi. Deindè prosequitur dicere se euolui scripta Sapientissimi Patris Lemos, quæ non eduntur in lucem in materia de gratia, prohibente obseruantia ergo Sanctam Sedem. Vidit etiam Magistrum Godoy Prædicatorum egregium lumen, & sæpè in suis scriptis scripta illius inseruit, quem dicit esse nimis diffusum, & ipsum vtporè hac tempestate inter Scholæ Thomisticę primarios constitutum, in suis scriptis magis compendiosis restrinxit; eum sæpè commendat. Cæterùm dicit se addere claritatem, ordinem, distinctionem in singulis Theologiæ partibus, & plures, integrasque tractationes, quæ post exortas nouas contentiones in antiquis desiderabantur Theologis. Primùm longa Apologia Caluinismi speciem à Thomistarum schola depulit; ità vt nulla ampliùs verisimilitudo fingi, vel possit. Prætereà respondit tractatu contra præmotionem physicam Petri à S. Iosepho (quem defensionem S. Thomę vocat per antiphrasim, vt bellum bellum locus, quod minimè luceat) De controuersijs Iansenij tamdiù inter Gallos agitatis. De delectu probabiliorum sententiarum contra Modernas Casuistarum laxitates. De homine, in quibus tractat, quæ alij vix tangunt. Denique collocauit Synopsim breuem virtutum Theologalium. Ex quibus omnibus arguitur sua Minerua, & prima fabricasse cum alia similia poterit. Nos interim Bibliothecam nostram paucis ijs quæstionibus tanquam margaritis, quas de Romano Pontifice in tractatu de fide agitat, locupletamus.

DI-



DISPVTATIO TERTIA.

De Ecclesia.

ARTICVLVS II.

Quæ sint notæ veræ Ecclesiæ, & an illæ soli Romanæ Ecclesiæ competant?



Tria in hoc articulo præstanda sunt. Primò explicandæ sunt notæ veræ Ecclesiæ in Symbolo Nicæno his verbis expressæ: [Credo in vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.] Secundò ostendendum est, quatuor illas veræ Ecclesiæ notas, Romanæ conuenire Ecclesiæ, illamque esse vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam. Nomine verò Romanæ Ecclesiæ, non intelligimus solam fidelium societatem vrbe Roma inclusam, vt finguut aliqui Aduersariorum, sed totam illam multitudinem hominum, qui vbique terrarum vnam, & eamdem fidem profitentur sub vno, eodemque Pastore vniuersali, Romano Pontifice, cui tamquam capiti Ecclesiæ, visibili Christi Vicario in terris, & legitimo Petri successori adhærent. Tertium, quod nobis probandum incumbit, est quatuor prædictas veræ Ecclesiæ notas, Lutheranorum, & Caluinistarum sectæ minimè conuenire.

§. I.

Prima nota veræ Ecclesiæ, vnitas.

Veram Ecclesiam esse vnam docet Scriptura pluribus locis Cantic. 6. [Vna est amica mea, formosa mea, columba mea. Ioann. 10. Fiet vnum ouile, & vnus Pastor. Ad Roman. 12. Multi vnum sumus. Vnde egregiè Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 3. [Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latiùs expandit: vnum tamen caput, & origo vna, & vna, mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem, casto pudore custodit.]

Porrò multiplex est Ecclesiæ vnitas, multisque modis illa vna dicitur; Primò vnitate principij, nempè Dei vocantis, & Christi eam fundantis, & instituentis. Quo sensu veteres Patres, potissimùm Tertullianus in Apologetico cap. 39. mirantibus paganis, quod Christiani se fratres nuncuparent (quo nomine mutuam inter se vnitatem significabant) respondebant: [Fratres sumus, quia vnum patrem Deum agnoscimus, qui vnum spiritum bibimus sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauimus veritatis.]

Secundò Ecclesia dicitur vna, ratione finis, nempè æternæ beatitudinis, quam omnia Ecclesiæ membra sperant. Vndè ait Arnobius Apologia contra Gentes: [Fratres sumus, quia ad eamdem hæreditatem, nempè æternam beatitudinem, aspiramus.]

Tertiò dicitur vna, ratione vnitatis mediorum, tam internorum (qualia sunt fides, spes, & charitas) quam externorum, nempè sacramentorum, sacrificij Eucharistiæ, & legis Euangelicæ. De vnitate fidei dicitur ad Ephesi. 4. [Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.] Vnitas spei constat ex eodem Apostolo ibidem dicente: [Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis vna spe vocationis vestræ.] Qua de causa, inquit Augustinus in Psal. 140. cùm hæc vox sit omnium Martyrum, [Dissipata sunt ossa nostra, in plurali, clamant Ad te Domine, Domine, oculi mei, quia in te speraui.] Vnitas charitatis insinuatur act. 4. [Credentium erat cor vnum, & anima vna in Domino, quia (inquit Glossa) copula charitatis in vnum iungebatur;] sicut olim in celebri Cyzici delubro, lapides omnes filo aureo colligabantur, vt refert Plinius lib. 36. cap. 15. Huius vnitatis egregiam affert Bannez rationem: Quod tribuit alicui bonitatem (inquit) illud eidem secundùm Platonicos tribuit vnitatem; bonitas quippè rem ipsam, in qua est, conseruat, & perficit; At nihil in esse conseruatur, nisi per hoc, quod est vnum; nam diuisa, & segregata citò pereunt, & dissoluuntur; Igitur cùm charitas Ecclesiæ bonitatem, & perfectionem tribuat, eidem etiam vnitatem confert. Quantùm ad vnitatem sacramentorum, Apostolus eam insinuat ad Ephesi. 4. sub nomine Baptismi, qui est reliquorum Sacramentorum ianua, dum ait; [Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.] De vnitate verò sacrificij ait 1. ad Corin. 10. [Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane, & de vno calice par-

participiamus.] Item de vnitate legis, & cæremoniarum dicit ad Ephesi. 2. [Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem.] Quibus verbis significat, populum Iudaicum, & Gentilem (qui diuersi erant propter maceriam legum, & præceptorum, quæ vtrosque inter se diuidebat) fuisse coniunctos per Christum, qui hanc maceriam destruxit, & omnes sub lege Euangelica adunauit.

Quartò Ecclesia est vna, ratione vnius, eiusdemque capitis visibilis, nempè Pontificis Romæ sedentis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium Pastor agnoscitur: per ordinem quippè ad eum, omnes fideles toto orbe diffusi vniuntur, & ab omnibus hæreticis, & schismatis, discernuntur. Hanc autem vnitatem insinuauit Christus Ioann.10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor:] & Cyprianus, cùm dixit [Ecclesiam esse gregem, & plebem, suo pastori adunatam;] quod de Ecclesia in noua lege debet intelligi; nam Ecclesia ante aduentum Christi talem vnitatem non habuit; tum quia Gentibus, quæ fideles erant, & Iudæis, non præerat vnus Pontifex: cum etiam quia Gentes ipsæ, vt rectè docet Bannez, nullum sibi caput visibile, à quo in misterijs fidei edocerentur, agnoscebant; sed, vel per lumen quoddam interiùs, vel à parentibus, vel ab alijs sibi æqualibus instruebantur.

Quintò Ecclesia dicitur vna, vnitate corporis mystici: quia sicut ex diuersis, & eterogeneis partibus vnum corpus naturale resultat, ita ex omnibus fidelibus, fide & sacramentorum, ac Diuinorum, & Ecclesiasticorum præceptorum vinculo inter se coniunctis, vnum corpus mysticum efficitur; & huius mysticæ vnionis beneficio, fideles omnes in bonis spiritualibus inter se communicant, vnus pro altero satisfacit, suis orationibus iuuat, & in summa, omnia bona sua opera illi aliquo pacto applicat, iuxtà illud Prophetæ: [Particeps ego sum omnium timentium te;] & illud Apostoli: Adimpleo, quæ desunt passioni Christi in corpore meo, pro corpore eius, quod est Ecclesia,] id est pro omnibus fidelibus, quibus vniuersos labores à me in Euangelij prædicatione toleratos communico. Vndè præclarè Bannez verba hæc Cantic. 4. [Greges tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas,] de Ecclesia, seu de omnibus fidelibus explicat: siquidem oues sunt fideles, qui de lauacro baptismi ad gratiam ascenderunt: sunt autem hæ oues fœtosæ, & fœcundæ, quia quisque fidelium, partem suorum meritorum, suarumque satisfactionum, in communem aliorum vtilitatem effundit: quare Glossa interlinearis ait, [quod nec illi inter steriles deputantur; qui abluti, statim ex hac vita rapiuntur; habuerunt enim sobolem fidei, quam vel ipsi pro se, vel alij pro ipsis confessi sunt, habuerunt etiam votum bonæ operationis, quod inter oues Christi, si expectati fuissent, socialiter exercuissent.] Vbi nota particulam hanc Socialiter, quia scilicet illi, si diutiùs vixissent, in communem Ecclesiæ vtilitatem sua opera meritoria transfudissent. Vndè Tertullianus Apologet.39. [Itaque quia animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus; omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores, in hoc solo consortium fugimus.]

§. II.

Secunda nota veræ Ecclesiæ Sanctitas.

CHristi Ecclesiam sanctam esse docet Scriptura varijs locis: nam Cantic. 4. de Sponsa Christi, quæ est Ecclesia, sic dicitur: [Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol? Ad Ephesi. 5. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Ad Titum 2. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Ad Roman. 1. Omnibus, qui Romæ sunt vocatis sanctis,] hoc est ad sanctitatem colendam, quam in Baptismo professi sunt. Denique 1. Petri 2. Christiani appellantur [Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.]

Hęc verò sanctitas Ecclesię consistit primò in puritate fidei, seu immunitate ab omni errore in doctrina, quam profitetur; & ea de causa Apostolus ad Roman. 1. fideles appellat sanctos, secundùm expositionem Chrysostomi in hæc verba, vocatis sanctis. Similitèr Augustinus in Psalm. 85. ait quemlibet fidelem dicere posse: Quoniam sanctus sum; quod certè de sanctitate fidei tantùm potest intelligi, cùm constet quamplurimos fideliums carere sanctitate morum. Secundò consistit in sanctitate vitæ, qua præditi sunt, qui se illius doctrinæ conformauit; Ecclesia namque à licentia peccandi auertit, & ad probitatem morum, vitæque sanctitatem impellit, ad illamque multum ripsa promouet. Tertiò Ecclesia est sancta, quia tota est diuino cultui consecrata, eiusque sacramenta, instituta, ritus, & cæremoniæ, sanctitatem vndequaque redolent; & quia amor charitatis est veluti lex Salica Christianissimi, de qua dicitur Psalmo 18. Lex Domini immaculata; id est lex charitatis dicitur lex Domini, non solùm, quia illam inscribit cordibus nostris, sed etiam, quia ex illa viuit, & agit, vt elegantissimè prosequitur D. Bernardus epistola ad Carthusianos. Denique Ecclesia est sancta, quia sanguine agni tincta, & respersa: sanctum enim, iuxtà Isidorum lib. 10. Etymol. dicitur quasi sanguine tinctum; vnde vbi 1. Petri 2. Populus Christianus vocatur [Gens sancta, populus acquisitionis, Glossa dicit, populus Christi sanguine respersus, & redemptus.]

§. III.

Tertia nota veræ Ecclesiæ, quòd sit Catholica.

VEram Christi Ecclesiam esse Catholicam, ita certum est, [vt non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis, & impugnatoribus eius Catholica nominetur,] inquit Augustinus lib. de vera religione capit. 7. Vndè idem sanctus Doctor lib. contra epist. fundamenti cap. 4. [Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ecclesiam Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum basilicam suam, vel domum audeat ostendere.]

Porrò multipliciter vera Ecclesia dici tur Catholica: Primò ratione locorum, cùm sit per totum orbem diffusa, neque vnius regni, aut prouinciæ terminis,adinstar hæreticorum cœtuum, definita; nam *Catholicum* Græcè appellatur, quod per totum orbem diffunditur, vt ait Augustinus epist. 170. ad Seuerinum. Vndè idem S. Doctor in libro de vnitate Ecclesiæ contrà Donatistas, contendentes hanc vbique locorum diffusionem veræ Ecclesiæ non conuenire, sic loquitur: [Singulæ hæreses in multis gentibus, vbi Catholica Ecclesia est, non inueniuntur: hæc autem quæ vbique est,etiam vbi illæ non sunt inuenitur.] Item lib. 4. de Symbolo cap. 13. dicit: [Ecclesia totum possidet; quòd à viro suo accepit in dote, quæcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet. Concubina est, non matrona.] Et alibi comparat congregationes hæreticorum sarmentis præcisis,quę vbi cadunt, cùm præsciunduntur, ibi manent; cùm cœtu ille,qui est vera Ecclesia, tamquam viris viuat,& vbique palmites suos extendat. Secundò vera Ecclesia, Catholica dicitur, ratione temporum; vera enim Ecclesia semper fuit, & semper erit; aliæ verò sectæ post eam incœperunt, ideòque quotidie mutantur,senfimque intereunt. Tertiò ratione personarum:omnes enim indifferentèr vocat, & complectitur, si salutem consequi velint, & obedire Euangelio: Barbaros, & Græcos, Iudæos, & Gentiles, nobiles, & ignobiles, Reges, & subditos, &c. Tandem dicitur Catholica, & vniuersalis ex parte doctrinæ fidei, quæ vniuersalitèr est vera, & continet omnia ad cognitionem, & bonos mores necessaria, omnem docet virtutem, & omne prohibet peccatum. De quo videri potest Cardinalis Turrecremata lib.1. Summæ c.13.

§. IV.

Quarta nota veræ Ecclesiæ, quòd sit Apostolica.

EX triplici capite vera Ecclesia dicitur Apostolica: Primò, quia à Christo, qui ad Hebr. 3. appellatur [Pontifex, & Apostolus confessionis nostræ,] fundata, & instituta est. Secundò, quia superædificata est super fundamentum Apostolorum, vt dicitur ad Ephes. 2. Vndè Cyrillus Alexandrinus exponens verba illa Prophetæ. [fundamenta eius in montibus sanctis,] dicit montes illos sanctos esse Apostolos, in quibus iacta sunt Euangelicæ veritatis fundamenta: montes re vera sacros, in quibus lucidissimum veritatis candelabrum non potest abscondi: re vera montes, ob doctrinæ eorum altitudinem,excellentiam, & firmitatem; verè montes, qui primos Orientis Euangelicæ facis radios excipere meruerunt, à quibus totus mundus illuminatus est. Hi etiam sunt purissimi, & pleuissimi Christianæ doctrinę fontes,de quibus Regius Vates spiritu prophetico dicebat: [Benedicite Domino de fontibus Israel.] Vbi Ambrosius: [Dicendi sunt Apostoli fontes, quia veluti fontes purissimi, gratia prædicationis exubetant.] Cui concinit Cyprianus epist.74. [Si canalis aquam ducens, inquit, qui copiosè priùs, & largitèr profluebat, subitò deficiat, nonnè ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur? Ita si in aliquo nutauerit veritas, ad originem euangelicam, & traditionem Apostolicam reuertamur.] Quem Cypriani locum cùm legisset Augustinus, sic ei subscribit lib.5. de Baptismo cap.26. [Quòd nos admonet Cyprianus, vt ad fontem recurramus, id est ad Apostolorum traditionem, & indè canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum. Hi sonoræ euangelicæ veritatis tubæ, hi celeberrimi diuinitatis præcones, quorum sonus exiuit in omnes terræ partes, quorum prædicatio vbiq;Deum intonat.]

Tertiò vera Ecclesia denominatur Apostolica, quia in legitima Episcoporum (qui sunt viri Apostolici) successio ad hæc nostra tempora inuiolabilitèr deducta, viget & conseruatur: facilè enim est ab Innocentio XI. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, vsque ad Linum, Clementem, Petrum, tandemque ad Christum, gradum facere. Quam Episcoporum successionem tanti fecit Augustinus cap. 4. epistolæ contrà fundamentum, vt dixerit se in Ecclesia per eam potissimùm retineri; & meritò, sic enim olim expressè illud à Dauide pronunciatum fuerat: [Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem: Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini;] & à Salomone Cantic. 1. cùm Sponsæ, vbi Sponsus degeret percontanti, respondet: [Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum,& pasce hędos tuos iuxta tabernacula pastorum,] eorum nempè, per quorum seriem, & successorem, nusquam interruptam, ad lectulum Christi Sponsi, id est ad passionem, & mortem eius, possumus deuenire. Vndè ex hac perpetua Episcoporum successione argumentantur sæpiùs SS. Patres contrà Hæreticos, præsertim Tertullianus libro de præscrip. cap.32. [Edant ergo,inquit, origenes Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ cen-

census suos deferunt: sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum, à Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum (Ecclesia) Clementem à Petro ordinatum edit.]

Ex his facilè possunt demonstrari aliaduo, quæ initio huius articuli proposuimus, nimirum quatuor veræ Ecclesiæ notas, iam explicatas, Romanæ quidem Ecclesiæ, non verò Lutheranorum, & Caluinistarum sectæ conuenire. Primum patet ex dictis: Ecclesia enim Romana est vna omnibus modis suprà enumeratis, præsertim ratione vnius, eiusdemque capitis visibilis, nempè Pontificis Romæ sedentis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium Pastor agnoscitur. Est etiam sancta tribus modis suprà explicatis, nempè sanctitate fidei, morum, & consecrationis diuino cultui. Similitèr Catholica est: quia ex vrbe Roma diffusa est per totum mundum; nec solùm in omnibus partibus terræ antiqui orbis, in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Anglia, Polonia, Bohemia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia, sed etiam in omnibus quatuor partibus noui orbis, ad Orientem in Indijs, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Iaponia, ad Meridiem in Brasilia, & exteriorem partem Aphricæ, sunt qui doctrinam fidei nostræ in dies recipiunt, & profitentur. Vndè meritò dixit Leo Papa, sermone de natali Petri, & Pauli, Romam alloquens: [Quamuis imperij tui fines terra, marique bello promoueris, minùs tamen est, quòd tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.] Et prosper in carmine:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possit armis.
Religionis tenet.

Denique Apostolica est: quia à D. Petro Apostolorum Principe fundata est, eiusque sanguine purpurata; & in eadem fide, quam ipse annunciauit, inuiolata, & sine vlla suorum Pontificum interruptione, perseuerauit. Vndè Lucius I. Papa, & martyr in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ: [Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis deprauata nouitatibus succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.] Similia habet Fœlix I. Papa, & martyr, in epistola ad Benignum.

Quòd verò quatuor notæ prædictæ desint Hæreticorum huius temporis sectæ, non minùs euidens est. In primis enim quantùm ad vnitatem, manifestum est eam in tali secta non reperiri, cùm nullum agnoscat caput visibile, quod sit interpres infallibilis fidei, & cuius sententiæ necessariò adhærendum sit, sed pro suprema fidei regula sumat internam, vt sibi videtur, persuasionem Spiritus sancti, id est priuatum cuiusque Spiritum, quo Scripturæ diuinæ veritatem quoad literam, & sensum se cognoscere profitetur; quod non est firmum vnionis in fide principium, sed fœcundum discordiarum, & hæreseon seminarium, vt rectè annotauit Cyprianus epist. 55. dicens: [Non aliunde hæreses obortæ sunt, & nata schismata, quàm indè quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus iudex, vice Christi cogitatur.] Idem obseruauit Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. [Mentior, inquit, si non etiam à regulis suis variant inter se (Hæretic)idum vnusquisque proindè arbitrio suo modulatur, quę accepit, quemadmodùm de suo arbitrio composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem inuocare. Denique penitùs inspectę hæreses omnes, in multis cum Auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.] Hoc experientia compertum est in hæreticis huius temporis, qui Lutheranam hæresim in centum, & ampliùs Sectas diuersas distraxerunt; & qui aliud hodie, & aliud cras credunt, vt de suis Witembergensibus dicebat Georgius Saxonię Dux.

Deindè sanctitas, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem, deest huiusmodi Hæreticorum sectę: eorum enim doctrina multa continet dogmata apertè falsa, & erronea, putà Dei mandata esse impossibilia, etiam cum Dei gratia; homines sola fide iustificari, & peccata quælibet habentibus fidem non imputari, nec quidquid ipsi faciant, posse nunquam fidem perdere; neminem mereri bonis operibus factis cum Dei gratia, neque habere liberum arbitrium ad benè operandum. Omitto horrendas Caluini blasphemias, asserentis Deum esse auctorem peccati, non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad malitiam, & deformitatem (vt §. præcedenti ex Andrea Duuallio Doctore Sorbonico retulimus) illumque cogere, necessitare, & ad malè agendum impellere, & quosdam sua mera voluntate creasse, vt damnaret, etiam omnia opera laboriosa, & satisfactoria, quibus à peccatis deterremur, & auocamur, damnant. Inter cætera Confessionis sacramentum aiunt esse inuentum humanum, carnificinam conscientiarum, & meram superstitionem. Denique omnia quæ austeritatem aliquam, & carnis macerationem sapiunt, respuunt, vt abstinentiam à carnibus, statutis anni temporibus, ieiunium quadragesimale, cœlibatum Sacerdotum; vinculi coniugalis, saltem in causa diuersitatis fidei, dissolutionem astruunt, & fideles per mortem Christi ita esse liberos factos volunt, vt nulla lege, siuè ecclesiastica, siuè Politica, in foro conscientiæ teneantur. Ex qua doctrina tam laxa, & tam latè ad liberè, & impunè peccandum patente, pullularunt innumera flagitiorum genera: Gallos enim, antea Regi suo obsequentissimos, in rebelles, & seditiosos mutauit; Monachos cum rigore maximo antea viuentes, ad laxum viuendi genus traduxit; continentes, mulierosos reddit; & Moniales, voto Deo mancipatas, ad sacrilegas nuptias induxit. Demùm (inquit Dubrauius) Lutherus breui temporis spatio, totum illum terræ angulum, in quo morabatur, fide fragis, periuris, adulteris, incestuosis, & sacrilegis repleuit. Cuius

ius pessimæ mutationis illustre testimonium reddit legatio ciuium Norimbergensium ad Carolum V. Imperatorem, qui cùm, sublata confessione auriculari, viderent omnia flagitij, & sceleribus nusquam hactenùs auditis redundare, libellum supplicem Imperatori obtulerunt, vt sua auctoritate Cęsarea confessionem illam obseruandam ediceret. Sed hęc petitio risu à Catholicis excepta, ab Imperatore reiecta est, & prudentèr: nam vt optimè inquit Dominicus Sotus, qui tunc erat à confessionibus Imperatori, & cuius iusti, prudentisque consilij pars magna fuit, si secreta confessio peccatorum occultorum, secundùm hęreticos, diuina lege non obliget, quo pacto sola lege Cęsarea obligabit? humanæ enim leges tantùm de rebus exterioribus instituuntur, & ad interiora non valent se extendere. Ex quibus intelliges, veram esse auream illam Augustini sententiam: [Ex his hominibus hæretici fiunt, qui etiam in Ecclesia si essent, nihilominùs errarent.]

Tertiò, quòd Lutheranorum, & Caluinistarum sectæ, nomen Catholicæ, seù vniuersalis, conuenire nequeat, manifestum est: cùm eorum doctrina in Asiam, Aphricã, Ægyptum, aut Græciam, & multò minùs ad noui orbis partes nondùm peruenerit, sicut fides Romanæ Ecclesiæ, neque illi sperare possit (quidquid dicant) suam sectam aliquando occupaturam esse totum orbem. Cùm enim Ecclesia, vt fatentur, iam senuerit, si eorum congregatio vera est Ecclesia, quomodo in senectute crescet, quæ in sua adolescentia, & iuuentute tam parùm creuit? Imò, quod obseruatione dignissimum est, sicut à nulla vnquam secta, legis Christi fides apud vllas gentes fuisse plantata legitur; ita nulla vnquam gens Christianam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui cum Ecclesia Romana communionem in fide habuerunt. Nec mirùm: [Negotium enim, inquit Tertullianus, est hæreticis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi: hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, si quàm iacentibus eleuationem operentur.]

Denique quod eadem secta non possit dici Apostolica, non minùs euidens est, quia Lutherani, & Caluinistæ suam successionem ab Apostolis ad seipsos, sine vlla interruptione, ostendere nequeunt; vt ab omnibus Patribus fuit iugiter Hæreticis exprobatum; præsertim verò à Tertulliano libro de pręscriptionibus cap. 32. [Edant, inquit, origines Episcoporum suorum, ab initio, & per ætates decurrentium; sic enim Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ census suos deferunt.] Vndè cap. 37. contrà sui temporis hęreticos insurgit his verbis, suprà relatis: [Quà licentia, Appelles, syluam meam cedis? Quà auctoritate, Marcion, limitem meum commoues? Quà potestate, Valentine, fontes meos disturbas? Mei sunt, iure priori possideo.] Quæ certè, mutatis nominibus, Luthero, Caluino, Zuinglio appositè conueniunt.

Ex his ergo liquet, quatuor veræ Ecclesiæ notas, & perfectiones, soli Romanæ Ecclesiæ competere, proindèque eam tantùm veram fidem, & doctrinam, ac religionem possidere. Vndè Hieronymus epist. 57. ad Damasum: [Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus est: Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio.] Et paulò pòst: [Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit. Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.] Et epist. 58. ad eundem: [Hinc pręsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia, ad se rapere me festinat &c. Ego interim clamito, si quis Cathedrę Petri iungitur, meus est.] Concludamus igitur hanc disputationem cum Augustino, & cum Sancto illo Doctore dicamus: [Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius: illum sicut Patrem, illam sicut matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam, quia filij ancillæ ipsius sumus.

Agunt hìc aliqui de partibus, seù membris Ecclesiæ, & quærunt, an homines in statu peccati, vel infidelitatis existentes, membra Ecclesiæ dici possunt? Sed hoc commodiùs agemus in Tractatu de Incarnatione disp. 14. vbi de Christo vt Ecclesiæ capite differemus, & vtrum sit actu caput hominum in statu peccati, vel infidelitatis existentium, art. 2. resoluemus. Vndè ad hunc locum Lectorem remittimus.

DISPV-



DISPVTATIO QVARTA.

De Summo Pontifice.



Absoluta disputatione de Ecclesia, agendum est de Romano Pontifice, qui est caput ipsius visibile, & demonstrandum primò, esse vetam, ac viuam fidei regulam, subindèque in proponendis, & definiendis rebus fidei errare non posse. Alias postea, quæ de illo agitari solent quæstiones, ea qua poterimus breuitate, & perspicuitate resoluemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm in Ecclesia Dei sit regula viua, & loquens, quæ res fidei cum infallibili auctoritate proponat, eaque sit Romanus Pontifex, & legitimus Petri successor?

Hæretici nostri temporis existimant, Scripturam sacram, non esse regulam, quæ res fidei cum infallibili auctoritate credendas proponat, sed vnumquemque interno Spiritus sancti ductu, ac lumine, ex Scripturis cognoscere, quæ ad ipsius salutem necessaria sunt. Brentius tamen apud Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. hoc discrimen inter Principem sæcularem, & priuatam personam constituit, quòd princeps habeat publicam potestatem iudicandi de rebus ad fidem, & religionem pertinentibus, priuatæ verò personæ interno Spiritu sancti lumine, ea dumtaxat ex Scripturis noscere possint, quæ ad suam spectant salutem. Idem sentiunt Angli hæretici, qui similiter contendunt, Reges temporales esse supremos Iudices controuersiarum fidei, & apud illos supremam potestatem non solùm temporalem, sed etiam spiritualem residere. Catholici verò omnes vnanimiter docent, præter Scripturas Canonicas, & traditiones, dari regulam viuam, quæ sit infallibilis auctoritatis in proponendis, definiendisque rebus fidei, quam omnes sequi tenentur; talemque regulam dicunt esse Summum Pontificem ex cathedra loquentem. Vndè sit.

§. I.

Hæreticorum error refellitur.

Dico primò, omninò debere admitti in Ecclesia Christiana, aliquam fidei regulam viuam, quæ humano, & sensibili modo, possit infallibiliter proponere res fidei, & controuersias definire; seu Iudicem aliquem certum, atque visibilem, qui infallibili, & irrefragabili auctoritate lites circa fidem exortas dirimat.

Probatur primò: In omni Republica benè ordinata, præter leges scriptas, est aliquis animatus Iudex, cuius munus sit leges interpretari, & iuxtà legum interpretationem sententiam ferre. Vndè Deuter. 17. diuina lege statuitur, vt quodcumque ambiguum, & difficile acciderit, deferatur ad Sacerdotes Leuitici generis, ab iisque exquiratur sententia, & qui parere noluerit, decreto Iudicis moriatur, & 2. Paralip. 10. Iosaphat Rex Iuda constituit in Hierusalem Sacerdotes, vt iudicarent causas sacras, distinctos à Iudicibus causarum ciuilium: ergo à fortiori in Ecclesia Christiana, aliqua fidei regula viua, & loquens admitti debet, seu aliquis animatus Iudex, qui auctoritatem habeat dirimendi controuersias, quæ de rebus fidei oriri solent.

Confirmatur, & magis illustratur, hæc ratio: Sicut pessimè gubernaretur Respublica, quæ leges quidem bonas haberet, sed nullos Iudices, qui ius dicerent litigantibus, præter ipsum librum legis, ad quem omnes mitterentur, vt ex eo discerent, quis eorum ius haberet; sic enim nunquam lites terminarentur, sed illi tamdiu disputarent, donec alter se victum fateretur, quod vix vnquam fieret. Ita planè Ecclesia, & Respublica Christiana, malè omninò erit ordinata à Christo, si præter librum legis, qui est Scriptura, de Iudice aliquo animato, qui auctoritatem habeat dirimendi controuersias, & lites circa fidem exortas, illi non prouidit; absurdum enim est in rebus tanti momenti agnoscere solùm Iudicem surdum, & mutum, cuius sententia vtraque pars vti possit, eamque ad suum sensum trahere, & corrumpere; vt de Scriptura constat ipsorum hæreticorum exemplo, illi enim eadem Scripturæ verba in contrarios sensus explicant, vt Ariani, & Nestoriani, verba hæc, [Ego, & Pater vnum sumus,] explicant secundùm vnitatem

affectus, & voluntatis; reliqui, etiam hæretici, secundùm vnitatem naturæ. Sabelliani hæc verba, [In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,] intelligunt secundùm diuersa munia, & officia, quæ Deus ad extra operatur; reliqui, etiam hæretici, secundùm realem Diuinarum personam distinctionem. Anabaptistæ verba illa, [Baptizantes &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto,] interpretantur solùm de adultis, exclusis paruulis, quos Baptismi capaces esse negant; reliqui etiam de paruulis ea intelligunt. Zuingliani, & Caluinistæ verba. [Hoc est corpus meum,] intelligi volunt figuratè, & tropicè, reliqui literaliter, & substantiuè. Vndè Vincentius Lyrinensis in aureo illo opusculo aduersùs hæreses, & prophanas vocum nouitates: [Hic forsitan, inquit, requirat aliquis, cùm sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ista sua altitudine non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter, alius, atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illius sententię eius esse videantur.]

Addo quòd, Scriptura non continet omnia, quæ debent fide diuina credi: verbi gratia, quòd hæretici non sint rebaptizandi: [Credo, inquit Augustinus, consuetudinem non rebaptizandi hæreticos ex Apostolica auctoritate venire: sicut multa non inueniuntur in literis eorum] Apostolorum scilicet, neque in Concilijs posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata traduntur.] Ergo Scriptura, quæ hoc, & alia huiusmodi non continet, non potest sola de illis iudicare. Præterquam quòd Scriptura ipsa eget Iudice viuo, & loquente, quo nobis constet infallibiliter ipsam esse diuinam, & tot libros esse verè Canonicos, & puros, atque integros; id enim nobis non certò constat, & infallibiliter, nisi Ecclesiæ auctoritate, iuxta illud Augustini: [Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.]

Dico secundò, spiritum priuatum, discernentem veram Scripturam à non vera, & verum sensum à falso, non esse fidei regulam, & Iudicem controuersiarum, quæ de rebus fidei oriri solent.

Probatur breuiter: Regula debet esse nota, & infallibilis: Sed spiritus ille priuatus neutram habet ex his duabus conditionibus: non primam, quia ad summum innotescit tantùm illi, qui talem spiritum habet: neque secundam, cùm enim omnes hæretici huius temporis variarum sectarum, profiteantur se spiritum illum habere, & sequi, atque inter se contraria doceant, & in fide dissideant, manifestum est aliquos falli, & spiritum veritatis non assistere vnicuique infallibiliter. Addo quòd spiritus ille priuatus est seminarium omnium hæresum, quibus aperit viam, suos enim errores quisque hoc Spiritu prætexit. Præterquam quod hic modus est alienus à consueto ordine, quo Deus vtitur cum suis creaturis intellectualibus, quas non immediatè, & per seipsum, sed per alias instruere solet, vt constat ex Scriptura, in qua leguntur homines mitti ad homines, de rebus fidei instruendi, vt Cornelius ad Petrum, Paulus ad Ananiam, Eunuchus ad Philippum: quem ordinem Deus seruat etiam cum Angelis, quorum inferiores instruit, & illuminat per superiores, vt in Tractatu de Angelis ostensum est.

Dico tertiò, nullus princeps politicus, & sæcularis, potest esse Iudex controuersiarum fidei.

Probatur primò: Potestas iudicandi de rebus fidei est supernaturalis, vtpotè per se ordinata ad finem supernaturalem, qui est salus æterna hominum: Sed potestas principum sæcularium, naturalis, & ciuilis est, cùm ad bonum politicum conseruandum ordinetur: Ergo nullius politici principis potestas potest se extendere ad iudicanda, & definienda ea, quæ fidem supernaturalem concernunt. Vndè Basilius Imperator in 8. Synodo actione 10. sic loquitur: [De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid ampliùs dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licèt de Ecclesiasticis causis sermonem mouere: hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sacrificandi, qui ligandi, & soluendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus.] Et Theodosius iunior in Epistola ad Synodum Ephesinam: [Illicitum est, inquit, eum qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.] Item Constantinus Magnus apud Ruffinum lib. 10. historię cap. 10. sic ait Episcopis, qui ad Nicænam Synodum conuenerant: [Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur &c. Et ideò his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum contentione distinguire.] Et quamuis Concilio interfuerit, non tamen, vt suffragium ferret, vel causam propria sententia definiret, aut legem vllam inconsultis Patribus statueret, sed vt Eusebius apud Baronium ait: [Vt paci studeret, saueret veritati, foueret concordiam, tumultus comprimeret, à veritate discrepantes reuocaret.] Vndè Ambrosius Epist. 32. ad Valentinianum Imperatorem: [Si conferendum de fide, inquit, Sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino Augustę memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.] Demùm Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, propè finem, loquens de Constantino Imperatore, qui de rebus fidei, & Ecclesiasticis iudicare præsumpserat, sic ait: [Quis videns eum in decernendo, principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?] Refert quoque ibidem Hosium Cordubensem Episcopum, eumdem Imperatorem di-

 sce-

sceptationibus Ecclesiasticis de fidei rebus se immiscentem, grauitèr admonuisse, his verbis: [Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit; & quemadmodùm, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te traheos, crimini obnoxius fias.] Plura his similia videri possunt apud Gregorium Nazianzenum Orat. 17. Chrysostomum homil. 15. in 2. ad Corinth. & Ambrosium lib. 5. epist. 35.

Probatur secundò conclusio ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ iudicium de fidei controuersijs nunquam detulit ad Reges, & Principes sæculares, aut quemcumque alium Magistratum Politicum, sed ad Romanum Pontificem Christi Vicarium, aliosque Prælatos tunc Ecclesiam regentes. Nam primò initio nascentis Ecclesiæ in controuersia illa, an Mosaicæ cæremoniæ seruandæ essent à Christianis recens à gentilismo conuersis, recursum est ad Apostolos, qui Concilio de hac re Ierosolymis coacto, quæstionem desiuierunt in hunc modum: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.] Sæculo secundo, controuersia exorta de celebratione Paschæ, à Victore Pontifice Romano, post multa Concilia determinata fuit; & excommunicari primùm, ac deindè habiri pro hæreticis, & Quartodecimani appellari, qui eius decreto parere recusarunt. Sæculo tertio hæresis Nouatianorum, negantium pœnitentiam lapsis post baptismum, damnata fuit à Cornelio Papa, cum Concilio Romæ habito anno 255. Item eodē sęculo controuersia illa diù in Aphrica, & Oriente, tempore Cypriani agitata, an rebaptizandi essent, qui ab hæreticis baptizati fuissent, decisa est à Stephano Pontifice Romano anno 258. & hæretici habiti sunt omnes, qui contrarium pertinacitèr sentiebant. Quarto sęculo ad cognoscendam, examinandamque Arrij hæresim, non est recursum ad Principes sæculares, sed ad Episcopos Ecclesiæ, qui 318. in Concilio Nicæno congregati, præsidentibus Legatis, nomine Syluestri Romani Pontificis, illam damnarunt anno 325. Sęculo quinto hæresis Palagiana ab Innocentio, Cęlestino, Zozimo, & Bonifacio damnata est, & Nestoriana ab eodem Cælestino, & Concilio Ephesino. Sęculo sexto hęresis Eutychiana à Leone I. & Chalcedonensi Concilio. Sęculo septimo, Monothelitæ à Sexta Synodo generali sub Agathone Summo Pontifice damnati sunt. Sęculo octauo, Iconomachi à Nicæno secundo, & sic de reliquis, vsque ad hæresim Lutheranam, & Caluinianam, præcedenti sęculo damnatam à Tridentina Synodo.

Dico quartò, Romanum Pontificem, ex Cathedra loquentem, esse infallibilem regulam fidei, & Iudicem controuersiarum.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedentibus: Vt enim conclusione prima ostensum est, aliquis Iudex in Ecclesia necessarius est, qui auctoritatem habeat dirimendi controuersias de rebus fidei: Sed talis iudex non potest esse Scriptura, vel priuatus vniuscuiusque spiritus, aut Princeps aliquis sęcularis, vt ibidem, & duabus sequentibus conclusionibus demonstrauimus: Ergo debet esse Princeps aliquis Ecclesiasticus, qui à Deo immediatè habeat auctoritatem declarandi verum sensum Scripturæ, nimirùm Pontifex Romanus, legitimus Petri successor, & Christi Vicarius. Vndè Innocentius III. cap. Quoties 24. quæst. 1. [Quoties ratio fidei, ventilatur, non nisi ad Petrum, id est sui nominis honorem, & auctoritatem habentem, recurrendum est.] Et in capite Maiores de Baptismo, & eius effectu, sic habet: [Maiores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exorasse ne deficeret fides eius.] Item Bernardus epist. 190. ad Innocentium Summum Pontificem: [Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæquæ, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hęc quippè huius prærogatiua sedis, cui enim aliquandò dictum est. Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur. Et tu aliquandò conuersus, confirma fratres tuos. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis, & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.] Denùm Cyprianus epist. 55. asserit, [quòd non aliundè hæreses obortę sunt, aut nata schismata, quàm indè, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.]

Propter hæc, & alia plurima id genus, meritò Schola Parisiensis, in errorum Malesoni refutatione, quæ habetur in fine libri quarti sententiarum, ita pronuntiauit conclusione prima: [Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali supremà, circa ea quæ sunt fidei, iudicialitèr definire, ex eo quòd fides nunquam ex vi promissionis Christi Petro factæ poterit deficere.] Item refertur in Summa Conciliorum, in vita & gestis Sixti IV. quòd damnatus fuit Petrus Oxomensis, Clericus sæcularis, & Doctor Parisiensis, in congregatione Doctorum quinquaginta duo, Compluti habita, per Alphonsum Carillum, Archiepiscopum Toletanum, anno 1479. eò, quòd inter cætera assereret, Vrbis Romæ Ecclesiam in fide errare posse, id est, Sedem Apostolicam. Fuitque illa condemnatio per specialem Extrauagantem confirmata à Sixto IV. Et Doctor ille sententiam suam rettactare coactus, combustis publicè eius libris, & cathedra, in qua docuerat, vt referunt post Miraudam, in Summa Conciliorum, loco suprà citato, Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. disputat. de Ecclesia, & Andreas Duuallius, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de suprema Summi Pontificis potestate qu. 6. pag. 772.

§. II.

Soluuntur Hæreticorum obiectiones.

Obijciunt in primis Hæretici contra primam conclusionem: In lege Naturali, & Mosaica, nulla fuit regula viua, quæ fidei con-

controuersias dirimeret: Ergo, nec illa debet admitti in lege Euangelica.

Respondeo negando Antecedens, fuit enim in lege etiam Naturali, & Mosaica talis aliqua regula, nempè iudicium, & sententia Maiorum, & sacerdotum circa diuinas traditiones scriptas, vel non scriptas, vbi dubitatio occurrebat, iuxtà illud Deuteron. 17. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. Venies ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, &c. qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxtà legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.]

Neque obsunt verba illa, [& docuerint te iuxtà legem eius.] Non enim sensus eorum est, quod parendum esset Sacerdotibus, quandò quisque priuatus iudicasset esse iuxtà legem locutos; sic enim esset vanum id tribunal, cuius singuli essent supremi Iudices, & Deus eos constituisset Iudices suorum Iudicum: sed sensus est absolutus, quòd Sacerdotes tales forent locuturi iuxtà legem. Vel illud, iuxtà legem, non refertur ad docuerint, sed ad facies, vt indicat clarè textus Hebraicus, qui ad verbum sic habet: [Secundùm legem, quam docebunt te, & secundùm iudicium, quod dicent tibi, facies. Et versio Septuaginta. Et custodies valdè facere secundùm omnia, quæ statuta fuerint tibi. Secundùm legem, & secundùm iudicium, quod dixerint tibi facies.]

Objjciunt secundò: Ad credendum sufficit reuelatio diuina sufficientèr proposita per argumenta credibilitatis: Ergo non est opus alia regula.

Respondeo, reuelationem diuinam sufficere quidem ad ea credenda, quæ per eam distinctè, & expressè proponuntur; sed non ad credenda ea, quæ confusè tantùm proponuntur, aut non ita expressè, vt locus esse possit dubitationi, & controuersiæ de verò sensu reuelationis, cuius sufficientia ad credendum distinctè, completur per regulam viuam, ea, quæ credenda sunt clarè, & distinctè proponentem.

Objjciunt tertiò: Vel hæc regula animata in definiendis rebus fidei, non eget alijs regulis fidei, & sic reliquæ erunt superfluæ; vel eget, & tunc ipsa non erit regula, sed potiùs regulata, cùm nequeat, sine regula dirigere?

Confirmatur: Vel talis regula esset diuina, vel humana? Non diuina, quia præter Scripturam Sacram, nulla datur. Nec humana, quia omnis regula humana est fallibilis, cùm omnis homo sit mendax.

Confirmatur ampliùs: Ex Scriptura probatur hæc regula, & rursùs ex testimonio huius regulæ probatur Scripturam esse Canonicam, & Authenticam: Ergò committitur vitiosus circulus, & idem probatur per idem.

Ad obiectionem respondeo, regulam animatam in definiendis rebus fidei indigere regulis traditis, & scriptis, cùm ipsa non sit regula per essentiam, vt est Deus, seu prima veritas reuelans; neque credenda definire possit per nouas, & immediatas reuelationes, vt Prophetæ, & Apostoli, sed per infallibilem dumtaxàt interpretationem earum, quæ hactenùs Ecclesiæ factæ sunt. Vndè dicitur tantùm suprema in proponendo: inter quam, & reliquas hoc interest, quòd reliquæ continent obiectum credendum fide diuina, solùmque egent sufficienti applicatione; hæc verò tantùm proponit, & definit quodnam sit obiectum credendum; atque in hoc sensu habet assistentiam Spiritus sancti, ne erret in proponendo vnum pro alio.

Ad primam confirmationem dico, huiusmodi regulam esse diuinam, non minùs quàm Scripturam, vel Traditionem, cùm non minùs immediatam auctoritatem habeat à Deo, à quo vtraque æqualem accipit in suo genere infallibilitatem; hæc in proponendo, illa in testificando. Sicut tam lex scripta, quàm animatus Iudex ab eodem Principe constitutus, eamdem habent in suo genere auctoritatem, illa in obligando, hic in sententia, & iudicio ferendo.

Ad illud verò, quòd dicitur in secunda confirmatione de circulo vitioso, suprà disput. 1. art. 2. §. 1. in fine responsum est, potestque in ipsos hæreticos retorqueri, qui in talem circulum reuera incidunt, cùm Scripturam, eiusque sensum verum, non certò agnoscant, nisi ex spiritu priuato; & spiritum priuatum non aliundè probent, quàm ex ipsa Scriptura, ipsomet spiritu priuato intellecta in hunc sensum. Incidunt etiam in id quod Manichæis exprobrat Augustinus libro 32. contra Faustum capit. 19. [Videtis, inquit, id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est vt non auctoritati Scripturarum subijciatur ad fidem, sed vt sibi Scripturas ipse subijciat: non vt ideò illi placeat aliquid, qui hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit: Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis?]

Contra tertiam conclusionem in qua diximus, nullum Principem sæcularem esse Iudicem controuersiarum fidei, objiciunt Angli hæretici primò exemplum Moysis, Iosue, Dauidis, & aliorum quorumdam Regum veteris Testamenti, qui in causis spiritualibus interdum Iudices egerunt. Opponunt etiam exempla quorumdam Principum Christianorum, qui Concilia conuocarunt, illisque præfuerunt, quibusue ipsa Concilia vltimam sententiam, & approbationem detulerunt, vt Carolo Magno Concilium Arelatense, cuius verba hæc sunt cap. vltimo post decreta omnia: [Hæc Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius Clementiam, vt si quid hic minùs sit, eius prudentia suppleatur. Si quid secùs, quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur. Si quid rationabilitèr taxatum est, eius adiutorio diuina opitulante clementia perficiatur.] Aliqui etiam Imperatores Christiani leges sanxerunt circa fidem, & res Ecclesiasticas, vt videre est in Codice lib. 1. Tit. 1. & aliquot sequentibus, & in Nouellis Iustiniani. Addunt, tempore legis naturalis, quo ius tantùm naturale ser-

uabatur, Regiam & Sacerdotalem potestatem fuisse coniunctas, vt patet in Melchisedech, & in primogenitis ex stirpe Noe, qui erant simul Reges, & Sacerdotes, vt docent Hieronymus epistola 126. ad Euagrium, & Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 6. Ergo cùm gratia non destruat naturam, sed perficiat, potestas Sacerdotalis, & Regia in lege Euangelica iunctæ sunt, Regesque Christiani supremam potestatem non solùm temporalem, sed etiam spiritualem habent, ideòque à SS. Patribus Dei Vicarij appellantur: Augustinus enim in libro quæstionum veteris, & noui Testamenti cap. 91. de Rege sic ait: [Adoratur in terris quasi Vicarius Dei.] Et Eleutherius Papa in epistola quadam ad Lucium Britanniæ Regem, sic eum alloquitur: [Vos in regno vestro Vicarius Dei estis. Tertullianus etiam in libro ad Scapulam: Colimus ergò, inquit, & Imperatorem. Sic quomodò & nobis licèt, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum; & quidquid est à Deo consequutum, solo Deo minorem; Hoc ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.]

Hæc sunt præcipua Anglorum hæreticorum fundamenta, quæ facilè dilui possunt. Ad exempla enim Moysis, Iosue, & Dauidis, dico Moysem fuisse Ducem, & Sacerdotem, iuxtà illud Psal. 68. [Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius:] Iosue verò nunquam de causis spiritualibus iudicasse, Dauidem autem tanquã Propheram, illud interdum extraordinariè, & ex speciali instinctu Spiritus sancti facere potuisse, quod in regulam, & exemplum commune trahi non debet. Vndè Iosaphat Rex optimus, & sapientissimus, vtraque officia Regis, & Sacerdotis manifestè distinxit: nam 2. Paralippom. 19. sic Sacerdotes alloquitur: [Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cœremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Domino. Amasias autem, Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.] Quibus verbis clarissimè distinguit officium Regis, ab officio Pontificis, & sacerdotum, & istis solis tribuit iudicium de lege, de mandato, de cœremonijs, de iustificationibus, & regimen eorum, quæ ad Deum pertinent.

Ad exempla desumpta ex Principibus Christianis, respondeo, Imperatores aliquos Christianos, hortatos quidem esse Pontifices ad conuocanda Concilia, atque etiam suam auctoritatem interposuisse ad tollenda obstacula, quæ eorum celebrationem impediant, ea tamen auctoritate propria non conuocasse aut celebrasse, & multò minùs eorum definitiones approbasse, vel confirmasse. Si verò aliqui id præsumpserint, vt de Iustiniano affirmat Baronius, ad annum Christi 528. & 549. paucorum abusus non est sufficiens fundamentum affirmandi hanc potestatem fuisse concessam Principibus sæcularibus, quam optimi scribit Ambrosius epistola 32. ad Valentinique Principes, & Imperatores non sibi competere professi sunt, vt de Basilio, Theodosio, Constantino Magno, suprà vidimus. Idem de Valentiniano seniore ad Valentinianum iuniorem, vbi sic eum alloquitur: [Patet tuus Deo fauente vir maturioris æui dicebat: non est meum iudicare inter Episcopos,] hancque veritatem non voce tantùm, sed legibus etiam publicis ab illo sancitam fuisse, ibidem affirmat. Vndè est illud celebre dictum Ioannis Papæ cap. [Si Imperator 96. dist. Si Imperator Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere.]

Quoad Patres Concilij Arelatensis, dicendum est, eos petijsse tantùm à Carolo Magno protectionem, & executionem suorum decretorum, vt ex vltimis eorum verbis constat: reliqua verò modestiæ, & vrbanitatis causa dixisse Imperatori religiosissimo, & sapientissimo; vndè ex illis nullum sumi potest indicium spiritualis potestatis in Imperatore, vel subiectionis Concilij ipsius sententiæ, in dubijs fidei, aut rebus alijs spiritualibus.

Denique constitutiones Iustiniani, & aliorum Imperatorum circa fidem, & res Ecclesiasticas, non sunt nouæ sanctiones, sed intimationes Canonum iam ab Ecclesia latorum, vt iudices sæculares, & alij ipsorum potestati subiecti, intelligerent quid circa illos tenendum, aut exequendum esset, scirentque suæ voluntatis esse, vt à cunctis exactè seruarentur. Debet enim in eo potestas regia, & sæcularis iuuare Ecclesiasticam, & spiritualem, vt rectè Leo I. epistola 81. Imperatorem Leonem admonuit, his verbis: [Debes incunctantèr aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: vt abusus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem ijs, quæ sunt turbata restituas.]

Ad id quod subditur de lege naturæ, respondeo in eo statu potestatem Regiam, & Sacerdotalem non fuisse iunctas iure naturali, sed id ex libera hominum institutione factum esse; cùm enim in lege naturæ Deus non determinasset aliquos specialiter, per quos vellet sacrificia sibi offerri, & res sacras tractari, potestas Sacerdotalis erat merè humana, id est humanæ institutionis, nec spiritualem aliquam iurisdictionem includebat, sicut in lege Mosaica, & Euangelica: quare licèt in statu naturæ Melchisedech, & primogeniti ex stirpe Noe, simul essent Reges, & Sacerdotes; in lege tamen Mosaica, & Euangelica, potestas Regia, & Sacerdotalis ab inuicem separatæ sunt, vt elegantèr declarat Hugo Victorinus de sacramentis parte 2. his verbis: [Duæ sunt vitæ, vna terrena, & alia spiritualis: vt autem vtraque in iustitia seruetur, & vtilitas proueniat, vtrique distributi sunt, qui vtriusque bona secundùm necessitatem procurant.] Vndè Reges dicuntur Dei Vicarij in temporalibus, Pontifices verò in spiritualibus. Præterquam quòd liber quæstionum veteris, & noui Testamenti, non est Augustini, & epistola Eleutherij citata, spuria est, recensque ab hæreticis conficta, vt notat Sanderus lib. 5. de claue Dauid cap. 6.

Contra vltimam conclusionem obijciunt Hæretici: Si præter Scripturam habeamus in Ecclesia viuum oraculum, quo res fidei clarè pro-

proponantur, & controuersiæ dirimantur, sequitur frustrà fore Scripturam ad explicandas, & dirimendas controuersias fidei; imò & Papam cum Concilio fore supra Scripturam, cùm de ea iudicet quoad literam, vel quoad sensum.

Sed nego vtramque sequelam: Sicut enim Iudices supremi in foro ciuili non excludunt leges scriptas, sed eas supponunt, & sequuntur: sic nec Summi Pontifices, & Concilia, quamuis habeant supremam in dirimendis fidei controuersijs auctoritatem, non excludunt regulam Scripturæ, & traditionum Diuinarum, sed potiùs ijs vtuntur in dirimendis fidei controuersijs; quia, vt suprà dicebamus, non docent per nouas, & priuatas reuelationes, sed per explicationem, & applicationem Scripturarum, & diuinarum traditionum. Similiter sicut Iudex constitutus à Principe, non est supra leges Principis, licèt habeat supremam potestatem sub illo indicandi, & tales leges explicandi; sic nec Summi Pontifices, & Concilia supra Scripturam esse dicendi sunt, quamuis eam explicandi, & de illius sensu iudicandi, supremam, & infallibilem habeant auctoritatem, & potestatem.

§. III.

Alia obiectio soluitur.

OBijciunt demum Hæretici contra eamdem conclusionem: Regula fidei errare non potest: At Summus Pontifex in fide errare potest: Ergo regula fidei non est. Maior patet: Minorem verò probant Hæretici varijs exemplis Romanorum Pontificum, qui in suis definitionibus errasse videntur. In primis enim Liberius, vt apud Bellarminum libro 4. de Romano Pontifice cap. 9. testantur Athanasius, & Hieronymus, exilij tædio pertæsus, damnationi D. Athanasij ab hæreticis Arianis factæ, fideique formulæ, nomine consubstantialis carenti subscripsit, quod certè fuit hæresim approbare. Felix etiam, qui Liberio successit, Arianus fuit, vt testatur Hieronymus in Cathalogo Scriptorum, in Acacio, his verbis: [In tantùm autem sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum, Felicem Arianum, Episcopum constitueret.] Tertiò Vigilius epistolam scripsit ad Theodoram Augustam, in qua Monothelitarum hæresim confirmat, & anathema dicit ijs, qui confitentur duas in Christo naturas, vt refert Liberatus in Breuiario cap. 22. Quartò, Honorius I. in eamdem Monothelitarum hæresim incidit, nam in suis ad Sergium Constantinopolitanum epistolis, vnicam asseruit in Christo voluntatem, & alitèr prædicare vetuit. Vndè in sexta Synodo actione 13. damnatus fuit tanquam hæreticus, eiusque epistolæ combustæ, & in septima Synodo actione vltima totum Concilium dicit Anathema Honorio, Sergio, Cyro, & cæteris Monothelitis. Quintò, Stephanus VI. & Sergius III. irritauerunt, vt Platina narrat, omnia acta Formosi prædecessoris; contrà verò Ioannes IX. irritauit acta Stephani VI. & Sergij III. & approbauit acta Formosi: Ergo necessario alteruter falsum dixit, & errauit. Sextò, vel errauit Nicolaus IV. vel Ioannes XXII. quorum alter capite, exijt, de verborum significationibus in sexto, definiuit Christum verbo, & exemplo docuisse perfectam paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium rerum, nullo sibi dominio relicto, neque in particulari, neque in communi: alter verò in Extrauagant. [Ad Conditorem Canonum, & cùm inter nonnullos, & quia quorumdam,] declarat, talem paupertatem esse impossibilem in rebus vsu consumptibilibus, & hæreticum esse asserere, Christum talem paupertatem verbo, & exemplo docuisse. Demùm idem Pontifex docuit animas non visuras Deum ante resurrectionem, cuius oppositum definiuit Benedictus XII. qui ei successit, & Concilium Florentinum in decreto Eugenij.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem, & ad primam probationem de Liberio, dico quòd quamuis grauitèr deliquerit, Arianorum hæresi, & condemnationi Athanasij subscribendo; non tamen propterea dici potest, illum verè fuisse hæreticum, aut hæresim docuisse; quia inuitus, & coactus, & minis, ac terroribus compulsus, tali hæreli, & condemnationi subscripsit: hoc autem non est hæresim ex cathedra docere, sed vt priuatam personam, ad euitandam exilij pœnam, in hæresim, extrinseco solùm signo consentire, vti etiam fecit Marcellinus, qui metu mortis idolis thus obtulit: vel sicut ipse D. Petrus, Christum ore, non corde negando, confessionem fidei: non verò ipsam fidem amisit; vt docent SS. Patres, Tertullianus lib. de fuga in persecutione, Ambrosius in Psal. 43. & Aurelius Prudentius in lib. Catemerinon, id est rerum diurnarum, hymno 1. vbi habet hos versus:

Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cùm mens maneret innocens.
Animusque seruaret fidem.

Ad secundam probationem de Felice, dico controuersiam esse inter scriptores Historiæ Ecclesiasticæ, an Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus, in Romanam Sedem Liberij exulis loco, ab Arianis intrusus, legitimus Pontifex aliquandò fuerit? Partem affirmantem plures tenent, illamque probant ex Theodoreto lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Felicem Liberij successorem vocat, ipsumque Nicænam fidem propugnasse asserit: [Successum est, inquit, Liberio à fideli quodam eius Diacono, nomine Felice, qui fidem in Concilio Nicæno expositam, seruauit integram. Item Ado Viennensis in Martyrologio, ad 4. Kalend. Augusti, hæc habet: [Romæ via Aurelia B. Felicis Pontificis, sub Constantio filio Constantini.] Addunt, quod cùm Romæ anno 1582. sub Pontificatu Gregorij XIII. ambigeretur, deberetne Felix præfatus in nouo Martyrologio Romano collocari, & viri eruditi, ipseque inter alios Baronius, in contrariam propenderent sententiam, diuina prouidentia, inuenta est arca marmorea in Basilica Sanctorum Cosmæ, & Damiani, cum hac inscriptione in marmore incisa antiquis characteribus: [Hic iacet corpus S. Felicis Papæ,

Papæ, & Martyris, qui Constantium hæreticum damnauit.] Sacri verò corporis, cum inscriptione præfata, reuelatio facta est pridie eius diei, quo eiusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueuit, nempè 4. Kal. Augusti, cùm de eius meritis disceptatio magna esset, iamque penè, ob innumeras contrarias assertiones, causa cadere videretur, vt ait Baronius tomo 3. Annal. ad annum 357.

Nihilominùs pars negatiua alijs videtur probabilior: Tum quia Athanasius in Epistola ad solitarios, Fœlicem ait ab Arianis Episcopum in palatio fuisse creatum, & cum illis communione fœderatum. Tum etiam, quia Optatus Milleuitanus, & sanctus Augustinus, seriem Romanorum Pontificum texentes, vt ex illorum successione Ecclesiæ Catholicæ veritatem probent, ex eorum albo Fęlicem expungunt, & Iulium inter Damasumque, nullum alium collocant, nisi Liberium: Sic namque scribit Optatus lib. 2. contra Parmenianos: [Sedit prior Petrus, cui successit Linus: Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Higynus, Higyno Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Sotero Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zephirinus, Zephirino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Fęlix, Fęlici Eutichianus, Eutichiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylnester, Syluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodiè, qui noster est socius.] Augustinus verò Epist. 165. Romanorum Pontificum seriem sic describit: [Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacetus &c. Miltiadi Syluester, Syluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Syricio Anastasius: In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur.] Cùm ergo Fęlix in hac Pontificum serie non inueniatur, non leue argumentum est, illum nunquam fuisse legitimum Pontificem.

Vtraque opinio probabilis est, & illustres, ac eruditos habet defensores. Iuxta secundam, nulla est difficultas in secunda probatione proposita. Si enim Felix nunquam fuit legitimus Pontifex, ex eo quod ille in fide errauerit, & Arianus fuerit, nullum desumi potest argumentum, Pontificem in fide errare posse, subindeque non esse regulam fidei. Iuxta primam verò dicendum est, Fęlicem, quamdiù fuit verus, ac legitimus Pontifex, nec fuisse Arianum, nec cum Arianis communione fęderatum. Licèt enim cum Arianis communicauerit, medio illo tempore, quo adhuc in exilio viuente Liberio, verus Pontifex non erat: vbi tamen mortuo Liberio, verus Pontifex esse cępit: non solùm à communione Arianorum abstinuit, sed & Constantinum Imperatorem, illorum protectorem, vt hæreticum damnauit, vt constat ex inscriptione supra relata, quæ in eius sepulchro anno 1582. inuenta est.

Ad tertiam probationem de Vigilio, dico illum quidem errasse scribendo Epistolam ad Theodoram Augustam, in qua Monothelitarum hæresim confirmabat, sed hoc Apostolicæ Sedis auctoritati, & infallibilitati nihil officere, tum quia illam non scripsit, vt Pontifex, obligando fideles ad illam amplectendam: tum etiam, quia illam scripsit, quando non erat verus Pontifex, sed Antipapa. Fuit enim opera Bellizarij, mandante Theodora, à sede expulsus Syluerius verus Pontifex, & in exilium missus, eiusque loco intrusus Vigilius, qui ad gratificandum Imperatrici hæreticæ, eulus opè, & fauore fuerat in sedem intrusus, eam Epistolam scripsit: cùm verò postea, defuncto Syluerio, cæpit, vt legitimus Pastor ex Petri cathedra docere, nullus fuit in eo natus error: quin, vt Platina narrat, opera Theodorę Romę captus & Constantinopolim ductus, vt promissum de restituendo Anthemio hæretico in Patriarchatum, à quo fuerat à suis prædecessoribus depositus, adimpleret: tantùm abest, vt in tam nefariam petitionem consentiret, vt ipsam Imperatricem, cum omnibus alijs hæreticis, excommunicauerit. In cuius confirmationem accedit illustra testimonium D. Gregorij lib. 2. Epist. 36. hæc scribentis: [Recordandæ memoriæ Vigilius Papa, in Vrbe Regia constitutus, contra Theodoram, tunc Augustam, vel Acephalos, damnationis promulgauit sententiam.] Vnde meritò Romanis Pontificibus applicari potest quod de Pontificibus legis Mosaicæ Augustinus ait Epist. 166. & lib. 4. de doctrina Christiana cap. 27. [Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysis, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.] Ex quibus vulgatum hoc à nonnullis colligitur:] Tanta vis est cathedræ, vt cogat benedicere malè sentientem, & nec sua, sed aliena, docere permittat.]

Ad quartum de Honorio duplex est responsio. Prima est aliquorum, qui fatentur quidem Honorium in hæresim Monothelitarum lapsum fuisse, negant tamen propterea aliquid contrarium fidei vnquam ab eo definitum fuisse: licèt enim, inquiunt, duabus literis ad Sergium scriptis, hæresim Monothelitarum approbauerit, tamen quia illæ duæ Epistolæ erant priuatæ, ad solos Episcopos Orientis, non verò ad vniuersalem Ecclesiam scriptæ, nec sub interminatione anathematis in illis prohibuit docere, vel sentire contrarium, non continebant definitionem Summi Pontificis, sed tantùm eius opinionem, tanquam Doctoris particularis.

Respondent secundò alij, negando Honorium Monothelitis fauisse, & in eorum hæresim vnquam lapsum fuisse; idque probant ex quadam Epistola Agathonis Papæ, in sexta Synodo act. 8. approbata, in qua Agatho latè ostendit, nullum prædecessorum suorum, à fide catholica defecisse, numeransque, ac damnans eos, qui hæresim Monothelitarum defenderant, inter eos non numerat Honorium, sed Sanctam Sedem Apostolicam eximit; quod item facit Concilium Romanum, ante sextam Synodum, contra eundem Mono-

Monothelitarum errorem, sub Martino Papa celebratam. Ad probationem verò in contrarium, ex literis Honorij ad Sergium Constantinopolitanum desumptam, dicunt quod in illis tantùm docet de vna, aut duabus operationibus in Christo tacendum esse, ne qui dicerent vnicam in Christo operationem fuisse, Eutycheti, vnicam in Christo naturam asserenti, fauere viderentur, & qui duas admitterent, hæresim Nestorij, duas in Christo personas affirmantis, defendere viderentur. Prudenter autem id egisse, quia ex vna parte quæstio de duplici, vel vnica Christi voluntate, nondùm esset ab Ecclesia definita; aliundè verò non sine causa timeret, ne hæc quæstio graue aliquod schisma in Ecclesia pareret, poterat, imò debebat, conciliare vtramque opinionem affirmatiuam, & negatiuam, sicque tollere scandali, & contentionis materiam.

Si instes, Honorium in secunda Epistola apertè prædicare in Christo vnam tantùm voluntatem, his verbis: [Vnam voluntatem fatemus Domini nostri Iesu Christi.] Respondent eo loco Honorium locutum fuisse de Christo, præcisè vt homine, itaut dicere tantùm voluerit, non fuisse in homine Christo duas pugnantes voluntates, vnam carnis, alteram spiritus, sed vnam tantùm, nimirùm spiritus, quia caro in Christo nihil absolutè appetebat contrà rationem. Idque constare dicunt ex celebri illa disputatione inter Pirrhum, & Maximum Monachum, quæ recitatur tom.2. Conciliorum, post vitam Theodori Papæ, in qua cùm obijceret Pirrhus, quid de Honorio sentiret? Respondit Maximus, constare ex Epistola quadam scripta à successore Honorij Ioanne IV. ad Imperatorem, negasse Honorium duas voluntates contrarias in Christo, carnis, & spiritus, non duas, quarum vna diuina, altera humana esset.

Si vrgeas, in sexta Synodo generali act. 13. damnatum fuisse Honorium, tanquam hæreticum, & combustas fuisse eius epistolas ad Sergium: totam Synodum septimam act. vltima, anathema dixisse Honorio; & in octaua act. 7. probatam fuisse Epistolam Concilij Romani sub Adriano II. in qua Pontifex cum Concilio asserit, Honorium post mortem à sexta Synodo damnatum.

Respondent primò Bellarminus, & Baronius, acta sextæ Synodi generalis, in quibus fundabantur septimum, & octauum Concilium, deprauata fuisse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, præsertim opera Theodori Constantinopolitani hæretici Monothelitæ, qui se damnatum videns, loco proprij nominis, Honorij nomen substitui curauit. Verùm cùm rationes, quibus hanc sextæ Synodi corruptionem suadere conantur, non conuincentes non sint, nec appareant solidæ.

Respondent secundò cum Turrecremata, & alijs, sextam Synodum in damnatione Honorij errasse; quamuis enim Concilium generale legitimum errare non possit, in dogmatibus fidei definiendis, in quæstionibus tamen de facto criminalibus, errori obnoxium esse potest; subindéque mirùm videri non debet, quod Patres illius Concilij, ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorij Epistolis, decepti, immeritò eum cum hæreticis Monothelitis connumerarint. Sed de hoc fusiùs in Manuali Thomistarum tract. de fide cap. 5. §. 4. vbi ostendimus, quòd licèt Concilia, & Summi Pontifices, in rebus fidei errare non possint; benè tamen in quæstionibus facti non reuelatis; vt docent non solùm plures graues Theologi, sed etiam quatuor doctissimi, & sapientissimi Cardinales, nempè Cardinalis à Turrecremata, Cardinales Baronius, & Bellarminus, & nouissimè Cardinalis Palauicinus, in sua de Concilio Tridentino historia.

Ad quintam probationem de Stephano, & Sergio, qui acta Formosi prædecessoris irritarunt, similiter respondent Bellarminus, Baronius, Franciscus Amicus, alijque Recentiores, eos errasse non in quæstione iuris, sed facti, [de quo, inquit Amicus, dubium non est, quin possit Pontifex errare.] Nam quæstio erat, an Formosus fuisset legitimus Pontifex? Stephanus, & Sergius ex odio existimantes non fuisse legitimum, omnia eius acta annullarunt, quæ postea Ioannes IX. approbauit, declarauitque illum fuisse verum Pontificem, actaque Stephani irritauit.

Ad Nicolaum IV. & Ioannem XXII. respondeo cum ijsdem Auctoribus, duas esse quæstiones à Pontificibus illis pertractatas. Prima est, an possit de rebus vsu consumptibilibus separari vsus à dominio? Secunda, an Christus habuerit purum vsum rerum, quibus vtebatur, omni dominio à se abdicato? Quoad primam, variæ, & contrariæ sunt illorum Pontificum sententiæ: Nicolaus enim partem tenet affirmatiuam, idque occasione Fratrum sancti Francisci de Obseruantia, qui profitentur merum vsum habere earum rerum, quas eleemosynis acquirunt, manente dominio liberè de ijs disponendi apud Sedem Apostolicam. Negatiuam verò Ioannes amplectitur, eò quòd in rebus vsu consumptibilibus distingui nequeat vsus à dominio; nam his rebus vti, est ipsum dominium in eas exercere; cùm ille dicatur Dominus rei, qui illam destruere potest: qui autem rem vsu consumit, illam destruit, subindéque in eam dominium exercet. Sed quidquid sit de hac quæstione, & quænam sententia verior, aut probabilior sit, certum est illam non spectare ad fidem, cùm non sit de aliqua veritate, vel in Scripturis reuelata, vel per traditionem accepta, vel ad salutem necessaria. Posterior verò pertinet quidem ad fidem, sed in ea definienda, vnus Pontifex non contradicit alteri: Nicolaus enim non definit vniuersaliter, nunquam Christum habuisse dominium rerum, quibus vtebatur, imò docet illud aliquandò ad indulgendum nostræ infirmitati retinuisse. Nam post quam dixit in Extrauaganti, Exijt: Christum talem paupertatem, omni dominio abdicato, verbo, & exemplo docuisse, subdit: [Nec his quisnam putet obsistere, quod interdum dicitur Christus loculos habuisse: nam sic Christus Iesus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens & viam perfectorum extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret, sic infirmorum personam Christus suscepit in locu-

loculis, &c.] Contrà verò Ioannes in Extrauaganti [Cùm inter nonnullos,]non definit, Christum nunquam talem paupertatem verbo, aut exemplo docuisse, sed solùm vt hæreticum declarat Christum, eiusque Apostolos, non habuisse aliqua, saltem in communi. Fieri autem potuit, vt Christus habuerit aliqua, vel in communi, vel in particulari, & nihilominùs ad comendationem perfectæ paupertatis, interdùm omne dominium carum rerum, quas licitè habere poterat, à se abdicauerit, iuxtà illud Matth. 8. & Lucæ 9. [Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet vbi capue reclinet.]

Ad Ioannem XXII. respondetur, illum quidem fuisse valdè propensum in sententiam asserentem animas non visuras Deum ante Resurrectionem generalem, eamque persuadere statuisse, non tamen vt Pontificem definiuisse, sed vt ait Benedictus XII. in Extrauaganti, quę incipit Benedictus Deus, speciali prouidentia raptum fuisse, antequam aliquid definiret.

Addo ex Ioan. Villano lib. 11. historiæ cap. 19. Ioannem Papam pridie ante mortem significasse, existimare se iam probabiliorem sententiam esse eam, quæ asserit beatos frui visione diuina, etiam ante diem iudicij; & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cuius definitioni suas omnes sententias libentissimè subijceret. Quę retractatio apertè docet, huius Pontificis mentem semper bonam, & Catholicam fuisse. Idque confirmari potest ex Andrea Duuallio in Tractatu de infallibilitate Summi Pontificis, vbi aliud refert, quod ad huius Pontificis famam, & honorem non parùm confert: nimirùm omnes Doctores Theologos facultatis Parisiensis, cotam Rege Philippo Valesio, eum ab omni hęreseos, & erroris suspicione vindicasse, aientes se accepisse à fide dignis, totum quòd à Summo Pontifice de beatitudine Sanctorum dictum fuerat, non fuisse assertiuè dictum. Quòd testimonium instrumento publico munierunt anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio, vt constat ex autographo, quod ad nostram, vsque ætatem asseruarunt Fratres Prędicatores in Conuentu Sancti Iacobi, & integrum refert Dominus Coiffeteau, Massiliensis Episcopus, pagina 1040. & 1041. suę responsionis ad Mysterium iniquitatis, illudque se manibus tractasse ait Gamachęus Doctor Sorbonicus 1. 2. quęst. 4.

ARTICVLVS II.

An soli Petro primatus, seu supremum totiùs Ecclesiæ regimen concessum fuerit, subindèque Paulus æqualem potestatem cum illo non habuerit?

DVas mouemus hìc celebres controuersias, vnam contrà huius temporis hęreticos, negantes soli Petro primatum, seu supremam potestatem gubernandi Ecclesiam à Christo concessam esse, quam propterea negant esse Monarchicam, sed vel Democraticam penes multitudinem, vt Illyricus, vel Aristocraticam penes cœtum seniorum, vt Caluinus, aut penes Principes sęculares, vt Brentius, & hęretici Angli, quos articulo pręcedenti confutauimus. Illis fauet Vigorius Iurisconsultus, in sua responsione Synodali Concilij Basileensis, vbi docet claues collatas esse non personæ Petri, seorsim à cętetis Apostolis sumptę, sed coniunctim, seu nomine Ecclesię, quam ipse figurabat, & repręsentabat. Sicut, inquit, licèt Genes. 2. Deus dicatur inspirasse in faciem hominis spiraculum vitę, nihilominùs totum corpus viuificum fuit, & anima totum corpus occupauit. Ita cùm dixit Petro, [Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam,] hoc conuenit toti Ecclesię. Altera controuersia est aduersùs Recentiorem aliquem Doctorem Sorbonicum, qui non multis ab hinc annis librum Gallico idiomate edidit, quo asserit, æqualem D. Petro, Diuum Paulum potestatem, & auctoritatem in Ecclesiam habuisse, & vtrumque non constituere quidem duo capita, ne Ecclesia esset biceps, quod esset monstro simile, sed vtrumque constituere vnicum caput Ecclesiæ, & vnum Pontificem. Quæ sententia ab Innocentio X. anno 1647. damnata est, & contra illam scripserunt P. Nicolai in Rainerio, titulo de dominio, Diana speciali Tractatu de auctoritate soliùs Petri, Augustinus de Bellis, & nouissimè P. Dominicus à S. Trinitate, Carmelita Discalceatus, tom. 3. suæ Bibliothecę Theologicæ.

§. I.

Prima conclusio statuitur, & duplici Scripturæ testimonio firmatur.

DIco primò, soli singulari personæ Petri à Christo fuisse concessum primatum, & supremam potestatem regendi vniuersalem Ecclesiam, non verò alijs Apostolis.

Conclusio est certa de fide, probaturque ex Euangelij locis duobus illustrissimis, in quorum vno Christus claues (id est supremam in Ecclesia potestatem) Petro promittit, in altero verò reipsa confert. Primùm habetur Matth. 16. vbi Christus sic Petrum alloquitur: [Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni cœlorum, &c.] Vbi (vt rectè obseruat Andreas Duuallius, Doctor Sorbonicus, & Pontificiæ auctoritatis defensor accerrimus) duo extant metaphorica nomina; Petra, & clauis, quæ supremam in persona Petri potestatem aptissimè significant: quod enim in ædificio est petra, seu fundamentum, hoc in corpore est caput, in ciuitate gubernator, Rex in regno, paterfamilias in domo, & nauta in naui: sicut enim petra fundamentali totum nititur ędificium, sic ciuitas, regnum, domus, & nauis, gubernatore, Rege, patre, & nauclero stat, nititurque. Similiter communis consuetudo est, quod cum vrbes deduntur alicui Principi, offeruntur ei claues, domus solent tradi ei, qui œco-

œconomus instituitur. Vndè de Christo dicitur Isaiæ 22. [Dabo claues super humerum eius, & Apoc. 3. Qui habet clauem Dauid,] vt suprema eius potestas in Ecclesiam significetur.

Christum verò his verbis singulariter alloqui Petrum inter alios Apostolos præsentes, manifestum est. Primò, quia singulariter eu laudat ob confessionem fidei, ab vno illo editam, [Beatus es, qui caro, & sanguis non reuelauit tibi.] Secundò, quia pronomine singulari secundæ personæ sæpiùs illum designat, Caro, & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et tibi dabo claues regni cœlorum.] Tertiò, quia duplici nomine proprio illum compellat, addito etiam nomine patris: [Beatus es Simon Bar-Iona,] id est, Filius Ioannis; & [Tu es Petrus, &c.] Quartò, quia vicem illi rependit illustris fidei professionis, [Et ego dico tibi, &c.] Vndè Hieronymus in hunc locum: [Testimonio de se Apostoli reddidit vicem. Petrus dixerat, Tu es Christus Filius Dei viui. Mercedem recepit vera confessio: Beatus es Simon Bar-Iona, &c. Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filius Dei viui, ego dico tibi, non sermone casso, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.] Et Hilarius can. 16. in Matthæum [Dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Filium Dei in homine vidisset.

Respondent primò Lutherani, & Caluinistæ, non Petrum, sed Christum ipsum nomine petræ, super quam Ecclesia ædificanda erat, intelligi hoc in loco debere; quod probant dupliciter, primò doctrina Apostoli 1. ad Corinthios 3. sic habentis: [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.] Secundò expositione D. Augustini, libro enim 1. retract. cap. 21. nomine petræ ibi Christum intelligi asserit expressè, & rationem dat, quia non dictum est Petro, [Tu es petra, sed tu es Petrus.

Sed contrà primò: Si per petram Christus non intellexit Petrum, sed seipsum, quorsùm Christus ibi Apostoli nomen, quod erat Simon, mutauit, eumque Petrum, siuè Cephas, hoc est saxum, appellauit? Secundò, quæ consequentia: [Tu es Petrus, & super me ædificabo Ecclesiam meam?] Tertiò, si Christus non Petrum, sed seipsum, nomine fundamenti Ecclesiæ intellexit, sequitur quòd nulla in illis verbis expressa est remuneratio confessionis Petri de Christo, quandoquidem non est Petri prærogatiua, quòd super Christum ædificetur Ecclesia: Sed consequens est cōtrà SS. Patres relatos: Ergo, &c. Tandem sequētia verba, [Tibi dabo claues,]denotant ad quem priora referantur: nam omnia diriguntur ad describendam completam auctoritatem, quæ in supremo Pastore totiùs Ecclesiæ requiritur: Si ergo sequentia verba, aduersarijs fatentibus, non ad Christum, sed ad Petrum referuntur, cur non etiam priora?

Neque obstat locus Apostoli 1. ad Corinthios 3. ex eo enim, quòd Petrus sit fundamentum Ecclesiæ, non sequitur Ecclesiam propterea in alio fundari, quàm in Christo, quia non fundatur in Petro, nisi vt Christi Vicario, indigentre etiam ipsa Christi sustentatione, quandoquidem Christus, vt dicit Augustinus enar. in Psalm. 86. [Fundamentum est fundamentorum,] eò quòd solus seipso consistat, sustineatque quidquid pertinet ad Ecclesiæ ædificium, ipsumque proindè etiam Petrum confirmet.

Non obstat etiam D. Augustinus citatus, licèt enim dicat per petram intelligi posse Christum, tamen sic concludit: [Altera autem duarum sententiarum, quæ est probabilior, eligat Lector.] Quibus verbis, cùm nihil hac de re certi definiat, atque etiam permittat per petram Petrum intelligere, sequi oportet communem aliorum omnium Sanctorum Patrum sententiam, qui in hac interpretatione consentiunt.

Demum non obest, quod Interpres Latinus, nomen Petræ fœmininum, in masculinum mutauerit, dicens [Tu es Petrus, hoc enim fecit, eo quòd virili personæ nomen Petri aptiùs conueniret, vt rectè annotauit Andreas Duuallius in Tractatu de suprema Pontificis potestate quæst. 3. pagina 723.

Respondet secundò Vigorius, Petrum quidem à Christo recepisse claues, sed non solùm in persona propria, sed etiam in persona aliorum Apostolorum, & totiùs Ecclesiæ, quam ipse figurabat, & repræsentabat; idque probat ex Augustino relato in cap. Quodcumque 24. quæst. 1. nam verba illa Christi expendens: [Dabo tibi claues regni cœlorum, quodcumque ligaueris super terram, &c. subdit: Si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia, id est non soluit, nec ligat: at Ecclesia id facit; cum enim excommunicat Ecclesia, in cęlo ligatur excommunicatus.]

Sed contrà: Verba Christi Matth. 16. nulli alteri ex Apostolis, quàm Petro conuenire possunt; nullus enim eorum, præter Petrum, poterat dici Bar-Iona, seu filius Ionę, nullus quippè Ionam, seu Ioannam pro patre secundùm carnem habebat: nullus etiam Apostolorum, præter Petrum, Cephas, quod interpretatur petra, seu rupes appellatus est: Erga verba illa Christi, [Dabo tibi claues, &c.] id est supremam in Ecclesia auctoritatem, ad solam Petri personam directa sunt. Vndè Epiphanius in Ancorato, [Dominus constituit primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.] Et Gregorius lib. 6. epistolarum, epist. 37. ad Eulogium: [Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? Maximus Serm. de Sanctis Petro, & Paulo: [Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino, Tu es Petrus, super hanc petram, &c.]Demum Chrysostomus hom. 44. in cap. 6. Isaiæ: [Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obturauit os: ille qui Græcanicam sapientiam non aliter, quàm aranearum telam dissoluit; ille qui sagenam misit in mare, & piscanit orbem.

Deindè si per petram Ecclesia intelligeretur, intolerabilis, & nugatoria battologia à Christo committeretur; cùm enim dixit, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, idem esset, ac si diceretur super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam. Vndè ad Augustinum à Vigorio allegatum, dicendum est, nolle

le Augustinum, D. Petrum tamquam Ecclesiæ Vicarium, & Legatum claues accepisse, instar Proregis, cui Principis nomine, claues ciuitatis nonnumquam dantur, sed tamquam Principem, & moderatorem totius Ecclesiæ. Quòd autem hæc fuerit mens Augustini, manifestè patet ex alijs locis: vbicumque enim dicit Petrum personam Ecclesiæ gessisse, hoc semper asserit ratione primatus, vt Tractatu vltimo in Ioann. vbi sic ait: [Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Et in Psalm. 108. Cuius (Ecclesiæ) ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit.]

Secundus locus quo primatum Petri suprà Ecclesiam euidentèr demonstratur, sumitur ex capite 21. D. Ioannis, vbi Christus quod antè Matth. 16. promiserat Petro propter excellentem fidei confessionem, dedit post trinam protestationem excellentis amoris, his verbis: [Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oues meas.] Vbi manifestum est primò, verba hæc non alteri, quàm Petro dicta esse, cùm proprio ipsius, & patris etiam nomine singularitèr eum designet, & ter ipsum interroget, vt trinæ negationi respondeteret eius trina confessio ipsumque distinguat ab omnibus alijs: [Simon Ioannis diligis me plus his?] id est plusquàm hi socij tui Apostoli. Secundò euidens est, quod Christus his verbis specialem prærogatiuam confert D. Petro, à priori beneficio missionis, communi omnibus Apostolis, distinctam; id enim apertè colligitur ex eo, quòd Christus, antequam Petro munus illud pascendi oues suas, & agnos generatim committeret, ter illum interrogauit, num plus quàm alij diligeret? Nam vt rectè notarunt Chrysostomus, & Theophilactus in locum illum Ioannis, & Bernardus Serm. 76. in Cantica, non erat causa, cur ab illo maiorem dilectionem requireret ad beneficium commune omnibus Apostolis, & missionem iam omnibus mandaram, sed nimirùm idcircò plus amoris ab illo requisiuit, quia rem charissimam, nempè Ecclesiam, pro qua sanguinem fudit, illi pascendam, & regendam commendabat. Tertiò ex verbis illis manifestè colligitur, Christum vniuersalem Ecclesiæ curam Petro commisisse: indefinitè quippè de ouibus suis, non autem de his, aut illis loquutus est, & agnos primò, deindè oues illi commendauit: per agnos autem populus, per oues verò Pastores significantur, & Patres populi. Vndè Eusebius Emissenus: [Priùs agnos, deindè oues Petro commisit, quia non solùm Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues. Pascit filios, pascit & matres. Regit, & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oues, in Ecclesia nihil est.]

Simili discursu vtitur Diuus Bernardus lib. 2. de consideratr. cap. 8. ad primatum Petri, & Romani Pontificis suprà vniuersalem Ecclesiam demonstrandum: [Tu es (inquit Eugenio Papæ) cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. Vndè id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum; sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas, Petre, pasce oues meas. Quas? illius, aut illius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignauisse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.]

Aliud primatus D. Petri argumentum ibidem desumit, ex eo quòd solus Petrus cum Christo ambulauit super aquas, & cæteris discipulis nauigio venientibus ad Christum stantem in littore, Petrus se misit in mare, & natando peruenit ad eum. [Accipe, inquit, aliud, quod prærogatiuam confirmat tibi (alloquitur eumdem Eugenium Summum Pontificem, & Petri successorem.] Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, quodque iucundius erat in corpore rediuiuo Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quiquæ suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est: naues, Ecclesiæ. Indè est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cùm quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis facta ex omnibus, ipsa vniuersalis Ecclesia, toto orbe diffusa.]

§. II.

Ratio fundamentalis nostræ conclusionis exponitur.

Ratio fundamentalis nostræ conclusionis potest sic breuitèr proponi. Si supremum Ecclesiæ regimen, non soli Petro, sed alijs etiam Apostolis à Christo concessum esset, tale regimen non esset Monarchicum, sed Aristocraticum: At hoc dici nequit: Ergò nec illud. Sequela Maioris patet, in eo enim distinguitur regimen Monarchicum ab Aristocratico, quod in Monarchia vnus solus regit, & imperat, in Aristocratia verò plures, scilicet optimates, dominantur. Minor verò, quàm negant hæretici, multipliciter ostenditur. Primò ex Scriptura: Ecclesia enim in sacris literis per ea, quæ statum habent Monarchicum solet designari: Daniel 2. comparatur regno: Cantic. 4. exercitui ordinato: Cantic. 7. corpori humano: 1. ad Timoth. 3. domui: 1. Petri 3. naui; & Ioann. 20. ouili; quia omnia ab vno supremo moderatore guberantur. Neque valet si respondeas, Ecclesiam his meritò comparari, quòd Regem vnum, & caput à quo regitur, scilicet Christum, agnoscat. Cùm enim Ecclesia sit vnum corpus visibile, præter Christum, à quo inuisibilitèr regitur, requirit visibilem aliquem, & manifestum pastorem, qui eam visibilitèr regat, & moderetur. Vndè vigesimus septimus

mus error Wicleffi in Concilio Constantiensi damnatus, hic fuit: [Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus, regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conuersetur, & conuersetur.]

Secundò probatur eadem Minor: Christus Ecclesiæ in noua lege non negauit, quod Synagogæ in veteri concessit: At Synagoga quandiù perstitit, per vnum supremum Sacerdotem Monarchicè gubernata est. vt constat Deuteronom. 7. Ergò pariter Ecclesia in noua lege sub vno supremo pastore Monarchicè gubernari debet.

Probatur tertiò: Ecclesia militans Apocal. 21. instar triumphantis Ecclesiæ est instituta, tamquam quædam eius imago: At in Ecclesia triumphante, præter Deum, & Christum, præsidet primus Angelus, à quo cæteri illuminantur, & perficiuntur: Ergò, & in militante, præter Deum & Christum, aliquis Monarcha, à quo regatur admittendus est.

Quartò sic arguo: Nulli dubium est quin Christus optimum, ac perfectissimum suæ Ecclesiæ regimen instituerit: At hoc est Monarchicum, vt docet Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. & lumine naturæ cuique exploratum est: Primò ratione ordinis, qui perfectiùs tunc elucet, cùm solus ille, cui cura omnium incumbit, præest, reliqui verò subsunt, quàm cùm, vel omnes præsunt, & nullus subijcitur, vt in Democratia: vel cùm multi, nempè optimates, dominantur, vt in Aristocratia: licèt enim aliquis ordo in hoc regimine reluceat, cùm populus optimatibus subijciatur, nullus tamen ordo est inter optimates, cùm sint omninò pares, neque vnus in alterum potestatem habeat. Secundò, ratione facilitatis gubernandi: faciliùs enim ab vno, quàm à multis ciuitas regitur, vt ait Philosophus loco citato, tum quia faciliùs est vnum virtute excellere, quàm plures: tum etiam quia faciliùs populus vni, quàm multis (quorum studia plerumque in diuersa feruntur) obtemperat. Tertiò, ratione assecutionis finis, pacis scilicèt, & concordiæ, quæ tunc facilè conciliatur, quando omnes idem volunt, idem nolunt: hoc autem fit suauissimè, cùm ab vnius voluntate, & arbitrio omnes dependent. Hinc illi etiam apud quos Democratia viguit, vbi peculiaris aliqua difficultas exorta erat, aut graue periculum imminebat, vt rebus arduis occurrerent, vt discrimen, quòd Reipublicæ impendebat euaderent, ad Monarchiam confugere solebant, plenamque rerum administrandarum potestatem vni conferre: vt constat præcipuè de Romanis: nam apud illos id moris erat, vt dum summa vrgeret necessitas, & res Romana, ob bella externa, vel ob interna dissidia, in vltimum penè discrimen adducta esset, Dictatorem crearent, atque ad voins regimen, tamquam ad vnicum periclitantis, ac propè iam labentis Reipublicæ stabilimentum, confugerent. Vndè meritò Aristoteles 12. Metaphysicæ hanc Homeri sententiam celebrat: [Non est bonum multitudo principatuum, vnus verò Princeps.] Cui annuit Virgilius 4. Georgicon, vbi quando contigerit duos Reges in vno apum examine inueniri, hoc salubre Agricolis dat consilium:

Verùm vbi ductores acie reuocaberis ambos,
Deterior, qui visus, eum ne prodigus obsit,
Dede neci, melior vacua, sine regnet in aula.

Si ergo Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: si grues omnes sequuntur vnam ordine literatio, vt ait Hieronymus, cum Rustico suo disserens, si demùm in naui gubernator vnus est, in exercitu dux vnus, in regno vnus Imperator, & in domo vnus Paterfamilias: multò magis vnus Monarcha erit in Ecclesia, quæ, vt suprà dicebamus, in sacris literis ouili, naui, exercitui, regno, & domo comparatur. Vndè inter propositiones desumptas ex quatuor libris Antonij de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, de Republica Ecclesiastica, & à Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis damnatas, hæc fuit sexta: [Monarchiæ forma non fuit immediatè in Ecclesia à Christo instituta.] Quam propositionem hac censura notauit: [Hæc propositio est hæretica, schismatica, Ordinis Hierarchici subuersiua, & pacis Ecclesiæ perturbatiua.] Et rursus de ista eiusdem Pseudo-Archiepiscopi propositione: [Si quid incommodi habet Aristocratia, cui Monarchia facilè possit obuiare: Ecclesiam Spiritu Christi instructam, propterea, & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam, & in se tota Aristocratiam, eadem Sacra Facultas sic censuit: Hæc propositio est hæretica, & schismatica, quatenus vult Ecclesiam vniuersalem, secundùm se totam esse Aristocraticam.]

§. III.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra Petri primatum.

Obijciunt primò hæretici: Omnes Apostoli fuerunt in potestate æquales: Ergò soli personæ Petri non fuit concessus primatus, seu suprema potestas regendi Ecclesiam. Consequentia videtur manifesta: Antecedens verò probant, tum ex Cypriano lib. de vnitate Ecclesiæ, vbi sic ait: [Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.] Tum ex Hieronymo lib. 1. in Iouin. vbi pariter affirmat Apostolos omnes fuisse pares. Addunt Petrum numquam exercuisse primatum, & iurisdictionem in alios Apostolos, contrà verò missum fuisse eum Ioanne ad Samaritanos, Act. 8. & reprehensum à Paulo, Galat. 2.

Respondeo omnes Apostolos in potestate ordinis, & in dignitate Apostolatus fuisse æquales: singuli enim potestatem Euangelium vbique terrarum prædicandi, ligandi & soluendi, & omnium, quæ pro mundi conuersione necessaria erant, à Christo non à Petro acceperunt: in ratione tamen officij pastoralis inæquales fuerunt, vt docet Chrysostomus, explicando verba hæc, [Pasce oues meas, id est, esto præpositus, loco mei, & primus in medio fratrum.] Et in capit. 1.

Actuum Apostolorum, vbi sermo est de electione Matthiæ, exclamat: [Quàm cognoscit Petrus gregem suum, quàm in hoc choro princeps est. Item Leo Papa epistola 84. hæc scribit: Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret:] in dignitate scilicet pastoris vniuersæ Ecclesiæ. Quò fit, vt Petrus cæteros Apostolos triplici titulo dignitate, & potestate superauerit. Primò, quia dignitas, & iurisdictio vniuersalis fuit in eo, vt in Pastore ordinario totius Ecclesiæ, cui succedendum erat: in alijs verò non ita, sed eorum potestas vniuersalis quodammodo delegata erat, & ex priuilegio, atque propter necessitatem concessa; quia nimirum in dispersionem gentium erant abituri, & longis locorum interuallis à Petro separandi, vt pro Ecclesiarum, quas ipsi fundabant, necessitatibus, vix ac ne vix quidem, eum possent conuenire. Secundò, quia iurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè; poterat enim illis, ve ouibus præcipere, atque huc, aut illuc mittere. Tertiò, singulis Apostolis data est vniuersalis potestas in hunc sensum, vt vbique Gentium possent prædicare, absoluere, Episcopos instituere, & similia præstare; non tamen, vt possent singuli vniuersali Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere, quæ totam Ecclesiam obligarent; hoc enim soli Petro concessum est, & in hoc eius potestas suprà alios eminebat.

Ex his facilè intelligitur locus Cypriani, in quo hæretici maximam vim faciunt: ibi enim solùm intendit omnes Apostolos fuisse pares in munere Apostolarus præcisè, siuè in eo quòd acceperunt verbis illis ad omnes simul prolatis: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,&c.] Non negat tamen Petrum fuisse illis superiorem in dignitate Pastoris vniuersalis Ecclesiæ, quam speciatim accepit Ioann. 21. verbis illis Christi, [Pasce oues meas,] quibus primatum datum fuisse Petro, ibidem agnoscit Cyprian. his verbis: [Quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quòd fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis (nimirùm antè illa Christi verba ad Petrum: Pasce oues meas) Sed exordium ab vnitate proficiscitur: Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia,& Cathedra vna monstretur, Item epistola 40. Vna Ecclesia, inquit, est, & Cathedra vna super Petram, Domini voce fundata: quisquis alibi collegerit, spargit.] Simili modo loquitur Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, vbi licèt affirmet Apostolos omnes fuisse pares, in dignitate scilicèt Apostolica,ait tamen vnum è duodecim fuisse electum, [vt constituto capite, omnis schismatis tolleretur occasio. Et in Dialogo aduersùs Luciferianos inquit, quòd Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet,cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.] Vnde Bernardus lib. 2. de consider. cap. 8. ait quod Christus, post resurrectionem, Ecclesiam suam commisit vni, scilicèt Petro, [vt vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore, secundùm illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate, indè est, quod alij singuli singulas sortiti sunt plebes, &c. Demùm S. Ignatius epistola ad Philadelphienses hæc scribit: Vna est caro Domini Iesu, & vnus sanguis eius, qui pro nobis effusus est: vnus etiam panis pro omnibus confractus, vnus calix totius Ecclesiæ, & vnus Episcopus simul cum omnibus Presbyteris, & Diaconis.

Nec obstat primatui Petri, quod subdunt hæretici, nempè nullibi legi in Scriptura, Petrum exercuisse iurisdictionem suprà alios Apostolos: tùm quia non omnia, quæ fecit Petrus, scripta sunt: tùm etiam, quia eùm alij Apostoli optimè se gererent, & à Spiritu sancto regerentur,non fuit opus,quòd Petrus erga illos suam iurisdictionem, & potestatem exerceret. Non pauca tamen, nec leuia primatus Petri suprà alios in Scriptura habentur indicia. Primò, quia Petrus in multis superiorem se ostendit,nam in electione Matthiæ, & in promulgatione legis Euangelicæ die Pentecostes Actor. 2. & in abrogatione veteris legis, & in reliquis cœtibus, semper fuit primus in dicendo. Secundò, ex eo quòd Petrus primo loco ab Euangelistis semper recenseatur: hoc enim non ideò ab ijs factum est, quòd Petrus inter Apostolos esset ætate prouectior, Andreas quippè eum ætate superabat, ex Epiphanio hæresi 71. neque quòd primus esset vocatione, duo enim Io. 1. priùs sunt vocati; neque quòd donis personalibus reliquis Apostolis præcelleret; Ioannes enim virgo fuit, Propheta, & Euangelista, & præ cæteris blandiùs, ac teneriùs à Christo dilectus: non aliam ergo ob causam ab Euangelistis eius nomen primò ponitur, quàm quia cæteris dignitate, & primatu præcellebat. Tertiò, quia Christus ei nomen mutauit, ipsumque Cepha, quod Syriacè petram, vel saxum, aut rupem, Græcè verò caput, Gallicè Chef significat; vnde hac nominis impositione, eum fundamentum, & caput totius Ecclesiæ futurum esse prædixit; quod præclarè docet Dionysius cap. 3. de diuin. nomin. vbi Petrum Apostolorum verticem appellat; & in libro, quem scripsit de vita, & morte Apostolorum, cuius meminit Gabriel in Canonem Missæ, narrat Paulum, Petrum euntem ad martyrium, his verbis salutasse: [Pax tecum fundamentum Ecclesiarum, Pastor ouium,& agnorum Christi.] Demum Matt. 17. Christus Dominus soli Petro nominatim iussit, vt pro se, & pro illo tributum solueret: [Da, inquit, illis pro me, & pro te.] Vndè Auctor quæstionum veteris,& noui Testamenti, quæ habentur in quarto tomo operum D. Augustini: [Saluator cùm pro se, & pro Petro dari iubet, pro omnibus exsoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij; ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Do-

Dominici.] Idem docent Chrysostomus homil.59. in Matth. Hieronymus, & alij.

Ad id verò, quod in obiectione subiungitur de missione Petri ad Samaritanos, eiusque reprehensione à Paulo, dicendum est, missionem illam non arguere inferioritatem, aut subiectionem in Petro: tum quia aliàs Filius, & Spiritus sanctus essent minores Patre, à quo mittuntur: tùm etiam, quia talis missio non facta fuit imperando, sed communi consilio iudicatum fuit à Petro ipso cum alijs, expedite vt iret. Potuit verò, quamuis superior Paulo, ab ipso reprehendi: quia licèt inferiori reprehendere superiorem ex charitate, praecipuè si peccat cum aliorum scandalo. De quo fusiùs §. 6.

Obijcitur secundò: Paulus, non Petrus, per antonomasiam vocatur Apostolus: Ergo potiùs Paulus, quàm Petrus inter Apostolos primatum tenet.

Confirmatur: In antiquis imaginibus, quibus Pontificum diplomata obsignari solent, Paulus à dextris, Petrus à sinistris depicti cernuntur: Ergo Paulus praeponitur Petro, non Petrus Paulo.

Ad obiectionem respondeo Paulum per ntonomasiam dici Apostolum, qui plura cripta nobis reliquit, & plus alijs in prædiatione Euangelij, quod est Apostolorum roprium, laborauit, vt ipsemet ait 1. ad orinth.15. Vndè Augustinus lib.3. ad Boniacium cap.3. [Apostolus cùm dicitur, si non xprimatur quis Apostolus, non intelligitur isi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, plus omnibus laborauit.

Ad confirmationem respondeo ex Belrmino lib.1. de Rom. Pont. cap.27. morem isse apud antiquos, quod iunior ambulans m seniore, incederet à dextris senioris, eumque obsequij causa paululùm præcederet. qua consuetudine fieri potuit, vt etiam in iaginibus Paulus depingeretur à dextris tri. Alias rationes affert Petrus Damianus ousc.35. cap.1. quòd scilicèt Paulus ex Tri Beniamin fuerit, & Beniamin filium dexræ significet; vel quòd Paulus vocatus sit à hristo in cœlis regnante, cùm tamen Petrus Christo Domino in terris degente vocatus. Quam etiam rationem reddit D.Thomas epist. ad Galat. cap.1. [Quia præsens vita, quit, significatur per sinistram, futura verò dexteram, in quantum ista est cœlestis, & rritualis, illa verò temporalis: ideò Petrus, i vocatus fuit à Christo, adhùc in carne rtali posito, ponitur in Bulla Papę in sinii parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à risto iam glorificato, ponitur in dextera rte.] Addo ex eo, quòd dextera Paulo rdum concessa fuerit, perperàm indè infi, æqualem eius cum Petro auctoritatem, o dextera non sit honoratior in Ecclesia lis. Nam in Concilio Nicæno 1. Vitus, & entius, Sancti Syluestri legati, qui priubscripsere Concilio vnà cum Patriarcha Aandrino Ecclesiæ Orientalis Primati, in stra parte sederunt. Item in Concilio lcedonensi, Dioscorus licèt mox damnandexteram tenuit, Legati verò Sancti Leonistram. In sinistro cornu altaris Euangim legi solet, quod Prophetijs, & Epi Apostolicis dignius est, quæ in dextro recitantur. Demùm cum olim in Ecclesia fœminæ seorsim à viris orabant sinistra viris, dextera fœminis assignata erat. Ex quibus manifestum est, in sacris ritibus hunc olim vsum viguisse, vt sinistra dexteræ præferretur, subindeque ex dextera Paulo interdùm data, non rectè colligi maiorem illius auctoritatem. An vero æqualem cum Petro potestatem habuerit dicemus §. sequenti.

§. IV.

Alia difficultas resoluitur, & Paulum parem cum Petro auctoritatem, & potestatem in Ecclesiam non habuisse, breuitèr demonstratur.

Dico secundò, Paulum æqualem cum Petro non habuisse potestatem, & auctoritatem in Ecclesiam.

Probatur primò ex Scriptura: Act. 15. orta Antiochiæ seditione propter Iudæos, volentes Gentes ad Deum conuersas circumcidi, statutum est Paulum, & Barnabam debere conuenire Apostolos, qui erant Hierosolymis, vt facto Concilio quæstionem dirimerent. In hoc verò Concilio, quod primum omnium fuit, coram omnibus Apostolis, etiam & præsente Paulo, (cuius potissimùm interesse videbatur, cùm ea de causa in Hierusalem missus fuisset) solus Petrus, vt docent SS. Patres, præfuit: Si verò Paulus eamdem habuisset potestatem cum Petro, simul etiam cum ipso præesse debuisset; sicut cùm duo Legati, qui parem habent auctoritatem Concilio intersunt, non vnus solùm, sed ambo præsunt: Ergo Paulus æqualem cum Petro non habuit potestatem, & auctoritatem in Ecclesiam.

Confirmatur primò: Cùm Diuus Paulus prædicaret Antiochiæ Gentes ad Deum conuersas non debere circumcidi, nemo parendum esse existimauit, & vt dicit Theophilactus eo loco, non videbatur tunc D. Paulus ea auctoritate præditus, vt de tanta re fides ei haberetur: At verò cùm primùm D.Petrus docuit ablegaudam esse circumcisionem, tacuit omnis multitudo, vt dicitur in eodem cap. versu 12. nec quisquam existimauit sibi licere non obtemperare: Ergo manifestissimum est, maiorem D. Petro, quàm D. Paulo reuerentiam ab Ecclesia exhibitam fuisse, & existimasse multitudinem, quod D. Petrus superior erat, & maiorem habebat potestatem in definiendis rebus fidei, quàm haberet Diuus Paulus.

Confirmatur secundò, ex eo quòd Diuus Paulus ab Antiochena Ecclesia missus est ad D. Petrum, vt inquit Theodoretus epistola ad Leonem, vt quæstionem ab eo solutam, ad ipsum afferret: Ergo manifestum signum est, Ecclesiam Antiochenam existimasse, quod D. Petrus vnicus erat Pontifex, cuius erat res fidei definire.

Probatur secundò conclusio ex ipso D. Paulo Epist. ad Galat. cap. 1. vbi sic ait: [Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim:] nam ex hoc loco colligût SS.Patres, Paulum agnouisse D. Petrum, vt superio-



riorem, & primatum totius Ecclesiæ: Tertullianus enim lib. de præscript. propè finem, ait: [Ascendit videre Petrum ex officio, & de inte.] Ambrosius in eumdem locum: [Dignum erat, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Hieronymus ibidem hæc scribit: [Non enim ascendit, vt genas, vultumque agnosceret, sed ad ipsum venit, tanquam ad Pastorem supremæ potestatis, & vt honorem priori Apostolo deferret.] Similia habet Theodoretus in eumdem ad Galatas locum: [Cùm humana, inquit, doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi, quem, par est, honorem tribuit. Theophilactus, honorans eum, ceu maiorem.] Oecumenicus, [Post tantos, tantosque agones pergit ad Petrum, tanquam maiorem visurus.] Demum Gregorius IX. in Epistola ad Archiepiscopum Constantinopolitanum: [Ascendit Paulus, qui in Petro auctoritatis officium recognoscens, ad eum, tanquam ad Primatem, & Euangelij fontem, ascendit Hierosolymam.]

Quod verò ibidem Paulus ait, nihil sibi à Petro, & ab alijs collatum fuisse, significat quidem, nihil se ab illis didicisse, quod pertineret ad fidem, vt qui erat ab ipso Christo Domino satis in eo genere eruditus; quemadmodum ipse initio eiusdem Epistolæ declarat, his verbis: [Paulus Apostolus non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum.] Deindè, [Notum vobis facio Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per Iesum Christum.] Quamquam in ordine ad illud prædicandum, nonnihil faciendum, approbationem illius à Petro, & alijs Apostolis petierit, vt ipse innuit cap. 2. eiusdem Epistolæ ad Galatas dicens: [Deindè post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Vnde Hieronymus in Epistola ad Augustinum: [Id fecit, inquit, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant, fuisset sententiam roboratum.]

Probatur tertiò ex D. Dionysio Epist. ad Timotheum, vbi refert quod cùm Petrus, & Paulus ad Martyrium ducerentur, ita sese inuicem, audiente ipso Dionysio, salutauerunt. Et Paulus quidem: [Pax tecum, inquit, Petre fundamentum Ecclesiarum, Pastor ouium, & agnorum Christi. Et Petrus ad eum: Vade in pace Prædicator bonorum, Mediator, & Dux salutis iustorum. Cùm autem elongasseur se ab inuicem: ego Dionysius secutus sum Paulum Magistrum meum. Vbi D. Paulus, Petrum quidem fundamentum Ecclesiæ, & Pastorem vocat, secùs verò Petrus Paulum, cum enim dumtaxat Prædicatorem appellat: At Petrus non tacuisset quod præcipuum fuisset in Paulo, scilicèt supremum Pontificem esse, & supremam habere potestatem in Ecclesiam, si reuera eam habuisset: Ergo &c.

His omnibus auctoritatibus addi potest definitio Ioannis XXII. contra Marsilium de Padua, & Ioannem Iandunum, Auenione decimo Kalendas Nouembris, Pontificatus sui anno duodecimo, in qua sic habetur: [Quòd autem B. Petrus plusquam alij Apostoli auctoritatis habuit, ex prædictis euidenter concluditur. Certum est enim quòd maior est auctoritas Pastoris, quàm gregis: Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est Pastor, quod de nullo alio Apostolo dici potest.]. Ita definit Pontifex: Bullam refert Bzouius tomo 13. anno 1327.

Quartò, suadri potest conclusio ex principijs supra §. 2. statutis, ibi enim ostensum est, Ecclesiæ regimen esse Monarchicum, cùm illud sit omnium perfectissimum, & præstantissimum, quod Ecclesiæ deesse non potest: Atqui regimen Ecclesiæ non potest esse Monarchicum, nisi vnus sit, qui omnibus præsit, & superior sit; etenim si plures sint, quibus regimen incumbat, & qui potestatem æqualem regendi habeant, receditur à Monarchia, & ad Aristocratiam acceditur, etiam si se habeant per modum vnius: nam constat quod Senatus, qui ex optimatibus Reipublicæ constituitur, se habet per modum vnius, & tamen ad Aristocratiam pertinet: Ergo suprema potestas regendi Ecclesiam, in vno tantùm residet, scilicet in Petro, subindeque Paulus æqualem cum illo auctoritatem, & potestatem non habuit.

Demùm probari potest conclusio hoc discursu: Si Paulus ligasset aliquam Ecclesiam, puta Tarsensem, potuissetne Petrus eam soluere, vel non? Si potuisset: Ergo aperè maior est Paulo, nam si parem dumtaxat potestatem haberet, cùm par in parem potestatem nullam habeat, non posset eam sententiam Petrus irritare, quam Paulus tulit. Si verò non potuit Petrus Ecclesiam à Paulo ligatam soluere: Ergo nec Petrus habet omnimodum dominium in omnes Orbis Ecclesias, nec subindè dici potest supremam auctoritatem habere, & Paulus maior e contra, siquidem potuit Paulus eam Ecclesiam soluere, quam ligauit, cùm id tamen non potuisset Petrus. Hac ratione conuincitur à Philosophis omnibus, & Theologis, non posse dari plura prima principia. Quæ ratio omninò efficax est in proposito, si vterque, & Petrus, & Paulus supremam, & velut primam auctoritatem, & potestatem habuisse dicantur.

Nec verò dici potest, quod Deus speciali protectione, & cura Ecclesiam gubernans, potuisset efficere ne vnquam Petrus & Paulus contraria statuissent, vndè posset turbari regimen Ecclesiæ. Hoc, inquam, nihil obstat: Tum quia aliàs ad argumentum simile, quo probatur non posse dari plura prima principia, posset quis responderè: quod illa vnquam opposita sentirent aut statuerent, ne turbaretur ordo vniuersi. Tum etiam, quia probat hæc ratio implicare absolutè esse duas potestates omninò supremas, nec subordinatas inter se: nam sicut eas impedire potuit ne Petrus, & Paulus pugnantia statuerent, ita permittere potuit. Hoc

verò posito, manifestè conuincitur vnum necessariò esse alteri inferiorem, vt diximus: Vndè sicut non potest, quis duobus dominis seruire, ita nec potest duobus Ecclesia obtemperare, nec duo supremam in ea potestatem habere.

§. V.

Soluuntur obiectiones.

PLura obijci possunt ex auctoritatibus SS. Patrum, qui sæpiùs D. Paulum cum D. Petro conferunt, & vtrique parem auctoritatem, & potestatem tribuere videntur. Verùm hæc non nisi commendationem Diui Pauli continent; nam vt infrà ostendemus, eadem, vndè Aduersarij putant se probare Primatum Ecclesiæ communem esse Petro, & Paulo, de alijs Apostolis, maximè de Diuo Iacobo, à Patribus dicta sunt.

Obijcitur itaque primò argumentum quod ex Scriptura sumi videtur: habetur enim ex Scriptura quòd Paulus Petrum reprehendit, ipsique in facie restitit: Atqui non potest inferior superiorem arguere, & reprehendere: Ergò debuit Paulus non esse inferior Petro, quem reprehendit. Vndè Diuus Ambrosius ex eo loco, Paulum Petro æqualem facit: [Quis enim, inquit, Petro primo Apostolo resisteret, nisi alius talis fiducia electionis suæ sciens se non imparem?]

Respondeo in primis eo argumento probare hæreticos, quòd Petrus non habeat supremam in Ecclesiam potestatem, cui ausus sit Paulus repugnare.

Respondeo secundò, negando minorem, licet enim interdum inferiori superiorem arguere, vt docet expressè D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 4. Vndè Actorum 11. expressè habetur, quod cùm Petrus ascendit in Hierusalem, disceptabant aduersùs illum hi, qui erant ex circumcisione, dicentes, [ad homines præputium habentes ingressus es, & comedisti cum illis.] Vbi Discipuli Petrum arguunt, ipsique repugnant, cùm tamen Petro æquales non fuerint. Similiter etiam plures, vel Episcopi, vel ijs inferiores, interdum Pontificibus restiterunt, vt Petrus Damianus restitit Victori, Nicolao, & Alexandro, vt constat ex Epistolis 5. 6. & 12. & ita D. Paulus D. Petro, restitit, quòd ita res Ecclesiæ postularent, & expediret. Ad locum verò D. Ambrosij dicendum est, voluisse Diuum Paulum fuisse Petro parem, non quantùm ad dignitatem pontificiam, sed quoad Apostolatum, & alias dotes, quibus hanc fiduciam arguendi Petrum habere poterat.

Addo quòd, Cyprianus Epistola ad Quintum, laudat humilitatem Petri, quòd permiserit se à Paulo corrigi, scilicet superiorem ab inferiori, maiorem à minori. Et Diuus Gregorius homil. 18. in Ezechielem: [Tacuit, inquit, Petrus, vt qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate.] Augustinus item epistola 19. ad Hieronymum hæc scribit:] Rarius, & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus; quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate; salua charitate resistere.]

Obijciunt secundò: Ea omnia, quibus significari potest, Petrum habere primatum, & supremam potestatem, tribui etiam Paulo à sanctis Patribus: nam dicitur Paulus fuisse Episcopus Romæ ab Epiphanio hæresi 27. [Primi, inquit, Romæ Apostoli, & Episcopi fuerunt Petrus, & Paulus.] Dicitur præterea [Pastor verus Romanæ Ecclesiæ,] à Diuo Leone serm. 1. de Petro, & Paulo. [Petrus, & Paulus, inquit, Romanæ Ecclesiæ veri pastores.] Et demùm nihil frequentius in sanctis Patribus reperitur, quàm D. Paulum orbem vniuersum gubernasse: Ergò æqualem cum Petro potestatem, & auctoritatem habuit.

Respondeo nunquam reperiri in Scriptura fuisse dictum Paulo à Christo Domino [Pasce oues meas, pasce agnos meos: vel illud, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] quæ D. Petro dicta sunt; vndè colligitur primatum Ecclesiæ, & plenitudinem potestatis in omnes fideles, ipsosque Apostolos, in Petro residere. Ad primum igitur locum Epiphanij, dicendum est, quod Paulus vocatur Episcopus Romanus, non propter auctoritatem, quam habuit, sed propter operam, quam adhibuit in ea fundanda. Sic Clemens epist. 2. ad Iacobum, vocat se Romanæ Ecclesiæ Præsulem, etiam dum adhuc Apostoli viuerent: [Ego, inquit, Clemens Præsul Ecclesiæ Romanæ.] Et ipse etiam Petrus dicitur dedisse claues Ecclesiæ Romanæ, etiam dum ipse viueret, Lino, ex eodem Clemente Romano lib. 7. Const. cap. 46. quatenus scilicet in administratione rerum externarum Petrum adiuuabat, vt dicit Ioannes III. cap. 1. 8. quæst. 1. Præterea cùm Paulus haberet auctoritatem extraordinariam, omnia munera Pontificis exercebat Romæ; vndè dici potuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus, alia tamen ratione, quàm Petrus diceretur: nam agebat Petrus, vt ordinarius, Paulus, vt extraordinarius; aut etiam Petrus, vt Pontifex, Paulus, vt adiutor. Eodem sensu explicandus est D. Leo, cùm vocat Paulum pastorem Romanę Ecclesiæ, alijque Patres, cùm dicunt Paulum orbem vniuersum gubernasse: hoc enim ita intelligendum est, quod Paulus omnia exercuerit cum Petro, non vt pontifex, sed vt Apostolus: hoc enim omnibus Apostolis commune fuit, & maximè de D. Paulo dici potest, ratione magisterij, quo vniuersum mundum docuit, & illustrauit.

Obijcies tertiò: Romana Sedes dicitur Sedes Pauli à Gregorio VII. in Concilio Romano, vbi dicit se in Pauli Cathedra vniuerso orbi præsidere: & à Damiano opusc. 30. dicitur, quod Romana Ecclesia Sedes est Apostolorum, vtique Petri, & Pauli. Præterea D. Ambrosius in capitulo 2. Epistolę ad Galat. inquit; [Paulus gratiam primatus, sibi soli à Deo concessam vendicat; sicut, & soli Petro concessa est inter Apostolos.] Et demùm Cyrillus Hierosolymitanus Cathech. 6. dicit Paulum esse caput Ecclesiæ: Duo, inquit, [Capita Ecclesiæ Petrus, & Paulus:] Atqui nihil vnquam maius dici potuit, quo significaretur, D. Paulum esse participem primatus Ecclesiæ: Ergò &c.

Re-

Respondeo, quod ex iure cap. Romana de appellatione, Episcopi & Coadiutoris dicitur idem tribunal, idem Consistorium: vndè quia Paulus fuit Coadiutor Petri, dicitur sedisse in eadem cathedra. Sic D. Augustinus epist. 36. ad Paulinum, dicit quod adhùc in corpore posito fratre,& Episcopo meo sene Valerio, sedi cum illo: non quidem, vt proprius Episcopus, sed vt Coadiutor. Addo etiam, quod Paulus dicitur sedisse in Cathedra Romana, propter auctoritatem docendi: sic enim Christus dixit, quod [super Cathedram Moysis sedebant Scribæ, & Pharisæi;] quia scilicèt legem Moysis docebant, vt explicant communitèr Patres, & Glossa in capite Sacrosancta distinctione 23. verbo Moyses. Ad locum D. Ambrosij dicendum est, sese eum Patrem eo loci explicasse; dixerat enim,quòd Paulus dignus fuit habere Primatum prædicationis in prædicatione Gentium, sicut habebat Petrus in Primatu circumcisionis. De hoc igitur Primatu prædicationis intelligendus, & explicandus est. Adde quod Chrysostomus in caput 1. ad Galat. dicit, quod Petrus, Iacobus, & Ioannes, inter discipulos, primatum tenebant, quæ omnia explicanda sunt, cùm Iacobum, & Ioannem æquales faciat Petro. Locus verò Cyrilli necessariò etiam explicandus est, cùm à Bonifacio VIII. suprà citato definitum sit,non esse duo Ecclesiæ capita, sed vnum, scilicèt Petrum. Paulo igitur competere potest nomen & ratio Capitis Ecclesiæ,ratione Apostolatus, & magisterij, sed soli Petro conuenit, ratione primatus, & supremæ potestatis.

Obijcitur quartò, expressè dici à Sanctis Patribus, non esse Paulum inferiorem Petro, sed omninò ipsi æqualem: nam Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto in fine: [Paulus, inquit, non inferior Petro.] Et Hieronymus in cap. 2. ad Galat. dum explicat verba Apostoli dicentis se contulisse suum Euangelium cum Petro, Iacobo, & Ioanne, dicit quòd inter conferentes equalitas est;& Theodoretus in cap. 1 e. 2. ad Corinth. [Paulus, inquit, non erat minor Petro:] Chrysostomus item in caput 2. ad Galat. [Paulus non se comparat alijs Apostolis, sed eorum Capiti, ostendens eamdem vtrique capitis dignitatem;] & homil. 1. in epist. ad Roman. notat mutatum fuisse Paulo sicut, & Petro nomen, vt eamdem, quam habebat Petrus, Caput Apostolorum, suprà eos prærogatiuam, & ipse haberet.

Respondeo hæc omnia dumtaxat commendationem D. Pauli continere, & necessariò explicanda esse, vt ex loco Hieronymi constat: cùm loquatur non solùm de Paulo, & Petro, sed etiam de Iacobo, & Ioanne, inter quos dicit æqualitatem intercedere. Et sanè familiare est Patribus, vt inferiores cum maioribus conferendo, eos æquales dicant: sic enim D. Chrysostomus homil. 42. in sanctum Ignatium dixit, quòd Petrus Antiochia discessurus, Ignatium, alterum Petro parem præceptorem instituit; & D. Martinus dicitur Apostolis compar, &c. Potuit tamen & verissimè dici Paulus non esse inferior Petro, quantùm ad Apostolatum, vel passionis meritum, vel quoad alias dotes: non tamen quantùm ad primatum, & potestatem, siue iurisdictionem Pontificis; hæc enim duo necessario distinguenda sunt,iurisdictio scilicèt, & magisterium. Primum pertinet ad Petrum alterum verò ad Paulum, qui sapientia cæteros superauit. Immò etiam omnibus Apostolis magisterium tribui potest; præcipuè verò ijs, qui scripserunt libros Canonicos,vt notat Cano lib. 2. de locis Theologicis c.18. Et hoc explicuit D. Augustinus cùm dixit serm. 79. de Petro,& Paulo, quod ambo claues à Domino acceperunt, Petrus potentiæ, Paulus sapientiæ: quod etiam discrimen statuit Fortunatus versibus infrà referendis. Ex quibus facilè explicatur etiam locus Chrysostomi, Paulum se meritò comparare, non solùm cæteris Apostolis, sed etiam Petro, cui non est inferior,immò quem etiam superat in ratione magisterij Ecclesiæ: quamuis etiam alia ratione æqualis sit, quòd nimirùm speciali ratione fuerit vocatus ad regimen Ecclesiæ Gentium: [Qui enim (inquit capite 2. ad Galat.)operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes.]

Obijcitur vltimo: D. Paulus dicitur ab Ecclesia thronum duodecimum possidere: Ac nisi in eodem throno sederet cum Petro, non duodecimum, sed decimum-tertium possideret: Ergò, &c.

Respondeo, quod si quid hoc argumentum probaret, demonstraret Paulum esse vltimum omnium Apostolorum, non verò æqualem Petro in auctoritate, & potestate, thronus enim Petri non duodecimus, sed primus est. Cur verò dicatur thronum duodecimum possidere, plures rationes afferri possunt. Prima, quòd nomine duodecimi Throni, ipse Senatus Apostolicus intelligatur, vt olim apud Romanos, triumuiratus nomine, Magistratus intelligebatur: vnde sicut olim triumuirum fieri, nihil aliud significabat, quàm dignitatem magistratus obtinere: ita possidere thronum duodecimum, est inter Apostolos numerari. Secunda, quòd cum Paulus ordinatus est Apostolus, Iacobus occisus fuerat, nec erant nisi vndecim Apostoli: nam Actorum 12. Iacobus occisus est,& Actorum 13. cùm discipuli ieiunantes imposuerunt Paulo manus,Paulus ordinatus est Apostolus, & thronum duodecimum,Iacobi morte vacuum, meruit possidere. Vide Baronium Tomo 1. ad annum 44. Tertia ratio subtilior est:quod cùm Petrus à Christo Domino ipsius Vicarius creatus est, videtur locum Christi tenuisse, nec iam inter cæteros Apostolos, quibus superior erat, numerari: vndè solùm esse videbantur vndecim Apostoli, & vt numerus imperfectus compleretur, Paulus ad Apostolatum vocatus,thronum duodecimum meruit possidere. Hanc rationem tradit Reginaldus Polus lib. 2. ad Regem Angliæ.

Etsi satis superque soluta sint, quæ obijci solent, vt tamen prædictorum argumentorum infirmitas manifestior fiet, vnum addendum est: scilicèt omnia, quæ Sancti Patres D. Paulo tribuunt, quibus conantur Aduersarij probare,indiuisam esse auctoritatem, & potestatem inter Petrum, & Paulum, eadem ab ijsdem Patribus de cæteris Apostolis, maximè verò D. Iacobo,immò etiam de alijs Episcopis, aliquando dicta fuisse.

In

In primis dictus est D. Iacobus Romæ Episcopus ab Ephiphanio hæresi 41. vbi inquit Hyginum Papam successisse in Episcopatu Romano, Iacobo, Petro, & Paulo; atque adeò Iacobum fuisse Romæ Episcopum, & quod maius est, Episcopum Romanum. Dicitur præterea Iacobus Petri successor, ab eodem Epiphanio eodem loco, vbi dicit Hyginum Papam nouam successionem habuisse à Iacobo, Petro, & Paulo. Præterea dicitur à Chrysostomo homil. 33. in Matth. Apostolatus apicem tenuisse, & à Clemente Romano epist. 1. gubernasse omnes vbique Ecclesias Christi Domini: ac demùm Clemens epist. 1. Iacobum vocat Episcoporum Episcopum, & Pontificem Pontificum, quo sanè nihil vmquam dici maius potuit de D. Paulo.

Tamdem ea omnia de cæteris etiam Episcopis interdum dicta sunt, quæ supremam, & primam dignitatem Ecclesiæ significare videntur. In primis enim dicti sunt Episcopi vniuersales, immò & vniuersalis Ecclesiæ, ait enim Clemens lib. 6. Constitutionum cap. 14. ad quosdam Syriæ Episcopos, [Scripsimus vobis hanc Catholicam doctrinam, ad confirmandos vos, quibus vniuersalis episcopatus creditus est, & commissus:] & Diuus Ignatius epistola 6 vocat Episcopum Philadelphium, [Episcopum communem Ecclesiæ.] Præterea Episcopus interdum dicitur Vicarius Christi in capit. 2. Mulier debet 37. quæst. 5. vbi expressè dicitur, [Episcopus Vicarius Domini est.] Concilium etiam Toletanum 6. in Exordio vocat Episcopos Hispaniæ, & Galliæ Summos Pontifices, & Zozimus Episcopus ad Hesichium, præcipit, vt Clerici per gradus Clericatus ad locum ascendant Summi Pontificatus, id est, Episcopatus. Quis verò propterea dixerit omnes Episcopos pares dignitate esse Petro, & habere regimen totius Ecclesiæ? Placuit hæc pauca ex multis, quæ addi possent aduertere, vt quisque intelligat, plurima interdùm apud sanctos Patres reperiri de D. Paulo, tùm de alijs Apostolis, ac etiam Episcopis, quæ nonnisi meram commendationem continent, nec summo rigore intelligi vmquam possunt: sed de alijs Apostolis, aut Episcopis, certa quadam analogia, & proportione dicuntur, quæ de solo Petro, cum omni proprietate vera sunt.

Quæstionem hanc fusè satis explicatam, de vno in duobus, Petro scilicèt, & Paulo, Pontifice, & vt ità dixerim inuersa, & imperiali opposita aquila, in qua sub vno capite duplex corpus, non duo capita in vno corpore esse dicuntur: Elegantibus versibus claudo Fortunati lib. 3. Carminum, quibus vtriusque Petri, & Pauli propriissimas dotes explicat.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus,
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic meritis, celsior ille gradu,
Hunc per corda hominum referantur, & astra per illum:
Quos docet ille stylo, suscipit iste polo.
Pandit iter cæli hic vnus dogmate, clauibus alter:
Est via cui Paulus, ianua fida Petrus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in primatu totius Ecclesiæ sit aliquis legitimus Petri successor, illeque sit solus Romanus Episcopus, & quo iure primatus vniuersalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano coniunctus sit?

§. I.

Tribus conclusionibus triplex hæc difficultas resoluitur.

Dico primò, auctoritatem regendi vniuersalem Ecclesiam, non esse cum officio, & persona Petri extinctam, sed ad successores eius transijsse.

Conclusio est certa de fide, & colligitur ex verbis illis Christi Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,] quibus Petrum totius Ecclesiæ fundamentum esse significauit: de ratione enim fundamenti est, non modò ædificium inchoare, sed etiam illud perpetuò sustentare & conseruare; ruente quippè fundamento, totum ædificium ruat, necesse est: cùm igitur adhùc Christi Ecclesia duret, durare quoque debet fundamentum, in quo sustentetur: At illud non durat in persona Petri: Ergo in eius successoribus.

Idem deducitur ex illis verbis Christi Ioann. 21. [Pasce oues meas,] quibus traditur Petro potestas pascendi, & regendi omnes oues Christi: Sed Petrus non pauit per se omnes oues Christi: Ergo pauit eas per suos successores, quibus Pastoris officium communicauit.

Adde Christum Ecclesiæ in noua lege non negasse, quod Synagogæ in veteri concessit: At Synagoga quamdiù perstitit, per supremos Pastores Monarchicè fuit gubernata, statimque vt aliquis è viuis migrabat, alter ex Tribu Leuitica in eius locum sufficiebatur: Ergo Ecclesia in noua lege ijsdem supremis Pastoribus sibi inuicem succedentibus debet gubernari; cùm hoc tamen discrimine, quòd successio Pontificum per carnalem propagationem in veteri lege descenderet, non tamen in noua lege, in qua status virginitatis cæteris alijs statibus supereminet, sed per supernaturalem quamdam propagationem, nimirùm electionem, qua posita, personæ electæ, & designatæ, supernaturaliter Christus Pastoralem confert potestatem, & primatum vniuersalis Ecclesiæ.

Confirmatur: Christus teste Apostolo ad Ephesios 4. constituit in Ecclesia Pastores, & Doctores duraturos vsque ad finem mundi, [Donec occurramus omnes in vnitatem fidei &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.] Quòd si pastores alios voluit Christus esse perpetuos, multò magis caput pastorum, cùm magis necessarius sit ad vitanda schismata, extinguendas hæreses, & ad regendam vniuersalem Ecclesiam.

Confirmatur ampliùs ex fine ipsius supremi Pontificatus: cùm enim non in commodum

dum Petri, aut supremi Pontificis, sed in vtilitatem Ecclesiæ institutus sit, iuxtà illud Augustini de pastoribus cap.1. [Quòd Christiani sumus, propter nos est, quòd verò præpositi propter vos;]& Ecclesia ad finem vsque sit permansura, non debuit moriente Petro interire supremus ille Pontificatus, sed tandiù permanere, quandiù ipsa Ecclesia.

Demùm eadem veritas suaderi potest ex facto Petri, qui morti proximus, sibi successorem Clementem declarauit, vt ipse Clemens lib.3. Constitution. cap.46. & alij grauissimi Authores testantur;etsi alij Petro substituant Linum, & Cletum, & quartò Clementem, quam controuersiam sic componit Bellarminus lib.2. de Romano Pontifice c. 1. vt Clemens fuerit à B. Petro declaratus successor in pontificia dignitate, quam ipse humilitatis causa cessit Lino, & Cleto, qui in Pastorali officio Petro fuerant adiutores, quibus defunctis, successit ipse quartus Pontifex: Non potuisset autem Petrus sibi in successorem aliquem eligere, nisi à Christo didicisset, pastoralem dignitatem fore semper in Ecclesia per vnum aliquod supremum caput conseruandam, quia nec ipse poterat propria auctoritate illam instituere, quam vt Vicarius acceperat, vice Christi gesturus, nec in aliam formam à Christo non traditam commutare: Ergo &c.

Dico secundò, Romanus Episcopus est legitimus Petri successor in primatu totius Ecclesiæ.

Probatur primò conclusio ex Concilijs generalibus, qui successionem in Petri Sede, & primatu, generalemque iurisdictionem in totam Ecclesiam, tribuunt Romano Pontifici. In primis enim Concilium Nicænum I. can.39. hęc habet: [Sic præest Patriarcha ijs omnibus, qui sub potestate eius sunt, sicut ille qui tenet Sedem Romæ, caput est & princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicabitur.] Hunc Canonem refert Franciscus Amicus Tract. de fide disp. 6. sect. 3. atque ex Turriano, & Alano Copio, cum Arabicè extare in Bibliotheca Marcelli II. Romani Pontificis, eumque ex codice Arabico, in Latinam linguam, in hunc modum transferri. [Veneramur secundùm Scripturas, & Canonum definitionem, sanctissimum Romanæ, antiquæque Ecclesiæ Episcopum: primum esse credimus,& maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationis, imperat Patriarcha, & leges indicit; & vt à principio Petrus Christi Vicarius, religioni, Ecclesijs, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus, præfectus, principum Christianorum, prouinciarum, & omnium Gentium Dominus, & rector erat: ita ille,cuius principatus Romæ est, Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet. Huic Sanctioni si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subijciatur.

Eadem veritas constat ex Concilio Niceno 2.Act.2. vbi approbatur epistola Adriani Papæ, in qua habentur hæc verba: [Cuius (Ecclesię Romanę) fides per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit.] Et ex Lateranensi sub Innocentio III. cap.5.vbi sic dicitur: [Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis dignitatem obtinens, vtpotè mater vniuersorum Christifidelium, & magistra.] Et ex Lugdunensi sub Gregorio X. vbi Concilium vocat Pontificem, [Vicarium Christi,& successorem Petri.] Demùm ex Florentino sub Eugenio, in decreto vnionis, quo sic habetur: [Item definiuimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere;& ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.]

Probatur secundò conclusio ex consensu, & testimonio primorum, & antiquissimorum Pontificum Romanorum, qui licèt in propria causa, suspecti esse non debent, cùm ferè omnes fuerint sancti, & martyres,subindèque tantam dignitatem falsò sibi arrogare voluisse, credibile non est. Eorum testimonia fusè expendit Andreas Duuallius, in Tractatu de suprema pontificis potestate,p.1. quæst. 6. eaque in tres classes distribuit;nobis tria, vel quatuor, quæ ad rem magis faciunt, referre sufficiet. Primum sumitur ex epistola 3. Anacleti, qui Beati Clementi successit; tertio enim capite illius epistolæ, hæc verba leguntur. [Hęc sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis,sed ab ipso Domino Saluatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Prima ergo Sedes est, cœlesti beneficio, Romanæ Ecclesiæ, quam Beatissimi Petrus, & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma, quæ priùs erat cacodæmonum artificio, omnium errorum mater, & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum titibus abiectis,filiorum Dei, exorto Sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix.]

Similia docent alij pontifices: Alexander I. epist.91. [Relatum est, inquit,ad huius sanctæ, & Apostolicę Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pius I. Christus hanc Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput esse præcepit &c.] Lucius primus epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ: [Ecclesia Romana, Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum.] Demùm Iulius I. epist.1. ad Orientales: [Ipsa namque (Ecclesia Romana) omnibus maior, & præla-

ra est Ecclesijs, quæ non solùm Canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris voce, singularem obtinuit principatum: Tu es Petrus, inquit, & supe hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Probatur tertiò conclusio ex continua successione Pontificum Romanorum in Petri Sede, descripta, & testata ab antiquissimis Auctoribus, Irenæo lib.3. cap. 3. Tertulliano in carmine contrà Marcionem lib. 3. in fine, Epiphanio hæresi 27. Optato lib. 2. contra Parmenianum, Augustino lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. & plurimis Historicis, quibus non minùs credendum est, quàm referentibus continuam seriem Imperatorum & Regum.

Demùm probari potest conclusio, & Ecclesiæ Romanæ primatus demonstrari: Primò ex eo, quòd Sedes Romana semper in fide puta, & illibata permansit, cùm tamen reliquæ omnes quatuor Patriarchales Sedes, Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, Hierosolymitana, à vera fide, & Apostolica doctrina interdum defecerint: illa enim poriùs Sedes censetur succedere Cathedræ Petri, quæ constantee seruauit, & seruat doctrinam Petri. Vndè Marcus Papa epist. ad Athanasium, cuius mentio fit in Florentino sess. 20. [Hæc sancta, inquit, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrare probatur, sed illibata fine tenùs permanet, secundùm ipsius Domini pollicitationem.] Et Lucius I. Papa, & martyr in epistola suprà citata ad Episcopos Hispaniæ, & Gallię: [Ecclesia Romana, Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hęreticis deprauata nouitatibus succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem, Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua.]

Secondò, quia in causis, & controuersijs fidei, ad Romanam Ecclesiam, velut ad sacram anchoram, SS. Patres semper recurrerunt. Nam Anicetum Papam à Polycarpo, & Eleutherum ab Irenæo, in dubijs circa res fidei, consultum fuisse, scribit Hieronymus in libro de viris illustribus. Cyprianus etiam consuluit Cornelium, vt constat ex varijs eius epistolis ad eundem pontificem; & Augustinus cum alijs Episcopis Aphricæ recurrit ad Innocentium I. in quæstionibus fidei, vt patet ex epistola 90. & 92. Item Hieronymus Damasum Papam consuluit super quæstion. de tribus hypostasibus, epist. 57. vbi sic ait: [Indè mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, indè tunc animæ meæ postulo cibum, vndè olim Christi indumenta suscepi, à Sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito.] Similiter in toto orbe in causis hęresis, ad Romanos Pontifices missi fuerunt hęretici, vt vel errores suos retractarent, vel eorum damnationem subirent, vt videre est apud Baronium in Annalibus ecclesiasticis: de Marcione quidem, anno 146. de Valentino, anno 155. de Origine, & eius fautoribus anno 248. de Aphricanis, anno 254. de Vrsacio, & Valente, anno 350. de Vitali, an. 373. de Pelagio, & Cęlestio, anno 418. & 430. & de alijs deinceps, ijsdem sęculis, & annis, quibus eorum hæreses exortæ sunt.

Tertiò, Romanus Pontifex non solùm erga alios Episcopos, & Archiepiscopos, sed etiam erga Patriarchas suam iurisdictionem, & auctoritatem sæpè exercuit, adeò vt Nicolaus I. epistola ad Michaelem Imperatorem, octo Patriarchas Constantinopolitanos à Romanis Pontificibus depositos enumeret, inter quos fuit Antimus, seù Aurenius, quem frementibus, & furentibus Augusto, & Augusta, intrepidè Agapetus deposuit, & in eius locum Menam virum sanctissimum substituit. Damasus etiam Flauianum Patriarcham Antiochenum deposuit, & ad dicendam causam, Romam venire coegit, vt constat ex Theodoreto lib.5. hist. cap.3. Neque solùm Romanus Pontifex, Patriarchas quandò peccarunt deposuit, sed etiam suis sedibus, si ab alijs quibusdam iniustè eiectos esse contingeret, restituit, vt notum est de Athanasio Alexandrino, Paulo Constantinopolitano, & Marcello Anciranо, à Synodis Orientalibus depositis, quos Iulius primus restituit: de Chrysostomo item, quem Innocentius primus, ab exilio reuocari mandauit, & Arcadium Imperatorem, eiusque vxorem Eudoxiam, propterea anathemate percussit, vt constat ex Nicephoro lib.3. cap. 34.

Quartò, Romanæ Ecclesiæ primatus ex eo apertè colligitur, quòd semper in Concilijs, in quibus Romanus Pontifex non interfuit, datus est primus locus Legatis eius, quidquid in contrarium dicat Caluinus. Nam in Nicæno præsedisse Romani Pontificis Legatos constat, qui enim primi subscripserunt, fuerunt Hosius Episcopus Cordubensis, Vitus, & Vincentius, Romanæ Sedis Legati, vt videri potest apud Spondanum anno 325. num. 7. & omnes ferè graues Scriptores, qui de Nicæna Synodo tractant, restantur. In secundo Concilio Generali, nimirùm Constantinopolitano primo, auctoritate Damasi celebrato, nulli præsentes fuerunt Legati Pontificis, sed in eo Nectarius Constantinopolitanus Episcopus præsedit: quia (vt inquit Bellarminus libro 1. de Concil. cap. 19.) cum vellet Pontifex, post conuocatos Orientales Episcopos Constantinopolim, eos vocare Romam ad celebrandum ibi Concilium, ijs iustas ob causas se excusantibus, non misit Constantinopolim Legatos, sed permisit vt in eo præsideret Episcopus Constantinopolitanus. In tertio generali, scilicet Ephesino, celebrato anno 431. pręsedit Cyrillus Episcopus Alexandrinus, nomine Cęlestini primi, vt constat tùm ex epistola Cęlestini ad Cyrillum, in qua suas vices illi mandat, eumque instruit, quo pacto debeat ad Nestorium excommunicandum se gerere: [Quamobrem, inquit, nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris &c.] Tùm ex epistola Cyrilli ad Nestorium, in qua nomine Romani Pontificis, illi excommunicationem fulminat, nisi resipiscat. In quarto Concilio generali, quod fuit Chalcedonense, loco Romani Pontificis Leonis, primi præsederunt Paschasinus, & Lucentius Episcopi,

& Bonifacius, ac Basilius presbyteri, qui & primi subscripserunt, & sententiam contra Dioscorum dixerunt, vt ex actis huius Concilij liquet. In quinto Concilio generali, quod fuit Constantinopolitanum secundùm, Vigilius nullos misit Legatos, quia vt historia huius Concilij refert, volebat illud celebrare in Italia. Sed hoc non obstante, Concilium illud obtinuit vim œcumenici, propter Romanorum Pontificum approbationem; nam & ipse Vigilius, licèt non statim, & alij, approbarunt, ac ratum habuerunt. Vndè D. Gregorius libro 1. epist. 24. non minus hoc Concilium, quàm reliqua quatuor priora, vniuersali Ecclesiæ consensu ait esse celebrata. In sexto generali, quod fuit Constantinopolitanum tertium, an. 680. celebratum, præsedit Pontifex Romanus per suos Legatos, Theodorum, & Gregorium presbyteros, & Ioannem Diaconum, & Constantium Subdiaconum, qui vt ex Concilio apparet, primi ad sententiam dicendam nomine Romani Pontificis interrogantur: & primi sententiam dicunt. Et licet primus Imperator, & federit, & subscripserit, non tamen vt Iudex, sed honoris causa, & tantum vt consentiens ijs, quæ à Synodo decreta fuere: [Ego, inquit, N. fidelis in Christo Iesu Deo Imperator Romanorum, consentiens omnibus, quæ definita sunt, & ea recipiens.] Non igitur ipse definiuit, sed quod definitum fuerat acceptauit. Contrà vero Concilij præsides ita subscribunt: [Ego N. definiens subscripsi.] In septimo Concilio generali, quod fuit Nicænum secundum, anno 787. celebratum, loco Pontificis Romani, præsederunt Petrus Archipresbyter, & Petrus presbyter, Abbas Monasterij S. Sabæ vrbis Romanæ, qui vt ex Concilio constat, primi sederunt, primi interrogati sententiam tulerunt, primi subscripserunt. In octauo generali, quod fuit Constantinopolitanum quartum, an. 869. celebratum, præsederunt Romani Pontificis Legati, Donatus, & Stephanus Episcopi, cum Marino Diacono: qui primi sententiam dixerunt, & subscripserunt, subscribente Imperatore post Patriarchas, etiam si rogatus fuisset, vt ante omnes subscriberet. In alijs Concilijs generalibus posteà in Ecclesia celebratis, ipsi Pontifices Romani, per se ipsos immediatè præsederunt, vt in quatuor Lateranensibus, in duobus Lugdunensibus, in Viennensi, Florentino, & Lateranensi quinto, sub Leone X. celebrato. In Tridentino verò sub Paulo III. incœpto, & sub Pio IV. finito, præsederunt varij Cardinales, à Summis Pontificibus, qui tunc Ecclesiam regebant, delegati.

Denique suaderi potest conclusio ex SS. Patribus, præsertim ex D. Bernardo libro 2. de consideratione cap. 8. vbi Eugenium Romanum Episcopum alloquens, sic ait: [Age indagemus diligentiùs quis sis, quam geras, videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus: Et infrà: Alij in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt.]

Dominum ad eiusdem veritatis confirmationem placet hic transcribere titulum epistolæ, quàm Orientales ad Iulium III. per Simonem Sulakam, totius Orientis ab Euphrate vsque ad Indos Patriarcham, scripserunt; quam Masius Bruxellanus ex Syriaco Latinam factam publicauit, vt testatur Spondanus anno 1553. num. 16. Huius ergo ad pontificem epistolæ, hæc erat inscriptio: [Patri Patrum, & pastori maximo, concinnanti mitras, vngentique Sacerdores, & eingenti zonis, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti vniuersum cœtum Christianorum: qui es loco Christi Domini nostri. Tu sedes in sede alta, & sublimi principis Apostolorum, tenentis claues regni cœlestis: cui ore suo salutari Dominus noster dixit, Quidquid ligaueris in terra, erit ligatum, & in cœlo; & super eum fundauit Ecclesiam suam, aduersus quàm portæ inferi nihil valebunt in generatione generationum. Nunc porrò tibi dedit eam Christus Deus noster, & Saluator noster, vt sedeas super eam. Tu item es fons viuus, cuius aquæ non deficiunt; & quisquis sitiuerit, æquum est, vt ex te bibat aquas vitales, vt sedet sitim suam. Tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, vt candela, quæ est supra candelabrum, & vt Ioannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Christi Dei nostri; & in te videt lumen vniuersa Respublica Christiana, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ. Tu es murus fortis ciuitatis, & matris ciuitatum Romę, qu àm piscatus est princeps Discipolorum Petrus, & prudens Architectus Paulus, qui lumen præbuerunt omnibus hominibus dissentis, atque implicatis errore Sathanæ. Tu es caput omnium Patrum, sicut erat Petrus caput omnium Discipulorum, cui est data sedes alta, & sublimis in terra; sic his vltimis temporibus alta, & excelsa est sedes tua, ipsa Roma, magna, & celeberrima.

Addo verba Gabrielis Patriarchæ Alexandrini in literis ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, in quibus sic ait: [Humilis Gabriel Dei gratia famulus Sedis, scilicèt Marci, in vrbe Alexandrina, Ægvptiaca, &c. Salutem impertitur, atque osculum offert spirituali Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, tertio-decimo Apostolorum gloriosi Domini nostri Iesu Christi, & quinto Euangelistarum, & sancti Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super eius cathedra in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi, atque soluendi, cuius mentio fit in Euangelio cùm dicit, Tibi ô Petre dedi claues regni cœlorum: Tu enim loco eius constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri, Dominus Papa Clemens VIII.

Dico tertio, coniunctionem primatus vniuersalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano, neque esse de iure Romano Imperatorum, nec de iure purè Ecclesiastico, seu ex sola dispositione Petri, qui talem coniunctionem fecit; sed etiam de iure diuino instituto à Christo,

Christo, id est ex speciali ordinatione Christi, subindéque ad Ecclesiæ vniuersalis primatum, non posse alium eligi, quàm Episcopum Romanum.

Prima pars constat, quia vt suprà art. 1. ostensum est, Principes sæculares nullum ius habent in res Diuinas, & Ecclesiasticas, sed solùm in temporales, & humanas. Vndè falsum est, quod de Phoca Imperatore, & Pipino Gallorum Rege commentatur Caluinus, quòd ille primatum dederit Bonifacio III. hic iurisdictionem in Galliam Zachariæ: constat enim ante Pipinum Romanos Pontifices iurisdictionem spiritualem habuisse in Gallos, & Phocam tantum declarasse Imperiali Edicto contra Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum Oecumenici titulum sibi vsurpantem, soli Episcopo Romano iure competere; vt videre est apud Baronium anno 606.

Secunda verò pars non est ita certa; nam Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 4. & alij docent, iure diuino supremum Pontificatum non esse annexum Episcopatui Romano, sed tantùm ex iure Ecclesiastico, & ex facto D. Petri, qui cùm primatum à Christo esset consecutus, Antiochenam sedem deseruit, & Romæ sedem suam vsque ad mortem figere voluit; ideòque dicunt Ecclesię constitutione fieri posse, quòd Summus Pontifex Sedem Romanam cum altera mutet, seu alibi transferat, vel etiam quòd nulli se sedi abdicat, instar Pauli, qui nusquam sedem statam, & fixam habuit.

Opposita tamen sententia, quam tenent Caietanus opusculo de primatu Romanæ Ecclesiæ, Cano libro de locis Theol. cap. 4. 5. & 6. Turrecremata in cap. Rogamus, Bellarminus, Valentia, & alij, quibus nouissimè subscripsit Dominicus à S. Triuitate, Carmelita discalceatus, tomo 3. Bibliothecæ Theologicæ lib. 3. sect. 4. cap. 8. videtur probabilior: Tùm quia Marcellus Papa in epistola ad Antiochenos scribit Petrum Domino iubente venisse Romam, & ibi fixisse suam sedem: [Petri sedes, inquit, primitùs apud vos fuit, posteà iubente Domino, Romam translata est.] Tùm etiam, quia D. Ambrosius lib. 5. epistola 32. D. Gregorius in explicatione 4. Psalmi pœnitentialis, & Egesippus lib. 3. de excidio Hierosolymitano cap. 2. narrant, cùm Petrus carcere solutus, Roma exiret, Christum illi occurrisse, & Petro interroganti, quò pergeret, respondisse: [Vado Romam iterum crucifigi.] Quo responso Petrum intellexisse dicunt, sibi diuinitùs mandari, vt Romam reuerteretur, & vt morte sua supremum orbis Pontificatum in Romana Sede perpetuò stabiliret. Quod vrget Papa Gelasius in decreto de Scripturis Apocriphis. Addo quòd, nisi speciali Dei ordinatione, ac diuino proindè iure, supremus Ecclesiæ primatus esset inseparabilis à Sede Romana, fuisset aliquando separatus; cùm tot fuerint huiusmodi separationis occasiones, tempore Imperatorum, Tyrannorum, Gothorum, & alijs, quod tamen nusquam factum legimus. Quando enim Summi Pontifices Galli, Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus X. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. & Gregorius XI. Auenioni in Gallia 73. annorum spatio commorati sunt, non desinebant esse Romani Episcopi, & dignitas Pontificatus semper remansit in illis Pontificibus Episcopatui Romæ coniuncta, vt videre est in Bullis Pontificijs ibi ab illis datis.

Varias autem huius diuinæ ordinationis, & institutionis assignat congruentias Baronius tomo 1. Annalium, quarum præcipua ex vrbis splendore, & maiestate sumitur: decebat enim, vt sicut olim ante Christi aduentum electa fuit Hierosolyma caput, & sedes omnium Synagogarum, in qua Summus Pontifex cum suo Concilio resideret; ità post eius in cœlum ascensum, eligeretur Roma caput, & sedes totius orbis, in qua Christi Vicarius resideret, [vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salute, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet (ait Leo Papa) magisque constaret doctrinæ Euangelicæ virtus, & efficacia, vt quæ fuerat omnium errorum auctrix, fieret magistra, cultrixque veritatis. [Hic, subdit idem Papa, conculcandæ Philosophiæ opiniones, hìc dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dœmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda; vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum.]

Ex his intelliges, Romanum Episcopatum, & primatum totius Ecclesiæ, non esse duas sedes, aut duos Episcopatus, sed vnum, qui Petri facto, & Christi mandato, euectus est ad Episcopatum totius orbis, in cuius signum non datur, nisi vnum pallium Episcopo Romano, vt notauit Bellarminus libro de Pontifice.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

CONtrà primatum Romani Pontificis obijciunt hæretici: Concilium Nicænum non totum orbem, sed certam regionem regendam assignat Romano Pontifici: Ergo non habet primatum in totam Ecclesiam. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Canone sexto illius Concilij: vbi sic habetur: [Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin, ità vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est.] Quibus verbis, inquit Caluinus, assignatur Romano Pontifici certa regio gubernanda, eaque perexigua, declaraturque vnus ex Patriarchis, non autem caput aliorum.

Verùm ad hunc Canonem duplex adhiberi potest solutio. Prima est, Nicænum eo loco non comparare Episcopum Alexandrinum cum Romano Pontifice, vt pastore vniuersali, sed tantùm vt Patriarcha Occidentis, & in eo ambos, vt Patriarchas parilem velle habere potestatem in Ecclesias variarum prouinciarum, sibi vt Patriarchis subditas. Quod vt magis explicetur: Sciendum est, Romanum Pontificem, præter Summum totius orbis Pontificatum, cuius beneficio in quoslibet Patriarchas ius habet, tribus alijs dignitatibus instructum, & decoratum esse. Prima, quòd

quòd sit Episcopus vrbis Romæ: Secunda, quòd Archiepiscopus, tertia, quòd Patriarcha. Quatenùs Episcopus, potestas eius Romano districtu coercetur, vt Archiepiscopus latiùs se extendit, sic enim vicini Episcopi ei specialiùs, quàm reliqui totius orbis subijciuntur; quatenùs verò Patriarcha, quasdam prouincias, vt & reliqui Patriarchæ, sub suo regimine habet, multò tamen ampliores, quàm alij. In dignitate ergo Patriarchatus, parilis illi mos est, iuxta prædictum Canonem Concilij Nicæni, cum Patriarcha Alexandrino, & cæteris Patriarchis, quia nimirum vt Patriarcha, præest suis prouincijs, ad modum aliorum Patriarcharum.

Secunda, & fortè melior huius Canonis explicatio est, Alexandrinum Patriarcham debere gubernare illas prouincias, quia Romanus Pontifex, antè omnem Conciliorum definitionem, consueuit permittere Episcopo Alexandrino tegimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis; siuè consueuit per Alexandrinum Episcopum illas Prouincias gubernare. Sic intellexit hunc Canonem Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem, vbi ait Concilium Nicænum nihil statuisse circa Romanam Ecclesiam, quoniam potestas eius non ab hominibus, sed à Deo est, sed tantùm ex forma Romanæ Ecclesiæ constituisse statum aliarum Ecclesiarum. Illique videtur suffragari textus Græcus, *toyto sinesthes estin*, id est hoc assuetum est, quod non significat parilitatem, seù æqualitatem inter Alexandrinum, & Romanum Episcopum, vt notat Iouerius ad marginem huius Canonis. Et sanè, quod hæc interpretatio legitima sit, & Concilium eo Canone non intendat certam regionem regendam assignare Romano Episcopo, eique primatum in totam Ecclesiam denegare, vt contendit Caluinus, patet primò ex eo, quòd in Concilio Chalcedonensi Act. 16. à Paschasio Episcopo sic Canon ille sextus Concilij Nicæni recitatur: [Ecclesia Romana semper habuit primatum, antiqua autem consuetudo seruetur, &c.] Quocirca Patres Concilij post lectum illum Canonem dixerunt: [Perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum, secundùm Canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.] Vndè valdè probabile est, quod Bellarminus asserit in libris vulgatis deesse initium huius Canonis sexti Concilij Nicæni, nimirùm verba illa à Paschasio in Chalcedonensi recitata; [Ecclesia Romana semper habuit primatum.] Nam Iulius I. epistola ad Orientales Episcopos ait ex decreto Nicænæ Synodi definitum esse, Romanam Ecclesiam inter omnes primatum tenere; ipsaque Sacrosancta Synodus Can. 39. suprà conclus. 2. relato, & in Bibliotheca Marcelli II. Arabicè scripto, hæc habet: [Sic præest Patriarcha ijs omnibus, qui sub potestate eius sunt, sicut ille, qui tenet sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum.

Obijciunt secundò hæretici: Gregorius Magnus libro 4. epistola 32. recusat dici vniuersalis Episcopus, & hoc nomen, tanquam prophanum, ac fastum, & superbiam præ se ferens, respuit. Et in alia epistola hæc scribit: [Ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui direxisti, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens, imprimere curasti, quod peto mihi vltra sanctitas vestra non faciat.] Ergo censet B. Gregorius, Romanum Pontificem non habere primatum in vniuersam Ecclesiam.

Respondeo nomen hoc vniuersalis Episcopi æquiuocum esse, & duobus modis intelligi, & vsurpari posse. Primò quidem, vt ille, qui dicitur vniuersalis, intelligatur esse solus Episcopus, omnium vrbium Christianarum, subindèque alij non sint verè Episcopi, sed tantùm vicarij illius. Secundò, ita vt alijs remanentibus verè Episcopis, ille curam habeat totius Ecclesiæ, sed generalem, & propria aliorum Episcoporum munia non-excludentem. Cùm ergo D. Gregorius nomen Episcopi vniuersalis, tanquam prophanum, & fastum, ac superbiam præ se ferens, recusat, tale nomen primo modo vsurpat, vt patet ex verbis, quæ subiungit, [quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit præbetur. Et paulò post: Si enim vniuersalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum (id est Patriarcham in totam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim) recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant. Et libro 7. epist. 69. ad Eusebium: [Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis.] Itaque cùm Papa vniuersalis Episcopus dicitur, tale nomen sumi debet in secunda acceptione, quatenùs scilicèt, reliquis Ecclesiæ Lrælatis in integrum remanentibus, tanquam caput vniuersæ Ecclesiæ præest; sicut enim reliqua corporis membra, quamuis ab influxu capitis pendeant, propria munia obeunt; sic & Episcopi proprium munus, & dignitatem seruare non desinunt, quamuis à Pontifice tanquam ab vniuersali capite dependeant, & omnis eorum potestas ab eo deriuetur. Et in hoc posteriori sensu Concilium Chalcedonense nomen vniuersalis Episcopi Romano Pontifici tribuit, & ante illud Concilium, plures Romani Pontifices, vt Sixtus I. Victor II. Leo I. illud legitimè vsurparunt; D. tamen Gregorius ab eo abstinuit, vt humilitate, & modestia, Ioannis Constantinopolitani, qui vniuersalis titulum vsurpabat, arrogantiam penitùs frangeret, atque confunderet.

Tertiò obijcit Caluinus: Si ideò Romana Ecclesia primatum obtineat, quia illic vsque ad extremum sedit Petrus, deberet Antiochia secundum locum tenere, cùm longo tempore Antiochenam sedem Petrus tenuerit; Hierosolyma tertium, cùm in ea Iacobus sederit, & quartum Ecclesia Ephesina, cùm eam fundauerint Paulus, & Ioannes, qui vsque ad mortem illam rexit: Sed hic ordo non seruatur inter illas Ecclesias, cùm Antiochiam præcedat Alexandria, & Hierosolyma fuerit semper vltima: Ephesina verò Ecclesia nullum habuerit certum in Concilijs locum: Ergo, &c.

Respondeo numerum, & dignitatem Petriarchalium sedium, non pendere ex dignitate Apostolorum, qui in illis sederunt, sed ex dispositione, & voluntate Petri, vt testantur Anacletus, & B. Gregorius: ille enim Epist. 3. sic habet: [Prima sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ. Secundæ autem sedes apud Alexandriam B. Petri nomine, à

Marco

Mateo eius Discipulo, atque Euangelista consecrata est. Tertia autem sedes apud Antiochiam eiusdem, idest B.Petri Apostoli nomine, habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit.] Iste verò lib.6. Epistola 37. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum hæc scribit: [Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in quam Euangelistam Discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cùm ergo vnius, atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quidquid ego de vobis audio, hæc mihi imputo.] Hæc Gregorius: quibus verbis constat, hanc Patriarchalium sedium diuisionem factam esse voluntate Petri. Cur autem Alexandria prælata sit Antiochiæ, cùm tamen Antiochiæ Petrus per seipsum sederit, rationem reddit Baron. in compendio Spondani anno 45. num. 16. quia nimirùm Alexandria, tunc temporis erat quasi totius orbis theatrum, ad quod ex omnibus mundi partibus vniuersæ ferè gentes confluebant.

ARTICVLVS IV.

An facta legitima electione Summi Pontificis, immediatè, & per se primò sit de fide, hanc personam in particulari, verbi gratia Innocentium XI. esse verè Pontificem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

Svppono primò, dupliciter aliquid dici posse de fide diuina, nimirùm, vel immediatè, siuè formaliter, vel mediatè tantùm, siuè virtualiter. Illud dicitur esse de fide diuina immediatè, quod immediatè reuelatum est à Deo; mediatè verò, quod euidenter infertur ex vna propositione immediatè à Deo reuelata, & ex alia lumine naturali nota. Exemplum veritatis primi generis est, quòd Christus sit homo; secundi, quòd sit risibilis.

Suppono secundò, difficultatem in titulo propositam non esse de Summo Pontifice, cuius electionem nullam esse declarauit Ecclesia, nec de eo, cuius electio est dubia, & nondum determinata, sed de Summo Pontifice, quem legitimè electum fuisse declarauit Ecclesia, acceptando eum in Summum Pontificem. Ideóque in titulo posuimus, [facta legitima electione Summi Pontificis.] De illo ergo Pontifice legitimè electo, & ab Ecclesia acceptato, qualis nunc est Innocentius XI. fœliciter Ecclesiam regens, inquirimus, an immediatè, & per se primò sit de fide illum esse verè pontificem, & Ecclesiæ caput?

Partem negantem tenere videntur ex Thomistis Turrecremata, Cano, & Bannez: expressè verò eam docet extra Scholam Diui Thomæ Alphonsus à Castro lib. 1. aduersùs hæreses cap. 9. vbi hæc scribit: [Quamuis credere teneamur ex fide, verùm Christi successorem esse supremum totius Ecclesiæ pastorem, non tamen tenemur eadem fide credere, Leonem, aut Clementem, esse verum Petri successorem, quia non tenemur ex fide catholica credere, eorum quemlibet rectè, & canonicè fuisse electum.] Vndè concludit, quòd qui hoc negaret, non esset dicendus hæreticus, sed schismaticus.

Affirmatiua tamen sententia communior est inter Theologos, eamque ex Thomistis expressè docent Ioannes à S.Thoma 2.2. Tractatu de Summo Pontifice disput.2.art.2. & Dominicus à S. Trinitate tom. 3. Bibliothecæ Theologicæ lib.3.sect.4.cap.10.vbi eruditè hanc quæstionem pertractat. Est tamen inter Auctores huius sententiæ aliqua differentia, quia aliqui dicunt non statim, ac aliquis est acceptatus ab Ecclesia in Summum pontificem, esse de fide quòd sit verus Papa, sed solùm à tempore, quo incipit exercere aliquos actus Summi pontificis proprios quales sunt definitiones propositionum ad fidem pertinentium; tunc enim, inquiunt, simul definit, & determinat se esse Summum pontificem. Alij verò dicunt statim, ac pro Summo pontifice acceptatur ab Ecclesia, de fide esse immediatè quod sit verus papa.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò: Fide diuina constat, Romanum pontificem pro tempore existentem, esse legitimum Petri successorem, & verum Christi Vicarium, quando aliquid definit fide diuina credendum.

Probatur: Cùm pontifex definit aliquid fide diuina credendum, de fide est ipsum, tunc habere potestatem definiendi, & infallibilem assistentiam Spiritus sancti: Ergò, & tunc fide diuina constat, ipsum esse verum pontificem. Consequentia patet, quia huiusmodi potestas, & assistentia non datur, nisi verò pontifici, cui soli est promissa in persona Petri, cuius est successor: Christus enim non cuilibet, sed Petro tantùm, & legitimis successoribus dixit: [Tu es Petrus &c. Rogaui pro te &c. Pasce oues meas &c.] Matth. 16. Lucæ 22. Ioann. 21. Antecedens etiam videtur manifestum, cùm enim pontifex definit aliquid tanquam de fide tenendum, impossibile est, quòd fide credamus illud obiectum, tanquam definitum, & non credamus ipsam definitionem esse legitimam, & consequentèr ipsum definientem hic, & nunc infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti habere.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio: Cùm pontifex definit aliquid fide diuina credendum, eo ipso seipsum proponit, tanquam regulam fidei nostræ: Ergò tunc fide diuina constat, ipsum esse verum pontificem. Antecedens manifestum est, pontifex

fex enim definiendo aliquid ad fidem pertinens, seipsum proponit, tanquam iudicem legitimum controuersiarum fidei, subindèque tanquam veram regulam doctrinæ nostræ fidei. Consequentia verò probatur: Quandò aliquid est regula fidei, non minùs credibile per fidem esse debet, quod sit regula, quàm quod sit de fide id, quod determinatur, & regulatur per illam: sicut quando proponitur aliquis Scripturæ liber, tanquam canonicus, quemadmodum est de fide totum id, quod in eo continetur, ità quoque est de fide, quod talis liber sit canonicus, & per reuelationem Dei habitus; aliàs certi nunquam esse possemus de rebus definitis, & traditis in libro Sacro, vt per se patet: Ergò si cùm pontifex aliquid fide diuina credendum definit, eo ipso seipsum, tanquam regulam fidei nostræ proponit, ad eandem quoque fidem, tanquam quid credibile per illam spectare debet, illum esse verum pontificem. Neque enim minùs id requiritur in regula fidei viua, quàm in regula mortua.

Dices, Licèt Prædicatores Euangelij nobis res fidei credendas proponant, non tamen fide tenemur credere, quod sint legitimi Euangelij prædicatores: Ergò paritèr quamuis pontifex aliquid de fide credendum nobis proponat, non tenemur fide diuina credere, ipsum esse verum pontificem, & legitimum Christi Vicarium, ac Petri successorem, sed sufficit quòd fidem humanam, & moralem certitudinem de hoc habeamus.

Sed contra: Hoc intercedit discrimen inter Summum pontificem res fidei sua definitione credendas proponentem,& inter ministrum Euangelicum illas prædicantem, quòd iste non se habet, tanquam regula determinatiua rerum fidei, sed vt minister dumtaxat intimans, & denuntians alijs, quæ credenda sunt: vndè nec tenemur credere ipsum esse verum, ac legitimum ministrum, nec illi, qui credunt rebus ab eo propositis, mouentur ad hoc ex illius auctoritate, sed ex credibilitate earum, quæ proponuntur; itaut nisi sufficientèr proponantur, talisque credibilitas eis innotescat, credere non teneantur. At verò Summus pontifex proponit res credendas, tanquam animata fidei regula, vel supremus iudex determinans quænam credenda sint, itaut ex eius auctoritate obligentur fideles ad illas credendas; vndè necesse est, vt illi non morali solùm certitudine, cui absolutè falsum subesse potest, verùm etiam certitudine fidei, hunc numero pontificem pro tempore existentem, ac Ecclesiam regentem, verùm esse illius pontificem, & legitimum Christi Vicarium,ac Petri successorem credant.

Dico secundò; de fide est, etiam immediatè, hunc hominem in particulari, ver. gr. Innocentium XI. esse verum papam, non solùm ab eo tempore, quo aliquid de fide determinauit, & Ecclesiæ credendum proposuit, sed etiam ab illo, quo eius electionem fuisse validam declarauit Ecclesia.

Probatur primò: Ab eo tempore de fide est immediatè, hunc hominem in particulari esse veram regulam fidei nostræ, subindèque verum papam, quo acceptatus est ab Ecclesia in talem regulam: Sed à tempore, quo eius electio valida declaratur ab Ecclesia, acceptatur ab ea in regulam fidei nostræ: Ergò ab eo tempore de fide est immediatè, quòd sit verus papa. Minor constat, Maior verò probatur. De fide est etiam immediatè quòd Ecclesia errare non possit in acceptanda regula fidei nostræ, aliàs enim non esset de fide immediatè, quòd esset consequentèr indefectibilis in acceptandis rebus fidei regularis per talem regulam: Ergò ab eo tempore, quo Ecclesia hunc numero hominem acceptat in regulam fidei nostræ, de fide est etiam immediatè, quòd sit verè talis regula.

Probatur secundò: De fide credimus hanc numero Ecclesiam,in qua modò sumus, esse veram, & perfectam Ecclesiam: Sed facta electione pacifica, & acceptata, non potest haberi pro vera, & perfecta Ecclesia illa, quæ non fuerit vnita cum suo capite visibili, eique subiecta: Ergò oportet quod sicut est de fide, hanc numero Ecclesiam esse veram, & perfectam Ecclesiam, ita sit de fide, facta legitima electione, quòd iste homo, cui tanquam capiti suo vnitur, sit verè caput Ecclesiæ, & Summus pontifex.

Nec dici potest, quòd sit tantùm de fide in Ecclesia esse caput aliquod visibile, non tamen hoc determinatè, & in particulari; sed hoc, aut illud confusè, & indeterminatè. Sicut enim nequit intelligi Ecclesia in communi, absque aliquo capite in communi; ità neque hæc determinata Ecclesia, absque determinato capite: nam hæc determinata Ecclesia, ità includit hoc determinatum caput morale, sicut hoc determinatum corpus physicum includit hoc determinatum caput physicum: Ergò sicut, qui credit, Christum habere determinatum corpus physicum, fieri non potest, quin simul credat Christum habere determinatum caput physicum; ita qui credit hanc esse determinatam Ecclesiam, debet simul credere hanc Ecclesiam habere determinatum caput morale, quo mysticè constat. Vndè in Bulla Martini V. quæ habetur in Concilio Constantiensi, inter eas interrogationes, quæ faciendæ sunt suspectis in fide, ad indagandum, an sint hæretici, vel non? ponitur ista: [Vtrùm credant quòd papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius proprio nomine expressio, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?] Quæ verba intelligi nequeunt de veritate illius propositionis in communi, quòd omnis ritè electus est Summus pontifex, vel quod Ecclesia aliquod caput visibile habere debeat,sed in particulari de eo, qui pro tempore est pontifex, exprimendo nomen proprium, verbi gratia, Innocentium XI. Supponit ergò pontifex,fide diuina credendum esse, hunc hominem in particulari, quem tota Ecclesia, tanquam legitimè electum agnoscit, & recipit, esse Summum pontificem: vtpotè cùm per negationem, vel affirmationem illius, quod est tantùm de fide humana, discerni nequeat hæreticus à catholico, & cùm admittere id, quod per discursum ex principijs fide diuina creditis infertur, non sit credere, sed conclusioni Theologicæ præbere assensum, vt in disputatione proœmiali ad totam Theologiam, declarauimus.

§. III.

§. III.

Soluuntur obiectiones.

Obijcies primò: Vt aliquid fit immediatè de fide, necesse est quod immediatè à Deo reuelatum fit: Sed non est immediatè reuelatum à Deo, quòd Innocentius XI. sit verus Papa: Ergo hoc non est immediatè de fide. Maior constat, Minor verò probatur. Quæ immediatè à Deo reuelata sunt, habentur, vel in Scriptura, vel in traditione: At nullus Scripturæ locus, nec vlla traditio diuina assignari potest, quæ mentionem faciat istius propositionis: [Innocentius XI. est verus Papa:] Ergo illa non est immediatè reuelata à Deo.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem,& ad illius probationem dico, hanc veritatem immediatè à Deo reuelatam fuisse, reuelatione illa vniuersali, qua ex vna parte Deus reuelauit, quòd potestas summa Petro collata, transitura est ad successores legitimos, & ex alia, Ecclesiam vniuersalem numquam in rebus fidei erraturam, cùm sit columna, & firmamentum veritatis: in illis enim propositionibus vniuersalibus à Deo reuelatis, continetur formalitèr,& vt pars in suo toto, ista: Hic numero Pontifex, quem vt ritè electum acceptat Ecclesia, est verus Pontifex.

Vt hoc magis declaretur,& soluatur instantia, quæ posset fieri contra hanc solutionem: Notandum est cum Patre Dominico à S.Trinitate, suprà citato: aliqua reuelata fuisse à Deo in genere, ad hoc vt crederentur in genere, cuiusmodi sunt, Deum omnia posse, quæ non inuoluunt contradictionem, & similia: hæc enim fideles non tenentur credere in indiuiduo,v.gr. nemo tenetur ad credendum, quod Deus possit talem, vel talem creaturam producere; sed sufficit quòd in communi, & generalitèr credat, Dei potentiam esse infinitam,& ad id omne, quod factibile est, posse se extendere. Alia verò Deus reuelauit in genere, ad hoc vt crederentur in specie, & in indiuiduo, cuiusmodi sunt ista: Quodlibet vniuersale Concilium legitimè congregatum, totamque Ecclesiam repræsentans, verum est, & obligat fideles, vt eius definitiones recipiant. Quilibet Pontifex ritè electus, & ab Ecclesia acceptatus, verus est Pontifex, successor Petri, ac Vicarius Christi. Istæ enim generales reuelationes obligant fideles ad assensum indiuidualem circa tale Concilium in particulari ab Ecclesia receptum, v. gr. Nicænum, vel Tridentinum; & ad credendum hunc numero Pontificem ritè electum,& ab Ecclesia acceptatum, v.gr. Innocentium XI. esse verum Pontificem; quia vniuersalis Ecclesiæ acceptatio substituitur collectioni omnium reuelationum indiuidualium, quas non expediebat Deum facere: vel vt ait prædictus Auctor, vox Ecclesiæ est quasi noua quædam locutio Dei,vel potiùs explicatio, & complementum locutionis diuinæ, per quam intelligitur ipsemet Deus reuelare hoc obiectum in indiuiduo, quòd nimirum hic numero Pontifex ritè electus, sit verus Pontifex.

Obijcies secundò: Vt sit de fide immediatè, hunc numero hominem esse verum Papam, debet esse certum, quòd sit capax talis dignitatis: Sed non est certum talem hominem esse subiectum capax Pontificiæ dignitatis: Ergò non est de fide saltem immediatè, quod sit verus Papa. Maior constat, Minor verò probatur. Vt electus in Summum Pontificem sit capax huius dignitatis, debet esse validè baptizatus: Sed non est certum tali certitudine, cui non possit subesse falsum, quòd fuerit validè baptizatus, maximè cùm non habeatur certitudo de intentione ministri, qui ipsum baptizauit: Ergo non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum, talem hominem esse subiectum capax Pontificiæ dignitatis.

Confirmatur: Si in Papam eligatur aliquis, qui non est Episcopus, consequentèr ad sui electionem consecratur in Episcopum: non est autem magis certum, eum in tali consecratione suscipere characterem Episcopalem, quàm reliquos Episcopos: Ergo sicut hoc non est certum tali certitudine, cui non possit subesse falsum de alijs Episcopis, ita nec de eo, qui electus est in Summum Pontificem, & acceptatus ab Ecclesia.

Respondeo ad obiectionem, distinguendo maiorem: Vt sic certum de fide immediatè, quòd hic numero homo est verus Papa, debet esse certum, quòd sit capax talis dignitatis, certitudine fidei, nego: hoc enim se habet dumtaxat per modum prærequisiti, & dispositionis, vt aliquis acceptetur in Summum Pontificem ab Ecclesia. Certitudine consequentiæ Theologicæ, subdistinguo: Consequentèr ad ipsam acceptationem Ecclesiæ, concedit ur. Antecedentèr ad illam, negatur: tunc enim sola morali certitudine hoc certum est.

Explicatur solutio. Antequam aliquis acceptetur ab Ecclesia in summum Pontificem, non nisi morali certitudine constat Ecclesiæ, quòd sit subiectum capax talis dignitatis, quòd sit validè baptizatus, &c. quia tamen hæc conditio necessariam habet connexionem cum ista propositione: [Acceptatus ab Ecclesia in Summum Pontificem, est verus Papa,] fit indè quòd consequentèr ad acceptationem Ecclesiæ certum sit, certitudine non quidem fidei immediatè, sed conclusionis Theologicæ, quòd acceptatus, sit verè baptizatus, & subiectum capax Pontificiæ dignitatis; quæ enim connexionem necessariam habent cum veritate de fide, non sunt quidem immediatè de fide, vt patet de risibilitate Christi necessariò connexa cum ipsius humanitate; sed tamen rectè per consequentiam Theologicam ex ea inferuntur. Et per hoc patet ad confirmationem, negatur enim consequentia, & paritas. Ratio disparitatis est, quia cùm alij Episcopi non sint regula suprema fidei, subindèque nec vt tales acceptentur ab Ecclesia, quòd sint validè consecrati, non est aliquid necessariam connexionem habens cum veritate fidei, sicut necessariam connexionem habet cum veritate fidei; quòd acceptatus ab Ecclesia pro regula suprema fidei, sit, vel fuerit validè consecratus in Episcopum.

Obijcies tertiò: Qui negaret hunc numero Romanum Pontificem esse Petri successorem,

forem, modò non negaret legitimè electum esse Petri successorem, non esset hæreticus, sed tantùm schismaticus: Ergo non est de fide hunc numero Romanum Pontificem, v. gr. Innocentium XI. esse verum Papam, ac legitimum Petri successorem.

Respondent aliqui, negando Antecedens: Cùm enim ille, qui negaret Innocentium XI. esse verum Pontificem, ac legitimum Petri successorem, non solùm scinderet vnitatem Ecclesiæ, diuidendo eam à suo capite visibili, sed etiam negaret habendum pro regula fidei illum, quem Ecclesia acceptauit pro tali regula, schismati dogma contrarium fidei superadderet, nimirùm quod Ecclesia errare possit in rebus ad fidem pertinentibus acceptantis. Vndè tunc maximè haberet locum id, quod docet D. Hieronymus super caput 3. ad Titum, & post ipsum D. Thomas 2. 2. qu. 39. art. 1. ad 3. [Nullum schisma esse, quod non sibi aliquam hæresim coniungat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.] Hæc solutio probabilitate non caret: Communiter tamen alij respondent, quòd ille, qui negaret hunc numero Romanum Pontificem, esse verùm Papam, non haberetur pro hæretico, sed tantùm pro schismatico; quia non constat inter omnes Catholicos id esse de fide, sed plures id negant, existimantes morali tantùm certitudine id constare.

Obijcies quartò: Si quæ esset ratio, ob quam de fide diuina, etiam immediatè verum esset hunc hominem in particulari, esse verum Papam, maximè certitudo, quæ de illa veritate necessaria est Ecclesiæ: Sed certitudo, quæ necessaria est Ecclesiæ de tali veritate, non requirit, quòd sit immediatè de fide: Ergo, &c. Maior constat, Minor verò probatur. Non minùs necessaria est Ecclesię certitudo validitatis Sacramentorum in particulari, v. gr. huius numero Baptismi, huius numero Eucharistiæ, quàm certitudo huius numero Papæ; æquè enim illa videtur necessaria ad salutem, ac ista: Sed non est de fide hoc numero Baptisma esse validum, hanc numero Eucharistiam, siuè hostiam esse consecratam: Ergo idem dicendum est de hoc numero Pontifice.

Confirmatur: Sicut necessarium est ad bonam gubernationem Ecclesiæ, quòd sit summus Pontifex; ità necessarium est quòd sint alij veri Prælati, Episcopi, & Archiepiscopi: Sed ad bonam gubernationem Ecclesiæ sufficit, quòd de istis in particulari moralem certitudinem habeamus, quæ est secundùm prudentiam humanam: Ergo, & de Summo Pontifice particulari.

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem in primis dico, quòd si daretur vnica solùm hostia ritè consecrata successiuè, quæ ab vniuersali Ecclesia deberet adorari, sicut datur successiuè vnicus Pontifex legitimè electus, cui tamquam capiti debet vniri; auctoritate Ecclesiæ nobis constaret de fide, non solùm sub omni hostia ritè consecrata, sed etiam sub hac in particulari contineri verum Christi corpus; sicut eiusdem auctoritate constat nobis, non solùm in communi omnem Pontificem ritè electum esse verum Pontificem, sed etiam hunc numero pro tempore existentem, vbi semel illum tamquam legitimè, & canonicè electum acceptauit.

Respondeo rursùs negando paritatem in maiori contentam: Ratio verò disparitatis est, quia hoc numero Baptisma, vel hæc numero hostia, non est regula fidei, sicut hic homo in particulari, cuius electio in Summum Pontificem valida acceptatur, & declaratur ab Ecclesia; hinc enim fit quòd maior debeat esse certitudo istius propositionis: [Innocentius XI. est verus Papa, quàm illius: Hæc numero hostia est verè consecrata;] immò quod debeat esse certitudo fidei, aliàs enim impossibile esset concipere, quòd ea, quæ per talem regulam definiuntur, sint certa certitudine fidei. Et per hoc patet ad confirmationem, alij enim Prælati non sunt, sicut Summus Pontifex, regula infallibilis nostræ fidei.

Dices, hoc numero Concilium generale, Nicænum v. gr. est regula infallibilis fidei, vtpotè cùm omnia ad fidem pertinentia, quę in eo sunt determinata, sint immediatè de fide; & tamen quòd fuerit verum Concilium, non pertinet immediatè saltem ad fidem; quia hoc dependet ex historijs dicentibus illud Concilium reuera extitisse aliquando, & fuisse legitimè congregatum; quæ historiæ cùm sint purè humanæ, nequeunt causare assensum fidei diuinæ, sed solum humanæ: Ergò similitèr, licèt hic numero Pontifex sit regula infallibilis fidei nostræ, non tamen sequitur quod sit immediatè de fide, cum esse verum Papam.


Respondeo negando secundam partem Antecedentis, vt enim veritates definitæ in Concilio Nicæno sint immediatè de fide, oportet quòd fideles certi sint certitudine fidei de earum reuelatione, subindèque, & de legitima ipsarum definitione, quandòquidem ideò solùm de reuelatione alicuius veritatis certi sumus, quia Ecclesia, siue Concilium generale, legitimè declarat, & determinat illam esse reuelatam; impossibile autem omninò est, quòd certitudinem fidei diuinæ habeamus de definitione legitima alicuius veritatis, nisi eamdem certitudinem habeamus de existentia, & auctoritate Concilij, à quo determinata fuit. De fide ergo est, etiam immediatè, Concilium Nicænum fuisse verum Concilium. Ad probationem in contrarium, nego quod veritas Concilij Nicęni dependeat ab historijs purè humanis, dependet enim ex successiua, & continua traditione ipsius Ecclesiæ, quæ licèt historica sit, non tamen purè humana; quia Ecclesia in eiusmodi traditione specialitèr, & infallibilitèr à Spiritu sancto dirigitur, sicut in alijs rebus ad fidem pertinentibus.

Obijcies vltimò: Non est de fide, saltem immediatè, quod electio huius numero Pontificis fuerit valida; Ergò nec quòd sit verus Papa. Consequentia patet, cùm enim non sit verus Papa, nisi sie legitimè electus, vt sit immediatè de fide quòd sie verus Papa, debet esse immediatè de fide, quod fuerit legitimè electus. Antecedens verò probatur. Non est de fide, saltem immediatè, istos numero electores talis in particulari Pontificis, esse legitimos, & veros Cardinales, habuisse validam intentionem eligendi, seruatam fuisse formam iuridicam electionis, in eo consistentem,

rem,

tem, quod à duabus partibus Cardinalium, qui dicitur Pontifex, sit electus: has, inquam, & alias circumstantias, sine quibus electio est nulla, seruatas fuisse, non est de fide; quandòquidem id non constat Ecclesiæ ex aliqua speciali reuelatione, ex Scriptura, vel traditione diuina, sed solùm ex testimonio ipsorum electorum promulgantium electionem:

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam; quamuis enim non sit verus Papa, nisi sit legitimè electus, quia tamen legitima electio est quid prærequisitum ad eam definitionem, qua Ecclesia declarat hunc numero hominem esse verum Papam, & fides non versatur circa ea, quæ ad definitionem prærequiruntur, sed solùm circa ipsam definitionem; illa propositio, [Innocentius XI. ritè electus est in Summum Pontificem, non est immediatè de fide, sed solùm ista: Innocentius XI. est verus Summus Pontifex.] Quod explicatur à simili; sicut enim in definitionibus Summi Pontificis, fides non est de ijs, quæ ad tales definitiones prærequiruntur, videlicet, de eo, quod præcesserit diligens inquisitio, aut disputatio circa propositiones definitas, sed solum facta definitione, rectè infertur per consequentiam Theologicam, omnia prærequisita ad definitionem posita fuisse, atque adeò disputationem, & inquisitionem diligentem, eam præcessisse; fides verò ipsa est dumtaxat de ipsis definitionibus. Ità in definitione, siuè declaratione Innocentij XI. in Summum Pontificem ab Ecclesia facta, id quod immediatè est de fide, non est aliquid ex præréquisitis ad eam, quale est, quod fuerit legitimè electus, sed solùm ipsa definitio, seu declaratio, & illud, quod per eam declaratur, nimirum Innocentium XI. esse verum Pontificem, quamuis ex hoc rectè inferatur per discursum Theologicum, electionem talis Pontificis fuisse validam; subindèque ista propositio, [Innocentius XI. ritè electus est in Summum Pontificem,] sit certa certitudine Theologica, cui non potest subesse falsum.





IOANNIS ECHII.

DE PRIMATV PETRI *Aduersùs Lutherum.*

LIBRI TRES.

Vbi multa in suas de Veteri, & Primitiua Ecclesia ex ipsius Concilijs, & originalibus desumpta.

Ioannes Echius, siuè Eccius, aut Ekius natione Sueuus natus 13. Nouembris anno 1486. notissimus, & primus inter hæreseos, qui contrà Lutherum arma mouerunt, Sacram Theologiam maximè calluit, ob quam Sacræ Theologiæ Doctor in vniuersitate Ingolstadiana, & Professor extitit, eiusque Vicecancellarius. Nec Theologi solùm, sed & excellentissimi Prædicatoris partes egit Augustæ, eloquentia etiam clarissimus, vt eius opera testantur. Proposuerat varias conclusiones Lutherus idest 97. in quibus vnicus erat scopus, diminuere valorem Indulgentiarum, & famam tollere ipsarum Prædicatoribus, contrà quos iam erat æmulatio. Contrà conclusiones Lutheri opposuit alias conclusiones, Telzelius expositas Francofurti, vbi exercebat officium Inquisitoris. Mox contrà Martinum scripsit aliquas breuissimas notas Echius, cuius Lutherus in publico ostentabat contemptum, vt tolleret auctoritatem. Ob istas notas demonstrauit Lutherus acerbissimum sensum, fueruntque illi velut fulmina, & ipsi publicè respondit epistola felle potius scripta, quàm atramento, redolente extremum Echij contemptum. In altera autem priuata, quæ est numero 44. tom. 1. manifestum ostendit se maximum illius virtutis sensum habere, & maximam tristitiam de contrarietate tanti viri præcipua familiaritate latè sibi coniuncti, quod & reddebat maioris auctoritatis oppositiones Echij, vtpotè dictatas à iudicio cum repugnantia affectus, etsi multi similes Echio impugnassent nouitates Lutheri, sicut ipse eas in parte repressit, ità extinxissent in totum. Carolostadius amici Lutheri patrocinium sumpsit contra censurias annotationes Echij, dicti ab Oderico Raynaldo strenuissimi fidei defensoris, & in Echium ipsum scripsit, vicissimque hunc Echius refregit, atque ita facta est prouocatio ad publicam disceptationem, cuius campum aperuit Lipsiæ Dux Saxoniæ Georgius Catholicus princeps spectandarum eiusmodi controuersiarum, quàm par erat auidior, quamuis ea res Episcopo Mersèburgensi loci Ordinario, ac Theologis Lipsiensibus displiceret. Immiscuit se huic disputationi Lutherus, cùm Echius duodecim pronuntiationibus Lipsiæ disputandis, etiam inseruisset, de prærogatiua, & potestate Romanæ Ecclesiæ, cuius ofor libello publicato, dicebat se non timere Papam, seu nomen Papæ, Lutherus omnes volebat arbitros, quia nullum Echius recusauit solam Academiam Vvitembergensem, & aliquam aliam, tandem concordarunt in Efordiensi, & Parisiensi. Super primum articulum hæreticum. Quòd volun-

voluntas nihil operaretur in actibus bonis, per sex dies disputatum est, & Carolostadius ad eas angustias redactus est, vt suas negaret conclusiones, & argumenta propria experiretur, veluti viperarum partus parentis homicidas. Cùm malè cederet Carolostadio, certamen subijt Lutherus, qui tamen ab Echio valdè constrictus est auctoritate Concilij Constantiensis, vbi condemnantur propositiones Io: Hus contra Petrum, & successores, & in multis fidei articulis cecinit Palinodia, vt de purgatorio, & indulgentijs; Defesso decem dierum spatio Luthero, iterum Carolostadius de libero arbitrio cùm Echio disputauit, & ipse inuictus, ab extremo Iunio ad 14. Iulij pugnauit. Lutherus post pugnam contrà Iudicem decretum publicauit quasi Epinicios triumphi, sed si attentè legantur, sunt Apologiæ infelicis pugnæ, vndè mæret Melancton, & fatetur Echium fuisse ipsis contrarijs admirationi ob insignes, & varias ingenij dotes, Parisienses pro Echio iudicasse, constat ex censura contrà Lutheri propositiones facta, sic Lipsienses constat ex inuectiuis Lutheri contra ipsos, patet etiam ex eo, quòd Carolostadium Lutherus acerbissimè exagitauit, & Echium ipsum libellis famosis, velut etiam hostem Pontificis traduxit extrema ad actus desperatione. Interim cum Lutherus nullo modo posset, quamuis conuictus, conuinci, Legatus Apostolicus exposuit Papæ doctrinam ipsius publicandam vt hæreticam, & tantò magis augeri necessitatem excommunicationis, quantò magis augerentur errores; cæterum cum verba epistolæ sint inanima, venit Echius Romam, & viua voce expressit strages animarum factas à Luthero. Ea emphasi exposuit Echius, vt Pontifex subito eas damnauerit, Bullamque ipsam ipsi Echio tradiderit, quam tulit in Germaniam, vt trophæum victoriarum suarum, & munere Commissarij, & Nuntij Apostolici ad multos Principes Germaniæ. Adit Ducem Saxoniæ, vt mandata Pontificia ipsi exponat, sed repellitur, quasi alios cum Lutheri causa implicuisset, eodemque casu, & alios traxisset. Deindè apud Heluethios initi sunt solemnes cętus Badenses de Religionis dissidijs, cùm Zuinglius dogma de præsentia Christi in Eucharistia, Missæ sacrificium, Sanctorum apud Deum deprecationes, cultum Sacrarum imaginum, indulgentias, & baptismi virtutem conuelleret, quibus hæresiarcha se sistere ausus non est, sed Oecolompadius, alijque præcipui impietatis vexilliferi conuicti, prostratique sunt, quę apud Cochlæum descripta sunt, vocatus est cum alijs insignibus viris Ioannes Echius, qui recenset sophismata ab hæreticis proposita in tomo 3. hom. 2. in festo Corporis Christi ijs verbis. Nec quemquam mouere debent temeraria eorum somnia, &c. vbi etiam fatetur se sępe obtulisse ad ignem vsque contrà Aduersarios fidei catholicæ disputando.

In Augustano Conuentu ea polluit vi & efficacia, vt Melanctonem, & alios Lutheranos adigeret ad confitendum non sola fide hominem iustificari. Interea nullum aliud erat remedium, nisi vltimum, idest Concilium Generale celebrandum, ad quod maximè inclinabant Pontifices, vndè Echius operam suam detulit in Concilio celebrando, vtpotè in confutanda hæresi exercitatissimus, cui Paulus V. Romanus Pontifex gratias egit, ac de sinceritate animi, quo sine vllo simulationis fuco Concilium celebrare constituerat, certiorem reddidit. Accepta indictionis Concilij Oecumenici relatione Ioannes Faber Episcopus Viennensis fortissimus fidei catholicę aduersùs Lutherum, & alios hæreticos Atletes commentarium edidit, in quo præsentium temporum calamitates, ac statum exposuit, & quæ erant apparanda descripsit, quem libellum Madortis Tridentini Cardinalis opera ad Paulum V. misit super multa, cuius Sanctitas sua rescripsit, vt communicaret consilium cum Nuntio vnàque cum Doctore Echio. Quod & Ioannes Faber libentissimè fecit, ordinando Echio vnà cum Cochlæo, vt diuersas variarum Prouinciarum, & Ciuitatum ordinationes, normamque antiquæ Religionis nouatricem in manus sumeret, & extra hanc, vbi, & quibus in locis, quàm variè, quàm contradictoriè ordinationes in se, & inter se discrepent, quòd & eximiè præstitit. Transmisit eodem tempore Echius ad Pontificem libros, quos ad discutiendas offusas Germaniæ tenebras scripserat, quos Paulus amantissimus hoc responso cohonestauit.

Dilecto Filio Ioanni Echio Familiari Nostro.

Dilecte Fili literas, ac libros tuos nobis superioribus mensibus oblatos recepimus, & infrà. Nos Fili te valdè diligimus, optimèque de nobis meritum iudicamus, proin-

proindè omnem occasionem cupidè amplexuri sumus, qua erga te, & omnes isthic tui similes nos memores, grataque reddamus. Datum Romæ, &c. 26. Iunij 1536.

Interim indefessus Echius in literis ad Cardinalem Gasparem Contarenus, de quo iam aliàs locuti sumus, tristem Ecclesiæ Germanicæ faciem descripsit, & optima consilia suggessit de congregando Concilio Generali, & vt iunctis mutuo fœdere Principibus Christianis, hæreticorum audacia frangeretur, sed Pontifici Cæsar hoc dissuasit, vt testatur Angelus Massorellus. Nullum vnquam finem fecit disputandi cum hæreticis, disputauit enim cum Philippo Melanctone de peccato originali, quod punctum in quatuor puncta diuisum est, & Protestantes fictè fassi sunt cedere. Factum est autem Concilium Ratisponense, vbi cum Protestantibus acerrimè pugnauit. Traditus est Colloquutoribus Cæsareo iussu liber continens 22. articulos, & hæreticos. Ioannes Echius, vt librum vidit, considerauitque, hanc protulit sententiam; Neque placuit, neque placet liber iste insulsus, neque placebit vnquam, in quo tot errores, & vitia deprehendi, vndè iudico, sicut semper iudicaui, eum à Catholicis non recipiendum, qui relicto modo loquendi Ecclesiæ, & Patrum Melanctonizat. Disputante deindè Ioanne Echio de sola fide, propositio illa de sola fide, damnata est ab ipsis Lutheranis, & solus ipse reclamauit, dum Pffuggius, & Gropperus senserant cum Lutheranis, sola fide nos iustificari, quamuis ipsos mox pœnituerit. In causa Religionis edidit librum contra Bucernm super actis Comitiorum Ratisponæ, vbi ostendit longè plures, & maiores articulos controuersos non esse conciliatos, Cardinalis Contareni responsa, & declarationes, quas Bucerus calumniosè sugillauerat, defendit; & Bucerum ipsum, mortem Lutheri miraculosam, & sanctam describentem, egregiè refellit. Tandem Lutheri, Melanchonis, Pomerani, similiumque ex eius apostasia suppullulantium ministrorum malleus, ac domitor innumeris pro Catholica Fide perfunctus laboribus anno 1543. decessit, die 10. Februarij ætatis 57. scripsit autem Enchiridion, in quo controuersias ferè omnes breuitèr, & dilucidè comprehendit, scripsit etiam seorsim de Sacrificio Missæ libros duos, & deindè alios tres. De pœnitentia, & virtutibus pœnitentiæ annexis. Item postillas, siuè homilias de tempore, & de Sanctis, scripsit quoque multa Philosophica in lib. 8. physicorum, in libros de coelo, de generatione. In Meteora, in libros de anima, & alia. Tandem de Primatu S. Petri, super quo etiam disputauit cum Luthero voce, & deindè scripto. Enumerare autem eos, qui de Echio mentionem faciunt, infinitum esset. De hoc Surius, Spondanus, Raynaldus, Pallauicinus in historia Concilij Tridentini, & innumeri alij Catholici, & quod mirum magis est. Orthodoxis sepè iniquior Sleidanus optimam de eo memoriam celebrat, & Bulchozcrus appellat virum acutissimi ingenij.

LIBER PRIMVS.

De Primatu Petri aduersùs Lutherum.

CAPVT PRIMVM.

Cur Hæreses Ortæ, & quæ causa scribendi.



Verissimam esse Beati Pauli in fide, & veritate Doctoris gentium, sententiam, Oportet hæreses esse, nemo Christianus ambigat, & hanc nostro sæculo infœliciter experimur, quod cum apud sanctissimos patres, non paucas reperiam causas, cur id Deus fieri permittat, qui cum summum existat bonum, malum fieri non pateretur, si non maiora bona ex eo eliceret, has præstat causas explicare, vt ratio scribendi per me suscepta, fiat manifestior. Beatus enim Augustinus lib. de Genesi contrà Manicheos hanc adfert rationem. Ideò inquit diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos, esse permisit, vt cum insultant nobis, aut interrogant nos ea, quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & diuinas nosse cupiamus scripturas. Propterea, & Apostolus dicit. Oportet hæreses esse, vt probati fiant manifesti inter vos. Hi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere, sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent, docere autem nolunt nisi eos, qui doceri quærunt, sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias, & insultationes hæreticorum, quasi de somno excitentur, vt de imperitia sua erubescant sibi, & de illa imperi-

imperitia periclitari se sentiant, qui homines si bonæ fidei sunt, non credunt hæreticis, sed quid eis respondeant, diligenter inquirunt. Septimo quoque lib. confessionum ait. Improbatio quippè hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina.

Quæ cùm studiosè expenderem, ratus sum quam maximè hanc rationem sæculo nostro conuenire, vbi amabiles Ecclesiæ Episcopi in sacris literis plerumque negligentiores sunt, quàm ordo, & ratio dignitatis expostulet, Immò plerique indignè ferunt, si de ea re sermo fiat, Theologos contemptui habentes, magna pars cleri sacram scripturam contemnit, coaceruandis Sacerdotijs, dignitatibus, & pensionibus intenta. Hi verò qui sacras colunt ex professione literas. Theologos dico, quàm idoneà munere nostro functi sumus, ex eo liquet, quod & grammatici nos irridentes, Theologistarum nomenclatura, nos dehonestarunt. Vndè hæreses, & nostra tempestate exoriuntur, vt Deus Theologorum excitaret pigritiam, ne tantòpere inanibus, & sterilibus exagitentur quæstionibus, omnes libros de notitijs, relationibus, formalitatibus, vniuersalibus, motibus, instantibus, & similibus siliquis Theologiam repleutes, contrà quam Apostolus Tito, & Timotheo præceperat. Stultas, & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quod generant lites. Tantùm enim aquę Philosophicæ, ne dicam sophisticæ, vino theologico immiscuerunt, vt verùm, & natiuum saporem fermè perdiderit, stultis, & spinosis limphatum quæstionibus.

Consentit Beatus martyr Cyprianus de simplicitate Prælatorum, hinc hęreses, & factę sunt frequentèr, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem, fieri verò hæc Dominus permittit, & patitur manente proprię libertatis arbitrio, vt dum corda, & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat, adducit Apostolum, & subdit. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur, sic ante iudicij diem, hic quoque iam iustorum, atque iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur, doctrina ergo Deus separat bonos à malis, & electos probat. Negligentius enim veritas quæritur, ait Augustinus de consensu Matth. & Luc; si mendaces aduersarios non haberet alias causas adfert Augustus, lib. de vera religione, lib. de ciuitate Dei 16. contrà Pelagium, & Cęlestium de peccato originali, lib. 2. Præstat tamen referre verba eius ad Bonifacium, de correctione Donatistarum. Non te ista conturbent fili dillectissimè. Hæreses enim, & scandala futura prædicta sunt, vt inter inimicos erudiamur, ac si & fides, & dilectio nostra, possit esse probatior, fides vtique ne ab eis decipiamur, dilectio autem, vt etiam ipsis corrigendis, quantùm possumus consulamus, non solùm instantes, ne infirmis noceant, atque vt ab errore nephario liberentur, sed etiam orantes pro eis, vt aperiat illis Dominus sensum, & intelligant Scripturas, quia in sanctis libris, vbi manifestatur Dominus Christus, ibi, & eius Ecclesia declaratur.

Cùm ergo aliqui Thelogi ad Endymionis somnum profundissimè stertereut, inutilibus quæstionibus circà pugnam verborum languentes, Deus Lutheranis, & alijs erroribus eos excitatureus alloquitur. Quandò consurges ex somno tuo, & præcipuè pastores videntur excitari, vt teneant vigilias noctis super grege, Vndè nemo ambiget. Theologos exercitio Lutherano, Deo propinquiùs accedere, iuxtà illud prophetæ. Accedite, & illuminamini, quod eruditè Beatus Gregorius ad Anastasium Antiochenum explicat. Et sancta Ecclesia inquit, subtiliùs in sua semper eruditione instruitur, dum hęreticorum quæstionibus impugnatur, ità vt apertè impleatur, quod per Psalmistam contrà hęreticos de Deo dictum est. Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Nam dum ipsi in prauo errore diuiduntur, cor nobis Dei appropinquat, quia eruti aduersitatibus intellectum eius subtiliùs inuenimus, fortè enim nos comprehenderunt tempora periculosa, quæ sanctus Paulus descripsit 1. ad Timotheum 4. quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum in hypochrisi, quoniam erit tempus, ait ad eundem, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabuut sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur, in quæ tempora nos incidisse timendum est, in tanta doctrinarum nouitate. Et quis non videt factorem malorum, conari vt capitis firmitatem infringat, quo suppresso, impunè possit circuire, quærens quem deuoret.

Quid enim aliud facere videntur, qui caput ministeriale auferunt, aut non iure diuino constitutum affirmant, quàm quòd viam hæreubus, schismatibus, rebellionibus dissidijs, & contentionibus parant, ac sternunt. Summum enim Sacerdotem in sancta Ecclesia sua Christus posuit, cui ab omnibus est obtemperandum, sicut in vetere lege præcepit, homo quecunque fecerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit, in diebus illis morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit. Vndè beatus martyr, & Episcopus Cypriannus ad Cornelium Papam verè scripsit. Neque enim aliundè hæreses abhortæ sunt, aut nata sunt schismata, nisi quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, quòd & ad Pupianum testatur, & alio loco ait, hæc sunt initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, vt prępositum superbo tumore contemnant, sic de Ecclesia recedirur, sic Altare prophanum foris collocatur, sic contrà pacem Christi, & ordinationem, atque vnitatem Dei rebellatur. Vna enim est Ecclesia sicut in Cantic. 6. ait, vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, quare nullus verè Christianus, vnitatem, & Ecclesiæ pacem scindere debet. Primatum iure humano tantùm constitutum asserere, sed se Summo Pontifici, Dei ordinationi, ac diuino iuri subijcere. Nam & Chore, Dathan, & Abyron, Aron, & Moyses eundem Deum nouerunt, pari lege, & religione viuentes, vnum, & ve-

Prouerb 6.

Psalm 33.

Psalm. 54

Deuter. 17.

Num. 16.

& verùm Deum, qui colendus, & inuocandus fuerat, inuocabant. Tamen quia loci ſui miniſterium priores trangreſſi contrà Aaron Sacerdotem, qui Sacerdotium legitimum, dignatione Dei, atque ordinatione perceperat, ſacrificandi licentiam vendicauerint, diuinitùs percuſſi, pœnas ſtatim pro illicitis conatibus penderunt, nec potuerunt rata eſſe, & proficere ſacrificia irreligioſè, & illicitè, contrà ius diuinæ diſpoſitionis oblata.

Hinc ad ſcribendum moueor, quantùm Deus mihi dederit, & ſua gratia adiuuerit, contrà libellum Martini Luther de poteſtate Papę, hæreſibus plenum, quem non expectato congreſſu noſtro literatorio (ſuper illa enim materia diſputauimus Lipſiæ in ornatiſſimo illuſtrium, generoſorum, & doctiſſimorum virorum conſeſſu) in publicum emiſit, vbi pontificiam in has anguſtias deducit poteſtatem, vt iure diuino Papa non plùs poſſit quàm plebius Sacerdos. In quo libro audaculus, & meam pauperem tangit perſonam, quaſi inuidioſè hanc poſuerim propoſitionem aduersùs eum. Romanam Eccleſiam non fuiſſe ſuperiorem alijs Eccleſijs ante tempora Silueſtri, negamus, ſed eum, qui Sedem Beatiſſimi Petri habuit, & fidem, ſucceſſorem Petri, & Vicarium Chriſti ſemper agnouimus. Calumniatur me hanc ſibi in publico mouiſſe inuidiam, cum hanc materiam in nullo dictorum ſuorum tractarit. Oblitus ille quòd in reſolutorio ſuo nihil aliud agere videatur, quam Summi Pontificis poteſtatem extenuare, & in concluſione 22. ſui reſolutorij ait. Finge vel latiùs ſuademus, Romanam Eccleſiam eſſe, qualis erat adhuc tempore Beati Gregorij, quando non erat ſuper alias Eccleſias, ſaltem gręcię, clarum eſt, quòd pęnæ canonicæ non obligabant Græcos, ſicut nec nunc obligant, & concluſ. 72. vocat Eccleſiam viduam. Quibus manifeſtarium eſt, me non iniuria hanc mouiſſe materiam, de qua ſenſi eum peſſimè ſentire. Quòd etſi Luther, etiam huius materiæ non meminiſſet, ponendo tamen concluſionem meam, quę eſt catholica, & conformis ſacræ ſcripturæ, & doctrinæ Sanctorum Patrum, vt oſtendemus, plùs dedi ei occaſionem rectè ſentiendi, quàm errandi, niſi ex conſtituto tam peruerſum animum induerit, vt in omnibus mihi velit diſſentire, humilitas etſi aliquando appareat in voce, tamen ſemper prodit ſe temerarias, ait Ambroſius.

Locus Luther.

Excuſatio Echij.

Simplices decipiuntur

Potiſſimum autem moueor ad libellum hunc impugnandum zelo fidei veritatis, & quòd intelligam aliquos, qui ſibi videntur eſſe aliquid in ſacris literis, qui ex ſchola Diomedis, vel Priſciani ad ſcholam Chriſti credunt ſe aſcendere. Hi enim videntes à Luthero adductas Bibliæ, & Patrum ſententias, confeſtim captiuantur, & decipiuntur, iudicantes peruerſum Lutheri dogma eſſe Catholicum, & Euangelicum, cum non ſolùm errantes, ſed & hæretici ſcripturam rodant, ait Beatus Gregorius lib. 20. Morali, qui & ſanctos Patres nobiſcum laudant, ſed intellectu deprauato, nos eorum laudibus impugnant, ait idem lib. 8. Nam ſic etiam veritatis catholicæ inimici deſertores, transfugæ, perſecutores, ſacris abutuntur literis, vt videantur ſolidæ veritati inniti, vti verè, & elegantèr Cyrillus Alexandrinus ad Fratrem Nemeſinum in præfatione Theſauri docuit. Nam ſicut mulierculæ turpitudini deditæ, veſte atque auro, cæteriſque ornamentis, & turpitudinem ſuam occultant, & non præuidentes ad perniciem attrahunt, eodem modo iſti verę religionis pulchritudinem fingentes, ſcripturæ auctoritate errores ſuos communire. Vndè vanam conſtat eſſe diuerſarijs gloriam, ſacram iactitantis ſcripturam, non ad intellectum, quem Spiritus ſanctus efflagitat, qui id Beati Hieronymi aduertere debuit aduersùs Luciferianos. Non ſibi blandiantur inquit, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cum & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo. Non ergo dubito plures ſeduci errore Lutherano, qui vel nimiùm ſibi fidunt, vel diligentiùs veritatem querere negligunt, ſed qui vigilantèr, & cum ratione ſcripturas legunt, ait Cyrillus, dolis illorum non capiuntur, ſed veram amplexi fidei profeſſionem, clamant. Pſal. 123. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captione dentibus eorum. Præſtat eum Chriſti literas, Chriſto duce legere.

Auctoris inſtitutum.

Euigilans igitur, & ego, præfatum Lutheri libellum appertiſſimis teſtimonijs ex Chriſtianiſmo prorsùs reijciam, noſtra probaturus ex ſacris literis, ſanctorum Patrum ſententijs, ac ſanctiſſimorum Conciliorum decretis, quę nó in ſummis collectarijs regeſtis, ſed ex ipſis fontibus hauſimus, iuniores, quibus ille pro ſua arrogantia nihil tribuit, prætereundo. In quo Candidi, ſynceri, & catholici lectoris expoſtulo iudicium, & in primis primæ Sedis Petri, ſacri Concilij, & omnium bonorum. Nam omninò mihi in mentem venit illud Auguſtini lib. 1. Hipponoſticon. Aduerſarij fidei Catholicæ, dum contra regulam veritatis pugnare nituntur, nos ſollicitudine reſpondendi faciunt cautiores, nos quodammodo excitant dormientes, vt arrepto Clypeo veritatis, falſitati eorum reſiſtere vigilemus, euangelica tuba noſtris auribus inſonante, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Scripturus autem pro virili curabo, ne nimia breuitate obſcurus reddar, & ſic ſtudioſorum præſcindam deſiderium, nec prolixitate grandi faſtidioſus, vt ſic legentium onerem ſenſum, cum ſciam Diui Hieronymi inſtituto vtrumque fore repræhenſibile. Etquamuis non ignorem, eum qui in publicum prodit, ſcriptionibus ſuis, multorum ſubire iudicium eodem Hieron. teſte, tamen nihil aliud peto à candido lectore, quam vt ſemotis affectionibus, ſynceritet & candide iudicet. Ieſus enim eſt mihi Chriſtus, quem redemptorem credo, & glorificatorem ſpero, hunc laborem à me ſuſceptum ad ipſius honorem, fidei noſtrę veritatem defenſandam, ac animarum ſalutem, quare omnia hic dicta, ſubijcio iudicio Eccleſiæ, & bonorum, ac ſicut debeo, ita lucuientiſſimè volo.

CAPVT II.

De ordine scribendi, singularitatis, & simulationis reprehensione.

ET si non me prætereat, quem ordinem scribendo obseruare deberem, si natiuam rerum conditione, genuinamque vim imitarer, verùm diuersarij assertio indigesto, ac confuso ordine proposita efficit, vt inuersa, quasi puppi contra alueum nauigemus, & longè alia ratione, quam natura rei expostularet, nobis agendum est. Conuenit enim cum veritate, quod assentitur Rom. Pontif. esse, fuisse, fore primum, sed in hoc dissidet, quod negat Rom. Pont. esse primum iure diuino, quoniam Græci, Aphri. Orientales nunquam sub Romana fuerint Ecclesia, sed huic primatui repugnet auctoritas sacræ Scripturæ. Concilium Nicænum, historiæ approbatæ 1500. ann. Et hoc summis agit viribus, vt vesanum errorem à multis sæculis condemnatum, Pythagorica, quasi Paluigenesia resuscitet, Papam scilicèt esse superiorem alijs iure humano, consensu tot regnorum Christianorum, non autem iure diuino, quo nec Petrus Apostolus alijs fuerit prælatus, sed omnes Apostoli fuerint æquales: Et quamuis cuilibet bono Christiano, vt antiquiora prætereamus, sufficere deberet sacrorum Conciliorum determinatio, Romani scilicèt, & proximè sequentis Constantien. in quibus errores prædicti inter damnabiles articulos Ioan. Hus, & Ioan. Wiclef condemnati sunt, qui & à pluribus locorum ordinarijs, & à studijs generalibus Oxonien. Angliæ, Parisiensi Galliæ, Pragensi Bohemiæ, priùs fuerant reprobati. Hæc inquam sufficere debent cuique catholico viro, cum compendio dicere possemus illud Gelasij Papæ contra Achatium, quicumque in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit.

At veritatis protecti Clypeo, & gladio sapientiæ, reddere rationem parati sumus de ea, quæ in nobis est, fide, dum inimicus homo non desinit seminare zizaniam, denuò iste error conuellendus est, vt inuicta stet fidei veritas, & Bohemi horum erratuum tenacissimi, non insultent Catholicis. Et ne simplices verborum fucis, & peruersis sacræ Scripturæ allegationibus seducantur, sed in fide Ecclesiæ stabiles firmitèr permaneant. Scientes, quia amabilissimus Dominus noster Iesus Christus orauit ne fides in ea deficeret, vt & ipsi in vitam seruentur æternam. Et cùm diuersarij singularitati studeant, Summorum Pontificum decreta, Doctores Ecclesiæ A. 400. annis negando, impensè curabimus, vt antiquiora afferamus, quid autem præ se ferat singularitatis studium, cum exteriori honestatis apparentia, quam & Lutherus præferre dicitur, B. Bernardus nobis significauit super Cantic. dicens. Omnibus vna intentio hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ, quod vt commodè faciant, non sufficit hæreticos esse, nisi & hypocritæ sint, vt sit suprà modum peccans peccatum. Hi sunt, qui veniunt in vestimentis ouium, ad nudandas oues, ad spoliandos arietes, intus autem sunt lupi rapaces. Hi sunt oues habitu, vulpes astu, actu & crudelitate lupi. Mali sunt, & videri boni volunt, ne soli sint mali, mali videri timent, ne parùm sint mali. Etenim minùs semper malitia palam nocuit, nec vnquam bonus, nisi boni simulatione deceptus fuit, neque enim est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare, quasi quodam virtutum minio. O quàm egregiè S. Bernardus Lutherum suis descripsit coloribus. Sic monet beatissimus Leo Papa fideles, vt ab hæreticis caueant, neminem fallant, inquit, discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultumque palloribus. Non sunt casta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed de arte fallaciæ, hactenùs enim illuserunt incautis. Vndè liquet quàm fallantur, qui Lutherum ab honestate vitę commendare nituntur, qui tamen nihil deuotionis adducere potentes, manifestario vident, quàm singularis sit in dictis, mordax in proximos, in superiores contumeliosus, omnium contemptor, & irrisor. Non attendunt, quod peculiare est hæreticis, vt simulata humilitate fideles decipiant; ait Beatus Gregorius III. Moralium.

Hunc autem ordinem scribendo obseruabimus. Primò confestim caput negotij declarabimus, & totius rei fundamentum, Euangelicis, & irrefragabilibus testimonijs sanctum Petrum ordinatum à Christo vicarium suum, & caput Ecclesiæ, omnibus fidelibus, etiam ipsis Apostolis in hoc prælatum, Euangelica testimonia ità fore intelligenda, Sanctis Patribus, & martyribus testabimur. Succedent dein alia Sanctorum Doctorum, Martyrum, Summorum Pontificum, sacrorum Conciliorum testimonia, quæ Petro tribuant primatum, patefaciemus, & hunc pulcherrimum ordinem diuinitùs datum, semper in Ecclesia obseruatum, quod Petri successor, Romanæ præsul Ecclesiæ, generalis fuit Christi in terris Vicarius, totius Ecclesiæ militantis caput ministeriale, per vniuersarum terrarum orbem, à cuius obedientia si quis se vnquam subtraxit, velut sanctæ vnitatis fidelium diruptor, & inconsutilis tunicæ Domini Iesu scissor, habitus est schismaticus, à communione fidelium exclusus. Ruinosa aduersarij fundamenta, inartificiosæ rationes, floccisolutiones, inualidæ, & ieiunæ obiectiones, liquidò, clarè, ac validissimè diluentur. Aperietur nihilominùs, quomodò decretis, & constitutionibus monarchæ standum sit, ac obediendum, cùm plurimis rarissimis, & lectu dignissimis, quæ omnia ex ipsis originalibus ex vetustissimis codicibus, plurimo sunt à nobis collecta labore, maxima vigilantia in collationem librorum adhibita. Adesto ergo Candide lector, & intelliges facta promissis, plenitèr respondere.

Loci duodecim Euangelij pro primatu Petri.

Habes hac formula 12. locos ex Euangelijs desumptos, sequentibus pro primatu Petri deducendos, quo autem capitulo huius libri quilibet locus tractetur, tertius ordo tabellæ indicat.

Primus itaque locus est Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, cuius sensus, licèt pro primatu Petri sit clarissimus, tamen eam sanctorum patrum fuisse sententiam, hi proferrentur testes.

	Locus	Capite
Primus	Matth. xvi.	iij.
Secundus	Ioan. vlt.	xxxiij.
Tertius	Luc. xxij.	xlv.
Quartus	Matth. xvij.	xlvij.
Quintus	Marc. iij.	xlviij.
Sextus	Ioan. xxij.	l.
Septimus	Luc. v.	l.
Octauus	Matth. xviij.	l.
Nonus	Marc. xiv.	l.
Decimus	Ioan. vi.	l.
Vndecimus	Luc. xxij.	l.
Duodecimus	Ioan. vlt.	

Testes primi loci Matth. xvi.

Cyprianus	Octauum Concilium generale
Hieronymus	Concilium Nicolai
Origenes	Concilium Chalcidonense
Augustinus	Anacletus I.
Hylarius	Marcellus I.
Chrysostomus	Pius I.
Leo	Iulius I.
Ambrosius	Gelasius I.
Beda	Nicolaus I.
Gregorius	Symachus I.
Maximus	Alexander II.
Ignatius	Leo IX.
Cyrillus	

CAPVT III.

Primatus Petro promissus Matth. 16. probatur serie verborum, & ex Cypriano, glossa ordinaria, & Hieronymo.

PRobaturus S. Petrum à Christo principem constitutum totius Ecclesiæ, & sic iure diuino, accipio celebrem locum, & communem, quo omnes sancti, & docti vsi sunt pro asserendo principatu Petri, & est Mat. 16. vbi sic legitur. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens? quem dicunt homines esse filium hominis, at illi dixerunt. Alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illi Iesus. Vos autem, quem me esse dicitis. Respondens Simon Petrus dixit. Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Hæc Matth. vbi Dominus Iesus apertissimè primatum S. Petro promisit, qui est via veritas & vita, Ioan. 1. Fidelis enim est, qui repromisit. Ad Hebr. 10. quare proculdubio illic promissa dein præstitit, & fidem datam seruauit, tàm super ædificatione Ecclesiæ, quàm datione clauium. Vndè singulariter loquitur Petro, Ecclesiam ædificandam super eo, & quòd iste sit Germanus sensus ex eo ostendo, quia licèt & Christus sit petra secundùm Apostolum, & super eum ædificata est Ecclesia Dei, tamen sensu Germano & proprio, intelligi Petrum ex eo probatur, quoniam eum in Domino Iesu iam velut principali fundamento primario ędificata erat Ecclesia, ipse enim erat lapis angularis, frustrà in futuro dixisset, ædificabo, sed ædificata est Ecclesia, porrò si de seipso locutus est Christus, quid opus erat reuelare Petro, super Christo ædificandam Ecclesiam, cum iam paternæ reuelationis etiam Domini Iesu testimonio factus fuisset auditor? quare propriè verba accipienda sunt, quòd eum S. Petrus tam gloriosè fuisset Christum confessus, volens ei gratiam referre, magnam illam pollicitationem exhibuit, vt Petrus futurus esset totius Ecclesiæ fundamentum, & sic erecta manet verborum sententia. Tu es Petrus, & super hanc &c. vt idem demonstretur, per tu. & hanc, & non distorqueatur textus, quasi quodam æquiuoco Dominus Iesus verba sua confuderit, primò demonstrando Petro, dein seipsum.

Et quia liberis verbis vtuntur Philosophi, nec offensionem aurium religiosarum pertimescunt, nobis autem ad certam regulam, ait Augustinus loqui phas est, & Hieronymus super epistola ad Galathas ait. Quicunque aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti efflagitat, à quo scripta est, licèt ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, Idem quoque super illud sapientis. Ne innitaris prudentię tuæ, in eamdem descendit sententiam dicens, prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, patrum decretis præponit. Plus autem signatè, & distinctius in nostra materia, illud generale applicat Leo vniuersis Vien. prouintiæ Episcopis scribens. Hanc petræ sanctissimam firmitatem, Deo ædificante constructam, nimis vult impia præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo. Hunc ergò esse verum, & genuinum verborum Christi sensum, non propriæ innitendo prudentiæ, quod diuersarius facit, sed antiquorum patrum, & sanctorum probemus testimonijs, qui Spiritu sancto inspirante scribentes, veram huius scripturæ veritatem nobis explicuerunt.

Et imprimis prodeat magnus ille martyr, & Episcopus Cyprianus, tantopere ab Augustino, Hieronymo, Ambrosio, & Nazian-

zianzeno collaudatus, qui plura de fallacia, & astutia diaboli prælocutus, libro de simplicitate prælatorum subdit. Qui secundum Apostoli vocem transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros iustitiæ, afferentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentiuntur. Veritatem subtilitate frustrentur, hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est, probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ędificabo Ecclesiam meam &c. Et idem post resurrectionem suam dicit. Pasce oues meas, & quamuis omnibus Apostolis post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicit. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite spiritum sanctum; Si cui remiseritis peccata remittentur illi; Si cui tenueritis, tenebuntur. Tamen, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eius originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit, hoc erant vtique, & cœteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur, & infra hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris, & filij fidem. verbum non tenet salutis, hæc est apertissima Martyris sententia, vnum esse primum in Ecclesia Petrum, à quo vnitas Ecclesiæ dispositione Christi proficiscatur, & quod ab eo velut fundamento, hæc vnitas oriatur, citauit illud Matth. 16. Tu es Petrus, probaturus per hoc, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ.

Quòd si hunc locum apertissimum aliquis nasutulus existimaret esse ambiguum, audiatur Cyprianus in loco apertiori, qui cauillari non potest. Libro enim quarto epistolarum, ad Pupianum scribit. Quando Christus dixit ad discipulos Ioan. 6. Nunquid, & vos vultis abire. Respondit ei Petrus dicens. Domine ad quem ibimus. Verbum vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei viui, loquitur illic Petrus, super quem ędificanda fuerat Ecclesia, docens, quia etsi contumax, ac superba audire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen Christianorum non recedit. Audis super quem ędificanda fuerat Ecclesia, & ne quis credat excidisse sancto Martyri hoc verbum, repetijt illud eiusdem muneris lib. 1. epistolarum ad Cornelium Papam, & ità intellexit etiam diuersarius Cyprianum, velut ex lib. suo Syngrapham eius in publica disputatione Lipsica legimus, vbi adnotauerat (magna profectò temeritate) etiam sanctum virum falli, quia crediderat Ecclesiam fundatam super Petro.

Hunc esse verum, & sanum intellectum testatur glos. ordinaria, quæ est Rabani secundum Thom. alij citant eam esse Hieron. habent, quidem ait, eandem iudiciariam potestatem alij Apostoli, quibus post Resurrectionem ait, accipite Spiritum sanctum &c. Habet etiam omnis Ecclesia in presbyteris, & Episcopis, sed ideò specialiter Petrus accipit, vt intelligant omnes, quòd quicumque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cœlum ingredi potest, & quia ambigis illum locum esse B. Hieronymi, adferatur propterea in libro indubitato, quem omnes agnoscunt; vt partum Hieronymianum, librum volo 1. contra Iouinianum, vbi quia Iouinianus obiecerat contra laudem virginitatis, quòd non super Ioannem, sed super Petrum fundata est Ecclesia, B. Hieronym. admittit super Petro fundatam Ecclesiam, & ponit rationem huius. Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claues cœlorum accipiant, & ex æquo fortitudo Ecclesię super eos solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Quid apertius dixisse potuisset, Apostolos pares, & ex æquo pronunciat fundamenta Ecclesiæ ratione dignitatis Apostolatus, & tamen liberè differt eaput inter eos constitutum, vt schismatis tolleretur occasio,

Id voluit expressiùs B. Hierony. lib. 1. contra Pelagianos. Quid Platoni, & Petro? vt ille enim princeps Philosophorum, ità & hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tentatione concutitur. Hoc etsi Critobolus dicat. Atticus tamen non negat, quod indubiè fecisset, si Critob. falsum assumpsisset, est ergò S. Petrus princeps Ecclesiæ, & super quem Ecclesia ędificata, est B. Hieronymi sententia. Quod inceperamus contra Iouinianum, non finiuimus, ideòque repetamus. Sed cur non Ioan. electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur, & magister bonus, qui occasionem iurgij auferre discipulis debuerat, in adolescentem, quem dilexerat, causam videretur præbere inuidiæ, quis iam ita desipit, vt neget Hieronym. noluisse Petrum prælatum Ioanni, cuius iam expressam adfert rationem.

Et vt omnis amputetur dubitatio, loquitur Hieronymus super dicto loco Matth. 16. Simoni, inquit, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ędificabo Ecclesiam super te, quis iam non intelligit, quid B. Hieronymus intelligat demonstrari per vocalam hanc, quia Petrum. Super te ait. Et licèt hæc sint sufficientissima, addatur tamen in epistola ad Damasum. Ergò, inquit, nullum primum, nisi Christum sequens. beatitudini tuæ, cathedræ Petri consotior, super illam petram fundatam Ecclesiam scio, hæc quidem clarissima verba, nullus nisi extremæ desipiat, negabit. Citatur, & alia glossa ordinaria (auctorem eius tamen ignoro) Specialiter illam potestatem Deus Petro concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideò enim eum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem haberet Christi Vicarium, ad quem diuersa membra recurrerent, si fortè inter

inter se diffiderent. Ecce habes primatum Petri, & tationem cur Deus eum instituit.

CAPVT IV.

Idem probatur ex Origine, Augustino, Ambrosio, Hylario, Chrysostomo, Beda, Cyrillo.

INtellexit verba Christi in hunc sensum Origenes Adamantius. Vide inquit quantum potestarem habet petra, super quam ędificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per illa, ponderat ad hæc verba Christi ad Petrum, Matth. 16. & ad discipulos, Matth. 18. conferendo, Illa, quæ superius Petro sunt dicta, inquit, videntur etiam istis omnibus dicta, sed quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis, ideò illi quidem sic dicit. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlis. Non ergò modica differentia est, quòd Petro quidem datæ sunt claues non vnius cœli, sed multorum cœlorum, vt quæcumque ligauerit super terram sint ligaea, non tantum in vno cęlo, sed in omnibus cęlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, & ligent, non in cęlis, sicut Petrus, sed in vno cęlo, quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus, vt alligent, vel soluant in omnibus cęlis. Hæc Homil. 6. super Matth. Constanter Origenes Petrum petram affirmat, super quam ædificata sit Ecclesia, eius extollens potestatem iudicij, & acutè ponderat maximus scripturæ interpres, Christum in maiori perfectione, & plenitudine promisisse Petro claues cęlorum, quam alijs Apostolis, & sic Petrum iure diuino, ac Euangelico alijs esse superiorem.

Accedat, & illud magnum Ecclesiæ lumen Augustinus in lib. contra epistolam Donati, vbi dicit, in Petro, tanquam in petra fundatam esse Ecclesiam, qui sensus, inquit, etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij. Vbi de gallo gallinaceo, ait. Hoc ipsa petra canente Ecclesia, culpam diluit, & quamuis alicubi exposuerit petram Christum, tamen lib. 1. retractationum vtramque recenset sententiam, & neutram retractat, sed lectoris committit iudicio dicens. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector, & quia B. Ambrosij meminit Augustinus, addamus, & alios eiusdem locos, sermone enim 47. de Petro, inquit, denique pro soliditate deuotionis, Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait. Dominus. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Petra enim dicitur, quòd primus in nationibus, fundamenta fidei posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem, molemque contineat, apertissimè fatetur. Petrum esse petram Ecclesiarum, probans per verba Domini ex Matth. allegata, renarrat Gratianus cap. fidelior 50. dis.

Sed ad Augustinum reuertamur, cui adhue in duobus locis non displicuit Petrum esse petram, & primum Apostolorum, ait enim super Ioan. tract. 124. Hoc agit, [orando pro remissione peccatorum,] Ecclesia spe beata, in hac vita ętumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Aposto lus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam, quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus erat homo, gratia vnus christianus, abundantiori gratia, vnus idemque primus Apostolus, sed quando fuit ei dictum. [Tibi dabo claues regni cęlorum &c.] vniuersam significabat Ecclesiam, intelligit iam candidus lector Petrum propter primatum gessisse personam Ecclesiæ, sicut quilibet Episcopus in Concilio gerit personam suæ Ecclesiæ, & princeps sui regni. Et in sermone natalis eorum (si saltem liber iste sit Augustini) inquit. Audisti frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Si ergò Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Refert ad miraculum à Petro factum, dum Claudum sanaret, act. 3.

Et cum maioris auctoritatis existat, quod plurimorum consensu firmatur. Vt beatus Hieronymus, ait. Addo prædictis primò B. Hylarium Pictauorum præsulem, qui super eadem verba, apud Matthæum, sic ait. O in nuncupatione noui nominis fęlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cęli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cęlo, vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant in cęlo. Expende fęlix Ecclesiæ fundamentum ex ipsa nuncupatione petræ, & ne suspiceris eum de alio loqui fundamento, quàm Petro, clarius adijcit de Ianitore cęli.

Audiatur præterea os aureum Ioannis Chrisostomi, minimè ambigue dicentem super eo loco. Quid igitur Petrus omnium Apostolorum os, vertex totius consortij, cùm omnes interrogati essene, ipse solus respondit. Et quando quidem de sententia vulgi quærebat. Omnes responderunt, cum verò de sua eos rogaret sententia, Petrus confestim præsilijt, ac præueniens ait. Tu es Christus filius Dei viui, & infra. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hic apertè prædixit magnam eorum, qui credituri erant, & sunt, multitudinem, & subiimiora ipsum sapere fecit, & Ecclesiæ futuræ pastorem constituit, & infra. Et ego dabo tibi claues regni cęlorum &c. Animaduertis, quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum duabus his pollicitationibus reuelando, filium Dei ostendit. Namque Deus solus concedere potest peccatorum remissionem. Et vt futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus, impetu irrumpentibus, immobilis permaneat, cuius caput, & pastor, piscator homo, atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante [adamantis naturam firmitate superet. Ita & pater ad Hiere. dicebat.

Sicut Columnam ferream, & ficut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem gentium pater. Hunc autem vniuerso terrarum Orbi Christus præposuit. Collige huius viri Græci,& Orientalis Ecclesiæ antistitis sententias, quia futuræ Ecclesiæ pastorem constituit, & caput verticem Apostolorum, ridiculum est, quòd diuersarius in Lipsica disputatione cauillabatur, verticem non esse summitatem rei, cum in eo sensu certè locutus sit Chrisostomus, quia postea eum caput appellat. Nec vnius Ecclesiæ iudaicæ dicit præpositum, sed Orbi terrarum, nec humano consensu constitutum, sed à Christo, ita dedita quasi opera sanctus, & eruditus vir à Spiritu sancto edoctus, omnia diuersarij reiecit diuerticula, antequam per eum fuissent conficta.

Eiusdem porrò sententiæ est venerabilis Beda in Homilia super illo Euangelio, Matth. 16. Qui enim regnum cęlorum maiori dilectione præ cæteris confessus est, meritò præ cæteris collatis regni cęlestis clauibus donatus est, sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Videntur Petro prę cæteris claues traditas,& singulariter, licet in eo communis forma pastorum præponatur.

Alius Orientalis verba Domini etiam sic accepit. Beatus Cyrillus Alexandrinus lib. 11. super Ioann. cap. 12. Nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædicit, vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra, lapideque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam. Is ex nomine probat auspicatum super petram ædificandam Ecclesiam.

CAPVT V.

Super Petro ædificatam Ecclesiam adhuc probatur ex Leone, Gregorio, Maximo, Ignatio, Synodo octaua, & Chalcedonensi.

ET si prædicti Doctores cuilibet fideli sufficiant, vt videant literali intelligentia, super Petrum ædificatam à Domino Ecclesiam, quare iure diuinò obtinuerit Primatum Ecclesiæ, præstat tamen adhuc plures adducere, vt pateat quomodò omne verum vero consonet, & expressior est inter alios. B.Leo insignis, & celeber sacræ Scripturæ interpres,quiCanone primo(nam ex originalibus accepi, ne suspitio esset Gratianum errasse, qui reposuit eum distin. 19. cap. ità Dominus) scribit vniuersis Episcopis prouintiæ. Ità Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas, quæ ante legis, & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum,sed huius muneris sacramentum, ità Dominus voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod Ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo. (Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt æterni templi ædificatio, mirabili munere gratię Dei in Petri soliditate consisteret, verùm hanc petræ istius sanctissimam firmitatem, Deo ædificante,constructam, nimis vult impia præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere. Hæc S. Leo, cuius verba sunt ità aperta, vt grammatico satisfaciant lectori,in Petro potestatem hanc principaliter collocatam, & quòd à Petro in alios fluit, sicut à capite instituto Domini, quòd recedens à soliditate Petri,sit exors diuini mysterij, quòd ædificatio æterni templi est in soliditate Petri, quæ omnia significaut Petrum iure diuino primatum Ecclesiæ Dei obtinere. Hoc idem voluit B.Leo in sermone tertio, de anniuersario pontificiæ suæ assumptionis dic. Ego inquit dico tibi, hoc est sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ità & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, idest cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris,vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Idem repetit in sermone secundo de natiuitate Apostolorum, & infrà, propter quod dicitur Beatissimo Petro. Tibi dabo claues regni cęlorum. In Apostolos alios ius huiuscemodi potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes,huius decreti constitutio commeauit (subdit verba, quæ Beda repetijt) Sed non frustra vni commendatur,quod omnibus intimetur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis rectoribus forma Petri præponitur, manet itaque Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius æquitate fertur iudicium, hic superbiæ calcator Christianus Cicero, & sanctus eruditus Pontifex Leo apertissimè demonstrat,qua ratione Christus, qua Petrus petra existat.

Suffragatur prædictis beatus Gregorius in Moralibus astruens Petrum esse petram, & super eo ædificatam Ecclesiam, ait enim, quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse Dominus locum prohibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei faciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non agnoscit, de qua soliditate Dominus dicit. (Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.) Sola quippè est, per quam Dominus sacrificium accipiat libenter &c. Quòd si elaberis, quia Gregor. hic petram dicat soliditatem fidei, assentior libens, quoniam & Petrus est petra ob soliditatem, & indefectibilitatem fidei, de quo infrà latiùs, sed accipiamus alium locum minimè ambiguum, in epistola ad Mauritium Augustum, vbi de Petro loquitur. Ipsi dicitur. (Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claues regni cœlorum &c.) Ecce claues regni cœlestis accepit,

pote-

potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur, cura eius totius Ecclesiæ, & principatus committitur, hic rotundis verbis à Domino affirmat principatum totius Ecclesiæ Petro commissum. Gratianus quoque distinct. 11. præceptis, quamuis plura afferat ex Gregor. quę infrà non reticebimus. Huic tamen loco congruit, quod ibidem ait Gregorius de auctoritate Romanæ Ecclesiæ. Cuius auctoritas sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui noluerint ab Apostolicæ petræ, super quam Christus vniuersalem fundauit Ecclesiam, soliditate conuelli, pondera Apostolicæ petræ, & quod anulsus à Romana Ecclesia, conuellitur à soliditate Apostolicæ petræ, & quę est illa petra, nisi super quam Dominus ædificauit Ecclesiam suam.

Astipulatur S. Maximus in epistola missa orientalibus (quam tamen in originali non vidi, sed Guilh. Anglicus in opere scripto, contra Ioann. XXII. pro Ludouico Bauaro, eam citat) Omnes fines terræ, qui dominum syncerè receperunt, & vbique terrarum catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in solem respiciunt, ex ipso lumine catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt veritatem. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, domino reuelante, cum dixit. Tu es Christus filius Dei viui. Et infrà dicebat tantæ dignitatis, & sapientiæ virum non ab alio cœlestis mysterij archana requirere, nisi ab eo potissimùm, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui dominus ipse sua secreta dignatus est aperire. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Hunc enim præ cæteris mortalibus de toto orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterij principaliter possidendam tenere perpetuo priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquod, aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat, nec illi humiliter offerre, quod soluendum est, erubescat, etiamsi ipse, quod quæritur, non ignoret. Numquid enim Angelus de Cœlo veniens erat nescius docere Cornelium, quem videlicet id, quod sibi agendum esset, addisceret, destinauit ad Petrum, poterat planè sanctus Angelus docere hominem gentilem, quid sibi opus esset ad salutem, sed ei nolebat vsurpare officium, cui docendi fuerat commissum. Non Romanis, sed orientalibus scribit S. Maximus, cathedram magisterij in Ecclesia sancto Petro commissam, quam nec Angelus Domini volebat vsurpare in iussu Petri. Idem sanctus Maximus in sermone, quem habemus de sancto Petro, & Paulo incip. Gloriosissimos, sic ait. Hic est Petrus, cui Dominus sui nominis communionem libentèr indulsit, vbi enim sicut Apostolus docuit. Petra erat Christus, ità quòd per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam sicut in deserto Dominico sitiente populo, aqua fluxit de petra, ità vniuerso mundo perfidiæ, ariditate lassanti, de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit, conferret non nihil sacertimi Dionysij dictum cap. 7. parte 3. de Ecclesiastica hierarchia, sed mox ad Concilia sacra descendamus.

Reperi, & alios eis tenantantes.

Maximi.

1. Cor. 10.

Nemo nisi ferreus, & trunco stupidior, tantos patres negabit, verum vt nihil desit tantæ assertioni, ostendam hanc intelligentiam etiam sacris Concilijs non displicuisse. Nam in octaua synodo generali, actione prima in libello per omnes subscripto (qui fuerat Nicolai Papæ) continetur, prima salus est rectæ fidei regulam custodire, dein à constitutis Dei, & patrum nullatenus deuiare, & infrà. Non potest Domini nostri saluatoris sententia prætermitti dicentis. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur euentibus, quia in sede Apostolica, immaculata est semper obseruata religio, & sancta celebrata deuotio. Iste liber per Adrianum Papam fuit missus ad octauum Concilium Constantinopolitanum, & omnes se subscripserunt sub illa forma. Sequimur autem sanctam synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus (cui & ipse domine coangelicæ Summe Pontifex Adriane subscripsisti) ante sanctissimum Petri Apostolorum eximij corpus celebrauit, simul, & quam tu ibi ipse noper egisti, & omnia, quæ in his statuta sunt, secundum decreti vestri moderationem, venerabilitèr conseruabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati sunt. Vide sententiam tribus Concilijs probatam, scilicet duobus Romanis, & vno Constantinopolitano, quod fuit sub Basilio Imperatore, Constantino, & Leone filij August. miserat ad id Concilium Adrianus 2. Donatum Hostiensem Episcopum. Stephanum Ephesinum Episcopum, Marinum diaconum Romanæ Ecclesiæ, cum quibus perrexit Anastasius sedis Romanæ Bibliothecarius vtriusque linguæ peritus. Vndè Ignatius, qui contrà Photium in eodem Concilio fuit restitutus, ad Adrianum Papam scripsit. Solus ex toto omnium magister Deus, dicit Petro magno, & summo Apostolorum. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Tales enim beatas voces, non secundùm quamdam vtique sortem Apostolorum principi Petro, solum circumscripsit, & diffiniuit, sed per eum, & ad omnes, qui post illum ipsum efficiendi erant summi pastores, diuinissimique sacri Pontifices Romæ senioris, extendi voluit. Epistola huius sancti viri in Synodo, damnato Phorio, recepta est.

Alias effectibus.

Est præterea canon posteriorum Concilij Calcedonensis. Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat potestatem appellandi ad beatissimum Episcopum senioris Romæ, quem habemus Petrum, petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei, ius sit discernendi Episcopi infamiam secundum claues sibi à Deo datas. Aduerte hunc canonem in oriente conditum, appellationem Episcopi ad Romanum Pontificem admittentem, quia illic sit petra refugij, & quæ alia, nisi suprà quam Dominus ædificauit Ecclesiam suam.

Pont. Rom. est summus Græcorum testimonio.

CA-

CAPVT VI.

Ad idem Martyres, & Summi Pontifices inducuntur, Anacletus, Marcellus, Pius, Iulius, Gelasius, Symachus, Nicolaus, Leo XI. Germanus, Alexander II. cum Epilogo.

HAnc intelligentiam verborum Christi sancti Romani Pontifices tenuerunt non modò à quadringentis annis, vti diuersarius calumniatur, sed & antiquissimi martyres, non modò officio, sed omni vita, & conuersatione sanctissimi. Et in primis prodeat S. Papa, & martyr Anacletus IIII. post Petrum (ne de ambitione, & auaritia eum possis habere suspectum) licèt beatus Hieronymus in vita Ignatij scribat eum fuisse, III. à Petro de viris illustribus. Is Canone, XIIII. sic habet in originali. In nouo autem testamento post Christum Dominum, à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.] Hic ergo ligandi, soluendique potestatem priùs accepit à Domino, priusquam ad fidem populum virtutæ suæ prædicationis adduxit, repetit Gratianus cap. in nouo, dist. 21. qui, & alium refert eius Canonem sacrosancta distinct. 22. Sacro sancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & saluatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & infrà; prima sedes cœlesti beneficio est Romana Ecclesia, quam beatissimi Petrus, & Paulus martyrio consecrarunt, & infrà. Ergo hæc Apostolica sedes, cardo & caput Ecclesiarum, à Domino, & non ab alio est constituta. Sanctus Iuo Carnoten. lib. 4. Panormiæ refert hunc canonem ex 3. decretali Anacleti, sed breuiorem finit, quam Gratianus. Expressissimè hic Anacletus Ecclesiam super Petro ædificatam dicit, & primatum Ecclesiæ Romanæ à Domino tributum. Omni autem probabilitate caret, quòd viri sancti, studiosi, & literati, Deo pleni, sacrarum literarum indagatores diligentissimi, qui cum beato Petro, & alijs Apostolis, ac Apostolorum discipulis fuerunt conuersati, & prædictorum verborum Christi intellectum ab ipsis non didicissent, & præsertim cum intellectus ille fuerit necessarius fidelibus, vt scirent cui obedire deberent, tanquam summo Ecclesiæ prælato.

Porro sanctus Marcellus Papa, & Martyr vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis in decretali incipiente, sollicitudinem omnium, ait. Rogamus vos fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro, & reliquis Apostolis, & patribus accepistis. Ipse enim est caput Ecclesiæ totius, cui ait Dominus. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est. Si verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est, quæ eius non sit subiecta ditioni, nec ab eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora negotia Ecclesiastica, diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principia, sanctus martyr per illa verba probat caput totius Ecclesiæ fuisse Petrum, sedem iussu Dei ab Antiochia transtulisse Romam, omnes Ecclesias esse subiectas Romanæ, quæ affatim nostra probant, Gratianus transcripsit XXIIII. qu. 1. rogamus.

Sanctus Iulius inuocatus à sancto Athanasio Alexandrino, pro eius defensione scripsit orientalibus Episcopis, decuerat vos aduersùs sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam limatè, & non ironicè loqui, quoniam, & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decentèr allocutus, ait. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, habet enim potestatem singulari priuilegio sibi concessam aperire, & claudere ianuas regni cœlestis, quibus voluerit. Nam si ei detrahere, quæ Domini ore sacrata, atque desuper exaltata est, non timuistis, nec mirùm si fratribus irrogare iniurias minimè cessatis, & alia epistola ad eosdem ait. Ipsa omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodo canonum, & sanctorum patrum decretis, sed Domini saluatoris nostri voce, singularem obtinuit principatum. [Tu es inquiens Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Pius Papa scribit omnibus Ecclesijs, capit. 1. posteaquàm ostendit, quomodò Pascha Dominico die celebrare debeat, subdit. Instruimus vos auctoritate Apostolica, omnes eadem seruare debere, quia & nos seruamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere. Christus enim hanc Apostolicam sedem omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente principi Apostolorum Petro. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Sanctus Papa ex hoc loco Matt. 16. probat Romanam Ecclesiam caput aliarum, non credes tam sancto martyri, qui fuit 10. à Petro?

Voluit Gelasius Papa Canone 4. Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia, phas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, & infrà. Et hoc nimirùm pro suo principatu, quem beatus Apostolus Petrus Domini voce tenuit semper, & tenebit, legitur apud Gratianum, cap. Cuncta, 9. qu. 3. Et canone primo. Quamuis vniuersæ terræ per orbem catholicæ, & Apostolicæ constituræ Ecclesiæ, vnus thalamus Christi sit, tamen sancta Romana Ecclesia, & catholica, nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & saluatoris nostri primatum obtinuit. [Tu es inquiens Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Nihil his verbis rotundius, à Domino obtinuit Roma primatum

tum per hoc. Tu es Petrus &c. Renarrat illum Gratianus dist. quamuis licèt falsò sub titulo Pelagij, quem errorem etiam diuersarius secutus est, etenim meliora non habet, nec legit originalia, nec vidit.

Symachus Canone 4. Posteaquàm docuit Romanum Pontificem à solo Deo iudicari, & aliquis responderet, etiam omnes homines iudicio subesse diuino, subdit. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & quæcumque solueritis super terram, erunt & soluta in cœlo, & rursùm, patet sanctorum voce Pontificum, dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi, quicquid fidelium est, vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de hac mihi per Prophetam dictum videtur. Si hæc humiliatur, ad cuius fugietis auxilium, & vbi relinquitis gloriam vestram? Attende ò Lutherane Romanæ Ecclesiæ contemptor, & humiliator, vbi relinquis gloriam tuam, si hæc humiliabitur, quæ est caput totius corporis Christiani. Cui omnes fideles submittuntur? Gratianus refert 9. qu. 3. aliorum.

Esai. 10.

Nicolaus I. Papa idem manifestissime testatur, scribens Mediolanensibus. Illam verò solus ipse fundauit (inquit) & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cœlum, & terra, per quod denique condita sunt omnia elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium est, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit, qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur: Hic procul dubio in hæresim labitur, & cum ille vocetur iniustus, hic est dicendus hæreticus. Videat aduersarius tanti Pontificis sententia, se hæreticum esse, & contrà fidem, qui ante 600. annos computruit. Intendit enim quòd, qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium conatur auferre, asserendo videlicèt Papam non esse prælatum omnium Christianorum, hæreticus est, quia incidit in assertionem erroneam, quæ sapit hæresim manifestam, quia ex ipsa, & quibusdam veris, quæ nulla possunt tergiuersatione negari, sequitur hæresis manifesta, videlicèt, quod beatus Petrus non fuit à Christo omnibus fidelibus prælatus.

Leo nonus Papa Germanus in libro, quem contrà Michaelem Constantinopolitanum fecit cap. 7. ait. Talitèr sancta Ecclesia supra petram, idest Christum, & supra Petrum Cepham filium Ioannis, qui primò Symon dicebatur, ædificata est, quod inferi portæ, disputationibus scilicet hæreticorum, qui vanos ad interitum ducunt, nullatenùs foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcumque vera sunt, portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, cuius promissionis effectum se præcibus impetrasse à patre, ipse filius protestatur. Dicendo ad Petrum, Symon ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est, posse, audeat in aliquo vanam putare? Nonne à sede principis Apostolorum, Romana, videlicèt Ecclesia, tàm per eumdem Petrum, quàm per successores suos reprobata, conuicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ nec defecit, nec vmquam deficiet sunt confirmata? Hæc Leo, vbi inspice Ecclesiam esse ædificatam super Christo, & Petro. Christo vt Domino, Petro velut eius Vicario.

Lucæ 22.

Postremò accedat Alexander secundus. Relatum est inquit, ad huius sanctæ, & Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum, ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput. Ipso dicente. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et in alio canone. Cum omnibus discipulis parem ligandi, atque soluendi potestatem Dominus daret. Petro pro omnibus, & præ omnibus, claues regni cœlorum se daturum promisit, quicumque ergo ab vnitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, execrare potest, consecrare non potest, primum renarrat post Iuonem, Gratianus XI. qu. 1. relatum, alterum in cap. audiuimus, 24. qu. 1.

Cùm ergo verba Euangelij sint apertissima, qua Christus post confessionem Petri tanta est ei pollicitus, verissimus promissorum redditor inquiens. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & Petrum esse hanc petram, super qua ædificata est Ecclesia, admittant, & affirment sanctus Cyprianus, Hieronymus, Glossa ordinaria. Origenes, Augustinus, Ambrosius, Hylarius. Chrysost. Beda, Leo, Cyrillus, Gregor. & Maximus, qui viri spiritu sancto pleni, nobis succum, & latentem in sacra scriptura spiritum exhibuerunt, quique eorum doctrina, vniuersam irrigauerunt Ecclesiam, ad quorum mentem, sacras literas interpretari debemus, iuxtà illud Clementis, perlatum est nobis, quod quidam in partibus vestris commorantes, sanis doctrinis aduersantur, & prout videtur, non secundum traditionem patrum, sed iuxtà suum sensum docere videntur, & infrà. Ideò oportet scientiam ab eo discere scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscipit, competentèr asserere, & est Canon. vlt. Clementis, renarrat eum Gratianus, cap. relatum dist. 37. Vndè si etiam non esset simplicitèr necessarium eis credere, tamen horribilis, & omninò stulta est temeritas, ipsis contradicere, maximè absque infallibili ratione, quæ etiam intelligentes viros apertè conuinceret, cùm viris fide dignis omni exceptione maioribus credendum sit, plus, quàm vni arroganti fratri, accedit tantæ doctorum illuminationi, & eruditæ interpraetationi, grandis Conciliorum, & summorum Pontificum auctoritas, vt nec auctoritas doctrinæ desit, nec doctrina auctoritati. Nam hi non acceperunt has interpraetationes à se, sed à scriptura intellecta, vt eam intellexerunt Apostoli, qui intellectus ab ipsis Apostolis vsque ad hos illuminatis-

Epilogus huius particulæ.

natissimos viros, ſeriè tractatorum, & ſcriptorum Catholicorum ſibimet ſuccedentium, & aſſerentium peruenit, quorum inuictam ſecuti ſententiam, concludamus, hunc locum Matth. 16. verborum Chriſti, benè probare Petrum conſtitutum ſundamentum omnium fidelium, & totius Eccleſiæ.

CAPVT VII.

Obiectiones Lutheri Quatuor Petrum Matth. 16. non fuiſſe petram, ſed Eccleſiam.

Ratio diuerſarij prima.

HVic tam receptæ ſententiæ, pluribus refragati ſunt olim Eccleſię Romanę hoſtes, & modo Lutherus, qui exiſtimet his verbis nullam fieri, aut promitti Petro prærogatiuam, cuius cauillos planè ſophiſticos, & ſeductorios, vt diluamus oportet. Conatur autem hoc ex verbis Chriſti hoc pacto euincere. Dicit enim Euangeliſta. Venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogauit diſcipulos ſuos. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? &c. Vbi ſignificanter beati Hieronymi dictum obſeruat, aliter Chriſtum interrogaſſe de ſe, quando hominum, aliter, quando Apoſtolorum ſententiam quęſiuit, illos vocàt homines. Hos autem Deos eſſe ſignificat, deindè de hominibus quęrens, filium hominis ſe appellat, velut vago nomine. At Apoſtolos quærens, me inquit, certam & ſingularem perſonam monſtrans. Atque vbi de hominibus quærit, nullus deſignatus Apoſtolus reſpondet, ad ſignificandum, quòd ſine nomine ſunt, qui indigna de filio Dei ſentiunt. Quibus adde, & hoc, quòd opiniones inconſtantes ſunt hominum de Chriſto. At vbi Apoſtolos de ſe interrogat, ibi ſignatus vnus certus reſpondet, & conſtantem abſoluit, & pronunciat fidei confeſſionem, vt veram Chriſti cognitionem, in vnitate, & firmitate conſiſtere, quam non multorum opinionibus velut arundinem agitari doceret. Vides ergo adhuc nihil proprium ad Petrum pertinere, niſi quod communne organum eſt omnium Apoſtolorum.

Ratio 2.

Iam illud vide quod, & à laicis obſeruatum didici (eſt enim etiam in laicis ſpiritus Chriſti) verbum hoc Chriſti non poſſe ad ſolum Petrum dictum intelligi. Quia Dominus non ſolum Petrum, ſed omnes Apoſtolos requiſiuit, dicens. Vos autem quem me eſſe dicitis? non dixit. Tu petre quem me eſſe dicis? Niſi ergo per Petrum, omnes diſcipuli reſpondiſſent, certi diſcipuli non fuiſſent, nec magiſtrum audiſſent, nec ſatisfeciſſent interroganti, quod eſt impium de Apoſtolis ſentire, relinquitur ergo, quod Chriſtus reſponſum Petri acceptauit, non pro ſolo Petro, ſed pro toto collegio Apoſtolorum, & diſcipulorum, alioquin & alios quoque interrogaſſet denuò.

3 Ratio.

Ex quibus vlterius ſequitur. Quòd ſicut, Chriſtus perſonam reſpondentis Petri pro omnibus acceptat. Ità ſequenter quoque non ſolum ad Petrum, ſed ad omnes, quorum perſona Petrus loquitur, dicit. Tu es Petrus, tibi dabo claues &c. Alioquin ſcriptura non rectè intelligitur, niſi præcedentia, & ſequentia rectè conferantur, atque vt hoc eo ſit certius, non ſoli Petro à Chriſto aliquid eſſe dictum, exponit ſeipſum Chriſtus cui loquatur, & cui tradat claues, dicens. Beatus es Simon Bariona, caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Obſecro, quid hic poteſt contrà, vel fingi? quid apertius dici, quàm quod Petrus in hac perſona non eſt Petrus, non eſt caro, vel ſanguis. Sed eſt is, cui reuelat pater, omninò Petrus extrà hominem ponitur, & iam non eſt vlla perſona per ſe, ſed reuelantis patris auditor. Non Simon Bariona, hæc reſpondet. Non caro, & ſanguis, ſed reuelationis paternę auditor, poteſt ne hic calumniator vllus, verbum Chriſti ad Petrum hominem torquere? quid ergo? is, qui auditor eſt paternæ reuelationis, huic dantur claues, non Petro, non filio Ioannis, non carni, & ſanguini, quod ſi ità eſt, primum iam ſequitur, quod de nullo homine priuato certi ſumus, habeat, nec ne reuelationem patris. Eccleſia autem ipſa eſt, de qua dubitari non licèt, cum ſit corpus Chriſti, vna caro, eodem ſpiritu viuens, quo Chriſtus. Ipſa eſt Petrus ille auditor reuelationis paternæ, & acceptor clauium, quia hic Symbolum ſtat firmiter. Credo Eccleſiam ſanctam, communionem ſanctorum. Non vt aliqui iam ſomniant. Credo Eccleſiam ſanctam, eſſe prælatum vel aliud quod fingunt. Totus mundus confitetur ſeſe credere Eccleſiam ſanctam Catholicam non aliud eſſe, quàm communionem ſanctorum. Vndè, & antiquitus, articulus ille, ſanctorum communionem, non orabatur, vt ex Ruffini Symbolo expoſito, videre licèt, ſed gloſſa aliqua forte, Eccleſiam ſanctam expoſuit communionem ſanctorum, quod ſucceſſu temporum in textum relatum, nunc ſimul oratur. Sed neceſſarium, & optabiliſſimum factum propter eos, qui Eccleſiam hodiè quiduis vocant, quàm communionem ſanctorum. Hæc Lutheri obiectio, ſeriè verborum fidelitet recitata.

Probatio rationis

Illatio aduerſarij ſophiſtica.

4. Ratio.

CAPVT VIII.

Quod Eccleſia non primò accepit claues, ſed Petrus, aliqua tamen ratione Eccleſia dicitur has accepiſſe.

ET ſi inducta illa faſtuosè, & arrogantèr, nihil omninò faciant ad Euangelicam ſententiam, demptis Hieron. verbis, quæ re ſententiam ſuperiùs firmatam, minimè infirmant, velut docti hos cauillos inanes ante plura ſæcula lucnlentiſſimè reiecerunt, at ne indocti, & ſimplices, fucatis iſtis verborum phaleris, quæ nihil, niſi errorem ſpirant, & hæreſim, decipiantur, præſtat illa refellere. Et primò ſummam obiectionis deſpiciamus; eſt enim intentio ſua claues eſſe datas Eccleſiæ, non perſonæ Petri, nec vlli homini priuato, quam blaſphemam, & hæreticam ſententiam primò iugulabimus, dein obiectamenta Lutherana ex ordine diluemus. Totum ergo inductionis fundamentum falſum eſſe, his comprobatur. Quoniam cum dicit claues traditas Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, vel intel-

intelligit datas ei claues, sic vt singulis membris eius, maximè iustis, quod error est impijssimus, & intolerabilis, cum sic laici iusti, & mulieres haberent claues, ius soluendi, & ligandi in foro pœnitentiæ. Hæc enim potestas non nisi presbyteris data est, sic beatus Ambrosius libro de pœnitentia, ait. Ius ligandi, atque soluendi solis sacerdotibus est permissum, & glos. Matth. 16. dicit, datæ sunt claues omni Ecclesiæ in Episcopis, & presbyteris. Nam & veteris legis sacerdotes soli iudicabant inter lepram, & non lepram Leuit. 13. & Deuter. 17. Quare & Dominus leproso præcepit Matth. 8. Vade, & ostende te sacerdotibus, quòd & decem leprosis mandauit Lucæ 17. Ite, & ostendite vos sacerdotibus. Vndè dicere laicos habere claues cœli, & ius soluendi, atque ligandi, est subuertere totum ordinem hierarchicum Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, & omnia confusioni exponere, ac temeritari, an ità desipiat aduersarius, non habeo omninò compertum, tamen videbatur ità dicere in sermone ad populum in arce Lipsensi in principis Georgij absentia, quemlibet paternæ reuelationis auditorem habere istas claues, demonstrando astantes, tu si es iustus habes claues, ob quod & alia malè sonantia eiusdem sermonis, motus fui pro amore veritatis catholicæ facere Lipsensi populo sermones aliquot ad errores illos conuellendos. Si verò dicat claues datas vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati, & sic omnibus membris coniunctim, & tunc sacerdotium, ac omnes sacri ordines abijssent, plus quàm in Anaxagorem Chaos, sed rectè Chorebo stultior iudicatur, quisquis temeraria præsumptione ità exorbitanter sentire ausus fuerit. In Apostolos insufflauit Christus dans ei potestatem hanc, non in quemlibet de plebe. Vndè solus sacerdos est idoneus minister pœnitentiæ sacramenti, & ità cùm Ecclesia duos complectatur ordines, laicos scilicèt, & clericos; vt Beda ait super Lucam, quasi duo latera vnius corporis, certè vnum latus laicorum omninò claues non habet, quòd si claues habent laici, non erunt denegandæ mulieribus, quæ sunt deuotus sexus secundùm Gregorium, sed tunc obstat tibi Apostolus 1. Cor. 14. Mulieres in Ecclesia taceant; non enim eis permittitur loqui, sed subditas esse, verum est, quod damnatæ memoriæ Hieronymus Pragen. ità prædicauit, & docuit, licere laicis iustis etiam missam celebrare, consecrare, absoluere, prædicare, sicut ipse in sacris ordinibus non constitutus, in habitu laici, & prolixa barba prædicauit in sacello Bethleem Pragæ, vt in plenis, & authenticis actis Concilij Constant. in articulis per Dominum Henricum de Pyro contra eum propositis pleniùs continetur. Sic impij, & damnati homines Walden. volentes eneruare totam potestatem Ecclesiasticam, asseruerunt singulos bonos homines habere claues, siue potestatem absoluendi, & ligandi. Relinquitur ergo velut error perniciosissimus, & condemnatus, quare eius improbationi non est diutiùs inuigilandum, vt de nouo condemnetur, Iuxtà beatissimi Gelasij decretum. Maiores, inquit, nostri diuina inspiratione cernentes necessariò præcauerunt, vt quòd contrà vnamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei communione, & veritate catholica, & Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinalitèr fuerunt statura pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac paritèr errore damnato, sufficere iudicauerunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, sic Sabellium damnauit Synodus, nec fuit necesse, vt eius successores postea damnarentur, sed pro tenore constitutionis antiquæ, qui vel prauitatis illius, vel communionis extiterint participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic Arrium, sic & Eunomium, Macedonium, Nestorium, Synodus semel gesta condemnans vlterius ad noua Concilia venire non sinit, & est Canon 3. scriptus vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis, transcripsit Gratianus cap. maiores 24. q. 1. Cùm ergo error iste sæpè damnatus sit per antiquos, vt in procursu aperiemus, & nouissimè per Ioann. XXII. In Concilio Auinion. per Bonifacium VIII. per Concilium Romanum, per laudabilissimum Constantiense Concilium, ideò non esset, nisi propter simplices diutiùs in hac materia insistendum.

Dimissa igitur sententia reprobata, amplectamur veritatem, quia cum Ecclesia sit vna, & vnum mysticum corpus Christi, sicut Apostolus ait, ad Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra, & expressius hoc descripsit 1. Cor. 12. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ità & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, & infrà. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Nam corpus non est vnum membrum, sed multa. Simile dicit ad Ephes. 1. de Domino. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus, adimpletur, cùm concordia propter hanc autem Ecclesiæ vnitatem corporis mystici, Ecclesia dicitur habere, quod singularitèr habent prælati, claues & plenitudinem potestatis, sicut Germani dicuntur habere Imperium, licèt vnus solus in sua persona sit Imperator gloriosissimus Carolus V. Austriacus, quare Ecclesia dicitur recipere, facere & operari, quæ officialia Ecclesiæ membra, aut vnum eorum principale, recipiunt, exercent, vel faciunt, quod & in denominationibus corporum naturalium liquet, quibus corpus mysticum assimilatur, quia in illis pars communicat suam denominationem concretiuam toti.

Ità ergo claues datæ sunt toti Ecclesiæ, quia datæ sunt sacerdotibus, & prælatis in Ecclesia, sicut liquet ex gloss. ordin. hoc cap. iam allegato, & ex glos. super Psal. 17. Attende regulam vnitatis & capitis, & corporis, quasi enim vna persona est caput, & corpus. Ideòque vna voce vtitur capite cum membris, licèt ea, quæ dicuntur, ad diuersa referantur. Quòd si vis consumatissimam habere rationem candide, & catholice lector. Hanc intuere radicem, Ecclesia non ordinatur

in

in Papam, velut in finem, sed potiùs contra, Papa in Ecclesiam ordinatur, quia Ecclesia non est propter Papam, sed Papa propter Ecclesiam. Ideò quod Papa accipit à Domino pro officio suo, hoc accipit propter Ecclesiam, licèt hoc fiat in sua persona, modò finis imponit denominationem operi, ideò claues, licèt dentur Papæ, tamen dicuntur dari Ecclesiæ, quia Ecclesia est finis huius dationis, vt sim clarior volo dicere, quòd qui claues acceperunt, non acceperunt in proprium commodum, sed in communem vtilitatem Ecclesiæ, & licèt S. Petrus, vt homo ab alijs distinctus, pro se singularitèr, & successoribus acceperit plenitudinem potestatis, & claues, tamen non in rem priuatam, sed in commodum totius Ecclesiæ, & omnium fidelium, hoc ius ligandi, & soluendi acceperit. Sancto enim Petro data est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ ad ædificationem sanctæ Ecclesiæ, iuxtà Apostolum 2. Corinth. 10. de potestate, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, non in destructionem. Vndè licèt nullus laicus in se recipiat Ecclesiasticas claues, tamen sacerdos pro se, & alijs recipit, cum in eorum vtilitatem claues vertantur, eos absoluendo.

Hinc euenit, vt plura, quæ Petro, & alijs Apostolis sint dicta, ad successores pertineant: velut Augus. in epist. ad Esitium, quæ est 80. in Euangelio secundùm Marcum scriptum est cap. 13. Vigilate ergo, quia nescitis quando Dominus domus veniat, serò an media nocte? an galli cantu, aut manè? ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes, quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Quibus enim omnibus dicit, nisi electis, & dilectis suis ad corpus eius pertinentibus, quod est Ecclesia, & infrà. Non itaque sic dictum est Apostolis: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria vsque in extremum terræ, tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantùm munus fuerint impleturi, sed sicut eis solis videtur dixisse, quod dixit. Ecce ego vobiscum sum, vsque in consummationem sæculi, quod tamen eum vniuersę Ecclesiæ promisisse, quę alijs morientibus, alijs nascentibus hic vsque in sęculi consummationem futura est, quis non intelligit? Sic ergo propter vnitatem Ecclesiæ, ipsa dicitur accipere, & exercere ea, quę ministri eius prælati in ea accipiunt, & exercent, quodque in totius Ecclesię vtilitatem perueniat, non oportet diù immorari de clauibus Ecclesiæ datis collectim, quoniam omnis prudens satis intelligit Ecclesiam vniuersam non congregandam pro alienius absolutione, vel ligatione.

CAPVT IX.

Petrus gessit personam Ecclesiæ. Vndè multa ad eum dicta pertinent ad successores.

His sanè intellectis, facilè liquet, quomodo Apostoli, imò tota Ecclesia claues receperit in persona Petri, quo ad plenitudinem potestatis. Vndè in alios Ecclesiæ prælatos deindè deriuatur, velut fluuius per multos deducitur riuulos, teste Cypriano superiùs inducto de simplicitate prælatorum, exordium ab vnitate proficiscitur, vt vnitas Ecclesiæ monstretur, sic Petrus non in priuatum commodum, sed vt futurus prælatus Ecclesiæ claues accepit, & per eum Ecclesia. Sic intelligendus est Aug. Psal. cap. 8. perperam ab aduersario inductus. Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est. Tibi dabo claues regni cęlorum, & si qua huiusmodi. Ita Iudas personam sustinet quodammodo inimicorum Christi &c. Vides quòd claues Ecclesiæ in persona Petri datas asserit, hæc Luther. vtere isto dicto, & verum inuenies. His enim verbis primatum Petri astruit, & hanc ponit rationem, cur personam Ecclesiæ gesserit, dein Ecclesiam recepisse in personam Petri claues, & cut hoc non fateris, personam Petri accepisse claues nobiscum, licèt claues ordinatæ sint in vtilitatem Ecclesiæ, & vlteriùs in ęternam beatitudinem, ad quam fideles per pastorem sunt dirigendi. Hæc est vera, & Germana Augustini sententia, sic Chrysostomus voluit, Petrum os Apostolorum vice omnium respondisse, sic B. Hieronymus dicit, Petrum ex persona omnium Apostolorum confessum. Tu es Christus filius Dei viui, hoc patet ex verbis superiùs allegatis super Ioan. tract. 124. Nam quia primatum tenuit, ideò gessit personam Ecclesiæ, & aperriùs idem in homilia super Matt. 14. ait, iussit discipulos suos Iesus ascendere in nauiculam, admonet nos intelligere mare esse præsens sæculum, Petrum verò Apostolum Ecclesiæ vnicæ typum. Ipse enim Petrus in ordine Apostolorum primus, in fide promptissimus, sæpè vnus respondet pro omnibus. Ipse denique Domino Iesu Christo requirenti, quemnam dicerent eum homines esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursùmque Domino dicente, & interrogante, vos autem quem me esse dicitis. Resp. Petrus. Tu es Christus filius Dei viui, vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis, & infrà. Idè ergo Petrus à petra cognominatus Beatus Ecclesiæ figurã portans, Apostolatus principatũ tenens, iam quisque, nisi trunco stupidior, intelligit, qua ratione Petrus personam gesserit Ecclesiæ, quia primatum habuit Ecclesiæ, quod diuersarius improbare nititur, cùm per hoc maximè probet, & quomodo Ecclesia accipiat, præcedenti capitulo exposuimus. Vndè Augustini sententia. Petrus gessit personam Ecclesiæ, quia tenuit primatum in Apostolis, si ergò Augustini sententia per Lutherum adducta, Petrus habuit primatum in Apostolis, certè à fortiori habuit primatum super alios fideles, & sic super tota Ecclesia. Verùm est ergo Petrum in sua persona accepisse claues, licèt pro tota Ecclesia, sicut iam de Summo Pontifice sentio. Non tamen me præterit, pleraque esse dicta Petro, vt de Ecclesia nequeant intelligi, sed ea volo referri in Ecclesiam, quæ pertinebant ad officium prælationis, doctrinam veritatis, vel ad tolerantiam passionum. Sic pleraque fateor, non haberent illustrem intellectum, si solum de-

persona Petri intelligerentur, & non ad successores eius per totam Ecclesiæ decursum referantur, quia cum August. in locis suprà citatis, dicat Petrum accepisse claues, quia gessit personam Ecclesiæ, & gessit personam Ecclesiæ, quia primatum habuit in Apostolis, satis innuit August. quòd non soli personæ Petri data sit talis potestas, sed officio suo, perpetuò in Ecclesia duraturo, quod est officium Vicariatus Christi, officium capitis ministerialis, quod influere habet in omnia membra, quod voluit Leo suprà allegatus. Ita Dominus Petro tribuit potestatem, quòd ab ipso in totum corpus deriuaretur.

Sic conuenit vnitatem, non vnum claues accepisse, sic conuenit, quod August. dixit de Agone Christiano. Non sine causa inter Apostolos Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ claues datæ sunt, cum Petro datæ sunt? & lib. 1. de doctrina christiana cap. 17. has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ &c. Nam his verbis non vult communitatem popularem, hanc recepisse potestatem, sed quia dum Christus summo præfato Ecclesiæ contulit claues, Ecclesiæ quoque, ad cuius vtilitatem dantur, collatæ censentur. Ideò Dominus Gerson, ait. Claues sunt datæ non vni, se vnitati, scilicèt finaliter, quoniam claues sunt datæ propter Ecclesiam, & vnitatem eius; tanquam propter finem. Hanc nimirùm intelligentiam exponit clarissimè August. in quæst. noui, & veteris testam. quæst. 75. dicens, sicut in saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & in Petro post saluatorem omnes continentur, quid expressius dici poterat per sanctum Patrem, omnes causas magisterij in Petro contineri post saluatorem, itàque, & Apostolorum, quòd si Apostolorum magisteria in Petro continentur, quantò magis aliorum fidelium. Prædicta omnia confirmat August. in sermone de transitu. Quàm conuenienter petra Petro respondit. Et ego dico tibi, Tu es Petrus &c. quasi diceret super me ædifi.te, qui figuram getis eius Ecclesię, quę in te ædificatur super me, quod dictum, si profundè, & eruditè expenderet Luther, videret omnia sua fundamenta corruere, & quòd ipse contendit probare super Christum ædificatam Ecclesiam, quod est verissimum, non repugnare huic, quòd & suprà Petrum sit ædificata, quod nescio, quia hebetudine correptus, diuersarius non intelligit, ait August. multum luculentèr, & Petrum, & Ecclesiam ædificari super Christo, quo non attento, etiam in Petro ædificari Ecclesiam super Christo, tanquam fundamento primario.

Quod ergò singulariter personæ Petri dictum sit à Christo, liquet ex SS. Patribus superius adductis, aliquibus eorum expressè hoc affirmantibus, vt Leone, Beda, alijs hoc idem significantibus, dictis eorum benè ponderatis, & præter superius allegata abundè probat August. in sermone de Apost. Petro, & Paulo dicens. Hic est Petrus in illa discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens, interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator, & ideò solus inter Apostolos meruit audire. Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. His acutissimè perpensis, manifestum fit, quam inania sint diuersarij tela, vacuo verborum sonitu crepitantia, cæterùm quæ nihil enincant ad peruersissimi erroris stabilimentum.

CAPVT X.

Tres rationes diuersarij ex cap. 7. diluuntur, & plures absurditates eius, & errores manifestantur.

Non tamen erit superuacaneum, si sigillatim responderimus ad torsiones Lutheranas, quibus sacram Scripturam miserè lacerat, ne glorietur (vt huiusmodi genus hominum gloriæ est cupidissimum) eas saluas, & incolumes transiisse. Primò itàque cum post sanctos Patres ponderat aliter Christum interrogasse de se, quando hominũ, aliter quando Apostolorum sententiam quæsiuit, recipimus, quippè quod institutum nostrum nec promoueat, nec impediat. Nam Beatus Hieronymus, qui hoc dicit, statim in eodem capite, inquit, ædificabo Ecclesiam meam super te, inquit Christus. Non ergò hoc assumptum nobis refragatur, nisi dixeris B. Hieronymum mox pugnantia, & contradictoria in eodem capite dixisse, at quod de suo fermento addit. Vides ergo adhuc nihil propriè pertinere ad Petrum, nisi quòd commune organum est omnium Apostolorum. Illud inquam, tanquam figmentum diuersarij non acceptamus, quia sanctis Patribus adductis aduersum, nam ob synceram illam fidei confessionem, qua S. Petrus præsilijt, secundum Chrysostomum, ei singulariter potestas commendatur, secundum Leonem, & ei soli dicitur. Tu es Petrus, secundum Augustinum, vt hos heroes audiuimus. Ratio 1. diuersarij diluitur.

Porrò, quod & à laicis obseruatum didicit verbum hoc Christi, ad Petrum non posse pertinere, dico si Luther est talis doctor, qui discit sacram Scripturam a laicis, non mirùm est quòd tales infęlices edit partus errorum, præterea tacentibus etiam laicis hoc nobis ex Euangelio constat omnes Apostolos interrogatos, sed ex eodem liquet solum Petrum præsilijsse, & respondisse ex fidei, & deuotionis ardore, & primò, ac singulariter testatus fuisse confessum, esse filium Dei viui, cui volens Christus pro tanta confessione aliquid notabile reconpensare, Respondit beatus es Symon Bariona &c. sic Hieron. ait. Testimonio de se Apostoli reddit vicem, & laici hoc non ignorant, Petrum ob fidei deuotionem, & ardorem dilectionem alios respondendo præuenisse, quòd si cæteri (velut in cęna dominica) postetius responderint, vel ne ex Euangelio non liquet, quia Matth. 15. Marc. 8. Luc. 9. Ioan. 6. vbi huius interrogationis meminerunt, hoc nullibi exprimitur, licèt multa sint facta, quæ non sunt scripta, aut quòd fuerint contenti responsione Petri, quòd & Christus non videtur aliorum expectasse sententiam, sed mox ad Petrum conuersus, alios præoccupans dixerit. Beatus es Symon Barjona &c. Enervatur 2. ratio.

Iam sequitur falsum esse, quòd Christus responsum Petri acceperit pro toto collegio Apo- Ratio 3. infringitur.

Apostolorum, & discipulorum, nam tunc omnibus dixisset. Tu es Petrus, super te Ecclesiam, tibi dabo claues, cum hæc singulariter ad Petrum pertineant, velut futurum Ecclesiæ Pastorem secundum Chrysostomum, & alios, non enim aliàs in isto numero, sed pluratiuo fuisset locutus, sicut vno Petro interrogante, Matth. 19. Respondit omnibus Apostolis. Amen dico vobis, qui reliquistis omnia, & secuti estis me &c. quod liquet ex toto Euangelio, quomodo vno interrogante sæpè responderit omnibus? Hic verbo non fit, quia oratio singulariter ad personam Petri, gemino eius, & patris quoque expresso nomine, vt distinctissimè eum descripserit, licèt hæc ad eum dixerit, vt futuram publicam Ecclesiæ personam.

Sed rem incredibilem proponit Luther, fortè insensatum sperans futurum lectorem, nam citra omnem apparentiam asserit Christum ad omnes Apostolos dixisse. Tu es Petrus, tibi dabo &c. quid enim vnquam absurdius dici poterat, an ue ad Iudam, qui tunc aderat Apostolus, dixit. Tu es Petrus. & quomodo ad vniuersos, vel singulos dictum potes cogitare, cum tam distinctè dicat. Ego dico tibi. Tu es, tibi dabo, quoniam iuxta Chrys. Leonem, & alios tam synceræ confessioni, statim rependit beneficium, vndè referre illa verba ad omnes Apostolos, more Lutherano, est textum, & sensum sacri Euangelij, & verborum Christi corrumpere, & lacerare. Nec sic præcedentia idoneè conferuntur sequentibus, sed miserè distinguntur. Apostolos enim pluraliter alloquebatur, vos autem, quem me esse dicitis, vos autem dixi amicos, reges dominantur, vos autem non sic. Amen dico vobis, quando nisi vos. Omnes vos scandalum patiemini. Sic ergò vos orabitis; quicumque non receperit vos, vos autem contristabimini, vobis datum est nosse mysteria &c. cum alijs infinitis quasi, ideò omni habenti igniculum rationis, liquet diuersarium oblitum suæ grammaticæ Theologiæ, quòd dum vni Christus dixit. Tibi, tu, tibi, quod omnibus præsentibus vult adaptare. Imò omnibus, qui futuri erant in Ecclesia Dei. sic tractantur sacræ literæ, cum quis neglecta veterum diligentia, proprio ingenio, pro suo arbitrio, eas vertere, & inuertere nititur, dat enim Deus scrutatores quasi non fine, Esa. 40.

Iam seipsum, vt arbitror, puerile prodit commentum, quod sequitur. Quia exponat seipsum Christus, cui loquatur dicens. Beatus es Simon Bariona, crepat hic miris verborum pompis diuersarius, quasi certius quippiam allaturus, audet verbis ornare munuscula, cum in re nihil suffragetur, & adeò classicum intonat, more puerorum dum muscas fugitant, vt oret etiam quid possit contrà fingi, vel dici, quia Petrus hic non sit Petrus, non sit caro, vel sanguis.

Sed hic est Luthere, qui tibi etiam non rogatus respondet, quem malles (scio) tacere aliud autem suadet veritas, & zelus fidei. Age dic, vndè tibi delirium istud venit in mentem? ex grammatica tua, quam profiteris Theologia, vt dicas Petrum, hic non esse Petrum, cùm tam signatè, & distinctè (vt suprà meminimus) Christus illum ipsum Petrum piscatorem illum ipsissimum (vt ità loquar) expresserit, & antiquum reuocando nomen Symon, cuius esset filius explicando, ne de Symone dubitari posset, quia Bariona, nouum item addidit nomen Petrus, & vt omninò coartaret, ac constringeret sermonem ad quem dirigeret addidit pronomina distincta. Tibi, tu, tibi, vt accuratissimè Christus videatur data opera (contra Lutherana commenta) ipsam personam Petri significare ab alijs Apostolis discretam, sed quibus firmat, hæc extraria audiamus, Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro, & sanguis, sed est is, cui reuelat pater &c. vt cap. 3. induximus verba eius. Sed quæ intemperies diuersarium corripuit, quod verba, sensum, & intellectum Euangelij, & Christi corrumpit? dixerat Dominus, Tu es Petrus, dicit Luther, Petrus in hac persona non est Petrus, aduertite ò fideles filij lucis, & serui Christi, per quem creati estis, redempti, ac glorificandi, Christus, ait. Tu es Petrus, Luther negat eum esse Petrum, cui credes, an non capiti Christo, plusquam illi deraso? Christus, ait. Caro, & sanguis non reuelauit tibi, hic sacræ Scripturæ, & verborum Domini corruptor assumit, ac si Dominus dixisset. Petrus non est caro, & sanguis. Ait diuersarius. Petrus non est iam vlla persona per se, & tamen fatetur, quòd est auditor patris, & quis hæc non intelligit esse pugnantia, quod cum Petrus sit auditor paternæ reuelationis, & tamen non sit persona, nisi fortè hic nugator, mathematicam fingat personam, mirabiliter abstrahendo, quæ sit ciuis Reipublicæ Platonicæ nunquam existentis, vt iuueris narrationibus iocatur Lucianus, & mihi in re tanta aliquando iocari liceat. Matth 16.

Quisquis es christiane, qui hæc legeris, adiuro te, an vllus hæc verba Christi sine calumnia, & Euangelij deprauatione, verbum Christi ad alium hominem torquere possit, quam ad Petrum? cum tanta turgeat temeritate aduersarius, quòd calumniatorem audeat appellare, qui ad Petrum hæc retulerit, sic purus, & candidus erit diuersarius, sed calumniator erit Cypri. August. Hierony. Ambr. Greg. Criso, Beda, Leo, Hylarius Maximus, Cyrillus, cum sacratissimis Concilijs, & sanctis Martyribus Rom. Pontif. qui omnes singulariter de Petro intelligunt dicta, tu solus es albæ gallinæ filius, hi omnes errarunt, quis non tantam dedignabitur fraterculi impudentiam? Sed age, tuis verbis te iudico, tuo te peto gladio, inquis enim auditori reuelationis paternæ dantur claues, non Petro, non filio Ioan. Et quomodo hoc dicere audes? quæ vlla dictorum potest esse probabilitas? quis ità te dementauit? Si reuelationis paternæ auditori dantur claues. Nonne Petus fuit huiusmodi auditor? nonne filius Ioannis? cui non frustrà dixit Dominus. Beatus es Simon, quam aliam statues personam phantasticam à Petro, cum Dominus dixerit, caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis, cui ergò reuelauit, nisi Simoni Petro, nisi prophanus velis verba Christi velut niuem in aquam redigere.

Sed error iam sequitur damnatissimus, &

& totius Ecclesiastici ordinis subuersiuus, cùm ait nullo priuato homini dantur claues, sed soli Ecclesiæ, si intelligeret nullum priuatum hominem laicum, habere claues, non esset reijcienda eius sententia, quia omnes sacerdotes sunt publicæ personæ Ecclesiæ, saltem in casu, at longè aliter intellexit noster sophista, nolens cuiquam huiusmodi velut Petro ab alijs distincto, dari claues, sed Ecclesiæ, & ità ex verbis suis apertissimis liquet, quòd priuatam personam non apponit publicæ, sed Ecclesiæ, nisi vellet dare personam publicam esse Ecclesiam, quod ipse maximè negat statim in sequentibus, quia aliqui fingant prælatum esse Ecclesiam. At quid hìc audio Manhu, nullus priuatus habet claues Ecclesiæ, non habuit eas Petrus; Non Ioannes, non reliqui Apostoli? Non habuerunt claues S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Chrisostomus, non Romani Pontifices, Syluester, Cornelius, Clemens, Gregorius, Leo? Cùm nullus peccatorem sine his clauibus absoluat, non habent eas confratres tui Augustiniani tot hominum audientes confessiones, & miris modis allicientes? Si non habent claues, quid absoluunt, si habent, cur negas priuatum hominem habere claues, & in priori capitulo abundè dictum est? quomodo claues dicantur datę Ecclesiæ ratione personarum eas accipientium? Vndè si nullus priuatus habet, sed vniuersitas Ecclesiæ, nemo poterit absolui, nisi ab vniuersitate, & non absoluitur, nisi confessus, quare & vniuersitati erit confitendum, sed quis omnia absurda colligere poterit, quæ ad hanc absurdissimam, & hæreticam illationem sequuntur? sed vt ab initio operis præfati sumus. Oportet hæreses esse.

CAPVT XI.

Priuatum habere claues, & peccatorem ostenditur contra hæreticos, & nouus error de amissione fidei detegitur.

DIxerat aduersarius magna impietate, nullum priuatum habere claues, rationem huius daturus subdit, quia de nullo priuato homine certi sumus, habeat, nec ne, reuelationem Dei Patris? de Ecclesia dubitari non possit, hìc venenum pestiferum euomit, quod diù latuit, quasi oporteat sedentes in cathedra Moysi, quos Dominus præcepit audiendos, esse auditores paternæ reuelationis, aut quia nos non sumus certi quantumcunque audiret reuelationem paternam, tamen non haberet claues, quis hæc christianus patienter audiret? Is enim est antiquitus error Donatistarum contra quem B. Augustinus conflixit, resuscitatus est ille prophanus error per perfidos Waldenses, & pauperes de Lugduno, quibus etiam sopitis, impij hæresiarchæ denuò eum excitauerunt, Ioannes Wiclef in Anglia, Ioannes Huss in Boihemia, & post tot sæcula per Paluigenesiam Pythagoricam renascitur iam in Saxonia in Luther, qui pleraque Hussitica reminiscere facit, de quibus plures in secundo libro. Sed vt rationem hæreticorum euacuemus, hæc dixerim, Fateor enim ingenuè, gratiam, & paternæ reuelationis auditionem, esse decentissimum ornamentum in suscepturis, & habentibus potestatem clauium. Sic enim ait Leo, omnibus prælatis formam Petri esse propositam, Sic Rabanus inquit, vt Brixianus refert. Qui enim regem cęlorum maiori præ cæteris deuotione confessus est, meritò præ cæteris ipse collatis clauibus regni cęlorum donatus est, vt constaret omnibus, quia absque ea confessione, ac fide, regnum cęlorum nullus posset intrare. Congruit ergò, decens est, & expedit suscipientem claues, esse in gratia, & necessarium est necessitate præcepti, quoniam existens in peccato mortali, & suscipiens sacros ordines peccat mortaliter, similiter si vsus fuerit clauibus in peccato mortali, peccat mortaliter, vt si Luther ex priuilegio Sedis Apostolicæ audit confessiones, & est in peccato mortali, & absoluit centum, centies mortaliter peccat. Non tamen potestas clauium de necessitate existentiæ coexigit gratiam, quasi huiusmodi potestas nequeat subsistere, vel fundari, nisi in gratia. Ità enim 4. articulus Ioann. Vviclef Oxonię. Dein Parisijs, tertiò Pragę, quartò in Concilio Romano, quintò in Concilio Constantiensi fuit condemnatus. Si Episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat: & octauus. Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi fortè à Cæsare, & 14. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Ità 10. articulus damnatus Ioan. Huss. in eodem Concilio. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quòd esset caput Ecclesiæ particularis sanctæ, vel Romanus Pontifex caput Romanę Ecclesię cum tribus articulis sequentibus. Item art. 20. damnatus est. Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas Apostolus est. Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput Ecclesiæ sanctæ militantis, cùm nec sit membrum eius.

Cur autem isti articuli sint condemnati? reddit rationem Christianissimus Cancellarius Parisien. Ioan. Gerson, qui eidem concilio interfuit, & inter deputatos fuit pro natione Gallica in eorumdem articulorum examinatione, discussione, & iudicatione, dicens. Sed iustè damnatus est error iste, & cur ita? Ne Hierarchicus ordo potestatis ecclesiasticæ maneat instabilis, vagus, & incertus, cum nemo sciat an amore, vel odio dignus sit. Vndè cum habere claues sit ordinis, ea verò quæ sunt ordinis, indelibilia sunt, & stabilia, ideò temeraria est vox, & impia, priuato non datas fore claues, quia de nullo homine priuato certi sumus, habeat nec ne reuelationem patris. Non adduco absurda, quæ sequuntur, quoniam quilibet haberet rationabiliter dubitare, an esset Sacerdos, etiam ordinatus? an ille suus plebanus? Episcopus, vel Papa? An hostia in missa esset per Sacerdotem consecrata? & sic adoranda, vel non, an in confessione esset absolutus vel non, ex parte Sacerdotis? cum infinitis similibus. Vndè

hanc

hanc temeritatem satis repressit Saluator, dum ait. [Suprà cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisei, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite. Matth. 23.] vbi satis constat illos non fuisse auditores paternæ reuelationis, & tamen præcipit eis obediendum tanquam certis Prælatis, à maiori credendum est nostris, qui dignius habent Sacerdotium, ad Hebr. 6.8.9. & firmitèr credendum, quòd hanc potestatem clauium habeant à Deo. Quod de Ecclesia subdit, de ea non dubitandum, hoc non refragatur nobis, nec ei suffragatur. Hoc tamen adiecto, quòd Ecclesia non est paternæ reuelationis auditrix, nisi aliquis homo priuatus sit in Ecclesia, qui huic reuelationi intendat.

Excusatio auctoris super eo quod falsè sibi imponitur à Luthero.

Ex hoc patefacta est via alteriùs erroris euacuandi. Nam dum zelo fidei, & veritatis propositionem istam posuissem in studio Lipsensi disputandam. (Nam id studium vtriusque consensu fuit à nobis electum) quòd & feci. Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem alijs Ecclesijs ante tempora Syluestri negauimus, sed eum, qui sedem Beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri, & Vicarium Christi generalem semper agnouimus, diuersarius, vt est mordendi auidus, iniuriatur mihi ab initio blasphemi istius libelli. In quo aut insanit inquit, aut multos Pontifices Romanos negat fuisse Vicarios Christi, & fore posse, aut quos fidem habuisse nesciamus, atque quod omnium intollerabilissimum est Romanis Pontificibus, sanctitate, & pietate necessarijs, eos onerat, cum apud nos ratus sit, etiam eius vicariatus, & Pontificatus, qui sine fide, & sanctitate sit, hæc in prima eius tabella.

His verbis fellitis, & meam corrumpit senteutiam, & nouos commiscuit errores, etiam ante tempora Beati Augustini condemnatos. Nam primò falsissimum mihi imponit, quod asseram Vicarium Christi non esse, nisi qui & fidem habeat, quod ex conclusione mea nunquam poterit euincere sophismatibus suis, & cauillis, frigida enim est illatio, eum, qui Sedem Petri habuit, & fidem, agnouimus Vicarium Christi. Ergo eum, qui fidem non habet, non est Vicarius. Quin planè, & apertè fateor, eo quòd status Hierarchicus in sancta Ecclesia debet esse certus, & constans, eo quòd Ecclesia sit sufficientèr à Christo instituta, cum alioquin subditi semper essent dubij, & expositi periculo peccati mortalis in obediendo, vel non obediendo suis superioribus. Ex eo quòd non posset eis constare, quando superiores amisissent ius præsidentiæ, vel quando ipsum haberent. Vide candide lector D. Gersonem de auferibilitate Papæ consideratione 16. Ideò nego prælationes Hierarchicas fundari in sanctitate, vel gratia etiam secundum præsentem iustitiam, multò minùs secundùm gratiam prædestinationis, nam illud est tantum fundamentum errorum Waldensium, pauperum de Lugduno. Wiclefistarum, & Hussitarum, quorum detestando errores, existimo ecclesiasticas prælationes, nec fundari in charitate, nec in fide interiori, quòd amissa etiam fide, non mox Prælatus perdat pastoralem dignitatem, quòd nec fides sit eius necessarium fundamentum, nisi necessitate præcepti. Vndè verior apparet mihi sententia, Papam hæreticum non esse depositum, sed deponendum. Ità quod sicut nullus fit iam legitimè Papa, nisi per electionem Cardinalium, aut aliorum, quibus hæc potestas collata fuerit, sicut Constantiæ est actum, sic non desinit esse Papa eo viuente, nisi per legitimam destitutionem, de quo plura possent adduci, ad hoc non est principale institutum nostrum, sufficiat explicasse mentem nostram, fidem interiorem prælati, quo ad nos non esse necessariam, quàm peperam torsit diuersariùs.

Proindè, & hoc falsum est, quod mihi impònit, quasi onerarium Rom. Pont. sanctitate, & pietate necessarijs. At calumnia illa, ab impostore mihi imposita, satis iam est confutata, quòd sciam etiam discolis obediendum, & quòd pessimum sit assuescere non obedire principi, vt Aristoteles in Politicis ait, sed quomodo audet conclusionem meam inuertere, ego dixi de fide, quam tamen non dixi fore necessariam ad Papatum, hic meus malignus interpres, de sua farina addit, quòd censuerim sanctitatis, & pietatis opera necessaria, sed vndè hæc insania ei in mentem venit? Agnosce candide Lector, radicem esse infectam, ideò tales protulit fructus, nulla calamitas sola, non vno errore tenetur diuersariùs. Existimat enim fidem per quodlibet peccatum mortale tolli, ita quòd non habens gratiam, non habet fidem, contrà Apostolicam sententiam, (fides sine operibus mortua est, & contrà illud Pauli. Si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum,)vbi expressæ Apostoli constituunt, fidem sine charitate existere. Suo ergo me depingit, quia cum fidei fecei mentionem, mox infert ex suo peruerso errore, me Papam sanctitate, & pietate, velut necessarijs onerasse, cum ego planè assentiar fidem manere absque charitate, & non tolli in via, nisi per infidelitatem, aut hæresim, de visione eorum, qui extaticè rapiuntur, est dubium, & dixi in commentarijs Theologiæ mysticæ, & negatiuè, hoc anno editis super Dionysio, sed de hoc, an fides necessariò coexigat gratiam, ostendam Lutheri, & Carolostadij sui sententiam sacræ Scripturæ, & sanctis Patribus esse contrariam peculiari opere, sufficiat ostendisse, quàm malitiosè, & erroneè me fugillet super fidei Prælatorum.

Error Lutheri amissa gratia amitti fidem. 1. Act. 2. 1. Cor. 13.

Quòd adijcit de Ecclesia, & Sanctorum communione, non est præsentis instituti discutere, quomodo Papa sit Ecclesia, quomodo Concilium, quomodo vniuersitas credentium. Nam negare non potest, quin Papa etiam dicatur Ecclesia Matth. 18. dic Ecclesiæ, de quo statim plura. Hoc tamen in præsentia dixerim, licèt Gennadius faciat mentionem expositionis Symboli Ruffini, tamen expositio illa inter opera Cypriani collocatur, tamen crediderim esse Ruffini, quòd Ecclesiæ meminit Aquilegien, vndè fuit Ruffinus, at hæc extraria proposito nostro, scripsimus olim pulchra super illo articulo, Sanctorum communionem, ad Abbatem Ottembürensem. Hęc tamen addiderim. Primò Papam, vt singularem personam esse filium Ecclesiæ, vt Papam esse caput Ecclesiæ. deindè

Solutio 4. rationis.

Notatu digna.

de Papa benè repræsentat totam Ecclesiam, tamen non est Vicarius totius Ecclesiæ, sed est Vicarius Christi. Adde quod Petrus gessit personam Ecclesiæ, & tamen pro se, & successoribus claues accepit, ratione enim capitalis officij, & perpetui in Eclesia diffusi Petrus ab Augustino in pluribus locis dicitur personam gessisse Ecclesiæ.

CAPVT XII.

Rationes quatuor diuersarij, super Petro non esse ædificatam Ecclesiam, ex collatione. cap.16. & 17.Matth.

1 Ratio Lutheri. PRosequitur diuersarius, latiùs intendens firmare sententię errorem, quia Christus ait. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si per hanc petram intelligimus potestatem Papæ. Vndè inquit diuersarius quid facimus. Primùm sequitur, quòd Ecclesia primitiua Apostolorum non fuit Ecclesia, quia Petrus (vt solidis probem argumentis) anno decimo octauo adhùc fuit Hierosolymis, necdum viderat Romam, quod ex Paulo ad Galat. 2. clarum fit, qui scribit se post conuersionem sui abijsse primùm in Arabiam, deindè post tres annos venisse Hierosolymam videre Petrum, ac postea post quatuordecim annos ascendisse, & contulisse cum Iacobo, Petro, & Ioanne Euangelium præputij, quis autem ità insaniat quæso vel orestes, Ecclesiam Hierosolymitanam, & Catholicam, non fuisse Ecclesiam, quia potestas Romanę Ecclesię nondum fuit, nec fortè fides eius? Non ergo suprà petram, Id est potestatem Romanæ Ecclesiæ, sicut decreta quædam exponunt, sed suprà fidem à Petro, totius Ecclesiæ persona, confessam, ædificata est, cum & vniuersalis, & Catholica Ecclesia tanto tempore ante Romanam Ecclesiam fuerit.

Vlteriùs Matth. 18. in plurali numero dicit, non ad Petrum, non ad Apostolos, sed ad Ecclesiam, dicens. [Si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis. Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt, & in cœlo.] accede nunc, qui voles, & hunc cum illo loco confer, illè sonat, soli Petro datas claues, hìc negat, & non soli datas asserit. Quando vtrùmque stabit? Concordandum est vtique vtrumque verbum, quod idem Christus dixit. Si soli Petro collatæ sunt, mendacium est, quod hic dicit omnibus collatas. Quis autem non videat, hunc posteriorem locum esse interpretem, & in hoc rem esse clarè expositam, illic verò in Petro vnitatem multorum in Ecclesia commendatam? quin vide quoddam mirabile, illic incipit ab omnibus dicens, quem vos me esse dicitis, & finit in vno Petro, dicens. Tu es, tibi dabo. Hic contrà, incipit ab vno dicens. Si peccauerit in te frater tuus &c. Nonne clarum est per vnum Petrum illic, idem voluisse, quod hic per vniuersos, & claues non esse vllius hominis singularis, sed Ecclesiæ, & communitatis, vt firmum sit Sacerdotem non suo iure, sed ministerio, (quia Ecclesiæ minister est) Ecclesiæ clauibus vti, non tanquam suis, aut sibi traditis?

Credo iam hæc ferme ndem facturam, hanc Matthęi auctoritatem, neque ad Petrum, neque ad successorem, nec ad vnam aliquam Ecclesia, sed ad omnes Ecclesias pertinere, quia quis poterit negare, illi esse claues traditas, qui reuelante Patre Christus confitetur? quo posito, necesse est, vt vbi sit reuelatio Patris, & confessio Christi, illic, & claues, at hæc in qualibet Ecclesia est, non autem in vllo vno singulari, & in certo homine. 7. Ratio.

Quod vt Christus nobis commendaret, statim post gloriosam istam Petri commendationem, cum eum Petrus prohibuit, ne moreretur, audiuit. Vade post me Sathana, non enim sapis ea, quæ Dei sunt. Quid hoc est? non sapit Petrus, quæ Dei sunt? Nonne Pater reuelauit ei? Si hæc ante commendationem Petri facta fuissent, aliquid momenti haberet, Petrum pro sua, & successorum, aut vnius Ecclesiæ persona fuisse commendatum. At nunc cùm post commendationem vituperetur, vt ignarus Dei, clarum fit, illum superiorem Petrum, qui claues accepit, non fuisse Petrum filium Bar-Iona, sed Ecclesiam filiam Dei, quæ Verbo Dei genita, Verbum Dei audiuit, & confitetur perseuerantèr in finem. Non aliquando non sapiens quę Dei sunt, & retro abire iussa, sicut Petrus. Aut si hoc ad Romanum Pontificem, & Ecclesiam pertinet, quòd ad Petrum dicitur. Tibi dabo claues. Iam irrefragabili sequela etiam ad eandem, & illud pertinebit. Vade post me Sathana, non enim sapis quę Dei sunt, quia, & hæc ad Petrum Romanum Ecclesiæ futurum Episcopum dicta sunt. Aut si hæc non ad se pertinere putant, iam nulla ratione conuincere possunt, ea, quæ superiùs dicta sunt ad se pertinere, hoc Luther. 8. Ratio. Matth.16. 9. Ratio ducens ad absurdum.

CAPVT XIII.

Petrus vbi fuerit post Passionem Domini, quando inceperit Romanam Ecclesiam, & cur Romam elegerit in Sedem.

AD ista, in quibus adeò diuersarius confidit, paucis dicamus. Primò enim malè infert contra veritatem catholicam, Ecclesiam primitiuam non fuisse Ecclesiam, quia præcesserit Romanam. Vndè illa est obiectio Armeniorum schismaticorum, vt meminit Hibernicus. Vndè benè probat assumptione sua, Hierosolymitanam priorem fuisse tempore Romana, quandoquidem Antiochena fuit prior, & hoc nemo negat, sed vt fundum negotij eruamus, examinemus primò, quod de annis assumit. Primò enim Sanctus Petrus non propriauit sibi Hierosolymitanam Ecclesiam, sed ei præfuit sicut omnibus alijs, cuius causa inferiùs tractabitur, lib. 2. Ideò S. Iacobum ordinauit, vt latiùs suo loco dicetur. At quando incepit Ecclesia Romana, saltem potestatiua, & regitiua in Petro, non vacat Meandris, quod assumpsit diuersarius, licèt enim glos. interlinearis velit S. Paulum ascendisse 14. annos post suam prædicationem in Syria, & Cilicia, & priùs præterierant tres anni, & ita erunt 17.

qui-

quibus si addatur annus connectionis post Passionem Domini, vt Historia Scholastica testatur, erunt omninò anni 18. & tot assumit Luther, at in hoc fœde labitur, quòd assumit Petrum tamdiù moratum Hierosolymis, quoniam, vt Beatus Damasus in Cathalogo Romanorū Pontificum, ad B. Hieron. scripto testatur. Petrus sedit Romæ ann. 25. & aliquot. M. & idem de annis 25. scribit B. Hieronymus de viris illustribus, sedit autem priùs Antiochię, eodem Damaso teste, & Platina ann. 7. Mortuus est autem post Passionem Domini ann. 37. quod si 25. anni detrahantur cum 7. à 37. remanebunt solùm quinque anni, quos plùs per Pontum, Asiam, Galatiam, Bythiniam, & Capadociam peregit (nam hæ prouinciæ sibi obuenerant Hieronymo teste) quàm Hierosolymis, vbi S. Iacobus fuerat Episcopus.

	Ponto Asia &c.	5.	
In	Antiochia Fuit Petrus annis.	7.	37.
	Roma.	25.	

Collige ex dictis Romanam Ecclesiam incepisse 12. ann. post Passionem Christi, non 18. Sed ad collectionem annorum iam factam ab initio, de decem 18. ann. verùm probas Petrum, & Paulum illo tempore fuisse, & conuenisse Hierosolymis, sed sicut Paulus non habuit moram permanendi Hierosolymis, ità nec Petrus, nec Ioannes, secùs de Iacobo, qui domicilium fuum ibi habuit. Vndè fient Paulus post 14. ann. ascendit Hierosolymam secundùm reuelationem, vt ipse fatetur, vbi glossa ait, non solùm mea dispositione, sed Dei. Ità Sanctus Petrus cum Ioanne etiam tunc ascenderit reuelante Deo, quamuis sedem alibi firmasset. Hęc solùm sunt dicta pro eo, quod assumit de 18. ann; at quia obiectio Lutherana adhuc procedit de 12. an. ideò diluenda est.

Galat. 2.

Placet ergo illud omni ætate probatissimum, Petrum in persona accepisse præsidentiam totius Ecclesiæ, licèt ab initio Cathedra non fuerit definita, quoniam & si Hierosolymis fuerit, tamen illam reliquit Iacobo, & post paucos annos Antiochiæ sedit, vbi Christianorum nomen ortum inualuit, sed Sede Antiochena Euodio relicta, Romam se transtulit, Sedem ibi firmauit, in ea vsque in finem perseuerauit. Vndè & potestas illa, absque noua reuelatione, nullis Hussiticis, aut Lutheranis cauillis, à Roma diuelli potest, quia iam Romanus Pontifex est verus, & immediatus Vicarius Christi, licèt aliquanto tempore, Vicarius Christi non fuerit Romanus Pontifex. Et sic Petrus priùs tempore fuit Summus Pontifex, quàm Romanus Episcopus, quamuis iam quasi priùs natura sit Romanus Pontif. quàm summus, vt subtilius explicari posset. Probae ergo Lutherus, Romanam Ecclesiam non semper fuisse primam, quod admitto illis 12. annis, quamuis iam communitèr Romana Ecclesia vsurpetur pro vniuersali, potissimum cum iam, proch dolor, ad illum vnicum Patriarcharum redacta sit Ecclesia.

Eusebius.

Modo arguatur diuersariùs. si super Romanæ Ecclesię potestatem Ecclesia fuerit ędificata. Itaque Hierosolymis non fuerit Ecclesia, dico prorsùs sophisticus est canillus. Nam super potestatem Romanam fundata est Ecclesia, & illa potestas est Papatus, suprema Pontificia, quę potestas fuit in Petro illis 12. annis, quamuis nondum esset Romana. Vndè eandem potestatem, & præsidentiā habuit Sanctus Petrus in Asia, & Iudęa, quam habuit postmodum Romæ, licèt antea non diceretur Romana, quare primitiua Ecclesia Hierosolymitana fuit Ecclesia, quia in petra, in soliditate Petri firmata, cui & Episcopum dedit, & ordinauit, habuerunt ergo petram, super quam ædificata erat Ecclesia Petrum, non ergo timere debuit Lutherus Ecclesiam Hierosolymis, non esse Ecclesiam, Petro firmatam.

Euacuatur. 5. Ratio.

Habes iam in quo vacillat diuersariùs, quoniam dicentes Romanæ Ecclesiæ potestatem esse primam, & quòd super hanc ædificata sit Ecclesia, ipse intelligit directè, cum tamen debuisset accepisse consecutiuè, quæ verba si obscuriora sunt diuersariò, statim explico, Christus non directè dixit Romanam Ecclesiam fore primam, sed quia directè primatum contulit Sancto Petro, & promisit se ædificaturum Ecclesiam super eum, secundùm intelligentiam sanctorum Matth. 16. sed quia Sanctus Petrus finalitèr delegit Cathedram Romanam, cui ius illud, & successoribus inhesit, ideò consecutiuè, ad consecutionem translationis à Petro factæ, Romana Ecclesia obtinuit primatum, vndè si Petrus Anthiochiæ mansisset, & ibi firmasset Cathedram, & reliquisset successorem, tunc & Anthiochena mansisset prima.

Obijceret acutus. Adhuc iure humano constitutus est Primatus Romanus, quia à Petro, qui fuit homo, cadit ergo quòd assumitur iure diuino primatum constitutum. Sta paulisper, perperam, & sophisticè argutaris, hoc est iure Petri, ergo non iure diuino, cum ius diuinum ex epistolis Pauli quoque probetur, vi ne Petrum facere minorem Paulo? Porrò sit ità, quòd à Petro facta fuit translatio, qui non habuerit præscribere ius diuinum, tamen hoc fecit iussu Dei, & ob id cessit Antiochena Ecclesia, testis est Marcellus Papa & Martyr, & renarrat Grat. 24. quęst. 1. Rogamus, vbi Episcopis per Antiochiam constitutis scribit. Eius enim Sedes primatus apud vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est. Si vero vestra Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est quæ eius non sit subiecta ditioni, pondera Antiochenam aliquando fuisse primam, dein quòd cesserit Romanæ, tertiò quòd iussu domini, non iure humano, facta sit translatio. Quod si etiam translatio facta fuisset mere iure humano Petri (quod tamen iam diximus falsissimum) adhuc improbaret primatum in Ecclesia Dei, sed eius separabilitatem à Romana Ecclesia, sicut iam modus eligendi (qui sępe fuit variatus) est iure humano, vbi Cardinales loco primatum vniuersi orbis, eligunt Pōtificem Romanum, electio vtique est humana, vnio Leonis X. ad Ecclesiam Romanam est iure humano, sed potestas Papæ sic iure humano electi, est à iure diuino, quare si obiectio illa procederet secundùm omnia vota obijcientis, adhuc primatum Petri, de quo

quo disputamus non improbaret, at nec nos concedimus illam translationem iure humano factam, sed diuino iussu, vt Sanctus Mar-
Magnum dictum.
tyr. ait: Vndè si omnes fideles mundi conuenirent, sine iussu Dei, & speciali reuelatione, non possent suppressa Ecclesia Romana, & humiliata, ei preponere Ecclesiam Wittembergen. aut aliam, quòd illic in Ecclesia ordinatus esset Papa, & supremus Hierarcha militantis Ecclesiæ, tam prorsùs res diuina est primatus ille ecclesiasticus. In his declarandis fuimus prolixiores, quoniam diuersarius multum præsidij hic locauit, ad errores suos confirmandos, hoc rotundis verbis in disputatione diximus, Hierosolymitanam Ecclesiam fuisse primam origine, Romanam verò posteaquam Petrus illùc commigrauit, primam fuisse semper dignitate, & potestate.

Quod addit diuersarius, suprà fidem Petri ædificatam Ecclesiam, quis ei in hoc repugnat? quis negat? quis inficiatur? ille prodeat, nominet quem huius dissensorem? Non ego reperio aliud apud Sanctos Patres, quam quod Christus sit petra, Petrus sit petra, soliditas fidei sit petra, & in sequentibus Aug. Leone, & alijs illa latiùs firmabimus.

Mouet autem te fortasse, cur ità Roma placuit, vel Petro, vel Deo? Nam cur Hierosolyma reiecta sit, libro 2. dictuci sumus. Quisquis autem es, qui hoc rogaueris, existimo te non latere, Dei voluntatem, causam non habere, non tamen desunt coniecturę humanæ, quibus nostra fragilitas expendere potest pro suo modulo, rationabilitèr hoc Deum voluisse. Nam B. Petrus Spiritu sancto plenus, & actus, non dubium ibi voluit successorem dimittere, vbi successoris præsentia, ædificandæ Christi Ecclesiæ plus posset proficere; illo enim negato, dares Petrum non fuisse sufficientèr instructum de suo officio, potissimùm in eam arduo, vtili, & necessariò, scilicèt successore deligendo, & oc-
Ioan. 13. & 15.
dinando, cum tamen Dominus Iesus promiserit eis Spiritum sanctum paracletum, qui eos doceret omnem veritatem, aut Petrus noluisset facere, quod cognouisset vtilius fore, pro Ecclesiæ sibi commissæ commendatione, at nusquam in orbe terrarum Petrus, & eius successor tantùm potuit conferre ædificationi Ecclesiæ suæ, sicut in vrbe Roma, quæ tunc, & diù post, totius orbis dominium tenuit, & principatum, quia sic congruentissimè (quod alibi fieri non poterat) ab vrbe Romana fides in vniuersum diffundi poterat, & sic duplex riuulus à Roma temporalis, & spiritualis potestatis in orbem terrarum diffunderetur. Et cum circa caput potissimùm laborandum sit, vt sic cætera membra conualescant. Ideò Petrus pro Roma domina terrarum, & capite ad fidem Christi conuertendam laborauit. Conuerso enim Imper. Constantino mox per omnia regna Imperio subiecta, licuit Christianis templa erigere, & publicè sacrificia facere, imò sic citiùs conuertebantur illa regna ad veram fidem, quando dominam suam viderant eandem recepisse, vt sicut fuerat eis Roma magistra errorum, sic pari modo fieret eis magistra veritatis, vt pulchrè B. Leo etiam meminit. Freti enim Imperiali tuitione, Christianæ fidei propa-
Act. 25.
gatores, Imperatore baptizato multò liberiùs, & securiùs fidem catholicam prædicabant. Vndè & Apostolus Paulus mortem sic euasit temporaneam, quando ad Festum dixit. Ante tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari, Cæsarem appello, tunc Festus cum concilio locutus ait, ad Cęsarem appellasti, ad Cęsarem ibis, Act. 25. Hęc etiam fortè causa est solidandi primatus in Ecclesia Romana, quòd Dominus Romę permisit sanguinem martyrum copiosissimè effundi ob id, & gloriatur vniuersalis Ecclesia, quoniam gloria loci congruit excellentiæ pręsidentis. Cum autem diuersarius maximum arbitretur esse argumentum, voluntatem Dei, quæ in facto ipso videatur, Deus quoque non est testis mendacij, multi sancti Martyres, & Confessores Papę extiterunt, qui hunc manutenuerunt primatum, quibus omninò credendum est. Hę sunt persuasiones, quomodò rationabile fuit, Petrum transferre sedem suam Romam, nam ob plures alias quoque rationes id factum, non ambigam, sed fuit consilium eius Dei, quòd si nulla inueniri posset, sufficeret benedicta voluntas eius, iussus diuinæ voluntatis, vt S. Martyr Marcellus testatur.

CAPVT XIV.

Sexta, septima, octaua, & nona rationes diluuntur, & quid significetur dic Ecclesiæ, quæ claues Matth. 16. 18. Origenis lapsus aperitur, & cur Petrus Sathan dictus.

CONtulit diuersarius cap. 18. Matt. ad 16. iam expeditum, quasi illud suffragari deberet errori suo, sed veritas Euangelica non suffragatur, sed refragatur hæresibus, accedamus propius ad negotium, contendebat diuersarius claues datas Ecclesiæ, non Petro, confirmaturus illum errorem, adducit illud Matth. 18. vbi Domino dicente dic Ecclesiæ, Euacuatur 6. ratio.
mox dispensat claues, quęcumque ligaueris &c. qua inductione pompatica satis declarat diuersarius, se illud dictum nunquam intellexisse. Nam omnium, qui spirant concordi sententia, agitur eo loco de fraterna correctione, si ergo per Ecclesiam intellexit, Ecclesiam vniuersalem, fidelium communitatem, dic modò, quomodò denunciatio proximi delinquentis, correctionem præcedens, fieri posset, semper currendo per totam Ecclesiam, quis hoc faceret? Quomodò item Ecclesia dispersa posset exire in actum iudicij, quòd si etiam Ecclesiam dixeris, vniuersale Concilium, constat difficillimam eius fore congregationem: quomodò autem Christus præceptum denunciationis proximi, quòd tam sępè occurrit, dedisset constituendo iudicem, qui tam rarò posset haberi, sicut est Concilium vniuersale, vel generale, aut particulare. Iudices autem debent esse tales, qui facilè possint adiri, sicut Deut. 17. Ideò disponitur, iudices sedere debere in portis.

Vndè necessariò Ecclesia eo loco significat indistinctè, & indefinitè Ecclesiam, cui denuntio peccatum fratris in me delinquentis, non quidem denuntiando toti communitati, sed tunc Ecclesiæ sufficientèr denun-

tio,

tio, eum prelato Ecclesiæ intimatur. Hinc videmus communem praxim Ecclesiæ, quòd qui non audierit prelatum, excommunicatur, quamuis malè faciant Episcopi, hanc excommunicandi potestatem, vertentes in tyrannidem, & dominium pompaticum, contrà mandatum Christi, at de hoc aliàs. Quòd autem Dominus loquatur de Ecclesia auctoritatiua, liquet ex sequentibus, quòd dat Apostolis auctoritatem ligandi, & soluendi. Nolo tamen per hoc negare, quin etiam conuocatio fidelium legitima, potestatem habeat excommunicandi, præcipuè si prelatus corrigit, & ille non emendatur, tunc prelatus dicit congregationi fidelium adducerem locum Beati Gregorij, nisi vererer me dicari diuersario prebiturum nouam ansam mordendi, placeat ei Lyranus, vel displiceat, optimè tamen commentatus est. Dic Ecclesiæ, id est prælato per denunciationem publicam. Non enim dixit Christus, quecumque Ecclesia ligauerit, hoc erit ligatum, sed Apostolis, & eorum successoribus dixit, quecumque ligaueritis &c. Semper tamen vt dixi, placet mihi non repugnare illa verba, si prelatus hoc faciat conuocatione Ecclesiæ suæ. Quòd si adeò delicati es stomachi, quòd Lyranum fastidias, credo, vel D. Chrysostomo in hom. 61. exponenti, dic Ecclesiæ, id est presulibus, & presidentibus, non exponit vniuersali Ecclesiæ, vel fidelium communitati, quod vel difficile, vel impossibile foret, si auderem frontoso diuersario iura allegare, adducerem cap. nouit. de iudic. Glossa 2. quæst. 1. si peccauit c. de præs. 17. quæst. 4. Et iniuncta est ratio, in tota Ecclesia non esse potestatem iurisdictionis executiuam, nam si in ea esset, velut ipsa est Homogena, scilicèt per vnam fidem, iam illa potestas esset in viris, & mulieribus, in quibus esset fides, quod est omnium absurdissimum, si est velut Etherogeuium, id est Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, hoc videtur dici non posse, quia Apostoli tunc Matth. 18. non fuerunt sacerdotes communi sententia, primùm in vltima cœna Dominica consecrati.

Fermè obruisset me obliuio, cum iam Ecclesiam ex Chrysostomo, & Lyrano dixerim esse prelatum, & superiori obiectione quarta noluerit audire prelatum esse Ecclesiam, sed fingi id asserebat, at nos atrulimus Chrysost. quem arbitror præponderaturum Luthero, at vt os obstruamus diuersario, addamus, & B. Augustinum lib. 7. de baptismo contra Donatistas cap. 51. transcripsit Gratianus cap. omnibus 24. quæst. 1. quamuis in superscriptione errauerit, adscribendo Hieronymo, vt rectè adnotauit Ioan. And. homo diligentissimus, inquit autem B. Augustinus. Quibus consideratis, puto me non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint domus Dei, quæ dicitur ędificari suprà petram, vides aliquos esse domum Dei, at non hoc agimus negotium.

Redit ad solutionē rationis 6. Tamen quia nititur ex illo cap. 18. dare intelligentiam prioris cap. 16. quòd primò promisit claues Petro. Hîc dat omnibus Apostolis: At meminisse debuit diuersarius ille, Scripturam sacram intelligere, non esse literarum apices tenere, sed latentem intelligentiam eruere, cum non eędem sint claues Petro promissæ, & hîc Apostolis collatæ. Hoc enim loco, claues dedit iurisdictionis, scilicèt excommunicandi, suspendendi, interdicendi, aggrauandi &c. vt rata esset sententia, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut æthnicus, & publicanus. Et ità omnibus Apostolis hîc promisit ratam fore sententiam, quam ex iurisdictione essent laturi in subiectos. At quòd Apostoli per partem acceperunt, ostendemus inferiùs cumulatissimè, Petrum accepisse in plenitudinem potestatis. Vndè sicut potestatem absoluendi sacramento pœnitentiæ, non accepit Ecclesia, nisi quia in ministris accipit. & ideò vtitur his clauibus, tanquam sibi traditis, quia minister verè haber characterem &c. licèt sit minister Ecclesiæ, & Christi. Vndè propter hoc (quod diuersarius non vult aduertere) dicimus Papam esse caput Ecclesiæ non principale, sed ministeriale, à ministerio, accepit enim propter vtilitatem Ecclesiæ, velut finem, vlteriùs directum in beatitudinem, vndè frustrà hic crepat diuersarius in argumento minimè neruoso. Hoc tamen addo, quòd si omninò litigaret aduersarius easdem esse claues hîc, & illic, quod tamen non est. quòd omnium sententia, hîc fundetur potestas excommunicandi, tamen adhuc non haberet intentum. Origene namque teste claues pleniùs Petro Dominus promisit, quam hîc Apostolis dedit, & quamuis omnibus Apostolis hîc communitèr sit data potestas ligandi, & soluendi, tamen vt in hac potestate aliquis ordo seruaretur, primò soli Petro promisit in aliorum Apostolorum presentia, vt ostenderet quòd ab eo in alios deberet deriuari, bis omnia sublata sunt somnia cucullæ, quod alibi ab omnibus, hîc ab vno incepit &c. Quæ ratio expendi non debuit, cum diuersa ratione hic omninò agat, quam alibi egerit.

Porrò quod annectit in qualibet Ecclesia esse sacerdotes, fateor, & quis hoc vnquam Chorebo stultior negauit? quia in qualibet sunt sacerdotes, at falsissimum est, quòd reuelatio patris, & confessio fidei, non sit in vno singulari, & certò homine, cum verissimè fuit in gloriosis martyribus, præ dignis confessoribus, quibus omnibus iniuriatur diuersarius negando illos certos, & singulares homines habuisse reuelationem patris, & confessionem Christi. An non S. Stephanus habuit? an non S. Paulus? an non S. Ignatius? Laurentius, Barbara, Catharina, Benno vicinus diuersarij, & Misinæ patronus, sic sacras lacerat literas, dum eas in sui erroris robur inualidè torquere nititur, falsum est, & hoc, vbicumque fuerit reuelatio patris, & confessio Christi, ibi sunt claues, non plures sancti confessores fuerunt laici? velut Sanctus Richardus Sueuiæ Dux, & Rex Angliæ Sanctus Heuricus, Sanctus Iodocus, Eustachius &c. qui certè claues non habuerunt. Vndè toto oberrat cœlo, cum illa duo non requirantur ad habendum claues, nec sufficiant. In quibus tamen solis se fundat diuersarius, toto hoc processu, fortè seductus fuit is Origine (legit enim auctores, vt ex scriptis eius liquet, sine sale sapientiæ, & iudicio) qui Homilia prima super Matth. post multa negat Episcopum posse ligare, & soluere, nisi habeat ea, propter quæ dictum est illi. *Dilutio rationis 7.*

illi. Tu es Petrus, ait enim. Si quis fuerit, vt ita dicam, Petrus, & non habuerit, quæ in hoc loco dicuntur ad Petrum, & putauerit se posse ligare, vt sint ligata in cęlo, & soluere, vt sint soluta in cælo, ipse se fallit, non intelligens voluntatem scripturæ, & inflatus incidit in iudicium diaboli, at fortè non legit hæc Luther, nam vt est iactanticulus, & fastuosus frater, iam pridem de tanto fuisset gloriatus auctore, legerit an minus? quis nescit Originem cautè legendum fore, vt in quo plurima insint errata, velut rectè Iacobus Merlinus adnotauit, alioquin in damnabiles labitur errores, verba enim iam citata impijs fauent Waldensibus pauperibus de Lugduno, Wiclefistis, Hussitis, quare relinquenda est illa sententia, vltricibus flammis digna, & cum sancta Ecclesia confitendum sacerdotem habere claues, etiam malum, & impium, quamuis malefaciat, si is extra necessitatis articulum vtatur, in eo enim verificatur,
Mala. 2. illud prophetæ. Maledicam benedictionibus vestris.

Fucum alium, quo errorem suum obli-
Solutio 8. niat adfert, quia Petrus accipiens fit beatus, & paternæ reuelationis auditor. Sed filius Ioannis increpetur à Domino. Vade post me sathana. At quis hoc ignorat Petrum, qui claues accepit, appellatum Bariona. Increpatum verò non appellat filium Ioannis, quare ridiculum, & exibilandum, & hoc commentitium, quod hic fingit hunc esse Petrum, alium filium Ioannis, ad rem ipsam perpendenti contextum sacræ Scripturæ liquet, Petrum nondum accepisse claues promissas, ideò non mirum, quòd de pietatis affectu error subrepsit Apostolo arbitranti repugnare suæ confessioni. Iesum filium Dei esse viui, & tamen occidendum. Hanc supremam diuersarij inductionem, expressis verbis diluit B. Hieronymus eo loco in commentarijs inquiens. Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem acceptantem, & ædificationem Ecclesiæ super eum, in futuro promissam, non in præsenti datam intelligit, ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & dabo tibi claues regni cælorum. Omnia de futuro, quæ si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.

Quòd si omninò Petrus contrà Hieronymi sententiam, beatitudinem tunc accepisset, adhuc, vel S. Hylarius diuersario satisfaciat, dicens post prędicationem Passionis accipiens diabolus facultatem, opinionis istius Petro infirmauit affectum, sed sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro, ait. Vade retro post me, id est, vt exemplo Passionis se sequatur. In eum verò per quem opinio hæc suggerebatur, adiecit Sathana, scandalum mihi es, non enim conuenit existimare, Petro Sathanæ nomen, & offensionem scandali deputari, post illa indultæ, & beatitudinis, & potestatis tanta præconia, sed quia infidelitas omnis diaboli opus est, Petri responsione Dominus offensus, cum opprobrio nominis, infidelitatis istius est detestatus auctorem. Sanctus verò Chrysost. arbitratur superiora Petrum esse confessa, quia erant reuelata, sed mysterium Passionis nondum erat reuelatum, ideò carnali consilio iudicat Petrus, & humano affectu, diuino aduersatur consilio, sed tamen Christus non reiecit eum, sicut Sathanam vade retro, sed solùm ait. Vade post me, idest sequere me, vt voluntario passionis meæ consilio, non resistas, quare idem est Petrus, cui pater vnum reuelauit, & non aliud, & est tota fictio, & diuinatio, quam diuersarius induxit, quod alius, & alius sit Petrus.

Et quod assumit, etiam hoc debere pertinere ad successores Petri: Vade post me sa- Ratio 9. diluitur.
thana &c. perperam infert, credens omnia dicta ad Petrum, pertinere ad successores, cum sic omnes tenerentur ire ad mare cum Petro, Matth. 17. At non nego cum Romani Pontifices sæpè diuinis reluctantur consilijs, & præceptis, quòd Dominus per scripturam eis loquatur, imò per internas quoque inspirationes eos sathana aduersarios appellando, in quo quantò gradus est altior, tanto casus profundior. Sæpè enim humana patiuntur Pontifices non sapientes ea, quæ Dei sunt, maximè in his, quæ iudicium fidei non respiciunt, Deus nobis omnibus miserrimis peccatoribus sit propitius.

CAPVT XV.

Aliæ quatuor rationes diuersarij Petrum non in sua persona accepisse claues.

IN errore semel concepto perseuerat diuersarius, adhuc contendens, Petrum non esse petram, super quam ædificata esset Ecclesia, & hoc quidem astruit cauillo. Si omni- Ratio 10.
nò ad vigorem istum grammaticum se recipiunt, quòd soli Petro dictum est. Tu es Petrus, Tibi dabo claues &c. Quomodò resistemus hæreticis, si qui hoc nostro rigore verborum nixi, nos vrgeant, & dicant? Esto ad solum Petrum hæc dicta sunt, ergò non ad successorem, ergò Ecclesiæ claues, cum Petro venerunt, & abierunt, vbi ergo nunc Ecclesia? Non enim ad plures pertinere potest, quod ad vnum dicitur, sicut illud. Cùm iunior esses cingebas te &c. quod ad solum Petrum dictum est, vt cum Petro impletum sit, & finitum, ad nullum successorem eius pertinens. Si autem ad successores, & aliquam Ecclesiam dictum est, iam nulla ratione prohiberi potest, quin ad omnes dictum sit, imò necessaria ratione ad omnes Apostolos, qui præsentes erant, magis quam ad vnius Petri successores, qui nondum erant, dictum accipietur, quòd si ad omnes Apostolos, etiam ad omnium Apostolorum, & non vnius Apostoli successores dictum intelligitur.

Sed respondeat tamen mihi, qui potest, Ratio 11.
quis nam credendus sit habere claues, etiam in Romana Ecclesia? An ipsa Ecclesia, vel Papa? & attendè quod dico, quando Papa eligitur, an secum affert claues, vel non? Si affert, ergò erat Papa antequam eligeretur. Si non affert, à quo accipit? Nunquid ab Angelo de coelo? Nonne ab Ecclesia? Item, quando Papa moritur, cui relinquit claues?

autem

aufert eas secum? Si non aufert, cui relinquit, nisi Ecclesiæ, à qua accepit? Quid igitur potest dici contrà hanc euidentissimam experientiam, optimam Euangelij interpretem, claues, nec Petro, nec succesßori, sed soli Ecclesiæ datas, à qua tanquam minister accipit vsurus eis sacerdos. Vbi nunc est, quod soli Petro dictum esse putatur. Tibi dabo claues, imò vbi nunc est, quòd soli Romanæ Ecclesiæ claues datæ sunt? necesse est, vt in qualibet Ecclesia claues sint.

Ratio 12. Dein alia via incedit aduersarius omnia tentans. Adhuc vnum dicam, & vtar Apostoli Pauli argumento Rom. 3. vbi probat ex circumstantia temporis, & facti Abraham, non ex circumcisione, sed ex fide iustificatum, nulla alia ratione vsus, quàm quòd Abraham ante circumcisionem fuerit iustus apud Deum per fidem. Si hoc eius argumentum valet, sicut necesse est valere, necesse erit, & hoc valere, quod nunc produco in hunc modum. Petrus quando claues accepit à Christo (si omninò personam eius solam contendis accipere) nondum erat Episcopus Vrbis Romæ (imò propriè nunquam fuit Episcopus vllius ciuitatis, sed Apostolus Episcoporum institutor, maior omnibus Episcopis) sed erat vnus inter Apostolos, ergò claues non sunt ei datæ, secundum quod postea, vel factus, vel mutatus est, vel loco, vel officio, sicut Abrahæ non est iustitia reputata, qualiscumque post fidem factus est, sed prout fuit Apostolus tantùm, & præsertim habens patris reuelationem, quare prorsùs nihil, hæc auctoritas ad Romanum Pontificem pertinet, etiam si soli Petro dicta fuisset, quantò nunc minus pertinet, quando nec soli Petri personæ dicta, conuincitur.

Ratio 13. Addo, & aliud, ait diuersarius similis formæ argumentum, quo Paulus Rom. 4. & Gala. IV. vtitur dicens. Quod sicut Abrahæ ex fide reputata est iustitia, ità & omnibus, qui credunt reputabitur iustitia, quare & hi sicut Petro habenti reuelationem patris, & Christum confitenti, claues dantur, ità necesse est, omni similiter confitenti, & reuelationem habenti, claues esse donatas, quòd nullæ, nisi Ecclesiæ, idest communioni sanctorum conuenire potest, cum nullus singularis fidelis, constanter, & certò, ac perseueranter hanc potest habere confeßionem, cùm nec Petrus ipse in eadem perseuerauit, quin non modo aliquando, sed mox post acceptas claues errauit. Et tamen non sunt ei claues rursum ablatæ, quia non in sua, sed Ecclesiæ personas eas accepit, quòd si hæc argumenta non concludunt, nec illa Apostoli Pauli, quæ allegata sunt.

CAPVT XVI.

Diluuntur rationes priores, & cur potestas soli Petro, & successoribus sit data, non alijs Apostolis, & quis det claues Papæ, & quod argumenta Apostoli sint alia, quàm Lutheri.

Tam ridicula receusere non auderem, candide lector, nisi compertum haberem Lutheranæ farinæ homines pro eorum iustitia, & ruditate, hæc velut inuicta suspicere, ac velut mysteria abstrusa revereri, & ipse, qui has nenias deprompsit, tantùm in eis confidat, quæ tamen sunt plumis leniora, vt encomium cauat ante victoriam, at huius fastum, aliorum ignorantiam, simul iugulabimus. Primò enim, non rigorem sequimur grammaticum, velut grammaticæ Theologię doctor hic autumat, & ipse solitus est facere, sed sensum sequimur, quem Spiritus sanctus efflagitat, tot sanctis Patribus, tot Concilijs, Martyribus, summis pontificibus explanatum, qui tamen à sensu grammatico non abhorret. Et verbum istud accipimus Petro dictum pro se, & successoribus suis. Nam vt priùs meminimus, aliqua sunt dicta Petro pro se singulariter, aliqua Petro, vt primati totius Ecclesiæ, aliqua verò, vt repræsentanti quemlibet in Ecclesia futurum. Nego ergò verba ista. Tu es Petrus, tibi dabo, hic dicta ad Petrum, vt ad successorem non pertineant, cùm eadem ratio militet in successore, quæ in Petro; promisit enim ei Deus hic Primatum, & ob hoc voluit super eum ædificare Ecclesiam, & sic dare plenitudinem potestatis, quæ omnia æquè pertinent ad successorem, sicut ad Petrum, nam Ecclesia iam æquè eget capite, & primate omnia gubernante, & qui habeat plenitudinem potestatis, sicut tempore Petri, & fortè magis, hoc ipsum, & Christus promisit post resurrectionem dicens. [Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi, quare sicut Dominus semper fuit cum Apostolis, ità est, & iam cum credentibus, quia Apostoli non semper erant mansuri, ait Chrysostomus, constituto enim primatu in Petro super Ecclesia, nullatenùs congruebat suæ summæ sapientiæ diuinæ, tam nobilem ordinem, tam vtile ad humani generis institutum, tàm statim deficere desineret in suo exordio, causa finali nondum adepta, scilicèt salute omnium electorum, propter quam summa sapientia hunc ordinem, & primatum instituit. Euacuatio 10. rationis.

Dictum ergò Petro, intelligitur dictum successori, cum pro eadem computentur persona, collata enim huiusmodi iura intelliguntur dignitati, non præcisè personæ, vt est apud iureconsultos vulgarissimum, quod tamen pœnitus ignorat diuersarius, qui tamen arroganter in actis coram Sedis Apost. legato se iurischateologum esse profiterur. Nam Sancta Ecclesia hoc per Prophetas accepit, semper futuros successores Apostolorum, ei

enim

enim dicitur Psalmo 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram, quod si malueris, ad Prnphetas, & Apostolos referre potes. Vndè semper duo oportet attendere in prælato, scilicet personam, & officium, quod enim ad personam pertinet, cùm persona etiam occidit, & finitur, quod ad officium pertinet, in successoribus perpetuò perdurat, & prælatus, & successor computantur pro eadem persona. Neque eadem est ratio extendendi dictum Petro ad successores, & ad alios Apostolos, quamuis Apostoli præsentes fuerint, & successores absentes, cùm qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille, vti debebit, & durare istum primatum in Ecclesia, inferius probabimus, vsque ad consummationem sæculi. Vndè successor habet se per modum hæredis, & ità succedit in iure defuncti, cap. 1. de solut. cap. ad sedem. de restit. spol. Vndè omninò nulla est apparentia, dictum illud extenditur ad Papam, & futuros eius successores, itàque, & ad alios Apostolos omnes præsentes extenditur, quia successores eius non fuerint, cauillus planè sophisticus, cum nihil referat, successorem esse vel non esse tempore commissionis, si modo succedat huic in officio. Committit Imperator aliquid principi electori Bauariæ, vt in interregno sit vicarius Imperij per Sueuiam, Rhenum, Bauariam, Franciam, Orientalem, etiam si plures alij duces Bauariæ sint præsentes, tamen potestas illa vicariatus, remanet dumtaxat apud principem electorem, & successores eius in electoratu perpetuo, non in alijs ducibus, qui sunt de eadem domo Bauarica. Vndè ineptissimè istæ argutiæ sophisticæ, & inanes cauilli adduntur.

Diluitur ra. tio 11. At plus confidit in posteriori ratione, quasi nemo sit, qui ei possit, respondere, sed certè quia in abstractionibus est minus peritus, non erit aptus ad mathematicam, & peius dispositus ad metaphysicam, ait de suo aduersario Picus. Cum enim assumit, in electione Papæ, aut claues secum affert, &c. Respondeo rusticanum illud, & crassissimum argumentum incedere, ac si claues essent quid materiale, & corporeum, quas clauo suspensas acciperet Papa. Vndè hanc informem, & rudem imaginationem eius eliminando, dico. Neque affert secum claues Papa, neque Ecclesia dat. Sed Christus dat ei immediatè de cœlo, quoniam tota Ecclesia simul congregata non posset dare alicui claues, omninò diuini muneris est, & Dei donum. Benè de Ecclesia existentes aliquid faciunt, sicut iam Cardinales eligendo, ad quod sequitur Deum huic dare claues, sicut nullus homo dat gratiam, quæ à solo Deo confertur, tamen presbyter facit aliquid exhibendo Sacramentum baptismi, ad quod sequitur Deum dare baptizato gratiam, ex pacto quod cum Ecclesia sua sancta pepigit, verus Dominus dat vicario suo potestatem, non subditi, sicut Petrus à Domino accepit primatum, non à subditis. Papalis enim potestas non est ab Apostolis, non à Concilijs, non ab Imperatoribus, nisi assentiendo, sed ab ipso Domino Iesu Christo, vt inferiùs ostendetur, & in hoc differt à temporali potestate, vbi consensus populi potest constituere iudicem, & Dominum, quòd dominatus ciuilis sit, quid humanum, secus de potestate Ecclesiastica, quæ est ordo immediatè à Deo. Non affert ergo Papa electus claues, sed. D. O. M. vult & assistit executioni, vt his electus habeat hanc potestatem. Ruit ergo diuersarij ruinosum fundamentum, quòd accipiat ab Ecclesia claues, quas à Deo accipit. Deiecta itaque hac temeritate, ad alia properemus.

Porrò quod addit, argumentatutus à simili de Abraham prius iustificato, quàm circumcideretur, quis non videt dissimilitudinem, qua argumentum prærancidum claudicet. Primò enim à meritis, & virtutibus, transit ad officia, & potestatem, quæ eamdem argumentandi rationem non patiuntur, deindè quod superius ex Hieron. attulimus, claues Matth. 16. non esse datas, sed promissas, quare velit, nolit, oportebit te futuras circumstantias expendere, quas diuersarius ablegat, deindè quod asserit, claues non datas Petro secundùm quòd officio est mutatus, vel loco, ego constantèr affirmo, dum Petro plenitudo potestatis clauium data est, mutatus est non solum ordine, sed & iurisdictione, dicente Christo. [Petre pasce oues meas.] In illa ipsa datione clauium collatum est ei officium, labitur ergo diuersarius, quòd prius eredit claues traditas, deindè officio, vel loco mutatas, cum officij sit potestas clauium, quæ indoctè, & imprudentèr separat. Accedit, & illa dissimilitudo, quòd mutatio loci, quæ accessit officio Petri, quando primo sedit Antiochiæ, dein Romæ, explicat officij maiestatem, & declarat, vbi permanere debebat, nullum illorum faciebat circumcisio, quo ad iustificationem Abrahæ prius iustificato per fidem. Vndè rectè tenet Apostoli argumentatio de Abraham, quia cum duo fuerint remedia, quorum vtrumque iustificabat, & ergo iustificatus per vnum, tempore Abraham, non iustificabatur per aliud, erat enim locus præuentioni. Vndè nulla est argumentandi conformitas de Abraham in fide ad primatum Petri. Laudo tamen, quòd Petrum dicit maiorem omnibus Episcopis, fatebitur ergo Petrum maiorem Iacobo Apostolo, Episcopo Hierosolymitano, sicut Hieronym. in Catalogo virorum illustrium refert. Inanis ergo abijt, & hæc ratiuncula, quę nullis solidis nitatur fundamentis, sed sacræ scripturæ locos, minimè cohærentes, ineptissimè coniungat. Euacuatio 12. ratione.

Eiusdem farinæ est postrema inductio, à similitudine claudicante, velut prior facta, Ratio 13. enodatur. nam non præterit nos, quod Hieron. ait. Omnes confitemur, & consentimus, vt quod ratio de Abraham inuenerit, hoc de cæteris obseruemus. Et ideò quia reputata est fides Abrahæ ad iustitiam, ità & omnibus credentibus reputabitur ad iustitiam. At quanta absurditate colligit diuersarius Petro habenti reuelationem patris, & confessionem fidei, claues dantur, quare, & omni habenti reuelationem, & confessionem, datas esse claues, quoniam à fide ad iustitiam fit progressio de virtute in virtutem, quod optimè conuenit. Hic, autem fit progressio ab actu virtutis ad officium gratuitè à Deo collatum, quod Deus non ob virtutes tantum contulit, cum etiam in malis sint officia sacerdotalia, dein fides

ne-

necessaria est volenti iustificari, quia sine fide impossibile est placere Deo. Ad Hebr. 11. quare est dispositio necessariò præuia iustificationi. At paternæ reuelationis auditio, & illa magna confessio, non sunt dispositiones necessariè præuiæ ad clauium receptionem, sed solum sunt dispositiones congruitatis, & decentiæ, ad dignè, & ritè claues suscipiendum, suscipiens enim claues in peccato mortali peccat mortalitèr, vt luculentèr inferiùs probabimus, & hoc est, quod superius audiuimus, forma Petri omnibus præscribitur &c. Repetit salsum suum dogma diuersarius, neminem habere confessionem fidei, & paternæ reuelationis auditionem constantèr, & finalitèr, quàm Ecclesiam vniuersalem, quod paulò ante apertissimè improbauimus. Sanctus enim Laurentius, S. Mauritius, S. Sebastianus, constantèr vsque in finem confessi sunt Deum, maximis expositi cruciatibus. Quòd vero Petrus peccauit, errat primò existimans Petrum claues hic accepisse, dein quòd si etiam accepisset, peccato claues non auferuntur, quoniam illa duo non sunt de necessitate clauium, sed exiguntur ad hoc, vt quis dignè vtatur ministerio clauium. His arbitror quemlibet cerebrum habentem intelligere validam esse Apostoli rationem, & ratam, Lutheri vero disparem, & alienam rationem esse frigidam, & ieiunam,

CAPVT XVII.

Alia duæ rationes Lutheri, quibus adduntur quinque ex maligno iudicio.

Ratio 14. Sanctam, & receptam à Patribus sententiam, Petrum esse petram, diuersarius pro sua temeritate iugulaturus. Age inquit, si ista verba. Tibi dabo claues, ad Petrum, & successorem eius pertinent, necesse erit, vt & præcedentia, & sequentia, ac vi sententię cohærentia, ad eosdem pertineant. Cum itaque Christus, claues noluerit tradere, nisi priùs omnibus discipulis de sui confessione exploratis, deiu non nisi accepto, & approbato responso Petri ex reuelatione patris loquentis, clarum est claues non esse, nisi eius, qui talis est, qualis tunc Petrus fuit, quo sequitur absurdissima absurditas, quòd malus Papa, vel Episcopus, non esset Papa, nec Episcopus, quia non haberet fidem, quæ constitueret acceptorem clauium.

Ratio 15. Deindè sequitur contrà textum, & sensum eorum, quòd nec Petrus claues acceperit, vel retinuerit, quia Dominus dicit, quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs, vel Ecclesiam, vel fidem, quam tunc Petrus tenuit, At contrà Petrum præualuit etiam ancilla hostiaria, si itaque illorum sententia staret, necessaria omninò sequela sequetur, aut Romanos, & omnes Pontifices oportere esse sanctos, & habere patris reuelationem, nec esse carnem, & sanguinem, aut eos non esse Pontifices, nec habere claues. Nec video, quid contra hæc dici posset, cum stet clarus textus, quòd claues sunt datæ, non nisi ei, qui carnem, & sanguinem non audit, sed patrem cœlestem, hoc est sanctum, & iustum in spiritu, alioquin omnis Pontifex est sathanas, non sapiens quæ Dei sunt, & sic redibit hæreticorum nouorum, & antiquorum error, Concludit ergo Euangelium hoc loco, nec ad Petrum, nec ad eius successorem, nec ad vllum hominem singularem pertinere, sed ad communionem sanctorum, quæ est Ecclesia, hæc deinceps potest claues committere, tum digno, tum indigno.

Plures obiectiones constituit inferiùs; dum decreta Summorum Pontificum refellere nititur, de quibus diù hæsitabamus, an in hunc locum omnes reijceremus, at veriti ne intactas existimaret eas lector, & præteritas, ide ò stetie sententia, eas suo loco, vbi diuersarius eas proponit diluere, at cum ad petitionem reuerendissimi Episcopi Brandemburgen. aliquos articulos mihi oblatos, auctoritate doctorea examinassem, quos diui Francisci sacerdotes eidem contra Lutheranos obtulerant, Iugulaui articulum illum, Papam negauit vicarium Christi. Petrum negauit principem Apostolorum, vbi suæ professionis, & cucullæ oblitus, torum hystrionem in me agit, at ego pro Christiana patientia, nolo cum in præsentia remordere, fundamenta eius sunt ista. Principio inquit, hoc verbum Domini. Tu es Petrus &c. Oportet quod habeat vnum primum principalem, & proprium sensum, in quo Christus ipsum protulit. Hic autem, vel est iste, quòd per petram intelligitur Christus ipse, vel Apostolus Petrus, vterque principalis esse non potest, quia ex duobus sensibus nihil probari potest. Si vtrumque Eckius confitetur, iam prorsus nihil probat, quia qua facilitate ipse per petram intelligit Petrum, eadem accipiam Christum, immò non licet, nisi bono moderamine, quod infrà dicam, verbum scripturæ de Christo dictum, alteri tribuere. Si autem alterum, tantum sequitur scilicèr, quòd petra sit Petrus, nec simul permittit alium quoque valere, iam hoc impium est, primò quia nusquam in sacris literis Petrus petra dicitur, sed Christus, 1. Corin. 10. Petra autem erat Christus, & Matt. 7, Comparabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & infrà. Fundata enim erat super petram, adducatur, vel vnus locus scripturæ, vbi Petrus dicatur petra. Ratio 16.

Secundò loco etiam manifestè distinguit Petrum à petra, nam si Dominus vellet per petram intelligi Petrum, dixisset. [Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam,] at cum repetit petram, manifestè indicat, aliud esse Petrum, & aliud petram, quam per pronomen hanc secernit à Petro, demonstrat, & exprimit, & sic facilè prohibebo, ne quis ex hoc textu possit ostendere Petrum esse petram. Ratio 17.

Tertiò inquit, quæro an Petrus sit pars Ecclesiæ, ergo non potest esse petra in hoc loco, quia Christus dicit super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, quare Petrus cum Ecclesia ædificatur supra petram, & non est petra, ipsa, nisi idem ædificetur super se ipsum, aut ergo Petrus non est petra, super quam ædificatur Ecclesia, aut non est pars Ecclesiæ, quæ ædificatur super petram. Ratio 18.

Quartò, verbum ædificari, verbum spiritus est, significans per fidem incorporari, & crescere in Christo, ideo non potest cogi ad potestatem regendæ Ecclesiæ, quæ sine fide

geri

Ratio 19. geri potest, nam potest tam Papa, quàm subditus malus esse, quare ista auctoritas prorsùs nihil facit ad rem, quia nihil de primatu, & potestate regiminis sonat, sed de fide in Christum, liquet ex illo Matth. 7. Fundata enim erat suprà petram, loquitur de fundatione fidei super Christo valente contra persecutiones, firmatur, & ex eo quod Petrus docet Petri secundo, vt super Christum ædificemur domus spiritualis. Expostulo ergo vnum locum ostendi in sacra scriptura, vbi ædificare significet illud somnium de regimine, quod vbi factum non fuerit, nihil est quòd dicta patrum, sine textu, sine iudicio proferuntur. Non enim licèt claro textui contradicere, per quorumcumque auctoritatem.

Ratio 20. Quinto vellem scire inquit, qua dialectica teneret illa sequela, Ecclesia ædificatur super aliquid (vt Petrum) ergo illud est vicarius Christi, & princeps Apostolorum, ergo, si supra fide ædificabitur (sicut verum est) fides est vicarius Christi. Non ergo Petro hìc regimen promissum est, sed Ecclesiæ constructio, in spiritu fidei descripta, in cuius Petrus persona confitetur petram, & claues accipit, vt vnanimitèr dicunt Sancti Patres, hæc iacula Lutherana fidelitèr renartata.

CAPVT XVIII.

Euacuantur rationes superiores, & proponitur nullum Papam errasse diffinitiuè, Ecclesiam Roma. Non posse errare, & verus sensus. Tu es Petrus, explicatur.

SI quis Priora nostra rectè attendit, iacula illa facilè depræcabitur, ideò cum ex præcedentibus liquida sint, non diutius immorabimur, admitto enim intelligentiam perfectam haberi, dum præcedentia, & sequentia rectè conferuntur, at nego vspiam hìc,
Solutur ratio 14. vel ex præcedentibus, vel ex sequentibus diffiniri, nullum recipere claues, nisi qui habeat reuelationem paternæ auditionis, & confessionem Christi. Sed hoc benè colligitur, nullum debere recipere claues, nisi sit talis, quia hìc forma Petri scribitur, qualis debeat esse, non qualem esse sit necesse. Vndè, & hodie nulli claues committendę sunt, nisi explorata priùs eius conditione, an dignus sit recipere, quòd titulus in iure Pontificio indicat de scrutinio in ordine faciendo, de ætate, & qualitate ordinandorum, quod vtinam tam diligenter facerent Episcopi, quàm prompti sunt in clerum excommunicationis gladio seuire, medios fructus cum incremento exigere, &c. fortè melius haberet res Christiana, sed qua diligentia ante promotionem, Episcopi examinentur à Papa, & sacerdotes ab Episcopis, omnes nouimus. Sed hæc alibi de quærimonijs defectuum vtriusque status, perperam igitur infertur, malum Episcopum, non esse Episcopum, sed hoc sequitur, malum Episcopum non esse dignum Episcopum, sicut qui non diligit Christum, non est dignus pastor, de quo infrà.

Euacuatur. Præterea cum sub intulit, nec sanctum Petrum retinuisse claues sic quas accepit, dico assumentem errare in lumine, cùm claues hìc sint promissæ, non traditæ, nec dum Christus ædificauerat Ecclesiam suam super Petrum, dum ad vocem hostiariæ negaret dominum. Præsente enim Christo, non indigebat vicario, numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiù cum illis est sponsus? Matt. 9. Sed fundata Ecclesia super Petrum, portæ inferi, hoc est hæreticorum doctrinæ, non præualuerunt contrà Ecclesiam, nam aliæ Ecclesiæ particulares sæpè defecerunt, vt proh dolor, Ecclesias perdidimus patriarchales. Constantinopoli, Hierosolymis, Alexandriæ, & Antiochiæ, omnis Aphrica nobis adempta est per infideles, licèt priùs sæpè defecerint, hæreticis in his sedibus debachantibus, ac inualescentibus.

Inconcussa tamen semper mansit fides catholica apud sedem Romanam erecta salus, & doctrinæ Christianæ integritas, deficit Achaia, vbi Andreas, Asia, vbi Ioannes, India, vbi Thomas, Persis, vbi Symon, & Iudas, Ethiopia, vbi Matthæus, Hierosolyma, vbi Iacobus, Græcia, vbi Paulus, Pontus & Galatia, vbi Petrus, Phrygia, vbi Philippus prædicauerunt. Roma semper in fide accepta stabilis permansit, nullus in ea vnquam sedit hæresiarcha, adeò quòd, & si non defuerint in ea præsidentes mali. Attamen non memini me audiuisse, vel legisse per Roman. Pont. diffinitiuè, & per sententiam aliquid promulgatum fidei nostræ repugnans, nisi mox diuina fuerit subsecuta vltio, non nego tamen aliquando fuisse conspersos hæresi, aliquid erronei attentasse. Nonne hoc est mirificum opus diuinum, homines enim hoc non possent in tanta rerum mutatione, quod iam Anno 1500. vbi præsiderunt Pontifices 229. à vera fide publicè diffiniendo, nullus defecit, hoc omnium ætatum sanctissimi existimarunt viri, non ob aliam (vt arbitror) causam, quàm quòd suprà petram firmata sit, aduersùs quam portæ inferi hæreticorum, si nullæ Arrij, Sabellij, Macedonij, Nestorij, Phocij, Donati, Heluodij, Lutheri, Hussi, &c. oriantur, semper ipsa manebit incolumnis, quod vt verum credas, probatissima afferam testimonia.

Cyprianus in expositione Symboli ait (quam Ruffini esse voluit, vt meminimus) quod & probabilius apparet, quòd dicat se in Aquilegiensi Ecclesia baptizatum) de Roma, verum priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importunè commendandum puto, quod in diuersis Ecclesijs, aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In Ecclesia tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum (loquitur de Symbolo) pro eo arbitror, quod neque hæresis vlla illìc sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus, &c. Addit Franciscus Picus in Theoreumatibus de fide, nec incrementum ibi sumpsit vlla hæresis.

S. Iulius in epistola ad Athanasium. Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente, & beato Apostolo Petro opem ferente, in futuro manebit, siue vlla hæreticorum insultatione, atque firma, & immobilis omni tempore persistet. Scito Gratianum perperam hæc

ver-

verba Iulij coniunxisse verbis beati Hieronymi, cap. hæc est fides, 24. qu. 1.

Beatus Hieronymus In epistola ad Damasum Papam incip. quoniam vetusto, ait de Romanis, profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum seruatur auctoritas, quæritur B. vir, tot hæreses nasci in orientali Ecclesia, ideò syncaeram fidem petit ab occidente, cap. quoniam vetusto 24. qu. 1.

Sanctus Agatho Papa omnibus Episcopis Galliæ, & Hispaniæ, hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus depravanda succubuit, sed in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fidetenùs manet, cap. à recta 24. quæst. 1. & cap. memor sum, ait Sixtus Papa. Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius confessio à Domino nostro glorificata est, cuius & fides nullam hæresim fouet vnquam. Siquidem omnes hæreses destruit, cap. in sede, ait Eusebius Papa. In Sede Apostolica extrà maculam semper est Catholica seruata religio.

Gelasius Papa ait ad Anastasium Imp. vna est Christiana fides, quæ est Catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus consortibus, syncera, pura, immaculata, communione diuisa est. Hoc est, quod Sedes Apostolica magnopere taxauit, vt quia mundo radix est, Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla protsùs contagione macularetur.

Sic libello subscripto in octauo Concilio actione prima legitur, in Sede Apostolica, immaculata est semper obseruata religio, in qua est integra, & vera Christianæ religionis soliditas.

Hinc rectissimè dixit Leo Magnus in secundo sermone anniuersarij suæ ordinationis. Specialis cura à Domino Petri suscipitur.

Sic Sanctus Bernardus ad Innocentium scribit epistola incipiente oportet. Oportet inquit ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ in fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum, hæc quippè est huius sedis prærogatiua.

Est & hoc pulchrum fidei nostræ priuilegium, quòd & si aliquando in Cathedris sanctis plures pestilentiales sedent. Tamen semper maior pars corporis sacerdotalis in fide, & lege Christi permanebit, quod pulchrè Cyprianus contrà Nouatianum deducit, licèt omnis homo mendax. Dominus tamen verax, quare confessorum maior pars, & melior stat in fidei suæ robore, & disciplina Dominicæ veritatis, & sicut per casum Iudæ, dignitas Apostolorum aliorum non est diminuta, ità etiam propter casum aliquorum Sacerdotum à fide, alij dignitatem non perdunt. Vndè concludo Sancta Romana Ecclesia Patriaschalis inter alias semper habita est, quæ minùs potuit errare. Ità modo omninò non errat, cum tota Ecclesia ad eius vnius redacta sit Patriarchatum. Habes ergo candidè Lector, Ecclesiam Romanam in fide non defecturam, auctoribus.

	Eusebio
Ruffino	Gelasio
Iulio	Octaua Synodo
Hieronymo	Cyrillo
Agathone	Bernardo
Sixto	Cypriano.

Redeuntes ergo ad obiectiones friuolas diuersarij dicimus, portas inferi, hæreticæ doctrinæ, nunquam præualituros Ecclesiæ Romanæ, quæ non deficit. Neque idoneè assumit diuersarius, oportere esse Episcopum sanctum, si communis intelligentia istiùs dicti esset vera, quoniam fateor deberet esse Episcopus sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, sed falsò iacto fundamento, erroneum surgit ædificium, quod nos qui sic interpretemur, vt præmisimus, nullum reliquamus omninò Pontificem. Vndè hic veterum mouet errorem, quod per peccatum mortale amittatur fides, quòd superiùs ostendimus erroneum, & omninò dissolutio ex prioribus liquet.

Ad ea, quę in maligno iudicio affert Lutherus, respondeo, eiusdem loci sacræ Scripturæ plures esse sensus, & Spiritum sanctum voluisse studio hanc obscuritatem. Testis est Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 19. Quamuis itàque diuini sermonis obscuritas, etiam ad hoc est vtilis, quod plures sententias veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit, ità tamen quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel alijs locis minimè dubijs asseratur. Siuè cum multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod sensit ille, qui scripsit, siuè id lateat, sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis, alia quædam vera dicantur, non mihi ab operibus Dei videtur absurda sententia, expende aureum Augustini dictum candidè Lector, sacræ Scripturæ obscuritatem non esse frustrà, dein quod plures sententias veritatis parit, ità quod duo sensus super eodem textu allati, ambo sint veri, tertio quòd sensum obscurum debet ex alijs manifestis probari. Iam dico verbum Matth. 16. super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, geminum habere sensum. Primò, enim per petram intelligitur Petrus. Secundò, per petram intelligitur Christus, addunt aliqui per petram intelligi soliditatem fidei, quos omnes sensus dico esse veros. Et primus appatet mihi esse sensus germanus, & principalis, licèt Petrus propterea non sit petra principalis.

Ad cauillos, quos mouet in oppositum, dico ad primum, quòd Petrus sit petra, nec oportet quod in alio loco scripturæ Petrus dicatur petra, nam in obscuris est recursus habendus ad clarum textum, secundum Augustinum. At hic clarissimus textus habetur, ideò non est necesse aliundè mendicare intellectum, nam si probus ille Syrus, aut alius gentilis legeret hæc verba. Tu es Pe-

trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, statim prima animi conceptio esset Ecclesiam ædificari super petram, quare iste est sensus genuinus, proprius, germanus, Primarius verborum Christi, velut ab initio cap. 3. ostendimus. Adde quod licèt Petrus non dicatur, alibi petra in sacris literis, tameo typus eius est lapis, sicut & aliorum Apostolorum per 12. lapides designatorum Ios. 3. Et cum petra hic nihil aliud denotet, nisi fundamentum alibi nos reperimus, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ cum alijs Apostolis. Apoc. 21. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum, & agni. Ob id Beatus Hieronymus dixit super Petrum fundatur Ecclesia, licèt ad ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat. Vndè Christus est principale fundamentum in comparatione ad Petrum, & Petrus est primarium in comparatione ad alios discipulos, velut Hieron. vbi suprà lib. 1. contrà Iouin. indicat.

Ad tertium cauillum apertissimè nugatur diuersarius hic petram distingui manifestè à petra, & cum probat, quia aliàs dixisset, super te ædificabo Ecclesiam meam. Dico primò, quòd ridiculus diuersarius non debet docere loqui æternam sapientiam Dei, in qua sunt omnes thesauri sapientię, & scientiæ absconditi. Secundò, est argumentum maximè vitiosum, quod per omnia quadrat in adducentem. Simili enim argumento dicerem contra eum, si Christus esset hic petra, tunc dixisset. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dico tertiò, quod Hieron. ità intelligit. Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam. Dico quartò, diuersarium esse oblitum grammaticæ, cum magis conueniat idem demonstrari, si non expressum fuerit aliud demonstrari, & ità tu, & haoc idem demonstrant, Dico quintò, hoc colligi ex verbis præcedentibus, & sequentibus, nam ab initio demonstrat Petrum. Tu es Petrus. In fine demonstrat Petrum. Tibi dabo, quare non videtur aliud demonstrare in medio, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Dico sextò, hoc colligi ex ratione, & causa dicendi, quia Dominus pro tam gloriosa confessione Petri, voluit ei aliquid præmij referre, quare ad eum, qui meruerat, & qui fuerat confessus Christum, hæc verba referenda sunt, quibus Deus voluit ostendere quid magni, quod Petro retribueret pro illa confessione. Dico septimo, non esse magnum, si hæc verba referantur ad Christum, quia si Petrus ex reuelatione Patris nouit Dominum esse Filium Dei viui, nouit super eum primariò fundari Ecclesiam, & ità Dominus nihil magnum ei dixisset nouum, priùs sibi ignotum. Dico octauò, plus esse contrà Germanum sensum, & proprium, si quis per pronomen tertiæ personæ demonstret seipsum, quam cum demonstret alium. Dico nonò, si per petram intelligatur Petrus, apparet etiam iste sensus verior, quàm si intelligatur Dominus Iesus. Alt enim in futuro, vt ponderat B. Hieron. sed in futuro ædificanda erat Ecclesia super Petro, quæ tunc præsenter ædificabatur super Christo. Vndè si demonstrasset seipsum Dominus, tunc potiùs dixisset. Tu es Petrus, & ego super hanc petram ædifico Ecclesiam meam. Dico decimò, quòd Christus denotando Petrum, màluit dicere super hanc petram, quàm super te, ad exprimendam fundamenti firmitatem, soliditatem, & immobilitatem, & tamen ne crederemus solum Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, & petram, ideò prouidè Paulus hoc oobis exposuit, petra autem erat Christus, licèt tunc loqueretur Apostolus de petra, quæ erat figura Christi, de qua biberant Patres. Exodi 18. Iam audacule, & dic te habere sensum Germanum & Grammaticum istorum verborum,

Ad tertium cauillum infantilem, piget me respondere, dico tamen breuibus. Petrum 18. Ratio.
esse partem Ecclesiæ, & nego illationem, ergo non est petra, & fundamentum Ecclesiæ. Immò maximè oppositum sequitur, si est petra, & fundamentum Ecclesiæ, ergo est vt sic pars eius, cum pueri in locis dialecticis nouerint fundamentum, parietes, & tectum esse necessarias partes integrales domus, inaniter garrit ideo ædificari super seipsum, nam & hoc dicere possum, & superiùs ostendimus, Petrum, vel Papam, vt singularem hominem, sub esse sibi ipsi, vt Papæ. Sicut Dux Austriacus subest sibi ipsi, vt Imperatori. Ideò lata ab eo sententia, vt Duce Austriæ, appellatur ad iudicium eius Imperiale. Est ergò pars Petrus Ecclesiæ, quia vel fundamentum, vt Papa, vel subditus, vt singularis homo, iam vides candide Lector, quid est relictis verbis Scripturæ, & intellectu Sanctorum Patrum, pro arbitrio, & praua voluntate textum sacrarum literarum torquere, & dilacerare, vt in eam præcipitetur cæcitatem, vt oculos habeat, & non videat, intellectum habeat, & patentissima pueris obuia non intelligat.

Ad quartum de verbo ædificare, quod ipse exponit, id est incorporari per fidem, 19 Ratio.
& crescere in Christo, nego illam interpretationem violentam, benè verum est, quòd iam ædificatus super petram, incorporatur in Christo per fidem. Attamen illud incorporari per fidem, non præcisè est ędificare, Sicut Hier. 1. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ędifices, & plantes, & Hier. 18. subito loquar de gente, & regno, vt ędificem, & plantem. Vndè sic ędificauit Ecclesiam, quia dedit ei plenitudinem potestatis, ex qua in totam plebem Christianam, diuina munera deriuantur, ad quem velut ad caput omnes recursum haberent. Vndè non dixi vnquam ædificare, esse regere, sed quia Dominus ędificauit Ecclesiam super Petrum, ideò consecutiuè habet regimen super Ecclesiam. Quòd ipse præferre vult clarum textum, auctoritati Sanctorum Patrum, nemo ignorat pręferendum textum glosę, sed quis ità desipit, qui credat tot sanctos, & doctissimos Patres in omni Philosophia, Ethnica exercitatissimos, Spiritu sancto plenos, non intellexisse clarum textum, & hunc diuersarium modò intelligere?

Ad illationem, quòd licèt non valeat de omni ædificatione, tamen super hominem purum ędificari Ecclesiam, arguit ipsum esse Prelatum, & Vicarium, quare non potest argumen-

gumentari de fide. Vndè patet rectè sanctos Patres affirmasse, Petro hìc regimen super Ecclesiam promissum, & simul Ecclesiæ ędificationem super Petro, quam libentèr fateor & spiritu, & fide factam esse, patet ergò voculam ędificare, etiam si non probaret regimen, tamen ei non repugnaret, at iuxtà Sanctorum Patrum traditionem, ostendimus per illam probari regimen, & primatum Petri super tota Ecclesia.

CAPVT XIX.

Diluuntur tres rationes adductæ, & ostenditur Lutherum falsum imposuisse Panor. & glossæ.

Ratio 20. POstremò adducam rationem Lutheri, quam ab initio formauit. Ipsemet inquit iureconsulti, Primatus huius assertores recedunt ab hoc sensu, & negant hoc verbo, Petro datum primatum consequentèr, & Romanum Pontificum, sicut glos. in cap. considerandum, I. dist. & Panor. in cap. significasti de elect. Vndè dicunt. Non hoc verbo, sed illo verbo, [Pasce oues meas] Petro esse collatum Pontificatum Ecclesiæ. Si ergò ipsis iuristis licet negare tot textus expressos decretorum, & dissentire omnibus, quæ dist. 17. 18. 19. 21. 22. tam copiosè, & pertinacitèr ex hoc verbo Matthæi statuuntur, cur mihi non liceat frigidissima decreta appellare Theologo, cùm ea negare, & annihilare liceat iuristis? persequantur primum seipsos, maioris criminis reos, aut si veniam merentur decretorum negatores, & crassatores, sine peccato erit, qui inefficaces asserit, & frigidas decretorum probationes. Neque enim ego, ait Lutherus, ea negaui, sicut illi, sed frigere tantum ad probandum dixi, sicut reuera frigent, nisi quòd ad locupletandum locum valent, exemplo eorum, quæ per vim dicuntur, & in alienam sententiam trahuntur. Nihil ergò probatur hoc textu, à quo ipsimet discedunt, nihil istis decretis probatur, quæ ipsimet negant, ueutrisque confidunt.

Ratio 21. Et mouentur ad hoc satis forti ratione, quæ aduersarios reddat inuictos, scilicèt hoc quòd Christus (vt etiam B. Hierony. eodem loco exponit) non tradit Petro claues, sed promittit dumtaxat. Ideò currendum est ad locum, in quo tradit claues. Et tunc inuenitur illud Ioan. vlt. quòd non ad Petrum, sed ad omnes dicit, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Ex quibus verbis liquet non solùm, quibus in Petro claues promiserit (nempè toti Ecclesiæ) sed etiam quid per claues promissas velit intelligi, nempè remissionem, & retentionem peccatorum.

Ratio 22. Et in disputatione Lipsica congressu tertio contra Doctores, & sanctos Patres, tunc per me citatos, & superius adductos aiebat. Quòd si etiam Augustinus, & omnes patres, Petrum intellexerunt per petram, resistam ergò eis vnus auctoritate Apostoli Pauli, [id est diuino iure, qui scribit. 1. ad Corint. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere, præterquam quod positum est, quod est Iesus Christus, & auctoritate Petri primæ secundo, vbi Christum lapidem viuum, & angularem appellat, docens, vt superædificemus in domum spiritualem. Alioquin si Petrus esset fundamentum Ecclesiæ, lapsa fuisset Ecclesia ad vnius ancillæ hostiariæ vocem, quam tamen nec portæ inferorum expugnare poterunt. Sequitur ergò quòd sancti Patres, quando Petrum appellabant petram, hoc loco, vel humana patiuntur, vel aliquem alium sensum habent, de quo non pronuntio. Ideò illud Ambrosij libentèr admitto, Petrum esse petram, cùm & quilibet Christianus sit petra, propter Christum, in cuius soliditate firmatur, & vnum cum eo efficitur.

Diluam primò hoc vltimum, sicut ex temporariè Lipsiæ respondi, vt notarij iurati nomine principis, & vniuersitatis exceperunt. Sed quàm modestè, & humilitèr patet Augustinianus responderit, aliorum sit iudicium, cùm vnus promiserit tot sanctis Patribus se oppositurum, hoc est verè Bohemicum plus velle intelligere sacram Scripturam, quàm Summi Pontifices, Concilia, Doctores, & vniuersitates in magno vigore existentes. Cùm tamen Spiritus sanctus Ecclesiam suam nunquam deseruit, & mirum esset si illam veritatem Deus tot sanctis, & Martyribus occultasset vsque ad aduentum illius patris, neque euincit quippiam beati Pauli inductio, quòd eius dicta SS. Patribus, & doctis minimè aduersentur. Est Christus petra, est fundamentum, est lapis angularis, est caput Ecclesiæ indubitatum, porrò illa non debere attribui eius Vicario contrà sanctorum Patrum, & Martyrum attestationem non est acceptandum, ratiunculam adiecit, nuper in sermone vulgari disseminatam, de ancilla hostiaria, parcat mihi Reuerendus Pater, cum philosophiam Aristotelicam contemnat, & grammaticam tantifaciat, cur hìc lynceis suis oculis, verbum ædificabo futuri temporis non perspexit? Non enim sponso præsente, vbi filij letabantur, opus erat Vicario, neque tunc Christus ei potestatem dedit clauium, sed potius promisit, ante ergò clauium, & potestatis dationem. ab hostiaria interpellatus fuit S. Petrus, quod & Ambrosius. Dein Greg. testantur, hæc in disputatione. Et in nouo actu disputationis.

Euacuatur ratio 22. Lutheri temeritas.

Ex disput. Lipsica.

Ego autem eum locum ob hoc induxi, quòd oporteat passus sacræ Scripturę concordes ostendere, & cum Apostolus Paulus vnum fundamentum Christum posuisset, & nemò aliud ponere posset, Petrum per hoc fundamentum Ecclesiæ negari non debere, quia Ioannes, & ipse Sanctus duodecim posuerit fundamenta, quòd nisi distinctionem acceperis de fundamento fundamentorum, idest principali, & substituto, seù secundariò, Paulum, & Ioannem non concordabis. Hæc in disputatione fidelissimè per notarios ex nobis excepta, quibus illud vltimum satis est dilutum, de Ambrosio, quod assumit Lutherus, quemlibet christianum esse petram, contra omnium Sanctorum Patrum sententiam, nec sic dabit, quomodo Ecclesia ædificetur supra petram, nisi quilibet ædificetur super se ipso, taceo quòd sic quilibet esset fundamentum, cùm hic appellatio petræ di-

eat soliditatem fundamenti secundùm sanctos.

Diluitur 20 ratio. Iam redeo ad primam obiectionem facillimæ dilutionis, primò cùm citat glossam 50. dis. considerandum, dico, si vult stare auctoritate glossæ, statim finiemus negotium, quia fatetur glos. Petrum factum principem Ecclesiæ per ista verba, pasce oues meas, non per ista. Tu es Petrus, quòd omnes admittimus, neque vnquam legi aliquem aliter determinasse, & pro hoc superius allegauimus Hieronymum super Matth. hæc est rei veritas, quòd per ista verba.] Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Probatur primatus Petri, sed tunc non est datus ei principatus, probatur autem ex eo, quia Deus ibi promisit, qui est indefectibilis veritatis, & infallibilis, & igitur promissum constanter seruauit, & exhibuit. Idem de Panor. vnde falsum imposuit ipsis, quòd negent decrera. Decreta enim non negant, sed si aliqua dicunt Dominum dedisse ibi primatum, intelligendum est promissiuè, merus cumulator distinctionum. cùm dis. 17. Nec vnum verbum fiat de dicto illo. Tu es Petrus. Vnde falsum assumit, quòd iuristæ negent illa decreta, & falso illo præsuppposito, ait, & sibi licere, quamuis si etiam aliqui negarent decreta, quod non faciunt, adhuc sibi non liceret, cùm allegare inconueniens, non sit soluere, quare & de vento erunt, & reliqua, quæ crepat super eo proposito, frigent

Diluitur ratio 21. diuersario decreta, scio quomodo calescerent, denuò eis falsum imponit, quòd ab illo textu discedant, quòd nec ad larum vnguem faciunt, de ratione eorum, miror quomodo Luther fateatur aduersarios reddere victos, cùm bellatorum sit exarmare hostem, non inuictum reddere, vnde verùm est, & nemo negat, claues ibi esse promissas, alio loco datas. Sed Ecclesiasticus Theologus, qui solus Byblia tenet, Ioan. vlt. allegat, quòd ibi nunquam competitur. Hoc est verum Ioan. vlt. legi illud, pasce oues meas, & ibi dedit Petro, quòd promisit, Matt. 16. vt glos. illa dist. 50. considerandum, affirmat. Porrò falsum est, quòd potestas Petro promissa, fuerit data omnibus Apostolis Ioan. 20. Sed sicut omnibus Apostolis in cœna dedit potestatem super corpus suum verum, Luce 22. eos ordinando in sacerdotes, irà post Resurrectionem dedit potestatem eis super corpus suum mysticum, & irà completum sacerdotium in eis fecit, & post hoc Petrum inter eos extulit, vt pastorem, vt primatum, vt principem eorum. At quia subdolè, & nequiter voluit arripere ausam negandi decreta, quia glossa, & Panor. negauerint ea (quod tamen falsum esse ostendimus) post alia incipit sanctorum Martyrum, & Confessorum constitura conuellere, in fabulas redigere, tanta impudentia, vt qui Summorum Pontificum sanctitate, & erupitione commendatissimorum decreta, irà exhibilauerit, viderim neminem. Hac itaque ratione, cùm decreta aliquot per nos allata calumnietur, tantæ mordacitati hærculea audacia occurrendum est.

CAPVT XX.

Quomodo obseruanda sint Romanorum Pontificum decreta, & quid sit codex Canonum apud antiquos.

Diluturus Blacteramenta Lutherana contrà Summorum Pontificum decreta, videor recto ordine processisse, si initio ostenderimus in qua veneratione Summorum Pontificum decreta sint habenda, quantaue obseruantia sint tecepta, obiter ergò retexamus ea, quæ proposito nostro deseruiunt. Primò, ipsos Pontifices audiamus, dein SS. Doctores. Prodeat ergo primus Leo I. Papa Sanctus cap. hoc vestræ dist. 11. vestræ indicimus charitati, vt ab Apostolicis institutis, nullo vlterius recedatis excessu, quia inultum post hoc esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit esse negligendas. Et in Codice Canonum dicit. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam bonæ recordationis. Inno. quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibns, & Canonum promulgata sunt disciplinis, irà nostra delectatione custodire mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.

Calixtus Papa, & Martyr, ait, cap. non decet, dist. 12. Non decet à capite membra discedere, sed iuxtà scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur, nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia Mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus conuenit vos deuiare.

Stephanus Papa, & Martyr, ait, c. enim verò dist. 19. Enim verò, quia in speculum, & exemplum Romana Ecclesia, cui nos præesse voluit, præposita est ab omnibus, quicquid statuit, ordinat, perpetuò quidem, & irrefragabiliter obseruandum est.

Damasus Papa omnibus Episcopis scribit, obseruetur, inquit, ab omnibus, vt illa semper, quæ Apostolica institutione, & patrum traditione sunt constituta, sub metu, irrefragabili auctoritate teneantur. Et iterùm omnia decretalia cunctorum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum sunt promulgata disciplinis, irà ab omnibus Episcopis, & sacerdotibus generaliter custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserint, veniam sibi honoris deinceps nouerit denegari. Gratianus refert cap. omnia decretalia 25. quæst. 1. Et S. Iuo similiter, licèt incipiat eum alio capite, profiteor, tamen Nicolaus Papa dist. 19. Si Romanorum, citat eum esse Leonis, vt paulò suprà meminimus, Gratianus, vbi suprà alium Canonem, violatores Damasi transcripsit. Violatores Canonum voluntariè, grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu, instinctu cuius, ac dono dicati sunt, damnantur, quoniam blasphemare spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contrà eosdem sactos Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid

aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui pręſumunt, aur facere volentibus, ſpontè conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum.

Innocentius Papa S. Auguſtino familiaris cap. quis neſciat diſtin. 11. Quis neſciat, inquit, aut non aduertat, id quod à principe Apoſtolorum traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperduci aliquid, quod auctoritarem debeat generalem aliundè accipere, vel exemplum. Idem Innocen. ſcribit ad Concilium Aphricanum (vt latiùs dicturi ſumus lib. 2.) velut inter epiſtolas Auguſtini legitur, & Gratianus tranſcripſit cap. quotiens 24. quæſt. 1. Quotiens ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Epiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris auctoritatem referre debere, velut nunc dilectio veſtra retulit, quod per totum mundum poſſit Eccleſijs omnibus prodeſſe. Gelaſius Papa ait Canon. 9. Cum decreta venerabilium Sanctorum, nos quoque magnoperè cuſtodire nitamur, atque ſiue eorum diſpendio etiam illa, quæ pro alicuius vtilitatis fortaſsè compendio videantur laxanda credamus. Cumque nobis contrà ſalutarium reuerenriam regularum cupiamus temere nil licere, & cum Sedes Apoſtolica ſuperior his omnibus fauente Domino, quæ paternis præfixa canonibus, pro deuotoque ſtudeat reuere propoſito, ſatis indignum, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam B. Petri Sedem, & ſequi videat, & docere, ſatiſque conuenieus ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibi obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum. Præter conſtitutionum approbationem, habes hic vnum pro principali inſtituto, Dominum dediſſe principatum Eccleſiæ Romanæ.

Hormiſda Papa ait, prima ſalus eſt rectè fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deuiare, ità ſcripſit omnibus Epiſcopis per Hiſpaniam, Bonifacio notario ex ſcrinio bybliothecæ Romanæ proferente libellum Patrum, ſic incipientem, vti ſuprà meminimus.

B. Gregorius ait diſtinct. 12. præceptis. Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica auctoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur, ſi eiuſdem Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput veſtrum, communionem habere deſideratis, non nouum aliquid præſenti iuſſione pręcipimus, ſed illa, quæ olim videntur indulta firmamus, cum nulli dubium ſit, quod non ſolùm pontificalis cauſatio, & omnis ſanctæ ſpei Romanæ Eccleſiæ, & religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad caput omnium Eccleſiarum debuit referri, & indè normam aſſumere. Vndè aſſumpſit exordium, ne caput inſtitutionis videatur omitti, cuius auctoritatis ſanctionem omnes teneant ſacerdotes, qui noluerint ab Apoſtolicæ petræ, ſuper quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam, ſoliditate conuelli. Si quis hæc Apoſto-
Nota pro primatu, licæ Sedis præcepta non obſeruauerit, percepti honoris eſſe hoſtis non dubitetur. Hæc B. Gregorius vir minimè ambitioſus, & cap. hac conſona 25. quæſt. 1. hac conſona Sanctis Patribus diffinitione ſancimus, vt qui ſacris obedire canonibus neſcit, nec ſacris miniſtrare altaribus, nec communionem capere ſit dignus, & cap. nulli diſt. 19. Nulli phas eſt, vel velle, vel poſſe tranſgredi Apoſtol. Sed. ſed præcepta, nunc noſtræ diſpoſitionis miniſterium, quod veſtram ſequi oportet charitatem, ſit ergo ruinæ ſuæ proſtratus, quiſquis voluerit Apoſtolicis contra ire decretis, nec locum deinceps inter ſacerdotes habeat, ſed exors à ſancto fiat miniſterio, nec de eius iudicio quiſquam poſtea curam habeat, quoniam iam damnatus à ſancta Apoſtolica Eccleſia, ſua inobedientia, atque præſumptione, & infrà. Sit quæ alienus à diuinis, & Pontificalibus officijs, qui noluerit Apoſtolicis pręceptis obtemperare.

Adrianus Papa etiam Reges anathematizauit, quicumque Sedis Apoſtolicæ decreta violare non formidarent.

Leo IV. Canone primo. Ideò permittente Domino, paſtores hominum ſumus effecti, vt quod patres noſtri, ſiuè in ſanctis Canonibus, ſiuè in mundanis effinxere legibus, excedere minimè debeamus. Contrà quippè eorum ſaluberrima agimus inſtituta, ſi quod ipſi diuino ſtatuerunt conſulto, intactum non conſeruamus, & iterùm ſicut Gratianus quoque renarrat c. de libellis diſt. 20. Quam ob cauſam magna voce pronunciare non timeo, quia qui, quæ prædiximus ſanctorum Patrum ſtatuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur, ſiuè ſit Epiſcopus, ſiuè clericus, ſiuè laicus, non indifferentèr recipere conuincitur, nec Catholicam, & Apoſtolicam fidem, nec ſancta quatuor Euangelia, vtilitèr, & efficacitèr ad effectum ſuum retinere, vel credere probatur.

Nicolaus Papa Canone 38. & repetit Gratianus 25. quęſt. 1. Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta, pro catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, & imminenrium, & futurorum malorum, à Sedis Apoſtolicæ præſule ſalubritèr promulgata contempſerit, anathema ſit. Idem apertiſſimè hoc declarat ad Epiſcopos Galliæ, cuius decretum eſt vulgatiſſimum, & ineuincibile, & licèt prolixum cap. Si Romanorum diſt. 19. præſtat tamen illud tenarrare. Si Romanorum Pontificum decreto cęterorum Opuſcula tractatorum approbantur, vel reprobantur, itaut quæ Sedes Apoſtolica probauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenùs vt inefficax habeatur, quantò potiùs ea, quæ ab ipſa pro catholica fide, pro ſanis dogmatibus, pro multiſarijs Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus, diuerſo tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet oportunitatibus, diſcretione, vel diſpenſatione magiſtra reuerentèr aſſumi, quamquam quidam veſtrum ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum Pontificum in toto Canonum codice eſſe deſcripta, & ideò inter Canones non aſſumenda, cum & ipſi vbi ſuæ intentioni hic ſuffragari conſpiciunt, vt in illis indifferentèr vtantur, & ſolum nunc ad diminutionē ſedis Apoſtolicę, poteſtatis,

&

& ad suorum augumentum priuilegiorum minus accepta esse perhibeant, & sequent. Canone 10.

Si ideò non esse decretales epistolas Priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur ascriptæ. Ergo nec S. Gregorij, nec vllius alterius, qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est aliquod institutum, vel rescriptum recipiendum, eo quòd in Codice Canonum non habentur ascripta. Ergo doctrinam eorum, & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur ascriptæ, de codicibus abradaut, vt quid, vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Sed quare multùm immoremur, cum nec ipsas diuinas scripturas veteris, & noui testamenti iam recipiemus, si istos dixerimus audiendos esse? Etenim neutrum horum in Codice Canonum Ecclesiasticorum habetur insertum.

Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum, sed ad resistendum potiùs parati sunt, dicentes, quod inter Canones inueniatur capitulum. S. Innocentij Papæ, cuius auctoritate doceatur à nobis vtrumque testamentum esse recipiendum, quamquam in ipsis paternis canonibus, nullum eorum ex toto contineatur insertum.

Quibus ad hæc asserendum est, quoniam si vetus, nouumque testamentum, recipienda sunt, non quòd Codici Canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis Sancti Papæ Innocentij prolata videatur esse sententia, restat nimirùm, quòd decretales epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ, etsi non sunt Codici Canonum compaginatæ, quoniam inter ipsos Canones vnum B. Leonis Capitulum constat esse permixtum, quo ità omnia decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, vt si quis in illa commiserit, nouerit sibi veniam denegari (interserit verba canonis sub Leone recitata.)

Dicendo verò omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandauerit esse custodiendum, & rursus asserendo omnium decessorum nostrorum, nullum Romanorum Pontificum, qui ante se fuerunt excepit, cuius ità non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaque nihil interest, vtrum sint omnia nec ne, decretalia Sedis Apostolicæ constituta, inter Canones Conciliorum immixta, cum omnia in vno corpore compaginari non possunt, & illa eis intersint, quæ firmitatem his, quę desint, & vigorem suum assignent, præsertim cum Synodalia gesta, inter quæ, & ipsi Canones statuti sunt, in Codice Canonum non habentur, sed à nobis omni cultu debito venerentur.

Consonat autem huic beatissimo Papæ Leoni Sanctus, & facundissimus in decretis suis Papa Gelasius, ità inquiens, decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decreuimus. In quo norandum, quia non dixit decretales epistolas, quæ inter Canones habentur, nec tantùm quas moderni Pontifices ediderunt, sed quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana dederunt, dictis autem diuersis temporibus, & illa tempora vir sanctus comprehendit, quę crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad Sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant, his itàque diuina fauente gratia prælibatis, ostendimus nullam esse differentiam, inter illa decreta, quæ in corpore Canonum habentur. Sed, Apostol. præsulum, & ea quæ præ multitudine, vix per singula corporum volumina reperiuntur, cum omnia, & omnium prædecessorum suorum decretalia constituta, atque decretales Epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana dederunt, fore venerabilitèr suscipiendas, & custodiendas, eximios præsules, Leonem scilicèt, & Gelasium mandasse probauimus, hæc Nicolaus, decretum illud etsi prolixius, libentèr renarrauimus, quod abundè intentum probet Nicolaus. Loquitur autem (ne & hoc ignores candide lector) de antiquissimo decreto, quo olim vtebantur, in quo Canones habentur 12. Conciliorum, & 15. Summorum Pontificum, cuius meminit, & Leo IV. in cap. de libellis dist. 20. Illud decretum iam in manibus habeo. D. Ambrosij Abbatis Sanc. Emerani Ratisponensis benignitate, meminit huius libri Codicis Canonum Beatus Gregorius in registro ad Secundinum seruum Dei inclusum lib. 7. epist. 53. mihi col. 3. quem ego pro communi studiosorum vtilitate curabo, vt propè diem in lucem edatur, potissimùm propter Canones Nicæni, Chalcedonensis, & Aphricani Conciliorum, & quia vsus sum hoc Codice contrà diuersarium, vt magis assentiatur pius lector, exemplar me habuisse emendatum, & vetustum, subnotabo quod literis maiusculis in fronte libri videtur.

Iste Codex est scriptus de illo authentico, quem Dominus Adrianus Apostolicus dedit gloriosissimo Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, ac Patritio Romanorum, quando fuit Romæ. Cusanus quoque meminit Adrianum dedisse Canones Carolo.

Idem Nicolaus in libro Epistolari contrà Photium Constantinopolitanum, & Imperatorem Michaelem inquit. Decretalia autem, quæ à Sanctis Pontificibus Sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cuius auctoritate, atque sanctione omnes Synodi, & sancta Concilia roborantur, & indè stabilitatem sumunt, cur vos non habere, vel obseruare dicitis, nisi quòd vestræ ordinationi contradicunt? Idem scripsit clero Constantinopolitano. Indicate cui potiùs resistendum sit, an potestati, quam in Petro Deus omnipotens ordinauit, quamque super Ecclesiam cunctam extulit, an ordinationi Gregorij Siracusani, cui millies Ve dicendū est, homini, per quem in Ecclesia Christi tot scandala veniunt? Possem ego id de Luthero dicere, quod Papa de illo Syracusano dixit: Et infrà. Constat enim Sanctam Romanam Ecclesiam per B. Petrum principem Apostolorum, qui Domiuice ore pri-

primatum Ecclesiæ suscipere pro meruit, omnium Ecclesiarum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundùm Canonicas, & Synodicas, sanctorumque patrum sanctiones, inuiolabilitèr, atque irrefragabilitèr retinet, requirere & sectari, & infrà. Quia vniuersitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant. Oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse, & ad speculationem Dominici gregis tantò feruentius anhelare, quantùm hunc auidi lupi ad dilaniandum hinc indè parentia ora exquirunt, his omnibus satis abundè monstratum credimus quanta fide, & reuerentia Summorum Pontificum decreta suscipienda sint à fidelibus, nam hos adduximus Pontifices.

Calistus CCXVII.
Stephanus CCLXI.
Damasus CCCLXXI.
Innocentius CCCCLXXX.
Leo I. CCCCXLIV.
Gelasius CCCCXCIV.
Hormisda D. XIV.
Gregorius D. XC.
Adriannus D. CCLXXIV.
Leo IIII. D. CCCLI.
Nicolaus D. CCCLXII.

Vixerunt Anno à Natali Christiano.

CAPVT XXI.

Decreta XX. Pontificum ab Omnibus seruanda probatur auctoritate Conciliorum, & Sanctorum.

Satisfacere arbitror priora pro fideli, vt assentiatur Summorum Pontificum decreta fore acceptanda, at ne quispiam temerarius cauilletur, Summos Pontifices, in causa propria indulgentius pronuntiasse, alia adferamus testimonia. Primo Conciliorum.

Hilarius, I. in Synodo Romana præsentibus 42. Episcopis, definiuit, vt nulli phas sit, sine sui status periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.

Agatho, qui sextam Synodum vniuersalem per Legatos suos instituit, & institutam firmauit, & in ea pronunciari fecit. Sic omnes sanctiones Apostolicæ Sedis accipiendæ sunt, tamquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.

Insuper in Synodo Toletana habita anno Christi, 627. tempore Recaredi Regis ex omnibus Episcopis Hispaniæ, & Galliæ, vbi in primo capitulo statutorum, præmissis capitulis fidei Orthodoxæ (quoniam de Arriana hæresi omnes reuertebantur ad catholicam fidem) sic deindè legitur. At nunc pace Christi Ecclesiæ, Christi misericordia separata, omne, quod Priscorum Canonum auctoritas prohibet sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcepit, permaneant in suo vigore Conciliorum omnium instituta, simul, & Synodicæ sanctorum præsulum Romanorum epistolæ.

Idem etiam sancti patres semper obseruarunt, cùm enim Roman. Pont. sit pater patrum, & vniuersalis Ecclesiæ præpositus, vt adhuc latissimè probabimus, mandat autem Apostolus ad Heb. vlt. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, & quod Christus præcepit Matth. 23. de sedentibus super cathedra Moysi, etiam malis. Omnia quæcumque dixerint vobis facite, quare Papæ, velut capiti fidelium est ab omnibus obediendum, qui Christiano nomine censentur, consistit autem obedientia potissimùm in tribus, in exhibitione reuerentiæ, in mandatorum susceptione, & subiectione iudicij, quare eius decretales reuerenter sunt suscipiendæ, & exequendæ.

Ideò Germanorum Apostolus S. Bonifacius Martyr Moguntinus Archiepiscopus perpendens quantùm Ecclesiæ prosit bonus, noleat malus Papa, talitèr nos admonet. Pro cuius (Papæ) perpetuo statu vniuersitas fidelium, tantò instantiùs orat, quantò suam salutem, post Deum ex illius incolumnitate aduertit propensius pendere, vndè mirum esset cum Deus prouidit Synagogæ, vt omnes quæstiones emergentes de lege, & cultu Dei reseruabantur Moysi determinandæ: Deutron. 18. quare non constituisset in Ecclesia, qui emergentes quæstiones fidei terminaret?

Exemplum habemus in beato Hieronymo, qui fuit multò doctior Damaso Papa, adhuc ab eo petit doceri, quid credere eum oporteat, in epistola in fine, vbi contra Arrianos scribit. Discernite, inquir, si placet obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iuberis, & infrà. Si rectum putaris tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. & infrà. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per homusion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis, siuè tacendarum, siuè dicendarum hypostaseon detur auctoritas.

Idem Hieron. in professione sua ad Damasum ait, hæc est fides Papa beatissimè, quam in catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri sedem, & fidem tenes, si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit, ità & ego sententia mea ab Apostolica Sede probata, aduersario dicere possem, quod vel imperitu vel maleuolus, vel non catholicus esset. Hieronym. 24. quæst. 1. hæc est. In Lutherũ.

Sic Cyrillum citant, vt membra maneamus in capite, Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solus est corrigere, reprehendere, statuere, disponere, soluere, & loco eius ligare, qui ipsum ædificauit, & nulli alij, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant.

Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana transcripsit. Gratianus cap. in Canonicis dist. 19.

dist. 19. In Canonicis scripturis Ecclesiarum catholicarum, quàm plurimùm diuinarum scripturarum solertissimus indagator, auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quas Apostolicas Sedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere epistolas, vide insignem Ecclesiæ doctorem vltrà malo Aphricanum iudicio, non Carthaginen. non Numidiæ, non Biazazenæ, sed Apostolicæ Sedis subijcit, quæ sint tenenda, vel non, & epistolas eius etiam recipit.

Refert Cardin. Brixien. Haymarum Archiepiscopum Remen. de Synodis cap. 2. hoc nos irretractabilitèr obseruare debemus, vt Apostolici patres nobis ex Apostolica auctoritate præceperunt, per quam, & aliorum statuta nobis ad seruandum cannonicasse leguntur. Nempè beatissimi patres nostri Damasus, & Leo Magnus, quorum alter secundum vniuersale Concilium, alter quartum, id est Calcidonense, Apostolica auctoritate firmauerunt, ipsi inquam eadem auctoritate, & voce generalitèr decreuerunt, omnia decretalia seruanda.

Sic B. Bernardus Innocentio Papæ scribit. Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi fides habere defectum non posset. Ecce sancti viri testimonio habes fidem Papæ in decisionibus fidei indefectibilem, quare eius decreta, & sanctiones obseruandæ sunt. Vndè Wickleffistica lues est, decretales contemnere, & studium eius annullare, cuius articulus Constantien. Concilio condemnatus est. Decretales epistolę sunt Apochryphæ, & seducunt à fide Christi, & clerici sunt stulti, qui eas studenț. Stat ergo inuicta sententia, decretalia Summorum Pontificum à fidelibus forè obseruanda auctoribus.

Synodo Romana	Bonifacio Martyre
Synodo Sexta	Hieronymo
Synodo Toletana	Cyrillo
Christo	Augustino
Apostolo.	Haymaro
	Bernardo.

CAPVT XXII.

Ponuntur duodecim Obiectiones diuersarij contrà Canones Anacleti.

Temeritas diuersarij. CVm Actum sit à nobis, etiam sanctos Martyres, & Pontifices Romanos, sit accepisse verba Euangelij, vt per petram Petrum intellexerint, & sit eo loco ei promissus Ecclesiæ totius principatus. Innixus tamen propriè prudentiæ Luther, illa sanctissimorum virorum carpit decreta, insimulans eos ambitionis, iustitiæ, & aliorum vitiorum, quasi fundamenta Ecclesiæ, & quos tota veneratur, tam celebritèr Ecclesia, viri tam sancti; omnia mala pro Christo pati docti, & spiritu sancto pleni, erroneas sparserint in populum Christianum doctrinas. Liquidum autem fecimus, vt arbitror, nec Luthero, nec alicui fideli licere, aut licuisse, Sanctorum Pontificum decreta conuellere, vt duobus præcedentibus liquet capitibus, tamen quia debemus esse parati reddere rationem de ea, quæ in nobis est fide, & si sola auctoritate vrgere possem diuersarium, auctoritate inquam Summi Pontificis, volo tamen suscipere defensionem harum constitutionum.

Obiectio 1. Primò venerandum senem, & Sanctum Martyrem Anacletum, à nobis propositum decreto, in nouo adoritur, & ad ipsum respondet. Si intelligit inquit, quòd sacerdotalis ordo cœpit à Petro in Ecclesia latina, potest vtrumque sustentari, quemadmodum & B. Cyprianus epistola 3. Sedem Petri principalem, & vndè sacerdotalis ordo cœperit, appellat, aut si cœpit, quòd Petrus, primus inter æquales Apostolos fuerit. Si autem intelligit, quòd à Romana sede omnis ordo sacerdotalis primo & solùm veniat, ex dictis satis liquet, quàm sit erroneum.

Deindè alium accipit Canonem Anacleti incip. sacrosancta. Sanctum Martyrem inter deplorandos interprætes diuinæ scripturæ, connumerando, ascribens tamen hunc Canonem alicui barbarissimo notario, non Anacleto. Improbat autem, cap. hoc pacto.

Secunda. Et super hanc petram, aut petra hoc loco significat fidem spiritus, aut primatum exterius. Vtrumque enim nequit simul significare. Si fidem iam omnes Ecclesiæ super eam sunt ædificatæ, quia Christus dicit. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ergò cuicumque conuenit dici à Christo, Ecclesia mea, ad eamdem pertinet, petra & Petrus super quam ædificatur, ità nihil proprium habet Romana Ecclesia, sed omnia sunt communia, quia vbi eadem fides, eadem quoque potestas clauium. Fidei enim datæ sunt claues, & petræ, vt patet. Si potestatem, iam iterum omnes sunt æquales Ecclesiæ, quia cuicumque dicitur à Christo, Ecclesia mea, simul dicitur, ædificabo te suprà petram, id est potestatem, quare quælibet Ecclesia, hoc verbo erit omnium prima, quia habet eamdem petram, qua Romana Ecclesia gloriatur se esse primam, ità quoquo vertas te, semper occurrit, & resistit tibi Christus, dum Ecclesiam suam suprà petram ædificat, nec finit vlli particulari Ecclesiæ hanc petram appropriari. Ideò nec Petrum, vides ergo illud vnicum pronomen, meam, facere communem petram, communem potestatem, communes claues, communem Petrum, & omnia communia. Ità iure diuino, quicquid habet Romana Ecclesia, habet quælibet Ecclesia, quantumlibet parua sit, quia ad omnes dicitur, & Paulus 1. Corinth. 3. Omnia vestra, siuè Paulus, siuè Apollo, siuè Cephas, siuè Mundus, omnia vestra, vos autem Christi.

Confirmat priora, quia ridiculum esset, cum omnium Ecclesiarum, idem est Baptismus, eadem Eucharistia, eadem Confirmatio, idem Verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem pœnitentiæ, Vnctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta, eadem fides, Spes Charitas, & vna hæc temporalis potentia, vni tributa esset, per verbum Dei, quod commune est omnibus. Quare vbicumque prædicatur verbum Dei, & creditur, ibi est vera fides, petra ista immobilis, vbi autem fides, ibi Ecclesia,

vbi

vbi Ecclesia ibi sponsa Christi, vbi sponsa, ibi omnia, quæ sunt sponsi, ita fides omnia secum habet, quæ ad fidem sequuntur, claues, Sacramenta, potestatem, & omnia alia.

Quarta. Quæro etiam, si soli sunt Petro datę claues, & non vniuersali Ecclesiæ, cur non vocantur claues Petri? cur non vocantur claues Ecclesiæ Romanæ? aut enim hæc communis totius Ecclesiæ iniuriam facit Romanæ Ecclesia in suo priuilegio, sibi soli attrahenti claues, aut Romana Ecclesia schisma quærit dicens. Ego sum Cephæ, & toti Ecclesiæ rapit rem, quam ipsamet confitetur communem, patet ergo testimonio omnium publico, non Petro, sed Ecclesiæ esse claues traditas, non Romanæ, sed vniuersali, & cuilibet.

Quinta. Præter hæc, vide, quam rectè per petram intelligant potestatem, nam cum potestas esse non possit, nisi Ecclesia sit prior fundata, quę accipiat potestatem, quomodo Ecclesia super potestatem, id est prius ædificatur super posterius? denique potestatem non per petram, sed per claues Christus intelligit, quas Ecclesiæ super petram, id est fidem, prius ædificatæ tradit.

Sexta. Quod autem hic Anacletus Romanam sedem primam vocat, & Alexandrinam secundam, & Antiochenam tertiam, seipsum iterum redarguit, non solùm quia iste ordo diù mutatus est. Verùm etiam quod sequitur hinc, aut Alexandrinam esse iure diuino secundam & Antiochenam tertiam, aut nec Romanam primam, quia eodem iure oportet esse primam, quo secundam, & tertiam, ac manifestum est, quòd secundam, & tertiam suo iure ordinat Romana ergo, & seipsam primam suo iure ordinat.

Septima. Eusebius. Errat etiam in hystoria, quòd Ignatium scribit constitutum à Petro Episcopum Antiochiæ sibi successorem, cum in Ecclesiastica hystoria pateat Enodium Petro, & Enodio Ignatium successisse.

Octaua. Iterum temerariè inquit, inter Beatos Apostolos, quædam fuit discretio potestatis, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi inter se voluerunt id ipsum, vt reliquis Apostolis omnibus præesset. Obsecro, quæ fuit ista discretio potestatis? nunquid Petrus ordinauit Apostolos? nunquid misit eos? nunquid confirmauit eos? vbi legisti, quòd à Domino concessum est Petro, habere discretam potestatem? quando hoc ipsum voluerunt.

Quin hic signa duplex est primatus, honoris, & potestatis, quòd Petrus primus fuit in ordine nemo negat, nam & inter Cardinales, Episcopos, Doctores, Principes, etiam si nullus alteri subiectus est, tamen necesse est in conuentu aliquem primo loco sedere, cùm tamen nihil habeat pręcipere illis. Ità Petrum fatemur principem Apostolorum, primum Ecclesiæ membrum, caput collegij Apostolici, & alia, quæ de eo Sancti Patres dixerunt, ità vidimus & Romanos Pontifices semper fuisse honoratos, vt successores Petri, & primo loco habitos.

Nona. Alter autem primatus potestatis, nunquam fuit Petro datus, quia quilibet Apostolorum sine auctoritate Petri prædicauit Euangelium, Episcopos, & præsbyteros ordinauit in locis suis. Omnes à solo Christo sunt æqualiter missi, & immediatè, hunc primatum ambiunt canones, & verbis Dei abutuntur, nolunt enim vllum Episcopum in toto mundo fieri, nisi pallium, & auctoritatem Romani Pontificis habeat. Et vbi Petrus sese non extulit super Apostolos, ibi vnus Apostoli successor, longè minor suo prædecessor (sicut Episcopus Apostolo) non contentus honoris primatu, omnium Apostolorum successoribus vult dominari in potestate, & violentia.

Hanc rationem inuictam oppono omnibus, expectans quid contrà possint mouere, quare pronuntio decreta quæcunque, alitèr dicunt statuere contrarium sacræ scripturæ, Euangelio, actibus, & epistolis Apostolorum, in quibus tam crebrè, tam apertè, Apostolorum æqualis, & in mundo diuersa commissa prouincia describitur. Conclusio Lutheri.

Decima. Addo ad hæc, quòd nec in hoc rectè, & euangelicè fit à Romanis Pontificibus, quòd Episcopos è Romana Ecclesia propagatos, id est Ecclesiam latinam sic administrant, vt soli ipsi ordinent, & confirment Episcopos omnes. In hoc enim non Christo, sed sibi Ecclesias Christi videntur arrogare, cum Apostoli Pauli exemplo deberent etiam alijs committere constitutionem Episcoporum, videlicèt Archiepiscopis vicinis, deberent ergo illos Deo committere, & nequaquam cogere, vt pro nouo Episcopo ad vrbem mitterent. Habet enim hoc speciem non leuem auaritiæ, & tyrannidis, qua dominentur fidei eorum, quod Paulus noluit in Corinthios sibi vsurpare sufficeret enim semel Episcopum dedisse, & deindè eos gratiæ Dei commendatos propagationi propriè eos relinquere, aut solùmmodò curam gerere, ne à fide degenerarent, sicut Apostolus in Galathis monstrauit exemplum.

Vndecima. Et Cephas, id est caput, & principium teneret Apostolatus, vel hic locus ostendit, magis affectu potestatis, quàm veritatis studio. Hunc primatum quæsitum itàque, tam iustius est ille Anacletus fictus, vt Cepham caput interpretetur, contra euidentissimum, & Apostolicum testimonium Ioannis Apostoli, qui dicit Io: 2. Intuitus eum Iesus dixit. Tu es Symon filius Ioanna, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, melius Leo petram, soliditatem intelligens, vocabulum Cephæ bonè nouit, est autem Cephæ, teste Hieron. Syrum vocabulum, significans soliditatem, quam Græcus Petrum vel petram, id est saxum, vel rupem firmam transtulit. Sed hic Cephalen Græcè, pro Cepha Syriacè accepit.

Duodecima. Sequitur. Et non solùm in nouo testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit, sicut scriptum est, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, id est primi inter eos fuerunt. Sed quid hic discam. Primò, qui vnum solùm Summum Sacerdotem in vetereri lege noui, nunc didici duos fuisse primos. Secundo nouam grammaticam, in Sacrdotibus eius, idem est quòd primi inter eos fuerunt, cùm hucusque hoc versu Psalmi intellexerim nihil aliud dici, quàm Moysen, & Aaron Sacerdotes, vel de numero Sacerdotum fuisse, sicut Samuel inter inuocantes nomen eius, nihil de primatu cogitans. Tertiò, quòd

Summus Sacerdos Veteris Legis fuerit figura Romani Pontificis, cùm tamen Apostolus Paulus ad Hebræos, Christum solùm fuisse per Summum, & vnũ Pontificem significatum.

Vt hoc omittam, quod illis omnia in figura contigisse scimus, & in nouo testamento figuram illam demuò reuecat, vt sit similis figura vtriusque testamenti, nihil iam vtrumque ab vtroque differens. Quid autem hoc est, quòd duos primos sacerdotes in veteri testamento statuit, magno sui primatus detrimento? Imitare quod dicis, & da etiam nunc duos primos, quomodo enim vnum primum probabis per duos primos?

CAPVT XXIII.

Anacletus defenditur, & quomodo Super petram fidei Ecclesia ædificatur.

TAntæ temeritatis vix mihi hæreticum dabis, qui Sanctissimorum Patrum decreta lacesseret, vilipenderet, & irrideret, velut hic noster aduersarius perfricta fronte ignominiosissimè facit. Hussitæ enim decretales recentiores respuebant, alias venerabantur, at nos modestia Theologica obseruata, sanctam, & solidam defendamus veritatem contrà noua somnia, & figmenta. Primò ergò dum reputat. cap. in Nouo, 21. distin. non esse Anacleti, nisi alicuius Poetici, & ficti, ab initio dixi me curaturum quantum fieri potest, vt omnia ex originalibus colligam. Gratianus ità inscripsit, inscripsit & S. Iuo in tertio libro Panormiæ, præterea in originali antiquissimo, vbi decreta per ordinem reponuntur Summorum Pontificum, reperio canonem hunc esse 14. Anacleti, & satis testatur B. Gregorius ad secundum inclusum, canones aliorum Pontificum esse conscriptos, etiam extrà Codicem canonum, cuius suprà meminimus. Sanctus enim Anacletus, vir per omnia Apostolicus, Ecclesiam sibi commissam ampliauit, & salubribus institutis moderatus est. Cum ergò verba eius torquet *Lutherus*, non est audiendus, ait enim, verum eum dicere, si de latina Ecclesia intelligatur, tunc habeo saltem hoc à diuersario concessum (quod toto libello impugnat) Petrum & eius successorem diuino iure (nam de illo loquitur Canon in Nouo) esse superiorem tota latina Ecclesia, quare non consensu humano, sed diuino iure Romanus Pontifex præsidet Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, & toti Ecclesiæ Occidentali. Porro cur non à Paulo exortam dicit Ecclesiam latinam? cum eum faciat æqualem Petro, qui etiam Romæ martyrio coronatus est. Adde & hoc cum Cyprianum citat. Ergò, & Ecclesia Aphricana exorta est à Romana Ecclesia, & ei fuit subiecta, cur tunc inferiùs subducit diuersarius Aphros? ab obedientia Romanæ Ecclesiæ cùm Græcis vt secundo lib. aperiemus.

Decretum Paschasij.

Euacuatur obiectio 1.

Præterea non sufficit torsio ista, nam Sanctus Anacletus probat à Petro incepisse Sacerdotium post Christum, per illa verba. Tu es Petrus, & non distinguit de Ecclesia Orientali, vel Latina, quoniam vna est sancta Ecclesia Catholica, vna sponsa, vna columba, de qua loquitur Dominus, & probat Cyprian. sæpè de illa vnitate Ecclesiæ. Sic & secunda torsio verborum Anacleti textui aduersatur, cum sic capiat, quasi voluerit Petrum esse primum inter æquales Apostolos, nam sic non accomodaret aptè verba Christi, quibus dictum suum volebat probare, scilicet. [Tu es Petrus,] cum diuersarij sententia, verba illa nihil omninò ad Petrum pertineant, quare eum esse primum, his verbis secundùm diuersarium non probat. Cur ergò istum sensum admittit, vide pie Lector, quàm falsitas sibi minimè constet, quàm confestim diuersarius sibi repugnet, vide etiam ex eo verba Anacleti illum sensum non patiuntur, quia testatur primò accepisse pontificatum Petrum, quare non potest illum solum dicere inter æquales? Porrò verba Cypriani Contrà Nouatianos sunt ista libro 1. epistola 3. post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis literis ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum, vndè non debet torquere diuersarius verba sancti martyris, & illa lacerare, vnum est Sacerdotium in tota vniuersali Ecclesia diffusum, à Sancto Petro exortum. Vndè tertius sensus ille est verus, quem diuersarius non improbat, nisi quod remittit ad superiora, quæ vel fuerunt dilura, vel diluenda, quamuis à Petro præside Romano vnitas sacerdotalis melius dicatur exorta, quàm ab ipsa sede.

Euacuatur euasio Lutherana.

Alia euasio eliditur.

Ad secundùm canonem sacrosancta, respondeo illum esse Anacleti, ità Gratianus inscripsit, ità Sanctus Iuo panormia lib. 3. licèt Gratianus alios canones Anacleti simul hic miscuerit, quod Iuo non fecit, vt mox dicturi sumus. Cusanus tamen Germanus eruditissimus, illam epistolam ad omnes Episcopos scriptam testatur, & incipientem. Benedictus Deus, vndè rectè Anacletus hic probat primatum Petri per verba Christi, sicut & in alio canone fecit.

Ad rationem autem, quam ad principale adducit, quia non plùs facit contrà Anacletum, quàm contrà quemcunque alium sanctum ab initio euacuatam, respondebimus obiter, quia tota est sophistica, & captiosa. Cum enim primùm assumit petram, aut significare fidem spiritus, aut primatum exteriorem, dico neutrum propriè hic significat, sed vel ipsum Petrum, vel ipsum Christum, vt iam sæpè diximus, & sic ampullosa illa ratio mox succubuisset in limine. Improbaturus enim receptam sententiam diuersarius, debuit ostendere, Petrum non fuisse petram. At ne obmutescat, dabimus ei petram hic quoque posse soliditatem fidei significare, vt in superioribus hoc suo modò admisimus, per hoc tamen non recedentes ab eò quòd Petrus sit petra hoc loco propriò, & principali sensu, & primario. Et cum assumit. Si fidem, ergò omnes Ecclesiæ sunt super eam ædificatæ, & ità nihil habet proprium Romana Ecclesia, sed omnia erunt communia, dico quòd fingis Ecclesias, nonne vnà est

Responsio ad obiect. 2.

est Ecclesia sponsa Christi, Thalamus immaculatus? Illa enim Ecclesia vna sancta Apostolica est ędificata suprà petram immobilem fidei, non Antiochena Ecclesia, non Constantinopolitana, etenim omnes illæ lapsæ sunt. Vna Ecclesia Catholica non deficiet vsque ad consummationem sæculi. Vide candide Lector quomodo inanibus cauillis se diuersarius sophisticauit, & quod Dominus suæ Ecclesiæ Catholicæ dedit, is sua temeritate particularibus Ecclesijs ascribit. Non nego tamen omnia Ecclesiæ, vel Petro tributa esse communia, id est communicanda, quia Petrus accepit propter finem, sed quod monstrum fidei datæ sunt claues, quis vnquam ità Euangelij verba corrupit? Tibi dabo claues, tibi, id est fidei cum omnis homo, qui spirat; intelligat tibi, scilicèt Petro, & diuersarius priùs exponebat, tibi, scilicèt Ecclesiæ, vt solus diuersarius ea gaudet libertate, vt vertat, & alteret omnia pro libito. Hoc dicunt sancti, propter confessionem fidei, dixit Petro Dominus. Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

In Lutherū corrumpentem sacras literas.

De potestate, nemo omnium, quod nouerim, intelligit per petram potestatem, quare illam partem dilemniatis relinquo, hoc verum, quòd ædificata Ecclesia super Petrum, collata est ei potestas regiminis vniuersalis Ecclesiæ, sed ipsa potestas non est petra. Quamuis infantilis rursus excudatur cauillus à diuersario. Si petra dicit potestatem, omnes erunt Ecclesiæ æquales, quia omnes sunt fundatæ super petram, nam nunquam admittimus, petram esse potestatem, sed quia est petra, habet potestatem. Dato tamen illo, rudis est captio, quoniam Romana Ecclesia à Petro instituta, communicauit ei iussu Domini hanc potestatem immediatiùs, quàm aliæ Ecclesiæ, non nisi quodam defluxu acceperunt, ità quò quò vertat se diuersarius inaniter se fatigat, quòd nihil proficiat. Et maximè sibi repugnat, & ea, quæ astruere nleitur, destruit, petram dicit nulli Ecclesiæ appropriari, & nec Petrum, dabis ergò vniuersalis Ecclesiæ Petrum, cur igitur priùs appropriabat cum Ecclesiæ Latinæ, cut tam pertinacitèr in suo erroneo libro, contendit Papam non debere dici vniuersalis Ecclesiæ Episcopum?

Luther sibi contradicit.

Rursus sequitur inerudita, & ieiuna captio, de pronomine meam, faciat, vt accipit petram communem, & omnino hoc promouet nostrum institutum, Petrum, qui & petra, esse commune fundamentum Ecclesiæ, qui omnem potestatem pro Ecclesia accepit, ità omnia sunt Ecclesiæ finaliter, quæ sunt subiectiuè in illo, vel alio ministro.

Pari etiam sycophantia decipitur sequenti Paralogysmo, cùm ab his, quæ sunt sacramenta argumentatur ad potestatem iurisdictionis, cùm longè diuersa sit ratio in sacramentis, & regimine, expedit enim sacramenta esse communia, quæ sunt in remedium instituta, at rursùm expedit iurisdictionis potestatem certis gradibus esse variatam, quousque ascendatur ad caput, in quo est plenitudo potestatis, hoc inquam expedit pro confusione, & schismate in Ecclesia Dei tollendo, vacillat quoque diuersarius, eùm potestatem pontificiam solùm temporalem potentiam appellat, quam non foret Ecclesiastica.

Sol. obie. 3.

Porrò argumentaturus de primo ad vltimum ruinosum construit pontem, vbi prædicatur verbum Dei, & creditur, ibi est vera fides, dæmones ergò, qui credunt, contremiscunt, habent veram fidem, peccatores credentes verbo Dei habent veram fidem, cur ergò diuersarius diffinit per quodlibet peccatum mortale fidem amitti? prosequitur pontem caducum, vbi fides, ibi Ecclesia, quid hoc monstri? quis furor? erit ergò quilibet fidelis Ecclesia? & tot erunt Ecclesiæ, quot sunt fideles? Hæc erronea, & absurda sequuntur ex dogmatibus nouorum Theologorum, singularitatibus studentium, prosequitur errorem suum, vbi fides ibi Ecclesia, & vbi Ecclesia, ibi sponsa Christi, vbi sponsa, ibi omnia quæ sponsi sunt. Accipe eum priorem Luthere, prædicatur, ei verbum Dei per Lutherum, ipse credit ei, etiam erranti, ergò est in eo vera fides, ergò Ecclesia, ergò sponsa Christi, ergò habet omnia, quæ sponsi sunt, & sic habet potestatem consecrandi, confirmandi, ordinandi, & dispensandi, ordines confirmandi, Ecclesias consecrandi &c. & ità est sacerdos, Episcopus, & Papa, cur ergò mittit nouitios suos ad ordines? Ista & similia absurdissima sequuntur ad hanc sterilem nouorum Theologistatum doctrinam falsam, & erroneam, quæ tamen ignaris, & rudibus videtur nescio, quæ sublimitas. Id autem admirantur, quod non intelligunt.

Multi errores Lutheri in vno argumento.

Destruitur ratio Lutheri per locū.

Aliud proponit sophysma, si Petro claues sunt datæ, & non Ecclesiæ &c. hic cordatus vir infantiam diuersarij deprehendat, primò malè assumit, vel intelligere nequit, Petri personæ datas esse claues, & tamen datas Ecclesiæ, quia Petrus accepit pro Ecclesia, ibi. Pro. ex Grammatica diuersarius, dicit circumstantiam finis. Ideò dico non intelligere diuersarium, quia claues dicuntur, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sancti Petri, & nullus facit alteri iniuriam, nec quisquam detrahit honori alterius, sed quia dedignatur peripateticam philosophiam, alioquin sciret, quo modis aliquis habere diceretur, habet ergò claues Ecclesia, habet Petrus, claues sunt Petri, claues sunt Ecclesiæ, vt superius satis, superque aperuimus. Pessimè ergò infert diuersarius, & inaniet. Si testimonio omnium claues sunt datæ Ecclesiæ, non sunt datę Petro, quasi communitas non diceretur habere, quod habet caput propter communitatem, quasi Germania non haberet imperium, quia gloriosissimus Domi. Rex Carolus V. Austriacus illud reuet. Intelligit iam candidus lector, quàm minimè repugnant, quæ diuersarius existimat maximè dissidere, scilicèt Papam habere claues. Quòd porrò adhuc instat petram non esse potestatem, iam sæpè confessi sumus, nec diuersarius vnquam legit, vel audiuit ab aliquo petram esse potestatem, sed qui est petra, habet potestatem, quare sua somnia improbat.

Soluitur adiectio 3. & 5.

CAPVT XXIV.

Anacleti canon sacrosancta di2.22.ab obiectis diuersarij defenditur, & de duplici primatu.

INcipit tum aduersarius verba Anacleti in Canone allegato repræhendere. Vndè cum primò attingit ordinem sedium Patriarcha-

Sol. obie.6.

lium, fateor Anacletum hoc fecisse cap. 20. 21. 22. quos hic in vnum contraxit Gratianus, perperam autem assumitur. Sedes Romana est prima iure diuino, ergò & Alexandria erit secuoda iure diuino, oam ipse Anacletus exactè diffinit hoc negotium, dicens. Prima sedes cœlesti beoeficio est Romana Ecclesia, satis exprimens iure diuino illam esse primam, at de Alexandria, & Antiochia loquens obtienit illud, cœlesti beneficio, declarans ordiuem secunda, & terriæ Sedis, non iure diuino, sed ordinatione Summorum Pontificum constitutum. Interimit ergò Anacletus cauillum illum, Ecclesia Romana ordinat Alexandriam, & Antiochiam, quare etiam se ordinauit primam, nam illati oppositum, mox exprimit, cùm cœlesti beneficio dicat esse primam. Vndè alius ordo, quia humanus benè poterat mutari per Summum Pontificem, & Concilia, quæ secundam sedem fecerunt Constantinopolitanam, vt in Constantinopolirano, & 6. Synodo. Refert Gratianus cap. Constanrinopolitanæ, cap. Rioouantes dist.22.

Sol. obie.7.

Increpar deindè Anacletum, tanquam Hystoriæ ignarum de Ignatio; hic dico diuersarium iniuriari viro Sancto, solùm, vt mihi apparet, maledicendi libidine. Nam Ignatius tertius fuit Antiochiæ Episcopus, vt narrat B.Hieronymus de viris illustribus, & vndecimo anno Traiani iam senex, & plenus dierum Romæ bestijs obiectus est, quadraginta fermè anois post Sanctum Petrum. Modo Enodius successit Petro, & Ignatius Enodio, vt Eusebius testatur, nec hoc negat Anacletus, verba enim eius sunt ista.

Tertia verò sedes apud Antiochiam eiusdem Beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia, illic priusquam veniret Romam, habitauit, & Ignatium Episcopum iostituit. Dicit ergò Ignatium Episcopum constirutum à Petro, sed oon dicit eum fuisse iomediatum successorem suum, sicut diuersarius falso ei impingit. Vndè coustant illa, quòd Enodius fuerit Episcopus Antiochiæ,& quòd eo mortuo, Sanctus Pettus ordinauerit Ignatium. Rogas autem cur maluerit Sanct. Martyr meminisse Ignatij, quàm Enodij? ratio est in promptu, quia Ignatius erat illustrior, & clarus in Ecclesia Dei, ac strenuus præsul verbo, operè, ac scriprura potens, velut eum commeodat Hieronymus, & æditæ eius Epistolæ declarant, fuerat prætereà ootior Anacleto, contemporarius eius, sub eodem randem Imperatore, eodem anno martyrio coronati, nullus ergò error in hystoria committitur, velut diuersarius autumat.

Sol obie.8.

Petrum non habuisse discretionem potestatis super alios Apostolos probare contendit diuersarius, quia Apostolos non miserit, non ordinauerit. At de hoc statim plura. In præseuti dico, esto quòd Christus reseruauerit sibi soli potestatem ordinandi Apostolos, at frigida est illatio Petrum ob hoc noo habuisse maiorem potestatem alijs Apostolis. Est enim ignauissimus error, quasi non fuisset alia potestas in Ecclesia, quàm Apostolos ordioandi. Vndè à Domino ista discretio potestatis fuit Petro promissa, Matthæi 16. & tradita, Ioannis vltimo, de quo infrà. Sed videat quis modestum fratrem, qui auctorem huius decreti appellat beluam, tam sobrij magistri auribus prurientes, has nobis tradunt Theologicas veritates.

Immodestia Luther.

Pergit deindè distinguendo de primatu, miror cum nec mihi, nec doctoribus admittere velit distinctiones, dicens simplicem, & vnicum esse scripturæ sensum. Sophystarum esse distinguere, & tamen hic Sophystissimè distinguit, & nouum confingit primatum, contrà sanctorum Patrum, imo sanctæ Scripturæ intentionem. Vndè hic Christus in eo non loquitur, cùm solum figmeotum hominis audiamus, cum quo sperat se elusurum sanctorum Parrum auctoritates. Ait itàque, Petrum habuisse primatum honoris, sed non potestatis. Contrà quod expressè ait Beatus Cyprianus de simplicirare prælatorum. Hoc erant itàque, & cœteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio prædicti, & honoris, & potestatis, ijsdem fermè verbis vtitur beatus Hieronymus. Quomodo ergo diuersarius impudenti, & intoleranda sua audacia audet equiparare eos potestate, non honore? cùm paribus gressibus procedant, honor, & potestas in præsenti, quare ficta sua distinctione non satisfaciet sanctis Patribus.

Vndè melius docueram eum in disputatione, quòd quaudo Petrus æquaretur alijs Apostolis in potestate, tunc esset etiam equalis in honore, sed cum præferretur in vno, tunc etiam in altero esset prælatus. Ideò dedi ei aliam veram, sacræ Scripturæ consonam distinctionem, & sanctis Pattibus, Petrum fuisse alijs Apostolis æqualem in Apostolatu, nam sic omnes erant æquales, & honore, & potestate, sic Cypria. sic Hierony. & omnes voluerunt. Non tamen fuit æqualis alijs Apostolis regimine prælationis, quia sic solus ipse fuit pastor vniuersalis Ecclesiæ à Christo instirutus, sic vnitas Ecclesiæ ab vno incepit, vt Cypria. ait. Quòd si quis oon nouerit contemplari diuersam potestatem Apostolatus, & regiminis communis pastoralis, necesse est, vt in casses diuersarij incidat errorum, & impietatum, sanctis repugnet Patribus, & nec ipsas, nec se, nec sacram (vt Spiritus sanctus efflagitat) intelligat scripturam, sic enim dicentes se sapientes, stulti facti sunt.

Auctoris distinctio melior quam diuersarij.

Inconcordabile prætereà apparet, quòd subdit, Petrum habuisse primatum honoris, sicut vnus Doctor habet primum locum ante alium, ità & Romani Pontifices semper fuerunt honorati, & primo loco habiti, oam quæro primò, vbi Romanis pontificibus primatus honoris sit tributus, quòd non simul primatus potestatis sit ei delatus? & quòd ait nos videre eos primo loco honoratos, ità vidimus semper eos primatu potestatis alijs prælatos, quod per omnem etatem à quocum-

Sol. obie.9.

que

que Primate Patriarcha, Episcopus in causa depositionis potuit ad Romanum pontificem appellare, modò non appellarur, nisi ad superiorem, quod lib. 2. ex Nicena Synodo probauimus. Accedit, & illud, si Petrus fuisset primus solùm honore, & omnes fuissent qualibet potestate æquales Apostoli, tunc successor Petri non fuisset primus honore, sed senior de collegio, & ità S. Ioan. Euangelista Ephesinus antistes, fuisset prælatus Lino, & Cleto in primatu honoris, sicut fit in conuentu Episcopoporum eiusdem Archiepiscopatus, in quibus est ordo in primatu honoris, secundùm tempus consecrationis, cùm æqualitate potestatis, resistit, & hoc diuersario. Vndè vult tribuere Petro primatum honoris, non ex vocatione, quoniam prior vocabatur Andreas frater eius, qui & senior erat, nec familiaritate consuetudinis, quoniam sic Ioannes fuisset eo prior, nec sanguinis iunctione, quoniam sic Iacobus Mariæ sororis matris Domini filius, eo fuisset prior. Vndè ex eodem fonte prouenit primatus honoris, & potestaris, & quòd à Domino constitutum agnouerunt totius Ecclesiæ pastorem, ideò ei detulerunt. Et hæc est veritas, non illud figmentum diuersarij. Vt Sophronius scripsit.

Solut. obiec. 10. Improperat dein aduersatius interpretationem Cephæ, at ego non respuam ob hoc Canonem illum, nam etsi *cephali* Græcè significat caput, & Cephas Syriacum sit, teste Hieron. Rabanus tamen illa non ignorans, & Cephan caput interpretatur, ità enim ait libro 4. de vniuerso cap. 1. Cephas dictus est Petrus, eo quòd in capite constitutus sit Apostolorum. Cephalin Græcè caput dicitur, & ipsum nomen in Petro syrum, quare & Rabanum ineruditum indicabit cum Anacleto, qui tamen vtriusque linguæ fuit peritissimus, vicinum meum Salomonem Constantiensem Episcopum non adduco, qui Rabanum sequitur, ne eum contemnat, quamuis vir fuerit doctus, & probitate morum, ac integritate vitæ conspicuus, magnum Ecclesiæ suæ ornamentum. Vndè rectissimè Euangelista ait capit. 1. non secundo, intuitus eum Iesus dixit. Tu es Symon filius Ioanna. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Petrus autem significat firmum, stabile, seu fundamentum, & saxum. Adde quod Nicolaus Cusanus harum rerum diligentissimus, in excitationibus scriptum reliquit, Petrum Hebraicè significare etiam caput domus, quæ significantia esset maximè conueniens instituto nostro. Primum Apostolorum vocari Petrum, quasi caput domus, caput Ecclesiæ, quamuis Chrysost. velit, per hoc Symonem tunc non appellatum Petrum, sed Cephan, quamuis Cephas interpretetur Petrus, fateor quòd consideratio Cusani (cuius suspitionem mihi fecit, huius linguæ peritus (posset ab intentione literæ aberri. Hoc tamen est notatu dignum, quòd idem trium linguarum admodùm peritus, dixit apud Matth. non legi 16. cap. [Tu es Petrus, sed tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Licèt interpres nolens viro nomen dare femineum, dixerit, tu es Petrus. Quòd si etiam affinitate nominum fuisset sanctus Martyr, & Pontifex deceptus inter Syriacum, & Græcum, tamen cum in re non defecisset, expiabilis error esset vnius voculæ, nec quomodolibet sanctitati suæ derogatiuum, cùm suus successor, etiam sanctus Gregorius primus, non modo Syriacum, sed & Græcum ignorauerit, adeò vt egreferret Græcè sibi scribi.

Solut. 11. obiect. Postremo loco obiurgat Anacletum super simili adducto de sacerdotio Veteris legis, sed adducta per eum non obstant, quoniam & Aaron fuit sacerdos, & Moyses, & vterque summus suo ordine. Aaron quidem officio fungebatur primatus, sicut Leuitici 8. instituitur. Moyses autem sacerdos dicitur, qui licet non hostias (vt ait Cassiodo.) Deo posuit, tamen vota populi, & deuoras pro populo præces obtulit, visus quoque est Summi Sacerdotis officio, dum Aaron, & filios eius, Domino docente, consecraret. Exod. 29. Et ob id ambo possunt suo ordine dici Summi Sacerdotes. Licet solus Aaron officio fuerit Summus Sacerdos, & dignitate. Dilutus est ergo primus cauillus, quomodo vnus fuerit Summus Pontifex Vetere Lege.

In dicit excellentiam aliquando. Alter cauillus de noua Grammatica sic repellitur, nam obliuioni tradidit Luther quotidianam orationem salutationis Diuæ Matris Mariæ, Benedicta tu in mulieribus, nisi neget, & ipsam fuisse primam mulierum, ità contradicendi libido aduersatium dementauit, vt hoc quotidianæ orationis non perspiceret. Adde quod Psalmigraphus eos voluit esse primos ex diuo Hieronym. qui eo loco dicit. Quamquam vnus legis, alter sacerdotij regulam teneat, tamen vterque aduentum Domini sacerdotali præconio nunciauit, expedite voculam, regula fuit, ergo alter regula sacerdotij, alter regula legis, & ità ambo fuerunt primi, Hieronymiana intelligentia, quem meliorem habuisse Grammaticam pro exponendis sacris literis, quàm Lutherum, arbitror omnibus fidelibus manifestarium.

Non dissimilis est insulsus cauillus, qui sequitur, de Summo Sacerdote figura Summi Pontificis gratiæ. Liquet autem hoc loco, sicut in toto libello, quàm paratus fuerit auctor ad conuitia, maledicendi magister, quomodo tam exquisitè quærat, vt habet, quod calumnietur. Vndè sanctus Anacletus tali voluit vti ratione. In veteri testamento fuere aliqui primi in ordine sacerdotali, quare, & hoc conueniet fieri in nouo testamento, quam nos inferius suo loco exornabimus, nec poterit ratio illa cauillari, quoniam legale sacerdotium fuit figura sacerdotij Euangelici, vt sic verissima sit Apostolica sententia. Omnia in figura contingebant illis, falsissimè ergo imponit diuersarius Anacleto, quod nunquam cogitauit, velut Monophtalimus videre potest, eum reuncasse figuram, cum sacerdotium Euangelicum voluerit esse figuratum, & legale figuram, quæ ergo summa effundie aduersùs Martyrem de simili figura vtriusque testamenti? Et hic cæcitas deprehenditur diuersarij, vel à puero, cùm assumit per sacerdotem veteris legis, Christum significatum. Itaque non Papam, vel Episcopum, quid hic crepat? quasi Anacletus non accommodatè argumenteur à figura ad figuratum, sed ei imponit, quod reuocauerit figuram. Nouimus enim Summos Pontifices gessisse personam Christi, vt Apostolus ad Hebr. capit. 5. 1. Corin. 10.

pit 5. 7. 8. explicat, quoniam Is est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, sed quia eodem auctore translatum est sacerdotium, quod fuit figura Christi veri capitis, ità fuit, & figura eius vicarij, & qui eius fungitur officio, nam omnis fidelis, qui spitat, nouit legale sacerdotium esse figuram sacerdotij nostri Euangelici, quare non timeat diuersarius in præiudicium primatus adduci illud de Moyse, & Aarone, cum autem Christusmet ordinauerit vicarium suum non potetunt simul duo Summi Pontifices viatores in Ecclesia militante assignari, præteteo, immodestiam diuersarij, quòd dicit se vri, diuinas litteras à porcis tam impudenter conculcari, porcum dicit Anacletum, & se solum interpretem facit sacrarum literarum, cuius extortas, & impertinentes expositiones, sæpè iam deuelauimus. Decima obiectio lib. 2. eliditur.

CAPVT XXV.

Obiectio contra Canonem Leonis I. ita Dominus, & Leonis IV. De libellis.

ET vt orbis terrarum agnosceret diuersarij temeritatem, exacuit linguam suam in Sanctum, & eruditum Papam Leonem Magnum, eius constitutionem. Ita Dominus, dist. 19. dilacerans, quia Sanctus, & eruditus vir humana sit hic passus, cum dixit, hunc exortem diuini mysteri, qui à soliditate Petri recederet. Nam si per soliditatem Petri intelligit fidem, quia Petrus Christum confessus est Matth. 16. rectè, & Euangelicè dicit. Hæc enim fides est petra, à qua Petrus nomen habet, à qua qui recesserit, meritò exors est diuini mysterij, verùm si per soliditatem Petri intelligit iurisdictionem, & potestatem Petri, & Romani Pontificis, quilibet facilè capit, quòd verbo Euangelij abutitur, & fallitur. Nonne omnes Apostoli fuerunt in soliditate Petri? & tamen sub Romana Ecclesia non fuerunt. Sanctus Stephanus, & alij à Paulo persecutionem passi, in soliditate Petri fuerunt, antequam Romana Ecclesia fieret.

Obiectio diuersarij 1.

Obiectio 2. Eadem humani affectus labilitate dicit, in Apostolo Petro principalitèr collocatum munus docendi, trahens ad singularem Petrum, quod propheta plurali, & indiscreto numero dixit. Sonus eorum, & verba eorum.

Obiectio 3. Sed, & hoc manifestè falsum est, quòd Petrus caput sit totius corporis, à quo dona sua Christus in omne corpus diffundat, nisi intelligat partem Ecclesiæ, quæ docente Petro, erudita est, vt est latina, & occidentalis Ecclesia. Nam etiam per alios Apostolos, præsertim Paulum, dona sua diffudit in nucleo plures, quàm per Petrum, vt mihi miraculum sit, tam profundè huius Pontificis mentem fuisse occupatam, vt hæc scribens, non meminisse potuerit Pauli, & aliorum Apostolorum. Si ergo dixisset, per quem dona sua in corpus diffunderet, rectè dixisset, sed in omne corpus, nimium est dictum.

Obiectio 4. Improbat, & istud Leonis, cum ait, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, Iterum inquit diuersarius, per soliditatem Petri, non fidem vniuersalis Ecclesiæ, sed potestatem Romanæ Ecclesiæ significat, & verbum Christi sub persona propria Petri, non autem Ecclesiæ, accipit dictum, vt clarè ex sequentibus liquet, vbi dicit, verùm hanc firmitatem Petri istius sanctissimam, Deo, vt diximus, ædificante constructam, nimis vult impia præsumptione violare quisquis eius potestatem tentat infringere fauendo suis cupiditatibus, & id quod accepit à veteribus, non sequendo. Ecce se ipsum exponit, soliditatem Petri esse potestatem Romanæ Ecclesiæ. Idem per secretissimam fidem spiritus, & externam iurisdictionis potestatem intelligens, non sine verbi Euangelici iniuria. Non ergo infringit soliditatem Petri, qui sub legibus Ecclesiæ Romanæ non viuit, sed qui non id credit, quod Petrus confessus est. Adfert dein aliqua nuda verba diuersatiis pro erroribus, & somnijs suis confirmandis, iterum Papas ambitionis insimulans, eorum auctoritatem inualidans, & subdit. Si enim verum esset, quod hic Leo dicit, & tamquam diuino præcepto eius verbis obediendum esset, iam tota orientalis Ecclesia ab initio sui vsque ad finem fuisset exors diuini mysterij, quia numquam sub Romanæ Ecclesiæ potestate fuit, Tolerandus ergo error huius Leonis, non autem propter eum alius, & verior sensus relinquendus.

Improbat dein, cap. de libellis, dist. 20. Leonis IV. quem, & nos in superioribus pro robore nostro attulimus. In quem effrenis diuersarius debachatur. Verè nimis nihil times, mi Leo, inquit, pronunciare, audens humana statuta Euangelijs æquare, & audacter satis affirmat, ijs non seruatis, nec fidem catholicam seruari. Si de contemptoribus, & hijs, qui sub te sunt diceres, rectè diceres, nunc contrà, quando mores, & fidem, traditiones cum Euangelio, verbum hominum cum verbo Dei confundis, nonnè homo es? Quis ferat, vt Euangelium, & fidem non seruare putetur, qui sub statutis illis non fuerit? Tu cum tuis serua statuta, & canones, illis, qui sunt in oriente, alia sunt statuta, sed idem Euangelium. Obiectio 5.

CAPVT XXVI.

Defenduntur Leones I. & IV. ac commendantur, & quomodo canones æquantur Euangelio aperitur, & pulchrè quomodo sacra Scriptura sit condita.

HVmana temeritas quorsum rapitur? quid non audet superbia, & arrogans dicacitas? hic Sanctissimus Leo I. qui antè 1070. annos Ecclesiæ præfuit, ab omnibus humilis, ac integer habitus magnus, ac celeberrimus sacræ Scripturæ interpres. Iam primùm à Luthero laceratur infamibus titulis, pepercit sancto viro huius iste crudelissimus terrarum vastator Atthila, qui se etiam flagellum Dei nuncupabat, sed crudelior illo diuersarius, Leoni Sancto minimè pepercit, asserens Leonem

nem Euangelio iniuriatum, cuius fœlix anima iam cum Christo, & Euangelistis, cum choro Beatorum Spirituum in cœlis regnat, præterit diuersarium, quàm inuictus fuerit veritatis catholicæ assertor, qui hæreticos Nestorium, Eutycem Constantinopolitanos, Dioscorum Alexandrinum, Manichœos, & Acephalos cum Conciliabulo Ephesino damnauit, eius auctoritate, iussu, & promotione Sancta Synodus Chalcedonen. in Asia minori congregata est, quod ignorans diuersarius, adhuc iam crassa, & inexcusabili laborat ignauia, vt audeat orientalem Ecclesiam subducere ex obedientia Rom. Pontif. At de hoc libro secundo.

Euacuatur obiectio 1. Despiciamus quæ affert contrà tam sanctum virum de soliditate Petri, de qua crepat verbis anxijs, & superuacaneis, exposita est omnium doctorum iudicio Leonis sententia, cum esse exortem diuini mysterij, qui à Petri soliditate recederet per inobedientiam, quam ibi voluit reprehendere: nam potestas illa adhæret petræ, & consequitur petram, vt quisquis in Ecclesia Dei petra existat, illam habeat Pontificiam supremam potestatem, quę cum sint verissima, S. Leo Euangelio non abutitur. Vndè accipio hoc, omnes Apostoli fuerunt in soliditate Petri, sed quod ait, eos non fuisse sub Romana Ecclesia, dico sufficere, quòd quo ad prelationem regiminis vniuersalis, fuerunt sub obedientia Petri, & ità translata Sede Romam iussu Domini, tunc fuerunt etiam sub Romana Ecclesia, licèt quo ad Apostolatum omnes fuerunt equales, vt patet ex Gal. 2. Ideò enim S. Paulus ascendit secundùm reuelationem conferre Euangelium cum Petro, & alijs. Sic non obstat S. Stephano, quoniam ille in soliditate Petri fuit, ab eius obedientia non recessit, à quo, & ordinatus fuit Diaconus, & licèt tunc Romana Ecclesia non fuerit, fuit tamen eadem potestas in Petro illo anno primo, quę postmodum ad Romanam Ecclesiam delata est, Petro cathedram in ea locante.

Et illam fuisse mentem S. Leonis probo per eius rotundum canonem 41. in Codice Canonum, ad Anastasium Thessalonicen. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit, & hęc quidem connexio totius corporis vnitatem requirit, sed pręcipuè exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. [Quomodò, & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quędam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cęteris pręemineret, de qua forma Episcoporum quoque orta est distinctio. Et magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursùm quidam in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem eius susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesię cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret: qui ergo scit se quibusdam prępositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prelatum, hic clarè conspicitur sancti viri intentio, quòd omnes diuini mysterij capaces, vult in vnam connexionem vnius corporis Ecclesiæ con-

Notatu digna sententia.

stringere in vnam Romani Pontificis obedientiam, & hic iterùm Petrum asserit reliquis Apostolis à Christo fore prępositum.

Sugillat diuersarius Sanctum virum, quia munus commune Apostolicum, trahat ad singularem personam Petri, at in hoc falsum imponit sancto viro, qui hoc munus omnibus tribuit Apostolis, pari consortio honorem, & potestatem accipientibus, quod & Dauid voluit. In omnem terram exiuit sonus eorum, cum quo adhuc stat, hoc munus principalitèr fuisse in Petro collatum, velut in principem, & caput eorum. Diluitur obiectio 2.

Correcturus dein S. virum dicit, Christum dona sua per Petrum diffudisse per latinam, & occidentalem Ecclesiam, tacitè negans orientalem Ecclesiam à Petro eruditam, cum tamen sors eius fuerit per Pontum, Bythiniam, Capadociam, Galatiam, & Asiam minorem, auctore Hieronym. & septem annis in Antiochia sederit, quę omnes prouintię sunt orientis, dein labitur non mediocritèr diuersarius, quòd existimat solùm diffundi dona Dei per officium docendi, vt suo loco, quid sit gregem Domini pascere, explicabimus. Nonnè satis diffudit, etiam si non vbique prædicauit? sed prædicatores misit, sicut Maternum, & alios ad Rhenum misit, alios ad Gallias, & Hispanias, &c. sicut pulchrè ait B. Bernard. ad Eugenium de consideratione lib. 2. Ex quibusdam passibus intentæ solicitudinis, & solicitæ intentionis. Neque enim ipsi, qui iussi sunt ire in orbem vniuersum, orbem circuierunt præsentia corporis, sed mentis prouidentia, hoc diuersarius non attendit, & ità Petri auctoritatem minuit, quia Paulus illo plus prædicauerit. Vndè dona, quæ Deus per Apostolos diffudit, optimo iure dicitur dedisse per Petrum, velut pes caput, & principem eorum, vigilantissimum itaque, & doctissimum Pontificem non reprehendat, quasi S. Pauli, suarum epistolarum fuerit oblitus, malè ergo nimietatis sanctum reprehendit, & quasi eo doctior euasisset, normam loquendi ei præscribit, qui facundissimus pręsul semper à doctis Christianus Cicero veneratus est. Desinat ergo diuersarius iniurijs, & contumelijs sanctum virum afficere, Scommata, & morsus Satyricos in homines conuertat sibi similes, non in sanctos Dei, à quibus Deus abstersit omnem maculam, & iam non erit neque luctus, neque clamor, nec vllus dolor, quoniam priora transierunt. Diluitur obiectio 3.

Vndè mirandum esset, & reuera detestabile, diuersarium tam Apostolici viri textum, & verba negare, imò improbare, & tamen glossam decreti eiusdem recipit, & contrà me in Lipsica disputatione adduxit. Vide mi candide lector, quanta temeritas, negare textum approbati, & docti Summi Pontificis, & præsidium suum locare in glossa, & hac vrgere aliquem contrà textum expressum. Quòd si rigorem Grammaticum, quem diuersarius venatur, expenderis, inuenies glossam esse falsam, textu existente vero, nam inquit, Christum dicendo, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: per pronomen, hanc demonstrasse verba Petri priùs dicta, sed tunc Dominus ædificasset Ecclesiam suam super verba Petri, quæ multò minora

nora sunt, quàm persona Petri. Nos autem cum tota fidelium Ecclesia, magnum illum suscipimus Leonem, huius veneramur doctrinam, sanctitatem eius imploramus, & colimus, rogantes D. O. M. vt eius intercessione ad sedes æternæ beatitudinis peruenire mereamur, de ipsa falsitate adducta. De orientali Ecclesia dicturi sumus lib. 2.

Solutio obiect. 5. Pari iniuria affecit Leonem IV. quem Platina testatur virum fuisse in omni vita priuata etiam religione, innocentia, pietate, humanitate, gratia, doctrina, Ecclesiastica præcipuè insignem. Tantæ præterea prudentiæ, & veritatis, vt Euangelij sententia serpentis astutiam, vbi oportebat, & columbæ simplicitatem imitaretur. Tantę autem fuit sanctitatis, vt eius orationibus Deus annuens, Saracenorum rabiem compescuerit, suis quoque præcibus serpentem Basiliscum expulit, cuius veneno multi mortalium perierant. Incendium quoque maximum signo Crucis extinxit, & in fine, ait Platina, moritur Leo vir sanctissimus, & optimè de Ecclesia Dei, deque vrbe Roma, ac nomine Christiano meritus, Concilio, auctoritate, diligentia, doctrina, magnificentia præclarorum operum. Tantæ maiestatis virum, nihil timet Luther, temeritatis arguere, eo quod statuta humana Euangelijs æquauerit. Dico autem primò, certum esse Euangelia præualere auctoritati Papæ, & cuiuscumque in doctrina fidei, & morum, quare S. Ioanne Euangelista viuo. Etsi Linus, & Cletus maioris erant potestatis in auctoritate regiminis, tamen Ioan. quia erat Apostolus, & Euangelista, sententia eius præualuisset in doctrina fidei, & morum sententiæ Papæ cuiuscumque. Nam Apostolis, non Papæ Christus dedit potestatem edendi libros sacræ Scripturæ. Ità enim promiserat eis Dominus paracletum Spiritum sanctum eos docturum omnem veritatem; mens est S. Augustini de consensu Euangelistarum. Opponis de Marco, & Luca, qui condiderunt sacræ Scripturæ libros, & tamen non fuerunt Apostoli. Respondeo, quòd quia iussu Apostolorum scripserunt. Marcus enim interpres fuit Petri, & Petrus sua auctoritate legendum eius Euangelium tradidit, vt B. Hieronymus de viris illustrib. refert. Sic Lucas ex Paulo didicit, vt pluribus locis testatur Paulus, similitèr ex alijs Apostolis, vt proloquio suo testatur, vndè suspicantur aliqui, quotiès Paulus scribit, secundùm Euangelium meum, voluisse significare Euangelium Lucæ. Ergo quia Euangelia eorum fuerunt recepta auctoritate Apostolica, ideò dignum obtinent locum inter alios libros sacræ Scripturę. Quamuis dicentius, Euangelistas immediatè à Christo constitutos, & ità diuina vel reuelatione, vel iussu scripsisse, non temerè contradicamus, quòd 1. ad Corinth. 12. post Apostolos, dein posuisse doctores, quos aliqui Euangelistas esse volunt hoc loco, de quo iam nihil diffinimus, primam sequentes sententiam, quæ apparet veritati æquabilior.

Sequitur ex hoc secundo loco, nullos Canones cuiuscumque Concilij assequi æqualem ordinem auctoritatis cum Euangelio, aut Apostolica doctrina: nam sic certissima est Apostolatus dignitas, quòd si omnes de mundo contradicerent vni Apostolorum, quòd plus credendum esset Apostolo; ipsi enim sunt fundamenta certissima doctrinæ fidei nostræ, de quo adeò certus erat S. Paulus, vt diceret Galathis. Si Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizamus vobis, anathema sit. Cùm hoc tamen stat aliquam scripturam non Apostolicam æquari mandato Ecclesiæ Scripturæ sanctæ. Non quod ei æquetur per auctoritatem, sed per obseruantiam, quia præcipit illam recipi, & teneri. Vndè vocula, sicut in illis non dicit æqualitatem, sed ordinem, quòd sunt seruanda, sicut Euangelia, scilicèt secundùm ordinem post Euangelia & sacram scripturam. Sic & Leo accipiendus est, & intelligendus cap. de libellis, quo ad obseruantiam obligare vult fideles Canonum, sicut Euangeliorum, licèt ipse non neget, maiorem esse auctoritatem Euangelij, quàm Canonum, non ergo confundit verba Dei, & hominum, vti diuersarius falsò ei imponit. Nam & homines sacram Scripturam condiderunt loco Dei, & Sum. Pont. est Vicarius Dei, imminet solitum errorem, quasi certi fideles sint sub Papa, non omnes, nou orientales, non Græci, non Aphricani, quem intolerabilem, & Ignauissimum errorem lib. 2. apertissimis testimonijs reuincemus, orientem esse sub Papa.

Et quod prædicta sint vera, ostendo hoc, quia & Canones Conciliorum sunt traditiones hominum. Illos tamen æquiparat Euangelijs B. Gregorius. Nam Patriarchæ Constantinopolitano, & alijs Episcopis Græcè scribit. Præterea quia corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, sicut Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor, & integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ, atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Idem B. Gregorius Sauino subdiacono scribit. Et sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros Sancti Euangelij recipimus. Non quod Sanctus Gregorius confunderit verba hominum cum verbo Dei, & traditiones hominum cum verbo Dei, sed quia vult vtrumque exactè obseruari, licèt maior auctoritas sit Euangeliorum, quàm Concilij. Vndè Leonis verba (quæ profectò diuersarius non intellexit, quia eum latuit, quibus Canonibus Pontifices, tunc in omnibus vterentur iudicijs) sunt rectè intelligenda, non sinistrè, & iniquè torquenda, tunc statim apparebit veritas eorum, velut iam illam clarè deteximus.

CAPVT XXVII.

Improbat diuersarius cap. quamuis, vigesimaprima distinctione, & cap. cleros, eadem distinctione.

PRæteritis sanctis martyribus Pio, & Marcello, sicut multis alijs, quoniam libellus iste diuersarij plùs apparet temeritate quadam effusus, immaturè, quàm grauitèr, & con-

consulto editus, venit ad Canonem, quamuis 21. dist. quem ipse dicit esse Pelagij, nos ostendimus canonem esse laudatissimi Gelasij, qui 15. fuit ante Beatum Gregorium, ex quo indicat diuersarius illa se tumultuariè, & non ex fontibus concoxisse. Obijcit primò, quia torqueat verba Christi de fide omninò ad potestatem iurisdictionis, & primatum, dein solam Petri personam accipit, reiecta persona Ecclesiæ, quam verè tunc gessit Petrus, & ità noua grammatica. Tu es Petrus, significat, tu es primus, & tibi dabo claues, id est soli Romanæ Ecclesiæ, cæteris ecclesijs nihil habentibus. Præterea si Ecclesia Romana significatur his verbis Christi, tunc primitiua Ecclesia ante Romanam non fuisset ecclesia, & omnes, qui claues ex Roma non accepissent, fuissent inobedientes Deo, & sic Stephanus cum multis millibus martyrum orientalis ecclesię damnari censebuntur.

Obiectio 1.

Obiectio 2.

Roborat, quòd si per Verbum Christi potestas Romanæ ecclesiæ intelligatur, & Christus super hanc petram ecclesiam suam se ædificare promittat, sequitur quòd vniuersalis ecclesia non super fidem, sed super potestatem Romanæ Ecclesiæ ædificata est. Super quam tunc ipsa Romana Ecclesia ædificata est? non super petram, id est suam potestatem, nec super fidem, ergò super nihilum. Quare infert decreta illa esse frigidissima, languidissima, & pœuitùs ineptissima ad contentionem.

Obiectio 3.

Secundò, præcipuè hoc impugnat, quod ait Canon. In ijs omnibus quantò gradus celsior, tantò maior auctoritas inuenitur. In maioribus siquidem est regendi, iubendique potestas, in minoribus obsequendi necessitas. Vide inquit diuersarius, vt necessitatem omnibus imponit, & sibi soli contrà charitatis officium libertatem arrogat, sed pessima consequentia. Non enim mox maior auctoritas est, vbi gradus celsior est. Petrus enim primus Apostolorum fuit, sed nullam in eos auctoritatem habuit vnquam, immò contrà, Apostoli in Petrum habuerunt auctoritatem, vt Actuum 7. scribitur, quòd Apostoli miserunt Petrum, & Ioennem, qui tunc primores erant inter Apostolos, & tamen missi sunt ab Apostolis, tanquam maioribus ad Samariæ fideles. Labitur ergò hic Pelagius hoc loco satis apertè, quamquam ego credam hos & similes Canones, nihil præter nomen de Roman. Pontificibus habere, & ab officialibus & scribis in Theologia parum doctis esse scriptos, non enim spirant Euangelium, sed humanum affectum, carnem, & sanguinè.

Obiectio 4.

Opponit etiam de Canone Cleros, dist. 21. quod non credat esse alicuius Papæ, sed videatur esse commentum Isidori. Nam primo Metropolim mensuram ciuitatis, & acolitum ceroferarium, aliosque gradus egregia iustitia describit, & inuenit tamen auctoritatem, Pontifex inquit, princeps Sacerdotium, est vel esse dicitur, quasi via sequentium. Ipse enim Summus Sacerdos, ipse Pontifex Maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes, & Leuitas, ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit, ipse quod vnusquisque facere debet, ostendit. Antea autem Pontifices, & Reges erant, nam maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Sacerdos. & Pontifex. Vndè & Pontifices Romani Imperatores appellabantur. Ex hoc diuinatore, inquit diuersarius, hodie sumitur à quibusdam, quod Papam Imperatorem, maximumque Pontificem iactant. Ideò non inter Canones, sed inter canes hunc deputat, & obijcit de canone primæ sedis 99. dist. cum Canonibus Pelagij, & Beati Gregorij eadem dist. At quia eandem cantilenam sæpè repetit diuersarius, lib. 2. explicabimus veram intelligentiam horum Canonum, quos non intellectos, sed deprauatos à diuersario ostendemus. Id modo signum huius accipe pie Lector, quòd in Canone primæ sedis, verba vltima, quæ sunt Gratiani, adducit pro verbis Cocilij Aphricani, ità egregiè nouit Iurista Theologus canones tractare.

Obiectio 5.

Immodestia diuersarij.

Lutherus lapsus.

CAPVT XXVIII.

Diluuntur priora obiecta.

Svspectum ostendimus initio statim esse, immò damnatum, qui supecta habet Romanorum Pontificum decreta, tamen ne pusilli decipiantur istis neuijs, & cauillis, præstat respondere ad obiecta. Et primò diximus, quomodo diuersarius sit deceptus, dicens esse hunc Canonem Pelagij, qui est Gelasij, & in orignali est vnus Canon ille, & cap. Sancta Romana dist. 15. & ędidit illum cap. ante M. & 25. annos in Concilio, vt refert Burckardus Wormatien. lib. 3. in præsentia 70. Episcoporum. Dum ergò primò obijcit. Huuc torquere Verbum Christi de fide ad potestatem iurisdictionis, & pompam primatus, dico per ista verba Christi rectè probari, sicut assumit Gelasius, Ecclesiam Romanam esse prælatam alijs ecclesijs, non quod illa verba directè sonent in Romanam ecclesiam, nam nec Gelasius hoc vult, nec aliquis doctus, sed quia pertinent ad Petrum, cuius Sedes est Romana ecclesia, quæ hanc prælationem ex eo hæreditauit. Non tamen meminit hic, potestas iurisdictionis, sicut diuersarius ei imponit. Deindè non facit iniustè Gelasius, quòd illa verba in persona Petri accipit, quod & Hieron. Cyprian. Chrysost. Ambros. & alios Sanctos Patres fecisse initio parefecimus, falsè autem ei imponitur, quòd ecclesiæ personam reiecerit, cum nullius reiectionis omninò meminerit, & superius locupletè ostendimus, quomodo Christus Petro dederit claues, & simul ecclesiæ dederit, quoniam ista nullam habent repugnantiam.

Vndè non oportebat tam venerabilem Pontificem irridere, qui hæreticos, tam fortiter repressit, Manichæos in exilium damnauit, Achatij seditiones compescuit, Imper. Anastasium hæreticis fauentem excommunicauit, Wandalorum Regem Arrianum, propensionem à sacris abstinere iussit. Et ve doctus agnoscatur, & studiosus sacrarum literarum. Hymnos etiam composuit ad imitationem Beati Ambrosij, libros quinque contrà Eutychen, & Nestorium edidit, duos item contrà Arrianum, pauperes præterea amauit, & clerum. Non ergò decebat, tam Augustalem Pontificem, tam Sanctum, & eruditum

ditum Pontificem fcommatibus obruere, ex grammatica ei illudere. Vndè dico falsum esse Gelasium vnquam exposuisse. Tu es Petrus, id est Tu es primus, hoc verum est, ex quo Christus promisit se ædificaturum ecclesiam super Petro, probatur eum esse primum, quia est consectarium ad illud, sicut ostendimus in superioribus, ità sanè ridicula est alia expositio de clauibus Romanæ Ecclesiæ datis. Nam nullus ità insanit, vt dicat soli Romanæ Ecclesiæ datas claues, alijs nihil habentibus, sicut pro libito suo lacerat diuersarius sancti Papæ Decreta, sed soli Petro dedit Dominus claues principalitèr in sua plenitudine potestatis, quas adepta est Romana Ecclesia, ex quo delegit ibi Cathedram, & per illam iam omnes Ecclesiæ recipiunt easdem claues, vocatis eorum Episcopis in partem sollicitudinis, hęc est vera Summi Pontificis sententia, non illa in derisum Sanctorum virorum per diuersarium virulentè excogitata, & odiosè, de quo superiùs plura, vbi prærancidas ratiunculas diluimus. Vbi etiam diximus de primitiua Ecclesia ante Romanam: de Stephano, & de Martyribus Orientis dicturi sumus libro secundo, quia summa iniuria diuersarius hos eis notam inurere nititur, quòd inobedientes fuerint Roman. Pontif. quod est omnium falsissimum, ex maxima, vel malitia, vel ignorantia diuersarij profectum.

Solut. 2. obiect.

In confirmatione pergit more solito, verba Canonis deprauare, & ad suam intelligentiam trahere, quo pateat liberior campus sanctos viros lacerandi. Ait enim si per verba Christi intelligitur potestas Romanæ Ecclesiæ, sequitur quòd Ecclesia vniuersalis super potestatem illam sit fundata. Dico quod sæpius iam audiuimus, petram non esse potestatem, nec vnquam aliquis dixit, sed petra fuit Petrus, & sui successores, super quos ædificauit Ecclesiam suam dado eis potestatem regiminis & pascendi, vndè & Romana Ecclesia fundata est, sicut tota Ecclesia, non super potestate, sed super habentem, quæ ille omnia commiscet, non potens abstrahere, vt diximus, Metaphysicæ minimè accommodatus. Iuuchitur ergo diuersarius non in sensus decretorum, sed in sensum hominis si sui ipsius, quem sibi prolibito fingit, quare non sunt frigidissima, & languida decreta.

Solut. obie. 3.

Cum posteriorem partem Canonis improbare contendit. In omnibus &c. declarat se opponens plùs circa ramos, & superficiem versari negotij, quàm circa radices, nesciens quando auctor decreti loquatur, vel Pontifices per eum adducti. Nam vt dixi iste Canon est Gelasij, non Pelagij, & verba quæ modo controuertuntur, nec sunt Pelagij, nec Gelasij, sed Gratiani, nam in originalibus Pontificum non reperiuntur, quæ ille sine delectu legens, existimat esse verba Papæ. Est enim mos Gratiani, cum Canonem attulit ex aliquo Pontifice, vel Doctore, vt oportunè alium Canonem coniungat, sua verba addere, vt sic conuenientèr ad alium Canonem descendat. Sed cuiuscumque fuerit illud dictum, est tamen verissimum, quod Leonino dente rodit diuersarius. Ostendamus tamen, quàm copiosè, & inanibus Sophysmatibus id agat. Primò enim cum Gratianus loqueretur de sedibus, quòd quantò sedes esset celsior, tantò auctoritas maior, refert indiscriminatim ad personas, ignorans decanum maiorem habere auctoritatem in capitulo, quàm præpositum, cuius tamen gradus est celsior, dein falsum assumit, Petrum nullam habuisse auctoritatem super Apostolos, cum etiam Apostolorum, & omnium fidelium fuerit pastor, licèt Apostolatu inter se pares fuerint, de quo adhuc plura, sufficiat in præsentia Beatus Gregorius secunda quæstio 7. Petrus. Petrus potestatem Regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus querimoniæ contrà eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officij, qua posset dicere. Oues pastorem suum non accusent, nec repræhendant, sed ex auctoritate diuinæ virtutis, qua gentiles, acceperant Spiritum sanctum, respondit, loquitur de eo, quòd Petrus rationem reddit Actuum vndecimò super conuersione Cornelij, quando ascendit Hierosolymam, vbi indubiè, & alij Apostoli, saltem Iacobus fuit præsens.

Solut. obie. 4.

Dum verò diuersarius intendit probare, Petrum fuisse sub Apostolis, à quibus missus fuerat in Samariam. Liquet docto, & erudito viro, hunc fuisse cauillum Arrij hæretici aduersùs sanctum Athanasium. Quia Pater misit filium suum in hunc mundum Ioannis sexto, & vigesimo. Ad Galathas quarto, &c. Ideò contendebat hæreticus Patrem maiorem esse filio in diuinitate. Ità hic diuersarius contendit Petrum fuisse minorem auctoritate Apostolis, quòd ab eis fuerit missus. Omnes tamen, qui fuerunt in senatu, vel collegio, nouerunt se non esse maiores his, quos ex eis mittunt ad principem, &c. Immò in Senatu Prouinciali communitèr maiores mittuntur à minoribus, ad referendum principi conclusa prouinciæ. Sic Herodes misit tres Magos, vt adorarent puerum, qui nullam in eos habuit potestatem. Pondera tamen mi lector, quid per hoc improbare intēdat diuersarius. Hoc inquam. In maioribus est iubendi potestas. In minoribus obsequendi necessitas.

Lapsus Lutheri.

At quis vnquam fuit, vel tam stupidus, vel tam stolidus, qui negasset maiorem esse præcipere, & minorum parere, quòd si hoc fundamentum subruatur. Omnis erit politia subuersa. Omnis ordo ciuilis, & politicus destructus.

Nec tamen sibi constat diuersarius, si quidem, & falsum falso repugnat, & vero, nam ex eo, quòd Apostoli miserunt, & ità habuerunt potestatem iubendi, infert Apostolos mittentes fuisse maiores Petro, at quæro rogo illud probabit consequentia? nisi quod in maioribus est iubendi potestas; & tamen hanc solidam maximam vult impugnare, sic audabatharum more in tenebris dimicans, dum impugnare veritatem nititur, eam solidiori robore firmat. Neque fidem diuersario quis tribuat, negantí pontificem vidisse illud decretum, sed scribam, notarium. Nam diligentissimus fuit Gelasius, & doctissimus, qui eruditas pluribus misit Epistolas, vt Platina testatur, & præcipuè cum hunc Canonem, vt ab initio docuimus, in Concilio promulgauerit, non fuit ea Romanorum

Pon-

Pontificum ignauia, vt condita decreta non acutissimè præuiderent.

Diluitur obiectio 5. Quod ad cap. Cleros attinet, mirot primùm, cur tanta vsus fuerit præfatione, quòd non credat eum esse alicuius Rom. Pontificis, quid oportebat hæc præfari, cùm nunquam legerit, vel audiuerit, hunc esse Summi Pontificis, sed omnes inscriptiones, quas etiam vidi in antiquissimis codicibus, meminerunt illum esse Isidori. Ob id vanè, inquit, diuersarius: videtur esse Isidori, & recurrendo ad Isidorum, mox omnia inuenies, quæ hic citantur libro 7. Ethymolog. quarè frustrà tentat diuinari, sed hic igniculus est superbiæ, vult videri, quasi ex seriè, & textura verborum, possit auctorem deprahendere. Et quia ille Canon non est Summi Pontificis, ideò non est necesse defensionem eius à me suscipi, quod noluerim me eius auctoritate tueri. Metropolim matrem ciuitatum dici,vulgatum est,quasi Mitropolim. De pontifice, quæ subdit, arbitror eum locutum de pontificibus gentilium, velut Romanis à Numa Pompilio constitutis. Vndè Summa fuit apud eos dignitas, Maximum adire pontificatum, & eosdem olim fuisse Summos Reges, & sacerdotes ex Hermetis cognomine liquee, qui ob id Trismegistus appellatus est, quasi ter maximus, quòd summus esset sacerdos, Philosophus, & Rex. At hæc extratia sunt ad propositum minimè attinentia.

CAPVT XXIX.

Obiectio aduersùs Canones Nicolai Papæ cap. inferior 21. distin. cap. omnes distin. 22.

SVgillatur Nicolaus Papa à diuersario super duobus Canonibus. Primus est cap. inferior distin. 21. alter cap. omnes distin 22. In primo Canone definit pontifex inferiorem non posse absoluere superiorem, sicue non potest ligare, adducens illud Esa. 14. Nunquid gloriabitur securis contrà eum,qui secat in ea &c. Contrà istum opponit diuersarius, quia sic appositè tractet scripturas sacras, vt Deum faciat ex Papa cœteros Episcopos, non fratres, non homines saltem, sed instrumenta facit.

Obiectio 2. Deindè in fine (ait diuersarius) Romanam Ecclesiam matrem vocat omnium Ecclesiarum. In quo mirum est, cuius filiæ, & disciplinæ fuerunt Ecclesiæ Iudeæ, & quæ Ecclesia fuerit,quam Paulus vastabat. Si quidem Romana Ecclesia tunc erat in lumbis patris sui Petri,qui Hierosolymis erat. Quid quæso Hierosolymitana Ecclesia didicit à Romana? Cur meminit Paulus Rom. 15. dicens, pauperes sanctos in Iudæa iustè accipere collectam à Romanis, & alijs gentibus, quòd spiritualium illorum participes facti essent, quo verbo Apostolus Hierosolymitanam Ecclesiam, matrem, matricem radicem signat omnium planè Ecclesiarum totius Orbis terrarum Romanæ.

Obiectio 3. Quis negare potest, Ecclesiam gentium, posteriorem esse Ecclesiæ Iudæorum, & ex hoc illam natam? cùm tot in locis hoc de gentibus prophetæ prædixerunt, cùm in actibus discipuli dispersi solis Iudæis prædicasse verbum, & de gentium salute, stupuisse leguntur. Et Paulus Rom. 15. Iudæorum ministrum fuisse Christum, & gentes misericordiam consecutos, ad ruinam Iudæorum docet. Sed & Christus Ioan. IV. Salus in quid ex Iudæis, modestè itàque dixisset, matrem Ecclesiam. Matrem verò omnium Ecclesiarum, hyperbole est nimia.

Obiectio 4. Contra posteriorem cap. omnes inuehitur, quòd sit ineptissima palea, delyramentum illudens Ecclesiam Christi. Vndè cum Canon. dicit dignitates omnes à Romana Ecclesia exortas, ipsam autem à solo Deo fundatam verbo Christi. Obijcit primò. Si Romana Ecclesia est fundata verbo Dei suprà petram fidei, suprà quam petram alias Ecclesias erexit? an suprà Harenam? Non credunt idem Romana Ecclesia, & aliæ Ecclesiæ? nonnè sunt Ecclesiæ Christi? cur tu resistis Christo dicenti. Super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, quid significat Ecclesiam meam, non est nisi vna Romana Ecclesia, sua Ecclesia? Si autem quælibet alia, etiam Ecclesia Christi est, & Christus affirmat eam ædificandam suprà petram fidei, impio errore dicitur, ad Romanam Ecclesiam pertinere, & non ad alias omnes, quare meritò hæc decreta frigidissima dixerim, nam hoc interprete, sic intelligemus Euangelium. Egò supra fidei petram ædificabo Ecclesiam meam Romanam. Romana autem ædificabit supra suam sententiam Ecclesias suas, non meas, quia meam suprà fidei petram ædificabo, etane nunc adulatores, & statuant nobis Scripturæ sacræ interpretationem ad Romani Pontificis scribas pertinere. Deindè vide quid sit in curia Romana iuristas dominari, & sine Theologis, ac sacris literis, de sola potestate, & Spiritus sancti præsentia præsumere, hoc est per solam potentiam scripturas tractare.

Obiectio 5. Iam illud, quàm Euangelicè dictum est, quòd cœlestis Imperij, & terreni iura Petro commisit, obsecro. Non est hoc omnibus lachrymis dignum, quòd illa pro oraculis suscipere debeamus, non primò imperium est, quòd Petrus iura cœlestis Imperij teneat, cùm solum ministerium verbi teneat in terra. Solus Christus est Dominus cœli, & terræ, deindè Imperium terrenum docuit Christus, & Petrus contemnere, hic non solùm non habere, sed etiam iura eius in manu Petri constituit. Hunc secutum est illud malum, quòd adulatores Romanum Pontificem in vtroque regno Dominum constituune, quod nec Christo quidem datum est, qui suum regnum negat esse ex hoc mundo. Mirum autem est, quòd Petrus Neronem principe passus est, non modo in Roma, sed etiam in cruce sua, qui potuit ei iura terreni Imperij aufferre, aut certè friuolum, & impium est, successorem Petri hoc præsumete, quod in Petro non fuisse cernitur.

Obiectio 6. Sequitur in Canone. Non ergò qualibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cœlum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Opponit diuersarius, quia aut hæc de sola Romana Ecclesia dicuntur, & sequitur omnes alias Ecclesias,

ſias, terrena ſenteńtia ſtatutas, & ſine verbo Dei, ſine quo nihil factum eſt, quod factum eſt, & ſic omnes aliæ Eccleſiæ ſunt nihil. Aut ſimul etiam de alijs Eccleſijs intelligendum eſt, eſſe ſcilicet eas per verbum Dei, quod omnia condidit, ſtatutas, & ſequitur, huic nihil ſingulare ad Romanem Eccleſiam dici, niſi inanem pompam ſyllabarum. Quòd ſi de conſtitutione Eccleſiarum iuxtà dignitatis gradus loquitur, non ſecundum ſubſtantiam, patet quàm peruerſè, hoc verbum Chriſti de fide totius Eccleſiæ vniuerſalis torqueat ad vnius hominis poteſtatem, Chriſtus ſuam Eccleſiam ſuprà petram ædificare ſe dicit, hîc verò, non, ſed dumtaxat Romanam, hoc eſt cœteras Eccleſias nihil facere, & Chriſtum negare.

Obiectio 7. Porrò ſi cœteræ Eccleſiæ ſunt terrena ſententia ſtatutæ, & hanc ſententiam Romanæ Eccleſiæ dixit, ſuo ore ſeſe damnat, ſuam ſententiam terrenam, non diuinam dicens. Et vbi manet, quòd vocem Petri, tanquam diuinam, & non terrenam audire oportet? Porrò quis conſtituit Eccleſiam Hieroſolymitanam, antequam Romana Eccleſia eſſet? An non Petrus verbo Dei Romanam Eccleſiam conſtituit? Verùm ſi de dignitatis conſtitutione loquitur, non de ſubſtantia Eccleſiæ. Tunc arguo ſic. Romana Eccleſia eſt alijs ſuperior diuino verbo conſtituta, ergò neceſſe erit, vt eodem verbo cœteræ Eccleſiæ ſint ei inferiores ſtatutæ, quia non poteſt ſtatui ſuperior, niſi ſint, quibus ſuperior ſtatui poſſit, vbi ergò eſt, quod ſuprà dixit, inferiores ceterarum Eccleſiarum ordines à Romana Eccleſia inſtitui, non verbo diuino, quo vult ſola conſtitui ipſa? nam quomodo Chriſtus potuit ſtatui Dominus, niſi ſimul gentes, & termini terræ ſubijcerentur, & mons ſyon, cui rex præficeretur?

Obiectio 8. Adde his, ſi quis dicat. Si Romana Eccleſia diuino verbo ſundatur ſuper omnes. Oportet ergo, & eas certas nominari, quæ verbo diuino ſubijciantur. Age, eſto ergo hæc ſententia diuina, Romana Eccleſia eſt alijs ſuperior, dic vbi ſcriptum ſit eius correlatium, Eccleſia Mediolanen. eſt eius inferior, aut vlla alia? Si nulla nominatur, nulla ſubeſſe debet, præcepto ſaltem diuino. Quid hic melius dici poteſt, quàm quòd verbum Chriſti, nec de ſuperioritate, nec de inferioritate Eccleſiarum intelligi poſſit. Sed de ſola, eadem, immictaque fide, & poteſtate omnium Eccleſiarum æqualiter.

Obiectio 9. Sequitur in Canone. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur. Vide, inquit, diuerſarius, quæ corrolaria inferat verbum Chriſti, de fide, ad poteſtatis ſignificationem detortum, priuilegium ſit Romanæ Eccleſię in verbo, quod communiter omnibus Eccleſijs conueoit, quia Chriſtus dicit. Super hanc petram ædificabo Eccle-

Obiectio 10 ſiam meam, meam, inquit. Si Eccleſia alia quælibet eſt Eccleſia Chriſti, ipſa certè ædificata eſt ſuper candem petram, & nullum eſt vlli priuilegium. Si non eſt Eccleſia Chriſti, & ſola Romana eſt Eccleſia, priuilegium non ſtat, quia nulla eſt Eccleſia, cui Romana ſuperior eſſe poſſit. Iterum dico pronomen meam, aut ſignificat ſolam Romanam Eccleſiam, aut omnem Eccleſiam. Si ſolam, habet priuilegium præ cęteris. Si omnem, iterùm non habet priuilegium præ cæteris. Eligat ergo quod vult per hoc verbum Chriſti Romana Eccleſia, aut erit ſola, aut non erit prima, digreditur deio ad conuicia, ſed hæc Theologicam maieſtatem non referunt.

Sequitur in Canone. Vndè non eſt dubium, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ios ſuum detrahit, iniuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum capite traditum (vide hyatum illum ſtentoreum) auferre conatur, hic proculdubiò in hæreſim labitur, ſuper quæ diuerſarius hyſtrionem, aut paraſitum ſcenicum agens, hæc iocatur. Eccleſia Romana non habet ius, ſed priuilegium, quod? quod eſt ſupra petram fidei ædificata. Hoc enim ſolius Romanæ Eccleſiæ eſt, iſto auctore, deindè petram fidei intelligit prælationem hanc primatus terreni, oam hæc duo perpetuò miſcet, & confundit, hæc palea. Obſecro quanta patientia eſt iſta tollerare? Primùm ſicut dixi, ſi petra fidem ſignat, eadem eſt omnium Eccleſiarum, nullo reliquo priuilegio. Si autem non omnium eſt eadem, ſola erit Eccleſia Romana non habens, cui præferatur. Secundò ſi petra fidei dignitatem ſignificat, iam ſibi ipſi contradicit in eodem verbo, verbumque Chriſti adulterat fidei ſignificationem in poteſtatis ſignificationem ſubuertens, & ſpiritum in carnem, Chriſtum ad mundum trahens. Non eſt ergò hæreticus, qui negat hoc priuilegium Romanæ Eccleſiæ, ſed ille deprauator eſt verbi Dei, qui per fidei petram, intelligit priuilegium potentiæ temporalis.

Obiectio 11

Quòd autem in fine Ambroſium adducit, qui ſe matrem Eccleſiarum aſſerit ſequi Romanam, vtinam & idem faceret cum Ambroſio. Eccleſia Romana mater eſt, ſed non omnium Eccleſiarum. Nam & Metropolis quælibet eſt mater Eccleſiarum, iuxta patrum ſtatuta. Deindè Romana Eccleſia, nunquam verbis Chriſti has contumelias fecit, quas hæc palea fecit, ſed per petram fidem intelligit, non tyrannidis ambitionem. Hæc diuerſarius adhuc etiam multò proteruiùs adduxit, quoniam plura verba aculeata, ſtudioſè omiſimus ob beati illius pontificis reuerentiam. 12. Dilutio Ambroſij.

CAPVT XXX.

Reſpondetur ad obiectiones quatuor, & quomodo Eccleſia fundetur ſuper petram, & quod Romana Eccleſia ſit catholica explicatur.

NOo latebit prudentem Lectorem capitulo inferior propoſito non deſeruiſſe, licèt intentioni diuerſarij deſeruiret plura coacervantis, quo mordeat, & lacerando eruditionem, vel ignauiam ſuam oſtendat. Obiter ergo in Canonem obiecta diluam. Solu. obie. 1. Dum enim Eſayam attuliſſet cap. 10. (non. 14. vt oberrat diuerſarius) de ſecuri, & ſecante, Luther lapſus. infert mox Canonem facere Deum ex Papa, & tam puerilis eſt ille caniſlus, vt fermè pigeat

geat dilutionis. Symbolum affert propheta pro comparatione Dei ad creaturam, quòd cum Summum Pontificem accomodet Canoni, infert quòd iam audiuimus, quasi Symbolum Dei non possit esse Symbolum Papæ, & tamen Papa non sit Deus. Insignis inscitis diuersarij hic detegitur Symbolicam Theologiam ignorantis, & Sophysta copiosè arguatur, hoc est Symbolū Dei, & est Symbolū papæ, quare papa est Deus. Et vt detegatur manifestissimè diuersarij imperitia, hoc dicam, in Theologia Symbolica sępiùs idem esse Symbolū rerū diuersarū, hoc ostendi in disputatione Lypsica propugnatori Lutherano, & similibus erroribus, ac hæresibus implicito, Andreæ Carlstadio, ex Augustino lib. 4. Hyponosticon, vbi iumentum facit Symbolum gratiæ, & dein liberi arbytrij. Et quod plus est, idem est Symbolum rerum contrariarum, seu desperstorom, nonne Leo de tribu Iuda est Symbolum Christi? tamen Leo est etiam Symbolum diaboli. Ignis Symbolum est diuini amoris, Symbolum est carnalis concupiscentiæ, sic de aqua, de vmbra, de frigore &c. & innumeris alijs. Non ergo facit ex Deo Papam, sed Symbolum à creatura translatum in Deum, transfert in creaturam. Et profectò scienti artem Symbolicam hoc videtur necessarium, quod in rebus infimis desumptum ad significandum distantius, potest signare minus distans, at hæc alibi.

Improperat Canoni, quia cæteros Episcopos non homines faciat, sed instrumenta, hic vides syncerè lector, quàm se non intelligat diuersarius, ex hoc enim, quod fecanrem Papæ, securim inferioribus Episcopis per Symbolum ascribit, mox insurgit, cum facere alios Episcopos instrumenta, homines, sed age, cum propheta Symbolum Deo dedit secantis hominibus, securus. Itàque homines fecit non homines, sed instrumenta, modo argumentandi ipsius diuersarij, sic sacras tractamus literas, sic alios optimè, & accomodatissimè tractantes, repræhendimus, castigamus, & erudimus.

Hoc nouerunt omnes boni, & docti, omnem causam secundariam, & minus principalem esse quasi instrumentum causæ prioris, à qua dirigitur, & quia Patriarchæ diriguntur à Papa, primates à Patriarchis, Archiepiscopi à primatibus, Episcopi ab Archiepiscopis, Archipresbyteri ab Episcopis, Plebani ab Archypresbyteris, vicarij, & adiutores, à plebanis, & sic semper inferior est quasi membrum, & instrumentum superioris, de ratione autem Physica instrumenti huic loco non attinet, quia solum vtimur instrumento Symbolicè.

I. Papa
II. Patriarcha
III. Primas
IV. Archiepiscopus
V. Episcopus.
VI. Archipresbyter
VII. Plebanus
VIII. Adintor.

Sol obiec. 2. Improbat dein Canonem inferior, quia in fine vocet Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum. In quo mirum est quod somnij obuenerit diuersario, quod Canoni imponit, nullatenùs in eo existens, sed finxit, vt liberius esset. Immò plures sunt Canones sequentes in Gratiano Nicolai, in nullo tamen eorum hoc dictum continetur. At quia est verissimum, & pluribus Canonibus attestatum, ideò Sophysmata Lutheri in contrarium repellamus. Vndè cum primò opponit de Ecclesia Iudea, dico quòd hoc fuit argumentum Episcoporum Orientalium hæreticorum, quando scripserunt, Iolio Papa, contrà sanctum Athanasium, & quæ fuerunt schisma contrà Romanam Ecclesiam. Ità enim scripserunt. Domino beatissimo, & honorabili patri Iulio, Apostolicæ sedis venerabili Episcopo, Eusebius, Theoginus, Theodorus, & Berinthus vna cum reliquis fratribus, & Coepiscopis nostris in Antiochia congregatis. Licèt circa omnes Romanam Ecclesiam sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & semper matrem existere pietatis, quamquam ab oriente ad ea prædicatores veritatis aduenerunt, & infrà. Optaremus, nec nos secundo loco habendos cum ijs, qui ex his partibus ad vos vsque dogmatizantes Apostoli peruenerunt.

Hoc benè dicit capit. Non decet eß concord. dist. 11

Lapsus Luth.

Sol. obiec 3 Respondeo ergo, quia Ecclesia Romana non est mater aliarum, nisi quia est Petri sedes, & successorum eius, & Petrus successit Christo, ideò facilè est videre, Iudeam Ecclesiam fuisse filiam Petri, & primò Christi. Benè ergo probat, & hoc vult Apostolus, Iudeam esse matrem, & radicem aliarum Ecclesiarom origine, nam ex Iudeis prophetæ, Christus, & Apostoli exierunt, vt interpretatur Paolum Athanasius, ideò pro eis eleemosynam petit Paulus ex gentibus. Attamen Romana Ecclesia est mater omnium, fidei stabilitate, dignitate, & potestate, quæ adhuc fidem Christi tenet, cum Iudea, Ægyptijs, & Græcia misit. Item verum est Ecclesiam gentium priorem esse tempore Ecclesiæ Iudeorum, tamen à Deo, Petro medio, constituta est prima, quæ tot periculis quassata fluctuat, non perit. Salus ergo origine est ex Iudeis, immò dignitas Romanæ Ecclesiæ est ex Iudeo Petro, quia accepta omnium Ecclesiarum mater existit.

Sensus cap. omnes dist. 22. Amaruleotas autem soluturus obiectiones, contrà indubitatum Nicolai capit. omnes, ab initio obitèr intellectum Sum. Pont. explanabo, quo facto constitit patebit, omnia obiecta, non studio veri quærendi, sed mordendi libidine forè adducta, Canoni penitus in fundamento nihil aduersantia. Vndè quia Christus per illa verba sæpè renarrata. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Pollicitus est se ædificaturum Ecclesiam super Petrum, & successores, vti Cyprian. Hieronym. August. Ambros. Gregor. Chrysost. & alij voluerunt superius citati, viri sancti, & Spiritu Dei pleni, hanc pollicitationem præstitit indubiè Dominus Petro, qua exhibita, nactus est Petrus potestatem super Ecclesia Dei, cuius pastor effectus est. Et quia iussu Dei finalitèr sibi sedem, & successorem delegit Romæ in plenitudine suæ potestatis, ità connexione quadam, & consecutiuè per vnionem Petri cum Ecclesia Romana, ipsa à Christo per Petrum, hanc potestatem accepit, & cunctis alijs

alijs est prælata, quòd si mansisset Antiochiæ vsque ad diem obitus sui, nisi Deus aliter successoribus præcepisset, tunc Antiochena fuisset supremus omnium.

Et ita Petrus factus est Episcopus Romanus iussu Domini, quod etiam nunc credo fieri posse, vt si Deus mandaret Papæ, vt transferret sedem suam, & omnia, quæ sunt sedis, ad Ecclesiam Coloniensem pro se, & successoribus, quòd tunc Coloniensis Ecclesia foret suprema omnium. In alijs autem locis, facti sunt, & ordinati Episcopi iussu ipsius Petri, ità quòd vsus est potestate sua, etiam constituendo primates, testatur hoc Clemens, cap. in illis, dist. 80. In illis inquit ciuitatibus, in quibus olim apud æthnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant Episcoporum primates, & Patriarchas B. Petrus poni iussit, qui reliquorum causas Episcoporum, & maiora negotia in fide agitarent, prosequitur de Archiepiscopis, & Episcopis. In fine addit. Neque inter Apostolos par fuit institutio, sed vnus omnibus præfuit, & est Canon. 7. & 8. Cleuen. pondera inæqualitatem Ecclesiarum in ipsa institutione earum. Sic Innocen. cap. quis nesciat, dist. 11. declarat quomodo sanctus Petrus per Galliam, Hispaniam, Italiam, & Aphricam, Episcopos instituit, patet ergo quòd illa primatum, & Episcopatum institutio, Ecclesiarum distinctio, vel vnio, fuit voluntaria ad rationabile arbitrium Summi Pontif. & ab eo ordinatotum, quod in hodiernum diem contingit, quando noui eriguntur Episcopatus, sicut ad petitionem Friderici 3. Imperat. in Wienna Pannoniæ erectus fuit Episcopatus, & alter in noua Ciuitate, hoc quoque aduerte, nemini esse ambiguum, quin Ecclesiam meam, in verbis Christi ad vniuersalem referatur Ecclesiam, sed ratione petræ, quæ fuit Petrus Roman. Pont. pertinet ad Romanam Ecclesiam. & eius dignitatem declarat, & probat, & quia diuersarius in hoc errat, & ob huius ignorantiam has tenebras nobis offundit, vt hæc in obtutu, & prospectu sint pij lectores, neque excidant memoris, hanc depingamus formulam.

	Petram ædifica. Ecclesiam meam	
Super hanc	I	
	Petrus	
	I	
	Romana	
	Ecclesia	Vniuersalis.

Non ergo Deus ædificauit Ecclesiam suam super Romanam Ecclesiam, nec super potestate Romanæ Ecclesiæ, sed quia Christus ædificauit Ecclesiam suam super petram, super Petrum, per illum habet suam dignitatem, & prælationem, quare Petrus specialiter fuit Episcopus Romanus, & tamen pastor vniuersalis Ecclesiæ, sic Romana Ecclesia est prior in vniuersitate Ecclesiarum alijs Ecclesijs particularius. Sic ergo declarat Nicolaus Pont. Romanam Ecclesiam esse superiorem alijs, quia Petro eius præsidenti Christus filius Dei verbum patris dedit primatum super tota Ecclesia. At non sic Ecclesiæ aliæ hoc ius prætendere possunt, dempta Antiochia, quæ ad certum tempus hoc habuit priuilegium, sed cessit Romanæ Ecclesiæ, vt ait Marcellus Martyr. His sic prælibatis somnia, & præstigia Lutherana propulsemus.

Primò ergo cum assumit, & alias esse Ecclesias Christi, & credant, & non sint super hanc petram ædificatæ. Respondeo argutatori, vnam esse Ecclesiam Dei, vnam sponsam, vnam columbam, vnam perfectam, vnam formosam per vniuersum terrarum orbem, quę ædificata est suprà petram immobilem. Secundò dico specialiter Romanam Ecclesiam esse fundatam super petram, quia Petrus, super quem promissa est ædificari Ecclesia, licèt totius Ecclesiæ fuerit pastor, tamen singulariter Ecclesiam Romanam, in qua sedit, honorauit, & præ cæteris Dominus per illum extulit, velut in regno regia, caput aliarum ciuitatum constituitur, quare priuilegia habet à Deo Romana Ecclesia, quæ alia non habet, nisi per illam, ità scribit Platina de B. Gregorio, quòd responderit Michaeli Imperatori, potestatem ligandi, & soluendi Petro traditam, eiusque successoribus, non Episcopis Constantinopolitanis, quòd quidem non sic accipiendum credo, quasi voluerit illos Episcopos non habuisse claues, sed quia vniuersalem potestatem clauium non habent, vel quia non primò acceperunt à Deo, aut quia ministerio acceperunt humanæ superioritatis. Sol. obiec. 4.

Qualis enim est comparatio præsidentis, tasis, & Ecclesiarum adinnicem esse videtur, vt pulchrè Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium testatur. Indagemus diligentiùs inquit, quis sis, quam geras pro tempore personam in Ecclesia Dei, quis es, sacerdos magnus, Pontifex Summus. Tu princeps Episcopo. Tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, anctoritate Moyses, Iudicatu Samuel potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs vtriusque præ cæteris nomen hæreditasti, habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. Quare liquet Romanam Ecclesiam, quàm diù est sedes Petri, immediatius esse ædificatam à Christo, & fundatam super petram, quàm alias Ecclesias (non loquor de immediatione actionis, quia sic omnia immediatè fiunt à Deo, sed vt negat deriuationem ab alia potestate humana superiori, scimus enim neminem dare claues infimo sacerdoti, nisi Deum, tamen hoc facit per Episcopum) Hinc est quòd, vel alijs Ecclesijs deficientibus, vt in Asia, Aphrica, & Europa Orientali. Aut tardè conuersis ad fidem, vt Anglia, Limania, Polonia &c. Ecclesia Romana hactenus à fide Petri non deficit. Habes ergo candidè lector, quomodo differenter aliæ Ecclesiæ sunt fundatæ super petram fidei ab Ecclesia Romana, quoniam de nulla alia particulari Ecclesia dicitur. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, sicut de Romana dici potest, quamdiù manet sedes Petri, sicut benè applicat B. Gregorius contrà Ecclesiam Constantinopolitanam lib. 4.

lib. 4. cap. 29. In regiſtro, à qua non ſolùm hæretici, ſed & hæreſiarchæ exierunt. Vndè cuilibet intelligenti, iam eſt obuium, diuerſarium numquam penetraſſe ad veram intelligentiam, quomodo Eccleſiæ ædificentur ſuper petram, & ità inanitèr calumniari Summorum Pontificum decreta, contrà quam Chriſtianum hominem decet. Quare ſcomma, quod in decretum ludit, faciliter repellitur, quando aſſumit, & alias Eccleſias eſſe Eccleſias Chriſti, & ità ædificatas ſuprà petram, quoniam iam declarauimus ſæpius, vnam eſſe Eccleſiam vniuerſalem, quæ ſuprà petram fundata eſt, & omnes Eccleſiæ particulares in tantùm fundantur in petra, inquantùm coniunguntur Romanæ, vt mox probabimus.

Similis calumnia eſt, quod aſſumit peruertendo verba decreti ſiniſtra interpretatione, quaſi dixiſſet. Ego ædificabo Eccleſiam Romanam ſupra petram, quæ eſt mea, Romana Eccleſia ædificat alias Eccleſias non meas ſuper ſuam ſententiam. Hoc enim delyrium eſt Lutheranum, non Sancti Pontificis. Vna enim eſt vniuerſalis Eccleſia totius orbis à Chriſto ſuprà petram ædificata, & ità omnes Eccleſiæ inſtituuntur, & deſtituuntur à Romana, quæ ob præſidentiam Petri Apoſtolorum Primi, ſuperior omnium eſt conſtituta, & ſic omnes ædificantur ſuprà petram, ſed per Romanam, & hoc ſit clariſſimum omni rectè mentato, audiamus Florentiſſimum Epiſcopum Ambroſium, auctoritate Sancti Martyris Cypriani hoc diffinientem 24. queſt. 1. aduocauit. Aduocauit ad ſe Cyprianus Epiſcopum Satyrum, nec vllam putauit veram, niſi veræ fidei Gratianus, percunctatuſque ex eodem eſt, vtrùm nam de Catholicis Epiſcopis eſſet, hoc eſt ſi cum Romana Eccleſia conueniret, hoc Ambroſ. teſtatur Cyprianum feciſſe, eo quòd in illo loco ſchiſma erat ob Luciferum, qui ſe à communione fidelium diuiſerat, qui adeò pertinax fuit, quod etiam pro fide ſua exularet, & ſubdit. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen fidem erga Eccleſiam Dei non tenebant, cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari, etenim cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & corpus Chriſti ſit Eccleſia, non videtur ab his vera fides exhiberi Chriſto, à quibus euacuatur paſſio eius, atque diſtrahitur &c. Expende quiſquis hæc legeris, Cypriani, & Ambroſij ſententiam, qui exiſtimant eum non eſſe de Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, propter quam Chriſtus paſſus eſt, qui cum Romana Eccleſia non conueniret, quamuis Cyprianus, Satyrus, & Lucifer Aphricanæ fuerint Eccleſiæ transmare, quamuis magna temeritate, diuerſarius neget Aphros vnquam fuiſſe ſub Romana Eccleſia, quod lib. 2. euoluemus.

Simile dicit in prædictorum robur Pelagius Papa D. Auguſtini auctoritate. Etenim cum ſicut dicimus, Eccleſia vna ſit, cui in Canticis Canticorum dicitur: vna eſt columba mea, nullam aliam eſſe conſtat, niſi quæ in Apoſtolica radice eſt fundata, à quibus ipſam fidem vniuerſo orbi propagatam eſſe, non poteſt dubitari, quod vt nobis, licèt notiſſimum omninò ſit, Beati tamen Auguſtini teſtimonio comprobemus. Audiçe quid in quodam opere ſuo præclariſſimus doctor dicat Eccleſiæ. Ait enim, quòd ſi nullo modo rectè dici poteſt Eccleſia, in qua ſchiſma eſt, reſtat, vt quoniam Eccleſia nulla eſſe poteſt, quam ea, quæ ſit in Sedis Apoſtolicæ per ſucceſſiones Epiſcoporum radice conſtituta, quàm nullorum malorum hominum malitia, vllo modò valeat extinguere. Vide omnes Eccleſias conſtitutas in radice Apoſtolicę ſedis, pie lector hic omnes libri impreſſi, quos viderim ſunt mendoſi, ideò ad emunctos codices vetuſtos, & ſcriptos habe recurſum, & inuenies me fidelitèr hunc locum deprauatum reſtituiſſe, volunt ergo hunc eſſe ſchiſmaticum, & ſcindentem tunicam Domini, vt Aug. ait de quinque hęreſibus, qui cum Romana Eccleſia omnium aliarum radice non conuenit. Quòd increpat iuriſtas diuinari Romæ neglectis Theologis, apparet mihi diuerſarium iuſtiſſimè facere, quamuis an vnus, vel alius ex profeſſionibus regat dempto Pontifice Apoſtolico, me lateat. 24. queſt. 1. pudenda. Locus Gratiani emendatus.

CAPVT XXXI.

Obiectio alia diluitur contrà cap. omnes, & hic attingit an Papa habeat vtrumque gladium.

DEcretalem dein objicit, quod affirmet, Petro cœleſtis, & terreni imperij iura commiſſa, facilè liquet nihil eſſe tam benè dictum, quod non à malignis interpretibus poſſit calumniari, vti & capiti noſtro Domino Ieſu à perfidis contigit Iudæis, diuina verba inuertentibus. Rectè ergo alius præcabatur dictis ſuis. Abſit malignus interpres, & inſtgnis ille pictor fuckerorum tabellis ſuis ſufficit. Citiùs quis carpet, quam imitabitur, nam vocem Papæ, dicit diuerſarius, eſſe blaſphemam, Petrum iura cœleſtis imperij tenere, cum ſolùm miniſterium teneat verbi in terra. Sed miſerè torquet verba Summi Pontificis, quis enim ità deſiperet, vt crederet Petro viatori commiſſum eſſe imperium cœli, vt in cœlo iam ſecurus imperaret, & omnia prouitu diſponeret, ſed quia permiſſione Chriſti, quæ ſolueret, & ligaret in terris, erant ſoluta & ligata in cœlis, hinc dicitur tenere iura cœleſtis imperij ſi ſoluendo, & ligando, quam poteſtatem extollens Origenes ait, vide quantam poteſtatem habet petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quaſi Deo iudicante per eam. Et Chryſoſt. de Petro ait. Ei enim ſe promittit daturum, quæ ſunt propria ſolius Dei, ſcilicèt peccata ſoluere, & Eccleſiam immutabilem facere inter tot perſecutionum, & tentationum procellas. Ideò rectè dicit B. Gregorius in homilia. Grandis honor, ſed graue pondus eſt iſtius honoris. Sic B. Ambroſius ait de dignitate ſacerdotali cap. 7. Honor, & ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit comparationibus adęquari, ſi regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferiùs, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem comparares, cum videas regum colla, & principum, ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculatas eorum dextras, orationibus eorum credant ſe commu- Sol. obiec. 5. Detrahendi libido.

mu-

muniri, & eap. sequent. Nihil est in hoc sęculo excellentiùs sacerdotibus, nihil sublimiùs reperitur Episcopis. Sic B.Greg. ad Hermanum Meteu. Episcopum scribit, & renarrat Gratianus cap. quis dubitet 96. distinctio. Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum, & principum, omniumque fidelium patres censeri?nonne insaniæ mirabilis esse dignoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum, sibi subiugare conetur, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligare posse, & solui? Et verba ipsa Christi hoc indicant. Tibi dabo claues regni cœlorum, quid aliud significant hìc claues, nisi Symbolicè potestatem quandam, & ius quoddam ad cœlos? tale quid, & nihil aliud voluit dicere Nicolaus Papa, Petrum accepisse iura cęlestis imperij, vti & B. August. simile quid dicit lib. de quinque hæresibus, de diuina, & cœlesti auctoritate dimittendi peccata.

Porrò quomodò Papa habeat se ad temporale dominium, & an conferat imperium? an exemerit Reges Galliæ, & Hispaniæ ab Imperio, sicut illorum ambasiatores protestabantur in Concilio Constantiensi, se non venisse ob vocationem Imperatorum, quasi Imperator aliquod ius in eas haberet, hæc inquam materia latior est, quam vt nos eam attingamus, inquam tot ab antiquioribus scripta sunt, pręsertim posteàquam Henricus IV. Gregorium VII. Henricus V. contrà Paschalem II. & Calistum II. Fridericus I. potentissimus Imperat. Sueuus contrà Alexandrum III. Fridericus II. Sueuus contrà Innocentium III. Honorium III. Gregorium IX. Philippus Sueuus contra Innocen. III. Ludouicus Bauarus contrà Ioan. XXII. discordijs, & dissensionibus maximis laborarunt, pro Ludouico Bauaro multa scripsit Guil.Ockam Anglicus, qui tamen licèt Papæ plurimùm aduersetur, tamen constantèr asserit Ecclesiæ Romanæ Primatum iure diuino datum, & oppositum iudicat hæreticum, quem tamen diuersarius adulatorem incusare non potest, quòd exterris cum Michaele de Zezenna, Henrico de Kelheim, Francisco de Esculą, fratre bona gratia, in monachio degeret, timore Papæ. Quamuis in Germanorum annalibus legamus eos priùs fuisse absolutos, discordia historiarum venit. quia aliqui sub Ioanne in excommunicatione ex fratribus sunt mortui, sed qui ad Benedicti tempora vixerunt, fuerunt ad pœnitentiam reuersi, & absoluti. Vndè Guil. Ockam Ioanne XXII. mortuo vixit temporibus Benedicti XII. vsque ad annum secundum Clementi VI. quare G.Ockam hac nota inurendus non est. In cuius excommunicatione feruntur esse mortui. Habeo adhuc vnum eius libellum contra Papam, nondum à calchographis exaratum.

Plura, & fortia in vtramque partem afferuntur, Zacharias deposuit Hildericum Francorum Regem, & Pipinum, Caroli Magni patrem substituit cap. alius 16. quęst. 6. Vide Rob. Gaguinum, sic Leo IV. transtulit Imperium ex Græcis in Germanos in personam magnifici Caroli magni cap. venerabilem de elect. Gregorius VII. deposuit Henricum IV. & Rodulphum Ducem Sueuiæ, eligi curauit. Sic Innocent. III. reiecit Philippum magni Friderici Barbarossæ filium, & Ottonem Brunicen. confirmauit, quo dein deposito, Fridericum II. eligi procurauit, quo iterùm per Papam deposito. Thuringiæ Lantgrauius eius iussu electus est, licèt per Chonradum Sueuum apud Franckfordiam victus fuerit, & fugatus, vt hæc latissimè in annalibus nostratum leguntur. Sic Benedictus XI. Luchinum Vicecomitem Mediolani confirmauit, Mastinum Staligerum Veronæ, & Vincenriæ, Philippinum Gonzagam Mantuæ, Albertinum Rhegij, Carratien. Pataui, Astensem Ferrariæ, & Mutinæ. Sic Clemens VI. Carolum Boihemię Regem contrà Luth. fecit in Regem Romanorum eligi, sed non obtinuit, tribus etiam post mortem Ludouici suffectis. Sic Imper. electus à Papa, confirmatur, inungitur, consecratur, coronatur, & Imperat. ei iurat cap. tibi Domino 63. dist. Supplet etiam defectum Imper. in interregno cap. licèt de for. competen. Et ità plures volunt in toto corpore mystico esse vnum caput, tam laicorum, quàm sacerdotum, & illud sie Papa habens penès se vtriusque gladij potestatem, quamuis gladium temporalem conuertisse debeat in vaginam, quem nimis sanguinolentum etiam nostra ętate vidimus euaginari, plus laborantes pro patrimonio Petri, quam fide Christi dilatanda. Hinc dialogus Iulij, & Genij natus est. Quamuis nemini sit ambiguum, etiam temporibus Beati Gregorij Ecclesiam habuisse patrimonium, vt patet in eius registro lib. 1. epist. 2. de Sicilia, & lib. 5. epistola 10. de partibus Gallię lib. 6. epist. 23. Et ità volunt Papam habere etiam gladium temporalem in habitu, non in exercitio. Huius sententiæ expressè fuit Bernat. lib. 4. de consideratione ad Eugenium, mihi col. 3.

Alijs fortissimis motiuis contrà sentientibus, quibus facilè non resistitur: nam & Christus sub Cæsare natus est Luc. 2. sic Christus dixit Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Et confirmauit Augustale Imperium Ioan. 19. Non haberes potestatem illam in me, ait Pilato, nisi datum esset tibi desuper, Sanctus Paulus ciuem Romanum se dixit Actuum 16. & 22. & Actuum 25. ait. Ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari, Cæsarem appello. Ideo dixit Christus Apostolis. Reges gentium dominantur eorum &c. Vos autem non sic Luc. 22. & Matth. 20. Et iuueni dicenti Christo, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, respondit. O homo, quis me constituit iudicem super vos Luc. 12. Regnum quoque à turbis oblatum respuit Ion. 6. & se regem esse negauit. Apostolus 2. ad Timoth. 2. prohibet militantem se implicare negotijs sęcularibus: vbi notabilis Glos. Ambrosij; Glos. in cap. quoniam idem, distinct. 10. ait Imperium non habetur à Papa. Exercitus olim faciebat Imperat. Glos. in capitulo legimus, & capitulo cum ad verum 96. dist. vbi notabilis tex. cum ad verum ventum est, vltrà sibi nec Imper. iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpet. Adde tex. & glos. 96. dist. cap. cum duo, & cap. nouit de iud. Et B. Petrus loquitur Clementi XI. quæst. 1. te quidem. Et Bernardus Eugenio scribit in criminibus, non in possessionibus est potestas vestra.

vestra. Vndè Herodes metuit Christum assumpturum regnum temporale. Ideò in Hymno canitur. Non arripit mortalia, qui regna dat cœlestia: de quo Augustinus super Ioannem, Leo in homilia de Epiphania, Chrysostomus, & alij. At non est nostrum tantas componere lites.

Vtcumque sit de illo, attamen non erat exibilanda decretalis illa Nicolai, cum non sit ità finistimè interprætanda, velut diuersarius, infecti gustus, omnia amara iudicat. Nam cum primo opponit, Petrum non tenere iura cœlestis imperij, quia solùm teneat ministerium verbi in terra. Vide sincere Lector quàm ieiunum, & captiosum obtrudit cauillum. Quis enim vnquam illa verba Nicolai sic accepit, vt Petrus iura habuerit militantis, & triumphantis Ecclesiæ? Ministerium itàque Petrus accepit in terra, sed tale, quo cœli aperiuntur, quare non ineptè dixit, Petrum tenere iura cœlestis imperij. Sic, & terreni imperij, non referre oportet ad Imperatoriam maiestatem, sufficiat quòd hic in terris Pontifex, ius habeat cęlos claudendi, & tale ius habeat super Cęsare, Regibus, ac quibuscumque terreno Imperio sub Ecclesia splendentibus, quòd vbi materia peccati vertitur, omnes subiacent Pontificis Imperio, cap. Nouit. de iudic. Non affero varias huius loci sententias. Non enim desunt, qui per illa duo iura Imperij, bonos, & malos intelligant. Alij eo applicant, quia potestatem habet spiritualia seminandi, & mittendi temporalia, quodcumque horum dixeris, beneuolè interpretando, non supercilio Pharisaico lacerando, torquendo, & corrumpendo textum, videbis iniuria tàm sanctum, & Innocentem Pontificem, à fratre isto, notari impietatis, & blasphemiæ, pari ratione prius adducta, non explico iam, quid voluerit Christus, Regnum meum non est de hoc mundo, & cur Petrus Neronem passus est, quoniam si consentirem dicentibus Papam vtrumque gladium habere, facilè dicerem Petrum in habitu habuisse, quòd Nero exercitio, & tyrannidè occupauit, vndè exercitium noluit Neroni auferre, sicut nec Christus, qui velut agnus ad occisionem ductus est, non aperuit os suum, &c.

CAPVT XXXII.

Diluuntur aliæ obiectiones, Niculaus Papa laudatur, & Ecclesia Romana, Primatus noua ratione probatur.

Tertiò loco oppugnat, illam decretalem, quòd ait Ecclesiam Romanam verbo Dei fundatam, cùm nihil sit factum sine illo, piget prosequi has inutiles strophas. Scimus omnia esse à Deo, vt prima omnium causa, & quòd sine ipsum est nihil, attamen quia verbum, quod est caro factum, expressit super Petro ædificandam Ecclesiam, qui suam dignitatem iussu Dei, Romanæ contulit Ecclesiæ, ideò verbo Dei specialitèr Ecclesia illa fundata dicitur, non sic aliç Ecclesiæ, non sic omnia alia à Deo creata. Alioquin secundùm obtusum diuersarij, diceremus ordines mendacium à Christo institutos, quia sine illo verbo nihil est factum, licèt Luther vellet nullum ordinē mendicātium esse, immò nedum de ecclesijs Christianis, sed & de Synagogis iudæorum, Mesquitis, Mahometicis, ecclesijs Hussiticis, & Ruthenicis, & innumeris alijs abominationibus, dici deberet diuersarij sententia, quòd essent verbo Dei fundatæ, quia sine ipso factum est nihil. Sic intollerabili impietate, ac detestanda iustitia seipsum inuoluit diuersarius, dum nihil aliud agit, quàm quòd Sanctum moderae Pontificem, qui adhuc iuuenis nullum pietatis omisit genus, & homo minimè ambitiosus, in Pontificem creatus, fugit, & latuit in vaticano, vitandi honoris causa, inuentus tandem nolens, in Apostolico solio locatus est, de quo Platina testatur eum tantæ fuisse venerationis, & maiestatis, tantę fuisse eloquentiæ, & doctrinæ, vt ab omnibus tanquam numen coleretur, & in fine appellat eum vnicum in omni genere virtutis exemplum. Et iam præteriere anni 660. quod in biuis fuit, & diuersarius audet eum, licèt immeritum, arguere delyrij, impietatis, insaniæ, blasphemiæ, arrogantiæ, ambitionis, inscitiæ, deprauationis verbi Dei, quasi verba Christi peruerterit, sine timore Dei sacras literas tractauerit, cum illusione spiritum in carnem Christum ad mundum traxerit, quæ omnia vel suspicari de tali, & tàm digno Pontifice iniquissimum est, vel ab Ethnico, taceo quòd Christianus, quòd Sacerdos, quòd Theologus, quòd Religiosus ex fratribus mendicantibus, tam virulentam linguam audet in sanctum Pontificem exercere.

Euacuatur obiectio 6.

Laus Nicolai Papæ.

Immodestia Lutheri.

Exprobat dein Pontifici, quia verba Christi de fide vniuersalis Ecclesiæ torqueat ad vnius hominis potestatem, &c. adhuc desipit aduersarius, & non intelligit, qua ratione Romana Ecclesia dicatur fundata istis verbis Christi, quibus tamen totam vniuersalem fundauit Ecclesiam. Vndè iniquitèr imponit Pontifici, quòd dicat solùm Romanam Ecclesiam fundatam verbo Christi, sed comparando eam ad Ecclesias particulares, tunc verum est, vt explicauimus ab initio huius Canonis ventilati, quoniam sic iure Sancto Petro à Christo tradito, ipsa est prima, falsum ergò imponit, quòd torqueat verba, cum legitimus, & germanus sensus verborum deseruiat, soli Petro, & successoribus suis, vt ab initio sæpè probauimus. possit tamen sententia etiam coaptari confessioni fidei Petri secundùm August.

Accipe sic intelligentiam Dictorum, omnes in Ecclesia sumus vnum corpus, & membra Christi, qui est caput nostrum secundum Apostolum 1. Corinth. 12. cum concordan. & sic sanctus Petrus est membrum Christi, & quilibet Pontifex, & tamen cùm hoc, adhùc sanctus Petrus fuit caput Ecclesiarum, Vicarius veri capitis Christi. Immò quilibet Episcopus est caput in ordine ad sibi subiectos. Ità, & in præsentia, tota Ecclesia vniuersalis est sponsa Christi, & Ecclesia Romana, & aliæ Ecclesiæ particulares sunt velut membra. Attamen comparando Ecclesias particulares adinuicem, Ecclesia Romana cunctis alijs præfertur, & est caput aliarum, quòd tota vis, medulla, ac firmitas in Romana Ecclesia continuatur.

Sol. 7 obiec. Sic ergo terrena sententia statutæ sunt aliæ Ecclesiæ, quia voluntaria dispositione secundùm qualitatem, locorum, temporum, & personarum, erexerunt Ecclesias, vniuerunt diuisas, & vnitas diuiserunt, vt ex hystorijs latissimè patet, vocem tamen Petri, licèt humanam, oportet tamen audire velut diuinam, nam sic nobis precipi Dominus Luc. 10 qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Vndè hoc est ius Euangelicum, quod qui contempserit, vel respuerit, erit mihi sicut Ethnicus, & Publicanus. Iure ergò diuino præcipitur audiri vox humana, & pro tanta potest dici diuina vox. Infantiliter quoque quærit, quis constituerit Ecclesiam Hierosolymitanam? Nam hoc scimus ex S. Marayris Anacleti actoritate, Iacobum constitutum, & ordinatum à Sancto Petro Episcopum Hierosolymitanum, vt legitur apud Gratianum, dist. 67. Et ne pro sua temeritate solita dicat, Gratianum fuisse, est Canon decimus Anacleti. Porrò & Hierosolymitarum primus Archiepiscopus Beatus Iacobus, qui iustus dicebatur, & secundùm carnem Domini nuncupatus est frater, & Petro, Ioanne, & Iacobo Apostolis ordinatus est, successoribus, videlicèt dantibus formam &c.

Quis autem non rideat canillum, qui sequitur, Ecclesia Romana est alijs iure diuino superior constituta, ergò eodem iure cæteræ Ecclesiæ sunt ei inferiores statutæ. Dico enim, sicut cuilibet est obuium, eo ipso quòd Romana Ecclesia est alijs iure diuino declarata superior, cæteræ ei subsunt, nam si relatiua sunt simul natura, sed quia dialectica hallucinatur, si aliæ ecclesiæ sunt inferiores verbo Dei, igitur sunt fundatæ verbo Dei. Inualida profectò consequentia, quasi instituto in aliqua prouincia Domino, oporteat omnes rusticos, & ciuiles esse natos, qui futuri sunt sub eo. Vndè aliud est fundari Ecclesiam, & eam esse inferiorem, quia ex suppositione fundationis, decernitur inferioritas. Vndè iussu Imperatoris Dux Bauarus efficitur Dominus omnium Ciuium Rotemburgi, de nouo aliqui fiunt ciues in iussu Imperatoris, tamen iussu Imperat. Bauarus erit Dux eorum. Sic verbo Dei & iure diuino Romana Ecclesia est alijs superior, & eodem iure aliæ sunt ei subiectæ, sed non sequitur, quòd eodem iure sint fundatæ, vt diuersarius sophisticatur, & ità labitur per dialecticę inscitiam.

Sol. obiec. 8. Puerile est, & hoc, quod infert. Ecclesia Romana super alias constituta, oportere, & cæteras nominari inferiores, quæ ei subijciantur, quasi non sufficiat in vniuersum constituere Dominum, nullo subdito nominato in speciali. Sic Episcopus efficitur Dominus Ecclesiæ primùm natæ in diocesi sua, esto quòd in sua institutione illa Ecclesia non modò non fuerit nominata, sed nec fuerit, vt de Ecclesia montis Sanctę Annæ. Habeat ergò in rem malam diuersarius, cum suo erroneo, & hęretico cōsilio, quòd verba Christi, nec de inferioritate, nec superioritate ecclesiarum intelligantur, sed quòd eadem sit fides, & potestas omnium ecclesiarum æqualiter, hoc enim est legem à Christo datam peruertere, pulcherrimum ordinem Hierarchicum ecclesiæ destruere, omnia confusioni, temericati, & erroribus exponere. Sanctiùs itàque est nos obseruare ea, quæ patres nostri à quingentis, à mille, à mille quingentis fermè annis obseruare, & cucullam istam dimittere, cuius consilio omnis ablata esset obedientia, maxima delinquentium impunitas, rebellionibus aditus concessus, vt sic omnium malorum feces congererentur.

Diluitur 9. obiectio. Dixerat Nicolaus Papa. Illius priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur. Obstat diuersarius, quia & aliæ Ecclesiæ sint fundatæ super petram, ergò illud priuilegium commune sit omnibus ecclesijs, sed quod malum, diuersarium nondum intelligere, quomodo aliæ ecclesiæ ædificatæ sint suprà petram, de quo iam sępè diximus, dein cum Christus dixisset, Ecclesiam meam singulariter, diuersarius dissuit tunicam Domini inconsutilem, tot partiendo ecclesias. Vndè Luther. considera attentius studiose lector, quantum malum sit in limine, & in vestibulo errare, nam omnia reliqua ruinosa esse oportet. Vna est ergò Ecclesia fundata super petram. Licèt Ecclesia Romana plùs alijs particularibus ecclesijs dicatur esse fundata suprà petram, quare non est commune priuilegium, sed speciale Romanæ Ecclesiæ, & iam ann. Domini 975. obtentum, & conseruatum, licèt tot Imperatores, tot Reges, tot Principes, tot Patriarchæ, & Archiepiscopi, Græci & Latini potentissimè illud expugnare tentauerint, sed omnes tales rebelles, & inobedientes vbi non resipuerunt, dati sunt in reprobum sensum.

Obiectio 9. euacuatur. Stat ergò sententia, & aliæ Ecclesiæ cum Romana, quæ est caput earum, sunt membra Ecclesiæ vniuersalis Christi, non sicut erroneè existimat diuersarius, quamlibet Ecclesiam per se esse fundatam in petra, sed solùm in quantum vnitur Petro, & eius successoribus, qui sunt vera petra, super qua Christus ædificauit ecclesiam suam. Et ità dissutus est sequens paralogysmus de pronomine meam (Ecclesiam meam) quoniam nec Romanam, nec vllam Ecclesiam particularem demonstrat, sed Ecclesiam Catholicam. Vide pie lector ab initio huius Canonis ventilati.

Obiectio 8. diluitur. Et pondera quàm laboret, sudet & algeat diuersarius, vt euinceret æqualitatem ecclesiarum, capite negato. Hæc communis est, & antiqua omnium hęreticorum infirmiras, vt caput adoriantur, quoniam capite saluo, nouerunt suos errores non posse manere incolumes, ideò capiunt debellare caput, quo deiecto iam impunè seminarent hæreses. Sed vniersali Ecclesiæ suprà petra fundatę, do eius nobilissimam, & primariam partem esse Romanam Ecclesiam, velut aliarum caput. Etiam si Armeni, Græci, Rutheni, Hussitæ, & Lutherani rumpantur, verum est ergo Romanæ Ecclesiæ priuilegium, quod qui auferre nitur, hæreticus à Sancto, & Innocente Pontifice, definitur. Definat ergo diuersarius hoc improbare, ne pro quali sit habendus, hoc decreto ostendatur.

Hæretici ferme omnes contra potestatem Papæ. Ne efficiatur hæreticus, adhùc diuersarius impugnat decretalem, vbi primo talsum impouit sancto Pontifici, solam Ecclesiam fundatam super petra, quoniam ingenuè omnis fidelis fatetur Ecclesiam Catholicam. Vnam sponsam Domini suprà petram fundatam

tam esset, licèt Romana Ecclesia in ordine ad alias Ecclesias particulares sit specialitèr suprà petra fundata. Et in hoc quoque falsum ei imponit, quòd per petram fidei intelligat prælationem primatus terreni, sed quia Petro, super quem Christus fundauit Ecclesiam, dedit hanc dignitatem, & per hunc contulit Romanæ Ecclesiæ, ipse autem Petrus fuit petra, vt ab initio, & dein sæpè probauimus. Hoc ergo priuilegio Romana Ecclesia in fidei stabilitate firmata, non deficiet in fide, quod euentus rei hactenùs probauit, vbi superba Constantinopolis in fide cecidit, Hierosolymis, Antiochia, & Alexandria, lapsæ sunt.

Hoc addo iam minorem apparentiam esse negandi Romanam Ecclesiam iure dinino esse supremam, quàm vnquam fuit M. 400. annis post virgineum partum, quòd iam reliquis patriarcharibus deficientibus, solus Romanus patriarchatus adhuc subsistit. Ex quo inuictam sumo rationem, contra errorem Lutheranum, quando toties inculcat nobis, quòd & Antiochena Ecclesia sit Ecclesia Christi.

Ratio inuicta contrà Luther.

Ephesina, & Alexandria, & sic de alijs, & de qualibet eorum verùm sit, quòd Christus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia de qualibet earum verum sit, & dixerit Christus, est Ecclesia mea, quam indoctè, & erroneè hoc faciat, liquet ex eo, quòd oportet etiam conferre sequentia. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, loquitur de Ecclesia. Hoc antem dictum, Ecclesiæ catholicæ, & Ecclesiæ Romanæ competit. De Ephesina autem, Thessalonicensi, Antiochena, & alijs id verificari nequit, cùm portæ inferorum, versutiæ hæreticorum, prænidorint apud Orientales Schismaticos, vt infrà probabimus, præualuit, & infidelium manus, quæ totas extirpauit. Ex his liquet quomodo iniurietur, tàm Sancto Pontifici, quòd sine omni causa increpat eum tanquam adulterantem verba Dei, nunquam enim dixit papa, petram fidei significare dignitatem primatus terreni, sed ex hoc Ecclesia Romana habet dignitatem, quod est fundata supra petram.

Infringitur solutio Lutheri ad Ambr.

Citauerat postremò Nicolaus beatum Ambrosium, cuius verbis illudere tentat diuersarius, quia etsi Romana Ecclesia dicatur à Florentissimo Episcopo mater Ecclesiarum, non tamen omnium, sed quis non intelligit, hæc sophysmata, hos capriosos cauillos? quasi nesciamus indefinitam in ijs æquipollere vniuersali, & ex loco Ambrosij hoc capite adducto cap. aduocauit 24. quæst. 1. Vbi satis innuit se in vniuersum intellexisse, quòd hunc solùm catholicum existimat, qui Ecclesiæ consentit. Inanis est cauillus de Metropoli, nam indubitatum est, Metropolim solùm esse matrem certarum Ecclesiarum sibi subditarum, at papa est vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, vt latius peobabimus, sat sit in præsentia, sanctum, impollutum, segregatum à peccatoribus pontificem, contrà tanta crimina, & rabiem maledicendi, defendisse, quæ omnia boni consulas. Depingamus ergò hic in pagella, Summos Pontifices contemptos cum eorum canonibus.

Anacletus	CI.	c. In nouo	XXI.
		Sacrosācta	XXII.
Leo	ccccxliij.	Ita Domin.	XIX.
Leo IV.	vccclj.	De libellis	XX.
Gelasius	ccccxciiij.	Quamuis	XXI.
Isidor. doc.		Cleros	XX.
Nicolaus	vccclxij.	Inferior	XXI.
		Omnes	XXII.
Summi Pō-tifices.	Anni Christi.	Canones	Distinctiones.

Fuimus prolixiores in hoc primo loco Caudide Lector, explicando, & defendendo, quòd certissimum, & verissimum fundamentum, diuersarius nisus est pluribus cauillis, torsionibus, falsitatibus, sophismatibus euellere, & diruere, cœlum, & terra transibunt, verba autem Christi non præteribunt, Mat. 24. Curabimus autem impensius, vt loci sequentes breuibus absoluantur.

Secundus locus Euangelicus est Ioan. vlt. Pasce oues meas, & quòd ex eo probatur primatus Petri, Ostendam sanctorum Patrum auctoritate, adducentur ergò in sequentibus.

Cyprianus	Gregorius	Beda.
Augustinus	Theophilus	Bernardus.
Hieronymus	Ambrosius	CōciliūHildrēse
Maximus	Leo	Martinus II.
Chrysostomus	Altuenus	Innocentius III.

CAPVT XXXIII.

Petrum constitutum Pastorem, & quod pascere sit regentium, & præsidentium probatur.

Actum fuit prolixius, iure diuino Petrum obtinuisse primatum vniuersalis Ecclesiæ ex promissione Christi facta Matth. 16. Tu es Petrus &c. & ob diuersarij calumnias latiùs numus per sanctorum Conciliorum Romanorum Pontificum, & Ecclesiasticorum Patrum testimonia, quibus comprobauimus hanc esse verborum Christi intelligentiam. At quia per hoc solùm probauimus primatum esse promissum, ideò fortè diuersarius peteret, vbi primatus fuisset commissus. Etsi ad hoc non posset me adigere, cum sufficeret ostendisse primatum fuisse promissum, quia infallibilis veritas, & immensa potestas promittentis, abundè sufficeret. Vt nullum fidem suspicari liceat, Christum promissa non seruasse, tamen ostendamus hanc potestatem, [etiam præstitam sancto Petro. Scribit enim S. Ioannes cap. 20. Cùm ergò prandissent, dixit Symoni Petro Iesus. Symon Ioannis diligis me plus ijs? dicit ei. Etiam Domine, Tu scis, quia amo te, dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei iterum. Symon Ioannes diligis me? ait ille. Etiam Domine, tu scis, quia amo te, dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit tertiò. Symon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me, & dicit ei, Domine. Tu scis omnia, tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce oues meas. Hic Dominus Iesus Christus, Ecclesiæ suæ prouidit de successore idoneo. Præsentibus enim, Ioanne,

Petrus pastor vniuersis. Iacobo, Nathanielo, Thoma, & alijs duobus discipulis, soli Petro suarum ouium custodiam committit, nullum faciens discrimen istarum, vel illarum ouium, sed diligentissimo præhabito scrutinio, an eum dilexerit, tertiò dixit pasce oues meas.

Hic ergò D. Iesus dedit Petri potestatem priùs promissam, & super eum fundauit Ecclesiam. Nihil enim dixit de hoc, Ioanni Apostolo dilecto, nihil sancto, & admirabili Iacobo, nihil Thomæ, & alijs discipulis, quibus tamen posteà commissæ sunt oues particulares. Petro autem vniuersitas ouium commissa est, & ità primatum à Christo obtinuit totius Ecclesiæ, vt sic fieret vnus pastor, & vnum ouile, ità ait Saluator Ioan.10. En alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Vbi Dominus per ouile intelligit Ecclesiam congregandam ex Iudæis, & gentibus, quæ debebat fieri vnum ouile, debebat ergò esse vnus pastor papa. Hæc loquitur Christus de seipso, quia ipse erat pastor, sicut sæpè ibi dicit. Ego sum pastor bonus, modò ipse loquitur de pastore futuro, per voculam fiet.

Tacite solutionis esculso.

Et quod per illa verba, pasce oues meas, datus sit primatus prælationis Petro, patebit prorsùm de ponderando verba. Quamuis enim Dominus, Ioan.20. omnibus Apostolis in communi claues dederit, & Matth.18. (licèt huius commissionis princeps fuerit S. Petrus.) Similitèr omnibus discipulis præcepit prædicare Euangelium omni creaturæ, apud Marcum per verbum prædicare, apud Matthæum per verbum docere, at in his regimen non designatur, sicut in verbo pasce, quoniam, & Reges dicuntur pastores, 3.Reg.22. Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem, prophetabat Micheas de fuga futura, & dispersione populi in Ramoth, Galaad, Achab, Rege interfecto. Hoc idem conuincitur ex Esaya 44. Qui dico Cyro. Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis, nemo non nouit Cyrum potentissimum fuisse Regem, qui Astiage auo materno interfecto, transtulit regnum à medis in persas, sic Esaya 56. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Primò taxat speculatores, dein pastores, velut maiores regentes, non solùm super intendentes. Ità etiam notantèr seiungit. Hiere.2. Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me, & sequen. cap. clarissimè hoc explicat. Et dabo vobis pastores iuxtà cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. Capite quoque. Hiere. 22. Post comminationem factam Ioachim filio Iosiæ, dicit ad subditos. Omnes pastores tuos pascet ventus, vbi indubitatum est eum loqui de regentibus, & principibus, & cap. sequen. Ve pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum. Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos.] In quibus omnibus liquet in scriptura appellatos pastores eos, qui alijs præfuerunt in regimine, & dignitate, quare Petro constituto pastore, primatus prælationis, & regiminis ei datus est.

Liquet hoc etiam ex Ezechiele c.34. (nam ad hoc propositum [citat eum Cyprianus ad Stephanum papam lib.3. Epist.13.) Fili hominis, ait, Dominus, Propheta de pastoribus Israel Propheta, & dices pastoribus, hæc dicit Dominus Deus. Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis. Gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod egrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & infrà. Propterea pastores audite verbum Domini. Viuo ego dixit Dominus Deus, pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & totum caput est de pastore, & pastieia. Modò errantes oues quærere, reportare inuentas, est regiminis, & potestatis, sic conso lidare, sanare, alligare, reducere, quærere &c. Simile caput integrum habes apud Zachariam cap. 10. de pastore, quibus omnibus clarum est, quàm amplum, & potestatis plenum sit pasturæ vocabulum.

Officia pastorum negatiuè detecta.

Constituto ergò Petro pastore Ecclesiæ, datus est etiam ei primatus super Ecclesia, non enim distinxit inter has, vel illas oues, & ità omnes videtur subiecisse eius pasturæ, etiam Apostolos. Nam his præsentibus, & audientibus soli Petro oues tertio commendauit, ob id significantissimè vsus est verbo generaliori, scilicet pascendi. Nam dando potestates Apostolis, vtitur verbo docendi, prædicendi, prædicandi, baptizandi, absoluendi &c. quæ omnia, & maiora, velut propheticis audiuimus testimonijs, includit cum administratione regiminis, vocula pasturæ. Et quid opus est pluribus immorari, testis est ipsa veritas. Dominus Iesus, Ioan. 10. qui autem intrat per ostium, pastor est, huic enim ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, explicatissima sententia, quæ sit potestas pastoris in oues, quia ipse vocat eas, & ipsi audiunt vocem eius per obedientiam, educit eas, vadit ante eas &c.] Talem pastorem loco suo constituit Christus Petrum, qui præsidentiam, & regimen totius ouilis sanctæ Ecclesiæ iure diuino pro se, & successoribus accepit.

CA-

CAPVT XXXIV.

Petrum constitutum vniuersalem Pastorem Ecclesiæ ostenditur ex Cypriano, Augustino, Maximo, Hieronymo, Chrysostomo, Theophilo.

CVm autem nihil sit tam indubitatum, quin sollicitam recipiat dubitationem, & à proteruis etiam contradictionem. Ideò contrà verba sacræ scripturæ, contrà sacra Concilia, plura apparentèr opponi possunt, & capriosè. Sicut diuersarius apud suæ fatinæ indoctos, sed superbos homines obtinet, dum sacrarum literarum testimonijs abutitur, & earum obtutu simplices seducit, stultos & inanis gloriæ cupidos inflammat. Euenit enim, quod verissimè Clemens ait. Sunt multa verba in scripturis diuinis, quę possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumpserit, & quod hoc fieri non debeat, ibi prohibet, diligentèr obseruandum est inquit, vt cum lex Dei legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. Et ideo oportet intelligentiam discere scripturarum ab eo, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat. Vndè maxime temerarium est, immò stulta & horribilis est temeritas, contradicere sensui per Sanctos Patres ad intelligentiam sacræ scripturæ dato. Ideò non innitendo proprio capiti, sententiam prioris capitis Ecclesiasticorum patrum, probemus testimonijs.

Et primo hoc fuit de mente S. Martyris, & Episcopi Cypriani de simplicitate prælatorum, dum meminit Petrum alijs Apostolis Prælatum, quod ab eo vno, vnitas proficiscatur exordium? & quod super Petrum ædificata esset Ecclesia. Addit, & hoc, quod eidem, & post Resurrectionem suam Christus dixit, pasce oues meas, probaturus quoque vnitatem Ecclesiæ, eo lib. adducit illud Ioann. 10. Et erit vnus grex, & vnus pastor, patet Sanctum Martyrem voluisse Petrum esse illum vnum pastorem illius vnius ouilis totius sanctæ Ecclesiæ, consentit beatus Augustinus pluribus locis. In sermone enim de vinculis Petri, si ipse saltem fuit auctor horum. Tamquam pastor bonus tuendum gregem accepit. vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & quia ipse tentatione interrogationis negauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret, & in quæstionibus Veteri, & Noui testamenti quæst. 75. de Petro ait. Ipsum enim constituit caput eorum, & vt esset pastor gregis Domini, & tract. 42. super Ioan. Ideò Petro, quem facere volebat pastorem bonum ait, {Petre amas me, pasce oues meas.} Libro quoque de pastoribus cap. 13. Immò in ipso Petro vnitatem commendauit, multi erant Apostoli, & vni dicitur. Pasce oues meas. His sanctus Augustinus commendat vnitatem in vno Christo, & similitèr in vno Petro, & prosequitur, ad longum sufficiat demonstrasse locum.

Hanc verborum Christi esse intelligentiam, voluit sanctus Maximus in sermone in cip. Gloriosissimos, de Sanctis Petro, & Paulo habito, iam necessarium reor, & proprias eorum, Apostolorum Petri, & Pauli, specialesque virtutes (pro vt ariditas nostrę linguę, ingenijque tenuitas patitur. Immò vt misericors Deus annuit) proloquamur, & infrà. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad patrem, pascendas ouiculas suas, ouesque commendat, vt quos ille pietate, miseratioueque redimerat, hic fidei suæ virtute seruaret, & rectè, & arbitèr occultorum Dei filius, pascendas oues suas, tuendásque commisit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico, nec studium deesse, nec fidem. Hic magnus Ecclesiæ doctor luculentèr describit Petrum pastorem gregis Dominici constitutum à Domino.

Astipulatur huic nostræ sententiæ Beatus Hieronymus ad Eustochium de vinculis Petri (quamuis aliqui dubitent de auctore) loquens de institutione huius festi, inducit Constantinum magnum de eadem solennitate. Notum esse volumus omnibus Christum piè colentibus, Beatum Petrum Apostolum à Deo nobis datum pastorem, & principem, summo studio venerari velle assiduè, & maximè in hoc die Kalendarum Augustarum, in quo vt Deus, à vobis soliti eramus adorari, vt ipse Pius pastor præcibus Deo fusis, nos & imperium nostrum adiuuare dignetur. Valete; & infrà. Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quam sublatus est neganti. Quod vt doceam, illud ostendo, quòd nullus Apostolorum, pastoris nomen accepit; Soli enim huius nominis potestatem post Resurrectionem suam Petro pœnitenti Dominus concessit, & negatus, quam solus habuit, Petro tribuit potestatem, vt non solum recuperasse, quod amiserat, probaretur. Verum & multò amplius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquisisse. Habes magnum Ecclesiæ doctorem, Petrum Episcopum Episcoporum potestatem accepisse, quam solus Dominus prius habuit.

Plenissimis suffragijs subscribit Sanctus Chrysostomus, qui dum referret verba Christi, ità subdit super Ioanne. Quid tamdem alijs omissis, dumtaxat Petrum affatur, os erat Apostolorum, & Princeps. Propterea, & Paulus eum præter alios visurus ostendit, simul vt ei ostenderet, iam sibi fiduciam habendam. Tamquam enim negationis obliuisceretur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, neque exprobrat. Tantum dicit, si amas me, fratrum curam suscipias, & quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua dilectione, nunc ostende, & animam, quam pro me positurum dixisti, pro ouibus meis trade, & infrà. Ter autem interrogat, & semper idem præcipit, vt demonstret quanti ouium suarum curam faciat, & quod hoc maximum sit amoris argumentum, nam cum magna Christus communicasset Petro, orbis terrarum curam demandasset, Martyrium prædixisset, &c. Audis luculentissimum scripturæ interpretem, Christum duntaxat locutum ad Petrum, & ne cauilleris, Petrum personam aliorum Apostolorum gessisse, explicat causam specialem affirmationis temerariæ à Petro factæ, similiter & negationis,

nis,quæ propriè ad Petrum pertinent. Et hoc quoque pondera,quod ſanctus Chryſoſtomus, totius orbis terrarum curam ei teſtatur demandatam,& fratrum quoque curam commiſſam, ſed qui ſunt alij fratres Petri, niſi Apoſtoli, & diſcipuli Domini? quare & horum cura ſibi commiſſa fuit. Concordat ſanctus Chryſoſtomus Homilia 80. de pœnitentia, Sed eadem nocte Petrus lapſus eſt, & reſurrexit poſt illum grauem caſum, rurſum eum ad priorem honorem duxit pœnitentia, & ei totum orbem terrarum, Eccleſiæ præſidentiam tradidit. Si hæc manifeſtiſſima, & apertiſſima verba Sancti viri, aliorum quis torquere nititur, nihil erit reliquum ad aliquid probandum.

Sanctus Thomas in conuiuio adducit S.Theophilum dicentem. Finito prandio,commiſſionem ouium mundi commendat Petro, & non alij, aduerte Candidè Lector, ouium mundi, & non alij, quare credamus apertiſſimo textui,clariſſimis ſanctorum teſtimonijs, ſolum Petrum ex Apoſtolis vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem conſtitutum à Chriſto,& ita iure diuino.

CAPVT XXXV.

Vniuerſalis paſtura Petri probatur ex Gregorio, Ambroſio, & Leone.

FOrtius adhuc noſtra roboramus, & accedat in primis magnus ille, & ſanctitate conſpicuus Gregorius in Homil. 22. Super illo Marci 16. Maria Madalene, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c. Quærendum nobis eſt,ait Gregorius, cur nominatis diſcipulis Petrus deſignatur ex nomine? Sed ſi hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui magiſtrum negauerat, venire inter diſcipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne deſperet ex negatione, qua in re conſiderandum nobis eſt. Cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillę vocem pertimeſcere, &

1. diſt. conſiderandum.

ſeipſum negare permiſit? quod nimirum magnę actum eſſe pietatis diſpoſitione cognoſcimus, vt is,qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualitèr alijs miſereri debuiſſet, priùs itàque oſtendit eum ſoli, & tunc præpoſuit eum cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditèr aliena infirma toleraret. Magnus ille Gregorius Petrum dicit futurum paſtorem, præſidentia ergo priùs erat promiſſa, ſed die reſurrectionis nondum commiſſa. Et ſi Petrus ſolùm certæ plebis fuiſſet conſtituendus paſtor,ſicut alij Apoſtoli, Iam ratio Gregorij non militaret plus de Petro, quàm de quocumque alio Apoſtolo,

Scribit præterea Sanctiſſimus Pontifex ad Cyriacum Conſtantinopolitanum. In ſcriptis veſtris vos magnoperè requiem quæſiſſe narratis, ſed per hoc ad paſtoralem ſollicitudinem vos congruè venisſe oſtendetis, quia ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ità fugientibus offerendus eſt, & ſicut ſcriptum eſt,nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron, & infrà. Paſtori ſanctæ Eccleſiæ dicitur. Symon Ioannis amas me? paſce oues meas, ex quibus verbis colligitur, quia ſi is, qui valet, omnipotentis Dei oues retinuit paſcere, oſtendit ſe paſtorem ſummum minimè amare. Gratianus tranſcripſit capit. in ſcriptis 8. quæ. 1,

Repetit in paſtorali cap. 5.

Adhuc clarius hoc idem explicat B.Gregor. Homil. 24. Super illa Ioann. vlt. Manifeſtauit ſe iterum Ieſus diſcipulis ſuis ad mare Tyberiadis, ait enim ſic. Captis tam magnis piſcibus, aſcendit Symon Petrus,& traxit ræte in terram. Iam credo,quòd charitas veſtra aduertat, quid eſt quod Petrus ræte ad terram trahit. Ipſi quippè ſancta Eccleſia eſt commiſſa, ipſi quippè ſpecialitèr dicitur. Symon Ioannis amas me? Paſce oues meas, quod ergo poſtmodum aperitur in voce, hoc nunc ſignatur in opere, quia ergo prædicare Eccleſiæ, nos à mundi huius fluctibus ſeparat, nimirùm neceſſe eſt, vt ręte plenum piſcibus, Petrus ad terram ducat. Nihil expreſſiùs dicere poterat Beatus, & magnus Papa, quàm quòd Sancto Petro Eccleſia ſibi commiſſa, quod ipſi ſpecialitèr dicitur, paſce oues meas,quod ſi verbum Chriſti torſeris ad particulares oues, quibus prædicauit ſanctus Petrus, vt Apoſtolus, iam hoc fuiſſet commune omnibus Apoſtolis, & ità nihil ſpecialitèr fuiſſe commiſſum ſancto Petro præ alijs Apoſtolis contrà beatum Gregorium,& alios Sanctos Patres, ac rotundum textum ſacræ ſcripturæ. Et oc audaculus reſiſtere valeat, addam ſole clariora verba beati Gregorij ad Mauritium Imperatorem. Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quid voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum principi,Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippè dicitur. Petre amas me, paſce oues meas, qui hic obſtrepit, radios ſolares negare audebit.

Aſtipulatur Florentiſſimus Antiſtes Ambroſius ſermone de pœnitentia Petri Apoſtoli, vbi inter alia ſic inquit. Denique imitemur Petrum dicentem alibi. Cum enim tertio interrogaretur à Domino. Symon amas me? reſpondit tertio. Domine tu ſcis, quia diligo te, ait Dominus, paſce oues meas, & hoc tertio, quod quidem dictum ad compenſationem prioris fecit erroris, qui enim Dominum tertio negauerat, tertio confitetur, & quotiens culpam delinquendo contraxerat, totiens gratiam diligendo conquerit. Videte ergo quantùm fletus profuerit Petro, antequam fleret, lapſus eſt, poſtea quam fleuit, electus eſt, qui ante lachrymas præuaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui prius ſeipſum non rexit. Audis piè lector, Petrum conſtitutum paſtorem, ad compenſationem prioris erroris, quia ex præuaricatore factus eſt paſtor, & ne euadas eum certarum ouium fuiſſe tantum paſtorem, non omnium, adduco tibi alium locum diui Ambroſij, qui hanc violentam interpretationem non patitur.

Ait enim B. Epiſcopus in ſermone de fide Petri Apoſtoli aſtruximus ſuperiore dominica, Sanctum Petrum in Saluatoris paſſione ſine erroribus profeſſione, & poſteàquam negauit Dominum Deum, fuiſſe meliorem, fidelior factus eſt poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ideò maiorem gratiam

repe-

reperit, quam amisit. Tanquam bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione mutauerat, cœteros fidei stabilitate fundaret cap. fidelior 50. dist. transcripsit Gratianus. Vides Petrum constitutum firmamentum omnibus, & pastorem.

Semper sibi similis S. Ambrosius idem testatur super Lucam. Vbi dum Petrum pluribus laudibus extulisset, tandem verborum illorum mentionem faciens. Dicit ei Iesus, pasce oues meas, benè conscius sui (ait Ambrosius) non ad tempus assumptum, sed iamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum, quis est enim alius, qui de se hoc facilè possit profiteri? Et ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Denique tertiò Dominus, non iam diligis me, sed amas me interrogauit, & iam non agnos, vt primò quodam lacte pascendos, nec ouiculas vt secundò, sed oues pascere iubetur perfectiores, vt perfectior gubernaret, arbitror his omni sensato esse manifestarium, Diuum Ambrosium, sic accepisse Euangelicum scriptum, vt Petrus vniuersalis Ecclesię princeps sit constitutus.

Addamus his maximum illum, & Sanctum Pontificem Leonem I. qui sermone de Ascensione Domini ait, Petro Apostolo suprà cęteros post regni claues, ouilis Dominici cura mandatur, & sermone tertio de anniuersario die Pontificiæ suæ assumptionis. De toto mundo eligatur vnus Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, & quamuis in populo Dei multi sunt sacerdotes, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus. Magnum & mirabile dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, etsi quid commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Vide Candide Lector sanctum virum spiritu Dei plenum, dicentem multos esse pastores, sed Petrum omnibus esse præpositum, etiam qui regat omnes pastores, vt manifestissimum sit Petrum vniuersalis Ecclesiæ descriptum Pontificem. Idem Sanctissimus Papa in Synodo sermone habito dixit. Admonente diuinæ vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus, trina admonitione mysticis sanctionibus imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat, & ipsius sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, pro reuerentia coartamur, ne professio summi Apostoli, non inueniatur in nobis, quia quotiens quis negligenter pascit dominicum gregem commendatum, totiens conuincitur summum non amare pastorem, transcripsit Gratianus 25. quæst. 1. diuinis, tantos autem testes, tam sanctos, rogo quis sine extrema temeritate audebit repellere.

CAPVT XXXVI.

Petri pastura probatur denuò ex Altuino, pluribus glossis ordinarys Beda, Bernardo, Concilio Hilderensi, Martino, Innocentio.

MEns fuit ista, glossæ ordinariæ, quæ est Altuini Caroli magni præceptoris, & fœlicis studij Parisien. inceptoris, eo loco super Ioannem, scripsit etenim in quatuor Euangelia. Velut suos commentarios vidimus in originalibus, ait autem sic. Trinæ negationi redditur trina confessio, ne minùs amori lingua seruiat, quàm timori, & sicut fuit iudicium timoris negare pastorem, sic officium amoris pascere Domini gregem, & infrà. Pascere oues est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est subditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduersarijs resistere, peccantes corrigere. Liquidum est hic, quomodo pascere ad potestatem pertineat, quoniam est confortare, prouidere, obsistere, corrigere, quæ regimen prætendunt, & prælationem.

Alia glossa ibidem loquitur de triplici pastu; Ter dictum est pasce, inquit, ad significandum, quòd habens curam animarum debet subditos pascere, pastu verbi Dei, & boni exempli, & prout etiam potest subsidio temporali. Et hoc significantiùs aperit glos. ord. 1. Pet. 5. super illo. Pascite qui est in vobis gregem Dei. Sicut Dominus Petro totius gregis curam habere iussit, ità Petrus sequentibus Ecclesiæ pastoribus, iure mandat, vt eum quisque qui secum est, gregem Dei sollicita gubernatione pascere tenetur. Alia quoque glos. ord. Ioan. 21. ait. Amen amen dico tibi; cum esses iunior &c. Per hoc, quòd dicitur hic, passio Petri futura significabatur, eo quòd tunc Ecclesiæ præficiebatur, nàm in primitiua Ecclesia, ille qui populis præficiebatur, primus ad tormenta ducebatur.

Accedat tandem, & venerabilis Beda in homilia dicens: Rectè primus Apostolorum de amore requiritur, qui enim regem cœlorum maiori dilectione præ cæteris confessus est, meritò præ cæteris, ipse collatis clauibus, regni cœlestis, donatus est. Quod enim dicit hic, pasce oues meas, hoc est vtique, quod et ante passionem dixerat apertius. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Luc. 22.

Subscribit his omnibus sacer Bernardus in sermone 7. de septem panibus, Vbi ait. Testis est Paulus gentium doctor, qui plus omnibus est diuina gratia liberauit. Testis est Matthæus de Theoloneo electus in Apostolum, cui etiam noui testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis & Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Fusius hoc agit lib. 2. de consideratione ad Eugenium: Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? Illius, vel illius ciuitatis populos, aut regionis, aut certi regni? oues meas, inquit, cui non planum non designasse ali-

aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, vbi nihil distinguitur. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committeretur vni. Vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundùm illud. Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio, reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate, indè est, quòd alij singuli, singulas sortiti sunt plębes, scientes sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens, pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille, nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prerogatiuæ? ergo iuxtà Canones tuos alij in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis, vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes. Stat ergo inconuersum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in commendatis ouibus. Hìc tam lucidè nostram affirmat sententiam, vt nulla inductione, nulla applicatione opus sit.

Fassi sunt hoc patres in Hilderensi Concilio, vt renarrat Gratianus 50. dist. cap. hi qui. Sed exemplo B. Petri, qui postquam trinæ negationis maculas confessione diluit amoris, non solùm in gradu sui Apostolatus remansit. Verùm etiam in pastorem totius Ecclesiæ à Christo institui meruit, & ità non soli Ecclesiæ latinæ, sed toti Ecclesiæ Catholicæ prælatus est S. Petrus. Voluit hoc Sanctus Martinus Papa ead. distin. cap. Si post. Petrus negauit Christum, & posteà princeps Apostolorum factus est: Iuniores adducere non audeo, Innocentium III. ad Imperatorem Constantinopolitanum cap. solitæ, de maior. & obed. Paschasium in cap. significasti de elect. ad Archiepiscopum Panormitanum. Nicolaum III. in cap. fundamenta de elect. lib. 6. Hos enim fortè diuersarius contemnerer, licèt hoc facere non deberet, vt supra ostendimus de decretalibus epistolis Romanorum Pontificum.

Et quisquis est Ecclesiæ filius, matrem audiat Sanctam Ecclesiam Catholicam canentem, & orantem de S. Petro. Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, & ideo traditæ sunt tibi claues regni cœlorum. Istud vnum sanctæ matris Ecclesiæ dictum, quorumcunque malignantium ora obstruere deberet, nam reuera, quisquis fuerit, qui hanc Ecclesiæ vocem non audierit, erit meritò à fidelibus, velut ethnicus, & publicanus habendus.

Constat ergo cuilibet Christiano fidei, non proteruia hæretica infecto, Petrum constitutum pastorem totius Ecclesiæ à Domino Iesu, & ità iure diuino omnibus alijs superiorem, quòd cum textus sit apertus, & luculentus, clarissima tamen accessere Patrum testimonia S. Cypriani, Augustini, Maximi, Hieronymi, Theophili, Gregorij, Ambrosij, Leonis, Bedæ, & Bernardi. Hi præcipui sacræ Scripturæ interpretes à tota Ecclesia venerabiliter suscepti, hoc sentiunt, hoc prædicant, verba Christi in hanc intelligentiam suscipiunt. Compescat igitur fidelis temeritatem linguæ suæ, & tam Sanctis Patribus non aduersetur, sed eum, quem Deus præfecit pastorem vniuerso gregi Christiano, suscipiat vt maiorem, veneretur vt patrem, ne principi maledicens, sibi maledictionem, & æternam mortem seminet. Sancte Petre, ora pro nobis.

CAPVT XXXVII.

Obijcit diuersarius Petrum non esse vniuersalem Pastorem à Christo institutum.

Cvm diuina illa Christi sententia in Petri pastorali institutione super tota Ecclesia, sit apertissimis Sanctorum Patrum testimonijs explicata. Tanta tamen adhuc est hominum temeritas, vt velut olim Gigantes in fabulis narrantur Iouem voluisse è cœlis deturbare, ità aliqui S. Petrum, qui antè tot omnes primatum obtinuit, nituntur sua dignitate, & honore priuari, quod hic omnibus neruis facere laborat diuersarius, his potissimùm innixus paralogismis.

Primò inquit certissimum est, à Petro nullum Apostolorum esse, vel creatum, vel missum, quare nec verum est, nec possibile Petro omnes oues esse commissas, sed generali sententia omnibus dictum est, pasce oues meas. Non enim dicit omnes, sicut ad omnes Apostolos dicit. Ite in orbem vniuersum, & docete omnes gentes. Verùm ego non possum satis admirari, quòd tot, & tanti viri, contrà tàm expressas scripturas, tàm euidentes experientias, omnes oues Petro arrogant, qui tamen vnanimitèr coniteri coguntur, singulos Apostolos in suas sortes esse missos, & Paulum de cœlo in Apostolatum gentium vocatum, in quibus omnibus, quomodo Petrum adhuc omnium pastorem asserere audemus? qui nullum illorum misit, præsertim Paulum, vt ad Galat. 1. multis verbis contendit. Sunt hæc tàm aperta, vt confutatione non egeant. Illi (inquit Marcus) profecti prædicauerunt vbique. Obiectio 1. Obiectio 2. Marc. vlt.

Sequitur ergo, vel Petro, & successori suo non esse omnes Christi oues commissas, aut oues, quas non Petrus, sed Paulus, & cæteri Apostoli pauerunt, ad oues Christi non pertinere, quo quid blasphemius? ergo Corinthij, Galatæ, Philippenses, & aliæ gentes, quia nec pascente, nec pastores mittente Petro, pasce sunt, oues Christi intelligendæ non sunt, sed quid miror in re tam aperta. Obiectio 3.

Si dicis, At verbum Christi ad solùm Petrum dicit, pasce oues meas, respondeo, non dixit omnes oues meas. Alioquin peccasset Petrus, si non omnes pauisset solus, sine cæteris Apostolis, peccaret etiam hodie Romanus Pontifex, quòd non pascit, nec pastores mittit ad Turcas, & alias prouincias. Respondet obiec.

Quin aliud dicam? Ex isto verbo nihil potest cogi aliud, quàm vt Petrus pasceret oues Obiectio 4.

oues, quæ fuerunt ex ouili Iudæorum, & sic nihil ad eum pertinet, nec ad Romanum Pontificem, & successorem eius, aut non ad solum eum pertinet, quod ex Apostolo Paulo ad Galat. 2. probo, vbi Petrum vocat Apostolum circumcisionis, & se Apostolum gentium. Ergò si quis pertinax esset, nulla vi posset cogi, hoc verbo Christi aliud intelligi, quàm pasturam ouium, quæ fuerunt ex circuncisione, aut si extenditur ad Romanum Pontificem, iam nec prohiberi potest, quin ad omnes pertineat, & extendi pari negotio ad omnes queat.

CAPVT XXXVIII.

Obiecta diluuntur, & an sanctus Petrus potuit Apostolum facere dubitatur, ac quomodo verbum pasce oues, propriè Petro dictum sit.

IAcula illa facilè deprecabimur, quòd nullum habeant, vel fucum, vel nucleum, & cuilibet docto sunt obuia, nam cum primò assumit nullum Apostolorum, vel creatum, vel missum à Petro, & ità non fuerit vniuersalis pastor, possem ego in dubium reuocare assumptum, vt mox dicam, tamen primò ego declino illationem, Petrus nullum creauit Apostolum, ergo non fuit pastor vniuersalis. Nam hoc officium Apostolatus apparet mihi priuilegiatum, quòd omnes Episcopi, & tota Ecclesia non posset constituere vnum Apostolum, sed Apostolatus immediatè confertur à Deo, quare si sanctus Petrus non posset in Apostolatum, tamen nihilominùs Apostoli vt membra Ecclesiæ fuerunt Petro subiecti, vt pastori vniuersalis Ecclesiæ. Si non intelligis, accipe simile. Sanctus Vldricus Sueuorum patronus, habuit gratiam sanandi infirmos, Bonifacius Septimus Papa non potuit in illam gratiam, tamen fuit pastor sancti Vlderici, sicut eum recognouit, & in fine vitæ eum visitauit. Deindè accedit, & aliud de missione, quia Vicarius quãdo præuenitur à Domino principali, non habet potestatem agendi. Sic Christus principalis præuenit Petrum, per se faciendo Apostolos, & mittendo. Solus enim Christus vocauit Apostolos Marci 1. & Marc. 3. [Et ascendens in montem vocauit ad se, quos ipse voluit, & venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & Io: 1. & Matth. 10. Et Ioan. 20. ait. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, & Matth. 6. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.] Quare nemini dubium fuit Apostolos

Missio, & vocatio Apostolorũ.

auctoritatem docendi, & fundandi Ecclesiam per doctrinam officio Apostolatus habuerunt immediatè à Deo.

Et quod electio Apostolatus non præiudicet prælationi Petri, probatur primò de sancto Iacobo, qui fuit Apostolus, tamen à sancto Petro assumptis Ioanne, & Iacobo, ordinatus & constitutus est Episcopus Hierosolymis, vt testatur Anacletus martyr cap. 10. renarrat Gratianus 66. dist. Porrò. Testis est & B. Hieronym. lib. de viris illustribus. Licèt Sophronius auctor fuerit, Eusebius citat Clement. lib. VI. dispositionem. Remigius quoque Matth. 10. hoc idem refert. Suffragatur pulchrè B. Chrysost. Homilia 87. super Ioanne. Quòd si quis percunctaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit? Responderem, hunc totius orbis magistrum proposuisse, loquitur ibi de sancto Petro cui magisterium totius orbis sit commissum. Licèt etiam si nullum ordinasset Apostolum Petrus, non sequitur ob hoc eum non fuisse pastorem, nam Papa semper fuit etiam orientalium Episcoporum pastor, vt lib. 2. latissimè probabimus, tamen non se intromisit de ordinatione Episcopi alterius patriarchatus, nisi in causa discordiæ, & depositionis. Vndè hoc vltimum probat Papam fuisse pastorem supremum, qui aliàs Episcopi depositi in Oriente, non potuissent ad eum appellare, quia appellatio fit ad superiorem. Quòd autem se non intermisit ordinationi Episcoporum, probat non fore necessarium ad prælationem, vt subditos suos ordinet.

Hic aperitur magna imperitia diuersarij, qui in multis iam inuectiuis impressis pro constanti argumento assumit. Si primatus Papæ est de iure diuino, tunc Sanctus Augustinus, Cyprianus, Gregorius, Nazianzenus, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Martinus, Nicolaus, omnes fuerunt hæretici, quia non fuerunt ordinati à Papa, nec confirmati à Papa. Illa inquam est vna trusa, & malitia, quia nunquam fuit assertum ab aliquo, illa duo esse de iure diuino scil. ordinationem Episcopi à Papa, & eius confirmationem, quia modo Papa, nec eligit, nec ordinat Episcopos, solum confirmat. Et illa omnia tàm electio, quàm ordinatio, & confirmatio sunt impertinentia primatui Papæ. Possunt enim variari pro qualitate locorum, personarum, temporum &c. tamen ista tanta iactantia diuersarius audet pronunciare, vt audacter nudis verbis pronunciet ad meam assertam conclusionem, primatum Petri, & successorum esse de iure diuino, sequi sanctos illos Episcopos fuisse hæreticos, quod omni viro bono, & erudito liquet non sequi, nisi secundùm deprauatam phantasiam diuersarij, cuius maledictione os plenum est. Et ausim dicere, nunquam me legisse, vel audiuisse Theologię professorem, qui suæ professionis immemor, tanta fuerint maledicendi, & detrahendi libidine.

Lutheri imperitia.

Deprauata contrà Lutheri.

Luther ad maledicendum parata.

Stat ergo inuicta sententia, Petrum totius Ecclesiæ, etiam Apostolorum pastorem constitutum, quod præter citata, B. Chrysost. patenter insinuat, vbi suprà, dicens, quia Petrus in cœna alteri delegat officium interrogandi Christum, scilicet Ioanni. Hic commissa sibi cura fratrum, non modo alteri vicem suam non mandat, sed & ipse magistrum interrogat, & Ioannes quidem tacet, ipse autem loquitur. Vide Candidè Lector, curam fratrum Petro commissam, & qui fuerunt fratres, nisi Apostoli, & discipuli Domini? Et quod ad missionem quidem attinet, testatur Clemens c. 11. Petrum misisse per orbem Episcopos. Episcopos autẽ inquit, per singulas ciuitates, quibus ille non miserat, doctos, & prudentes, simplices sicut columbas, iuxtà Domini præceptum, nobis mittere præcepit, quod & inchoauimus, Domino opem ferente, facturi sumus, & hoc apparet mihi rectior

solutio, Apostolatum Christo immediatè posse dari.

Posset tamen alicui videri, non improbabilem esse eorum sententiam, qui à Petro Apostolatum dari potuisse existimant. De Paulo inferius dicturi sumus ex c. 13. Actuū. Iam eorum probatio in Matthia audiatur, cuius electio legitur Actuum 1. Arbitrantur ergo electionem quidem fuisse à Deo manifestatam, sed quòd à Petro in ordinē, & dignitatem, auctoritate sibi commissa, fuerit assumptus, probant hoc per B. Dionysium Ariopagitam lib. de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. part. 3. Cum ipse quoque supremus discipulus, cum æquali sibi sacerdotali de corde ad sacrum numerum duodenarium discipulorum perficiendum esset progressus, Deo reuerentèr munus electionis permisit. Ostende inquiens, quem elegeris, eumque, quem diuina declarauerat sors, in duodenarium sacratissimum suffecit numerum. Perpende syncere lector, sacerrimum patrem Dionysium, Apostolorum synchronon, & contemporarium, ac discipulum, electionem Matthiæ Deo tribuere, ordinationem verò in Apostolum, Petro, & illud conuenire videtur textui Actuum 1. quia non dicitur Apostolus à Deo, sed ad præces Ecclesiæ, exhortatione sancti Petri factus, Matthiam sorte declaratum esse ad assumendum, & facta declaratione per Deum, tunc connumeratus est cum vndecim. Roborat quod duos constituerunt in medio Matthiam, & Ioseph iustum. Si sanctus Petrus nullam habuisset potestatem deligendi Apostolum, quid tunc illos duos prælegisset, vt ex eis vnus futurus esset Apostololus? Nam si non habuisset potestatem deligendi Apostolum & duodenarium supplendi (ità multum apparenter ratiocinantur) etiam non habuisset potestatem signandi duos certos, ex quibus vnus debebat fieri Apostolus. Ità de Paulo, & Barnaba dicunt iussu Spiritus sancti eos segregatos, & à Petro assistentibus alijs Apostolis, ordinatos in officiu Apostolatus. Allegant huiusmodi sententiæ defensores Chrysost. pertractantem verba Lucæ Actuum 1. de Petro Matthiam non eligente. Quid ergò? eum eligere non poterat? vtique poterat, sed ne videretur ipse gratiam dare, ideò non fecit. Si ista essent Chrysost. verba, quę tamen apud eum me legisse non memini, certum esset eum fuisse illis astipulatum, quòd Petrus potuerit ordinare Apostolum. Et cum ab eis petitur, ergo iam Papa successor Petri in plenitudine potestatis, posset ordinare Apostolum, id diffitentur, quoniam potestas sit data Petro in ædificationē, non in destructionem 2. Cor. 10. quare pro fundanda nascente Ecclesia in primigenijs, opus fuerit Apostolorum officio, quod iam nullus adipiscitur post adultam Ecclesiam, minùs iam ca quasi decrepita, licet in dilatandis ecclesijs, & plantandis, infidelibus conuertendis, per imitationem Apostoli dicantur huiusmodi plantatores. Nam sic Dionysius dicitur Galliarum Apostolus, Bonifacius Germanorum, Augustinus Anglorum &c. Ità doctè, & acutè defendunt suam sententiam, quæ est valdè probabilis.

Tamen probabilitèr mihi apparet sententia, quam & diuersarius suscipit, Apostolatum à solo Christo datum. Et ità Matthias Apostolatum acceperit à Deo, tamen inualidum est argumentum diuersatij, Petrum ob hoc non constitutum pastorem ecclesiæ. Hoc ergo probo etiam ex glos. Interlineari Actuum 1. in diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum. Glo. pastor pro ouibus loquitur, & glos. ordin. quæ est Rabani. In medio stetisse dicitur, quasi communi commiseratione condescens, hoc exemplum sumendum est pastoribus Ecclesiæ, quare officium suum declarauit sanctus Petrus, vt qui pastor esset constitutus à Christo, in medio fratrum exurgeret.

Apostoli nullibi leguntur exempti à potestate Petri sibi data illis verbis. Pasce oues meas, quamuis fuerint fortè exempti, quo ad officium prædicationis, baptizandi, absoluendi &c. quia illa æqualiter commisit Apostolis, tamen non videtur Christus eos constituisse pastores, nisi per Petrum, quia præteriens dixit ad Petrum. Pasce oues meas, secundum Chrysost. & sic intelligatur Apostolus ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Alia ergò constat ratione constitutos Apostolos, alia Euangelistas.

Igitur vtcumque sit, siuè Petrus ordinauerit Matthiam in Apostolum, & alios Apostolos in Episcopos, aut minùs, parùm refert ad institutum, tamen inualida est crassæ imaginationis illatio, quare nec verum est, nec possibile, Petro omnes oues commissas. Illa inquam prærancida illatio nihil stringit, quoniam etiam ab alio ordinatus, potest subijci curæ, & prælationi illius, quod si negas, nullus Episcopus ordinatus in vna diœcesi, migrabit ad aliam, quoniam tunc alterius subijcitur prælaturæ, quàm à quo fuerat ordinatus.

Consectarium est, quam friuolum sit diuersarij assumptum, cum ait. Generali sententia omnibus dictum est, pasce oues meas. Et ità vult omnes Apostolos æqualiter constitutos pastores, at quam falsum sit, hoc patet ex Ambrosio, Bernardo, Chrysost. Leone, & alijs, qui Petrum etiam pastorem Apostolorum constitutum affirmant, & Beda, alioquin, in homilia desuper non dixisset Petrum primum Apostolorum. Similitèr in homilia. Exijt edictum à Cęsare Augusto &c. Luc. 2. & in homil. Erant pastores in regione &c. Dicit eum summum pastorem, similiter in homil. vigiliæ Petri & Pauli. Hoc ità contrà diuersarium ex quatuor probo.

Primò, ex comparatione interrogationis, à qua sermo incepit dicens. Symon Ioannis diligis me plus his, expende lector pie, plùs his, quare Petro, vt ab his distincto? ad quod referebatur comparatio? loquebatur Christus. Si diligis me, pasce oues meas &c. Et hoc est inuictum argumentum contrà diuersarium Grammaticum, quòd soli Petro dixit, & non omnibus Apostolis. Alij Apostoli nūc nō constituti pastores.

Secundò, quia præsentibus Ioanne, Iacobo, & Thoma, & alijs, his præteritis soli Petro dicit, pasce oues meas, quare istud ver-

verbum ad alios pertinere non potest, vt sancti citati voluerunt.

Tertiò, quia non apparet, quomodo verba ista fuerint directa ad alios Apostolos, cum non omnes fuerint præsentes, nec omnes præsentes fuerint Apostoli, vt Nathaniel, quare velle dicere, verba illa Petro dicta, etiam fuisse ad absentes Apostolos directa, est diuinari, facta Scriptura abuti, vim facere verbis diuinis, contrà ecclesiasticorum Patrum, Romanorum Pontificum, auctoritatem, rectum & catholicum sensum. In quo nec Ethnicus multò minùs Christianus est audiendus.

Quarta ratione pugnarem, contrà rationem habentem. Verba per quæ aliquis promouetur ad aliquam dignitatem, vel officium, ad illum, cui dicuntur in propria persona, non in persona aliorum diriguntur, alioquin vno constituto in dignitate, omnes præsentes eiusdem meriti in eadem dignitate constituerentur, quòd quam sit absurdum, dubium nulli existit. Sed Petrus per prædicta verba. pasce &c. Fuit constitutus in pastorali officio, sicut est omnium communis sententia, quare ista verba dirigebantur ad Petrum in propria persona, & non in persona aliorum Apostolorum. Sed scio, vndè deceptus fuerit aduersarius, quòd August. ait, Hoc ad omnes dictum esse, intelligit diuersarius æque alios Apostolos pastores Ecclesiæ à Domino constitutos, at hic maiorem in modum fallitur, non est hæc diui Augustini intentio, sed quia ad omnes Apostolos dictum sit in persona Petri, quòd ab eo ad alios deriuanda erat potestas, volens sicut formam dilectionis Petro præscripsit pastorem principi, sic & ab omnibus pastoribus dilectionem exigat, si gregem suum pascere velint, vt longè prosequitur tract. 124. super Ioanne, quòd nos quoque admittimus.

Vndè Luther deceptus.

CAPVT XXXIX.

Probatur, Petrum fuisse vniuersalem Pastorem, & quomodo fuerit Apostolus circumcisionis declaratur, & sic tres obiectiones ex cap. 37. diluuntur.

Contendit diuersarius deindè, Petrum non esse vniuersalis Ecclesiæ pastorem, quia ei non omnes oues commiserat, nos auctoritate sanctum Patrum ostendimus omnes oues Petro his verbis commissas. Sed obstat diuersarius, quoniam Christus non dixit, [Pasce omnes oues meas,] at licèt non adiecerit voculam omnes, tamen sanctos Patres rectè intellexisse vniuersaliter. Probo, quia concessio beneficij, & priuilegij indefinitè facta, & simpliciter, intelligitur vniuersaliter facta, cap. quia circà de priuileg. quare etiam commissio potestatis, vel officij intelligitur vniuersaliter facta, vt omnia intelligantur commissa, de quibus est eadem committendi, vel concedendi ratio, maximè quando est verisimilè, quòd committens in speciali minimè concessisset, vel commisisset, si hoc fuisset actum, nam qui nihil excepit, & potuit excipere, sic totum concessisse videtur, & ad hunc sensum recipitur illa vulgara theorica. Indefinitam æquiualere vniuersali. Christus autem indefinitè dixit Petro, [Pasce oues meas, non dixit illas, vel illas, vt rectè ponderauit S. Bernard. quare illa commissio generaliter debet intelligi, cùm omnes æquè indigebant, pastore.

Confirmatur adhuc magis specialiter in præsenti casu, applicando indefinitam debere vniuersaliter intelligi in casu nostro, quià sicut iudices, non debent esse incerti, nec tutores, nec procuratores, nec arbitri, ità nec prælati, alioquin subditi essent in magno periculo, nescientes ob illam incertitudinem, quis esset prelatus eorum. Sequitur ergò quod per illa verba [Pasce oues meas] omnes fideles debent intelligi, ne oues pascendæ à Petro, sint incertæ, nisi aliquæ ostendantur exceptę, quod in præsentia ostendi non potest, vt patebit cauillos omnes diluendo, & ità vsu venire, sæpissimè in sacra Scriptura, indefinitam vniuersaliter intelligendam, nullus negare ausit, nisi qui eam, vel non legit, vel lectam non intellexit.

Non obstat fucus diuersarij, non omnes oues Petro arrogandas, quoniam singuli Apostoli in suas sortes missi fuerunt. Piget tantę inscitiæ respondere. Nemò enim negat vnumquemque Apostolum missum in suam sortem, nam hoc officium respicit Apostolatus, quo Christus dixit. Sicut me misit pater, & ego mitto vos. Sed per hoc non potest negare prælationem à Christo, quià vnusquisque Apostolorum missus est in sortem suam, ità nec debet negare prælationem à Vicario Christi. Nam quod ad rationem Apostolatus attinet, & ipse Petrus sortitus est suas prouincias. Ponthum, Bithyniam, Galaciam, Capadociam, vt Hierony. testatur, de viris illustribus, sed de hoc non impedir eum esse vniuersalem pastorem aliorum, sicut Archiepiscopus propriam obtinet diœcesim, & tamen prælatione præest Episcopis per totam prouinciam. Et iam papa est pont. Rom. apud Ioannem in Laterano, & tamen est pastor totius Ecclesiæ.

Solut. 2. obiect.

Inanis ergò est cauillus, quòd ex tam inualidis rationibus infert Petro non omnes oues esse commissas. Et quod dolosè subsumit, Corinthios, Galathas, Ephesios, Philippenses, Thessalonicen. oues Christi non fuisse, quia Petrus eos non pauerit, sed Paulus. Dico enim hos, & alios fuisse fideles oues Christi, & ipsi recognouerunt Petrum, velut supremum pastorem, qualem, & eorum Doctor Paulus eum agnouit, vt mox ostendemus. Fuerunt ergò sub pastura prælationis S. Petri omnes à S. Paulo ad fidem conuersi, sed somniat fortè diuersarius. Petrus eis non prædicauit, ergò eos non pauit, quasi non sit alius modus pascendi, quam prædicatione, cuius oppositum ostendimus ab initio huius materiæ de pastura. Ità pueriliter incepit, quod timet Petro constituto pastore omnium fidelium, cœteri Apostoli fuissent impediti pastore. Pascit Papa, pascit Episcopus, pascit plebanus, pascit plebani substitutus, solus tamen papa est vniuersalis pastor auctoritate, & potestate, sed nescit diuersarius adhuc pulchritudinem Hierarchiæ Eccle-

Solut. obiect. 3.

Ecclesiasticæ, quòd plures possunt esse pastores subordinati, non se impedientes, sed adiuuantes. De Paulo quomodo fuerit missus à Petro confestim dicemus. Omnes ergò panit Petrus fideles, quòd omnes eo eius fuerunt subiecti potestate.

Sed quàm desipit diuersarius, quòd arguatur. Si Rom. Pont. esse pastor vniuersalis, tunc peccaret non pascendo Turcas, quasi Turcæ essent oues Christi, aut pertinerent ad ipsius ouile, nam oues sibi commendauit Dominus, non capras, non fœtidos hyrcos, sed agnos, ouiculas, oues fideles. Turcæ autem sunt hyrci, quare hæc torquere non debet diuersarius. Fateor tamen ingenuè, si speraretur aliquis fructus in Turchia, sicut olim in gentibus, bonum esset, & laudabile adhuc seminare verbum Dei infidelibus, & Papam aliquos mittere, qui prædicarent, plantarent, eradicarent, & conuerterent, sicut eleganter scribit Bernardus ad Eugenium Papam, & fortiter hunc adhortatur, sed quod ipse tam strenuè admonet, non fuit aggressus.

Solut. obie. 4. Postremò affirmat diuersarius, ex illo dicto, pasce oues meas, non possit aliud cogi, nisi quod Petrus pasceret Iudæos, sicut à Paulo dictus est Apostolus circumcisionis &c. Accepit vt video diuersarius verbum Apostoli Pauli ad Gala. 2. Cùm vidissent, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Quòd si intelligentiam Lutheranam imitabimur, vide quid sequatur, duos fuisse tantum pastores, scilicet Petrum circumcisorum, Paulum præputij, nam medium inter illa in viris non cadet, quomodo tunc verum erit, quòd ille prius contendebat, omnes Apostolos ex æquo pastores esse constitutos. Porrò si Petrus, & præfectus solum ouili Iudaico, quia illa verba non plus cogant, sic ita vt dicit diuersarius, quamuis sit mera diuinatio. Ergò saltem illo intellectu, Petrus fuit vniuersalis pastor conuersorum ex Iudæis, quia Dominus non distinxit inter has, & illas, nec aliquas oues excepit, sed omnium fidelium cura in Israel fuit Petro commissa. Inter has autem oues Israel, præcipuæ fuerunt Apostoli, quare intelligentia diuersarij, adhuc Petrus fuit pastor Apostolorum, cui tam anxiè resistit.

Intelligit autem mediocritèr eruditus, diuersarium non habere catholicum sensum Scripturæ sacræ, quomodò Petrus sit Apostolus circumcisionis. Non enim ità accipi debet, vt Paulus tantum fuerit doctor, & prædicator gentium, Petrus verò Iudæorum, cùm hoc Scripturæ sacræ apertissimè repugnet. Petrus enim prædicauit Cornelio Gentili in Cæsarea, sicut testatur Lucas actuum 10. & alijs amicis, & cognatis Cornelij. Vndè obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Dominum. Paulus autem, & Iudæis prædicauit actuum 9. Et continuò ingressus Synagogas prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei, & infrà, Saulus autem multò magis inualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus. Actuum quoque decimotertiò, dicitur de Paulo, & socijs eius, & cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum. Sic & in Antiochia prædicabat Iudæis eodem capitu. Sic & Ironia ingressus Iudæorum Synagogam, illis prædicauit, Actuum 14. Sic Romani, quibus scripsit Paulus, fuerunt conuersi ex gentibus, & Iudæis Petrus in Antiochia docuit, & Paulus, vterque Hierosolymis, & Romæ. Vndè sensus ille sustineri non potest, quem diuersarius insinuat.

Voluit ergò Paulus se plus intentum conuersioni gentium, & Petrum plus conuersioni Iudæorum, quamuis vter vtri prædicare, oportunitate data nullum esset discrimen. Stant tamen illa simul, quòd S. Petrus ex Officio Apostolatus sui Iudæis dispersis in quinque prouincijs prædicabat, sicut meminit in epistola sua prima, quæ indubitatè est Petri, vt Hierony. de viris illustribus testatur. Et Eusebius libro 4. Et tamen Petrus de vtrisque conuertendis curam generalem, velut summus pastor habebat. Exemplum priùs dedimus in Archiepiscopo, & Suffraganeis, Hoc voluit Glos. ordin. dicens. Ità tamen dispensatio distributa est eis, vt Petrus gentibus prædicaret, si causa exegisset, & Paulus Iudæis, quòd satis liquet, apud Eusebium, quomodo fundauerint Ecclesiam Romanam, declarantem. Voluit hic Glos. interlinearis Actuum 10. Surge Petre, occide, & manduca. Glos. recipe in vnitatem corporis Ecclesiæ, cuius Petrus princeps. Designari voluit hoc Ambro. per plures naues, Luc. 5. vocantur socij, qui erant in alia naui, quæ est illa alia nauis, nisi Iudæa? Hi igitur de Synagoga ad nauem Petri, hoc est ad Ecclesiam, conuenirent, vt implerent ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu genuflectunt, siuè Iudæus, siuè Græcus, omnia, & in omnibus Christus. Sed Candide Lector, vbi creditum est Euangelium circumcisionis Petro? fortè reponendum est hoc, & inter alia, quæ Paulus dixit de Christo, & tamen in Euangelio non reperiuntur, quia multa sunt facta, quæ non scripta, velut, & illud, primæ Corinthio. 15. Deindè visus est plusquam quingentis fratribus simul, & illud Actuum 20. quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quàm accipere, & illud ad Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui posset saluum illum facere à morte, cùm clamore valido, & lachrymis offerens, exaudiuus est pro reuerentia sua, Glos. interlinearis ibi ait. Hoc non est in Euangelio.

Glos. autem ordin. super epistola ad Gala. non inducta per aduersarium, dicit, Creditum est mihi Euangelium fidei principaliter, sicut & Petro, quæ principalitas ad officium Apostolatus referri debet, in quo omnes Apostoli sunt æquales, vt superius ex Anacleto, Cypriano, & Hieronymo ostendimus, licèt non quo ad prælationem. Nam friuolum est, & maximè temerarium, quod diuersarius ad Galat. ex proprio capite diuinatur, Apostolos decreuisse, vt quia Petrus, Iacobus, & Ioannes viuente Christo fuerant

alijs

alijs maiores. Ideò eo mortuo, essent alijs minores. Quis enim istam sacrilegam audiat vocem, vt Apostoli quasi inuidi, eos humiliarent Domino absente, qui præsentia Domini præ alijs venerabantur. Cur Paulus vocat eos columnas, & qui videbantur esse aliquid, quid ei dederunt dextras societatis, cùm quibus contulit Euangelium, cur videre cupiebat Petrum? Aiebant illa somnia, hominum figmenta, & vanæ coniecturæ, & tres illi Apostoli, sicut viuente, ità etiam mortuo Christo, & eo resurgente; fuerunt semper honoratiores ab alijs habiti, & venerati.

Tota autem illa resolutio de Apostolatu præputij, & circumcisionis, est de intentione B. Hieronymi,& Haymo. Occulta inquit. hic oritur quæstio. Quid igitur? Petrus si venisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus si aliquos ex circumcisione reperisset, non eos ad Baptismum Christi prouocabat? Quæ ità soluitur, vt dicamus principale singulis in iudæos, & gentes fuisse mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quod sequerentur, qui legi gratiam preferebant, non deesset eis doctor, & præuius (istas rationes etiam tangit Augustinus) In commune verò hoc eos habuisse propositi, vt Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim, & à Sancto Petro gentilem fuisse Baptizatum Cornelium, & à Paulo in Synagoga Iudæorum Christum sæpissimè predicatum. Hæc Hieron. stat ergò inuicta, Patrum sententia, Petro non solum pasturam ouilis Iudaici commissam, etiam si Apostolatus ei, & sors obuenerit in circumcisionem. Sicut Episcopus Augustanus est subiectus Archiepiscopo Moguntino, qui est eius superior, quantumcumque Moguntinus propriam habeat dioceſim, cui peculiaritèr inuigilet, subditis Augustani eum non nisi per viam quærelę adeuntibus. Fuit ergo Petrus peculiaris Iudæorum Apostolus, cæterum omnium commmunis pastor, qui in vno ouili Ecclesiæ erant congregati.

CAPVT XL.

Obiectiones octo Diuersarij, per ista, Pasce oues meas, non probari Primatum Petri.

Obiectio 5. SEcundo diuersarius resistit probatæ prius sententiæ. Rogatem inquit, vt adulatores Roman. Pontif. omitterent hoc terribilissimum verbum, allegare, pro statuendo eius primatu, quòd nullum aliud verbum sacræ scripturæ Roman. & omnem Pontificem magis terrere possit. Primum, quia pascere non significat id, quod est esse primum, vel principem ideò ex ipso nihil aliud probatur, quàm quòd Roman. Pontif. debet prædicare, docereque verbum Dei. Quòd si hoc debet, iam ei deponendus est totus iste primatus, diè & noctè in sacris literis ei versandum, putè orandum, periculis & morti pro verbo laborandum, breuitèr tota Roma, vt hodiè est, longè in aliam faciem mutanda. Hæc enim verba si Roman. Pontif. aptantur, sequitur irrefragabilitèr, doceat verbum Dei, aut si non docet, nihil ad eum pertinet.

Obiectio 6. Verum magis obserua. Christus non imponit pasturam Petro, nisi prius diligat. Obsecro te, quid est hoc? Nonnè sequitur, quòd si non diligat, non sit audiendus? At quis nos certos faciet, de amore pastores? Dubitamus ergo quem non audiamus? Nam si audire nobis pastorem necesse est, etiam illa amare Christum necesse est, aut si amare Christum non est necesse, nec audire pastorem est necesse, cum vtrumque Christus copularit, nec pasturam, nisi amanti commiserit, quid hic faciemus? Scio quòd si rectè pensaret hoc verbum quilibet Episcopus, desperaret. se medium vnius ciuitatis pascere posse.

Igitur hoc effecimus, quòd ista auctoritate nihil probatur, nec valet ad probandum primatum, si autem aliquid valet, tunc hoc vrgebit, non esse Episcopum in Ecclesia, qui non doceat, nec docere aliquem debere, nisi diligat. Hoc inquam, & non aliud ista verba concludunt, nisi noua Grammatica vsus dicas. Si diligis me, pasce oues meas, idem sit quod, si diligis te, esto primus super totam Ecclesiam. Rectiùs ergo facies, si hoc verbum Christi accipias pro exhortatione, immò præcepto, non quo oues ad subiectionem, sed quo pastores ad diligendum Christum, & pascendum populum astringantur. Porrò dilectio Christi (vt B. August. hic exponit) etiam mori pro ouibus Christi requirit.

Obiectio 7. Atque vtinam hoc verbum ad se pertinere crederent Roman. Pontifices. Hæc est enim totius orbis quærela, quòd dilectionem, & doctrinam alijs relegantes, ad se nihil putant pertinere. Intelligunt enim hæc verba ad populum pertinere, & per quæ cogere ad subiectionem omnes volunt, & tamen pascua, & auditum verbi (quod verba sonant) nemo vocat. O fœlix ambitio, si quis vsquam inueniretur, qui omnium pastor esse ambiret, quis hunc non libentissimè admitteret? Nunc autem libentèr permittunt cuicumque, diligendi, & pascendi officium, sibi verò titulum diligendi, & pascendi, & quæ titulum sequitur, lucra scilicèt, & honores reseruant.

Obiectio 8. At dicis pascere non potest, nisi superior, ergo licèt non faciat officium pastoris, non per hoc superioris amittit locum? Respondeo, quid hoc ad me? Quære ergo alia verba, quibus locum potestatis asseras. Hæc verba, aut amantem, aut pascentem requirunt, aut prorsus nulli conueniunt, nisi iterum noua latinitate, diligere plus his accipias pro eo, quod est præesse cæteris omnibus. Et pascere, omnium iura, & opes possidere, proindè nihil mirum, si primatum tanto ęstu quęrunt, quem si verbis in suo significatu acceptis gerere deberent, nec Deum ipsum pro præmio essent expectaturi.

Obiectio 9. Sequitur ex ijs, quod præesse cæteris, & nec diligere, nec pascere, non est Euangelicum neque Christianum officium, sed mundanum & humanum. Dic mihi, subditi erecti aduersùs Pontificem dicerent, nolumus te audire, nec habere pro Pontifice, quibus velles verbis compescere? Numquid ijs pasce oues meas? At ipsi dicent, quando autem pascis? quando diligis? Vbi opus, & res huius verbi? Ergo alio verbo cogendi essent, non isto. Quare sequitur, quod his verbis, nec

vlla

vlla potestas, nedum primatus committitur, sed potestatem habenti, officium diligendi, & docendi imponitur, sicut Petro iam in Apostolatum vocato. Hæc dicuntur.

Dicis autem, sufficiat quòd per alium doceat, & diligat, non est necesse, vt per se solum faciat. Respondeo, admitto, sed hoc isto verbo Christi non traditur, & alio verbo hanc licentiam astrui oportet, hoc verbum insuperabiliter concludit, aut pastores esse debere, etiam per seipsos amantes, & docentes, aut si non per seipsos amant, & docent, nihil hoc verbum ad eos pertinere. Atque ità nihil probatur ex ipso pro Monarchia Romana, sed potius contrà pugnatur, cum tot amari, & pasci ab vno sit impossibile.

Obiect. 10. Videmus quidem officia diligendi, & pascendi à Pontificibus Romanis tradi Episcopis, retento titulo pastoris, & amatoris, & Episcopi eodem nomine seruato, tradunt curatis. Curati, capellanis, nomen per omnes transit, & in nullo hæret, sed & fratres mendicantes, sumpto ab illis officio, strenuè eos imitantur, Maiores & magistri officium docendi fratribus terminarijs imponunt ipsi nomine officij contenti. Adeò molestum est verbum Dei docere, diligere, & pascere, propter quod vnum, filius Dei venit in mundum, misitque Spiritum sanctum, & omnia fecit, vt hoc officium esset officiosissimum?

Obiect. 11. Quòd si satis est per alium docere, quid amplius facit Episcopus, quàm laycus? Nonne, vel Turca potest iubere, aut permittere, vt alius diligat, ac pascat? Quid ergo necesse fuit Petro tot vicibus repetitis mandare hoc officium, & tàm instanter vrgere? Et iste modus Euangelij interpretandi, pasce oues meas, id est permitte, iube, vt alius pascat? Si ille alius item per alium pascat, & tertius per quartum, ac sic sine fine vsque ad neminem, vbi manet verbum Christi? aut qua decentia, cæteri sequaces pascent, quando primiores, & qui plus ijs debent, non pascunt? Cur Christus non fecit idem? cur Petrus non etiam otiatus per alios pauit?

Obiect. 12. Igitur si ista verba ad Pontificiam potestatem cogas seruire, in neruum res tua ibit, & concludes à tempore Gregorij magni non fuisse pastorem in Romana Ecclesia. Hic enim ferè vltimus est eorum, qui sacras literas tractauerunt, quare si gloriaris esse dictum Petro, diligis me plus his, benè, hoc fac, & viues, & dilige plus cæteris, pasce plus cæteris. Et induentur arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt, & hymnum dicent. Quòd si per diligere plus his, intelliges maiorem te alijs esse, iam verbo Christi, alienam intrudis intelligentiam. Non enim aliquid iubetur subditis per hæc verba, sed Petro non dicit, estote oues sub Petro, sed Petre pasce oues meas, & tamen illud volunt, hoc nolunt.

CAPVT XLI.

Quales esse debent Sacerdotes exponitur, Adulatores vituperantur, Pascere multiplex assignatur, Sophismata deteguntur Diuersarij.

ANtequam obiecta illa diluam, præfabor in præsentia. Nolle me hoc præsenti libro, aut alias vbicumque, excessus, enormitates, negligentias, tyrannides, & si qua sunt huiusmodi, excusare, vel purgare in Episcopis, & prælatis Ecclesiæ, si officium eis diuinitus commissum minus dignè, ac legitimè exequerentur, de quo Deo districtissimam sunt reddituri rationem, nam his adulatoribus principum minatur Dominus per Ezechielem cap. 13. Væ his, qui consuunt puluillos sub omni cubito, & faciunt ceruicalia sub capite, vniuersæ ætatis, quod secundum B. Gregor. facit, qui malè agentibus adulatur. Non enim nescio, quales esse deberent sacerdotes, prælati & ministri, nec me præterit, quales sint. Protestatio authoris. In adulatores.

Docuit Christus sacerdotes intrare per ostium, non per symoniam, potentiam, inordinatum fauorem, sinistram practicam. Docuit iustè, honestè, piè viuere, non in luxu omnium rerum, non in crapula, in luxu, in pompa, & superbia, non in tyrannide. Docuit populos charitatiuè regere, verbo, exemplo, correctione, indulgentia, oratione, vt hæc latissimè describi possent, & copiosè tam ab antiquis, quàm à recentioribus est factum, vt facilè apud Ambros. August. Gregor. Bernar. & alios studiosus lector inueniat. Vndè licèt omnes prælati, tamen præcipuè Ecclesiastici, castigatorium illud verbum ante oculos habere deberent. Sapient. 6. Iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet. Immò totum hoc caput scatum, tamen quia diuersarius hoc non agit, vt instruat, quomodo pastores de malo regimine, & negligentia pasturæ arctissimam debeant Deo reddere rationem, vt Bernar. in quadam epistola præ alijs rigidè hoc prosequitur, sed rebellionem parat subditorum, & inobedientiam in Primates Ecclesiasticos, quos nititur ostendere non esse pastores, Ideo his calumnijs obuiandum duxi & obiectamenta temeraria, & depellere, ac euacuare.

Primò autem cum assumit, illud esse terribile verbum Episcopo. Si diligis me, pasce oues meas, fateor, cum exprimat conditionem pastoris, qualis esse debeat pastor, scilicèt diligens Deum, non qui se diligat super, vel contra Deum, vt copiosissimè August. ibi explicat, & cum probat primò pascere non sit primum, vel principem esse. Dico hoc esse falsum, quia in sacris literis, pascere est etiam regere, gubernare &c. at ergo ille qui est summus pastor omnium, est primus omnium, vt ab initio ostendimus ex Hieremia, & Ezech. similiter quia iuxtà verba saluatoris, pastoris est aperire ostium, emittere & educere oues, vocare oues, vadere ante eas &c. quæ omnia sunt regiminis, & prædictis. Pascere adde Bedã Hom. vlt. supra Obiectio 5. repellitur.

Ioan.

Ioan. quamuis solertiùs, intuendum, quòd eadem pastio gregis dominici, non vniformi, sed multimoda est solicitudine gerenda, nam & terrena subsidia necesse est, vt subditis rector, ne desint, diligentèr prouideat, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis eiusdem sollicitus impendat, & si quos, aut spiritualibus eorum commodis, aduersantes depræhenderit, horum violentiæ, quantùm valet, obsistat. Ipsos quoque, cum errauerint, subiectos, iuxtà Psalmistæ vocem, corripiat, iustos in misericordia increpet, neque oleo noxiæ consensionis corda eorum demulceat, & hoc enim ad pij officium pastoris pertinet. Idem Beda ait. Commissione Petro facta, meas oues commendatas tibi scito, & has quasi meas regere, si me perfectè amas, recole, & infrà. Pascendas suas oues Petro, hoc est plebes docendas, gubernandasque commisit. Hic venerabilis Beda apertè pro pascere ponit regere, & priùs varios modos pascendi, regendique explicauit.

Iam patet error diuersarij, quia cum verbum pascendi sit amplissimum, & maxima in se munera complectatur, iste constringit, & coarctat ipsum in solùm munus docendi, & prædicandi, quare pastorem cogere vult? Si pascat ergo prædicet, doceat &c. Et ex prioribus liquet inualidam esse hanc illationem, à supriori ad quodcumque inferiùs, cum sint plures alij modi pascendi, præter doctrinam, pascit enim si corrigit excessus, si bonos tutatur ab incursu malorum, si pauperibus subuenit, dum commodam ordinat sacramentorum administrationem, dum Ecclesiæ viduæ de bono prouidet pastore &c. Debeat etiam prouidere ouibus de pastura, si non habent, sic in primitiua Ecclesia passim mittebantur discipuli ab Apostolis, ac Summis Pontificibus. Sic Dionysius missus ad Gallias, sic Maternus ad Rheni fluenta. Sic B. Gregorius Augustinum ad Anglos conuertendos misit, & Gregor. II. Bonifacium per Germaniam misit, sic alij alios miserunt. Vndè diuersarius cum sint plures modi pascendi, non debuit pastorem coartare ad vnum officium docendi. Nisi eum immineret periculum erroris, & non adsunt, qui laborent pro extirpatione eorum, ne latiùs euagentur, profectò tunc non excusarem Episcopum à peccato mortali; si non pasceret verbo, & sana doctrina, pro extirpatione errorum in suis ouibus. Nam ei præcipitur capere vulpeculam, quæ demolitur vincam Ecclesiæ, & lupum abigere à caulis ouium. In hoc ergo euentu non video, quomodo Episcopus esset excusatus, qui non pasceret salutari doctrina oues sibi commissas, sed ità in communi, inualida est diuersarij illatio. (Cantic. 2.)

(Ad obiect. 2.) Ponderat dein tenorem verborum diuersarius. Ait enim text. Si diligis me plus his, pasce oues meas, ex quo infert. Si non diligat, ergo non pascat, non sit pastor, non sit audiendus velut pastor &c. Falsam hanc, & insulsam obiectionem multipliciter vitare possumus; non enim stringit.

Primò enim argumentum est captiosum & sophisticum, velut est pueris in dialectica obuium. Si diligis me plus his, pasce oues meas. Itaque si me non diligis, non pascis oues meas. A destructione antecedentis ad destructionem consequentis, omninò puerilis cauillus. Si est homo, est animal, itaque si non est homo, non est animal. Vide quam ridiculè arguatur in dialectica.

Dico secundò huiusmodi illepida consequentia deceptum, & sophisticatum etiam S. Cyprianum Martyrem pluribus locis, sufficiat vnus in præsentia ad magnum lib. 5. epist. 6. Post resurrectionem enim discipulos suos mittens, loquitur ad eos, & dixit. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & ait illis. Accipite Spiritum sanctum, si cuius remiseritis peccata, remittuntur illi, & si cuius retinueritis, tenebuntur, quo in loco ostendit eum solum posse baptizare, & remissionem peccatorum dare, qui habet Spiritum sanctum, quasi ratiocinaretur. Ergo si non accipiunt Spiritum sanctum, tunc quæ absoluent, non erunt absoluta. Sic plures sophismate isto decepti sunt, pro parte Donatistarum argumentantes in Concilio Aphricano; ve eorum errata elidit B. Augustinus lib. 7. contrà Donatistas de Baptismo.

Dico tertiò, in verbis Christi nullam esse consequentiam, vel illationem, quare diuersarius ineptè argutatur; à negatione vnius vel alterius partis. Imò vocabulo sequitur, non potest hic vti sine errore, quia si constructiuè inferas, si diligit, pascit, malè argutaris, quòd plures sunt fideles, & iusti Deum diligentes, qui tamen non pascunt, sed pascuntur. Neque licèt vertere eadem ratione si non pascit, non diligit, quia subditus fidelis non pascit, & tamen diligit, neque affirmatiuè licèt vertere, si pascit, diligit, quoniam multi sunt pastores Deum non diligentes, sed pascentes seipsos, vt conqueritur Dominus per Prophetam Ezech. & Hierem. vt audiuimus, fallitur ergo per imperitiam diuersarius, existimans esse connexionem illationis, vbi nulla est.

Dico quartò hanc esse Hussiticam consequentiam, & pauperum de Lugduno, ac Waldensium, ac olim Donatistarum. Si non diligit, non est audiendus pastor. Benè enim hic ostendit Christus, qualis debeat esse pastor, quia diligens Deum, & ità est ibi conditio, non illationis, vel connexionis, seu consequentiæ, vt prauè cœpit diuersarius, more Waldensium, & Hussitarum, sed est conditio qualitatis, quoniam pastor bonus debet habere illam conditionem, & qualitatem, quòd diligat Deum, sicut de talibus loquitur propheta Hierem. 3. Et dabo vobis pastores secundùm cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina. Et ità necesse est amare pastorem Christum necessitate præcepti, quia officium suum non dignè exequitur sine charitate Dei, tamen non est necesse necessitate existentiæ, quia sine charitate adhuc existit pastor, quia per amissionem charitatis, non desinit esse pastor, quod Christus etiam in nouo testamento satis etiam testatur Matt. 24. Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo, moram faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos suos, veniet Dominus serui illius &c. Cum concordantibus. Ludit ergo diuersarius hic Hussitico more, dum quærit, quis non faciet certos de amore pastoris? quid molestus es quæso imitare?

Nemo

Nemo scit an amore, vel odio dignus sit Ecclesiastes 9. Imitares potiùs Paulum Apostolum, qui non erat certus de omnimoda iustitia sua, dum diceret 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, qui tamen priùs dixit. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. Error contrarius fuit Marsilij de Padua, pauperum de Lugduno, Waldensum, Wicklefistarum, & Hussitarum.

Constat ergo hoc textu, pasce oues meas, benè probari Primatum, & debere pastorem etiam docere pro tempore, licèt plures alij notabiles actus sint, & charitatiui, quibus possit pascere, vt expressimus, quare est pastor, etiam si non doceat, & docet etiam, si non diligat, licèt boni, & peruigilis pastoris sit, & docere, & diligere, corripere &c. quod etsi iam minùs fiat ab Episcopis Germaniæ nostræ, quòd doceant, totus defectus est, quod in Ecclesijs Cathedralibus Canonici, ex quibus Episcopus deligitur, vel contemnunt, vel negligunt Theologiam, cum magna Christianæ fidei iactura, nec Episcopi Theologos in prætio habent (quod est venturæ persecutionis prælatorum non paruum iudicium) sed magis armigeros, aut qui professionis sunt humanæ, amplectuntur, cum ego solus sim inter Canonicos Ecclesiæ cathedralis Eichsteten. Theologica professione insignitus, non desunt confratres, qui id grauiter ferant, me Theologum eorum numero associatum. Sed, vt dixi, vrgentissimus est locus pro primatu, pasce oues meas, licèt diuersarius encomium canat antè victoriam, gloriatur se effecisse, illa auctoritate nihil probari, ità se iactat ob præraucidos paralogismos, iam à nobis conuulsos. Et dato quod valeat, nego sequi, eum non esse Episcopum, qui non doceat, cum plura alia sint munera Episcopalia, quibus dignitas seruetur sibi incolumis, sicut illud Hussiticum est, & falsissimum, nullum docere debere, nisi diligat, licèt si benè velit vti suo officio, debeat Deum diligere, ne ei exprobret Deus doctrinam, iuxtà illud Psal. 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas &c. quare Grammaticæ Theologiæ doctor, non ità ridiculè exponet hystrionico more in vertendo verbo, & personas. Si diligis me, id est si diligis te &c.

CAPVT XLII.

Quòd sit Episcoporum officium. Non deesse iam verbum Diuinum. Bulla Leonis Papæ contrà Lutherum.

PRophetarum, Sanctorum Patrum, imò Christi secuti sententiam, quid pascere sit, ostendimus, quare nullam nouam quærimus Grammaticam, aut exortam interpretationem, vt calumniatur diuersarius. Accipiat diuersarius, vt velit suo arbitrio, & libito, exhortatione, comminatione, vel præcepto, nos vsurpamus in sensu, quem Spiritus sanctus efflagitat, & per sanctissimos Ecclesiæ Doctores, pulcherrima Ecclesiæ lumina, antè multos annos est explanatus, licèt sibi ipsi repugnans, & contrarium sit Lutheri dictum, illud dictum referri ad pastores, & non ad oues, quasi vnquam aliquis constituerit pastorem, sine ouibus subiectis, quid ergo pascet, culices? Commissa est ergo Petro pastura super toto ouili Christiano.

Negligentiam Episcoporum non excuso, vbi est defectus verbi diuini, vel vbi pullulant errores, sicut iam in Saxonia errores diuersatij, tunc enim deberent sedulò docere, & vt doceretur, curare. Non excuso eos, qui plurifaciunt, honorem, & dignitatem, & lucra, quàm officium, si non diligunt Deum; sed inanem gloriam, luxum, tyrannidem, eos excusare nec possum, nec volo; sunt enim tunc secutores mammonæ; habeant zelum iustitię, Deum diligant, sacra ordinatè fieri in prouincia curent, excedentes corrigant, vim passos sustentent, pauperibus subueniant, clerum in bono regimine teneant, consuetudines noxias extirpent, pensum orationis debitum religiosa mente persoluant, neminem opprimant, requisiti pro subditorum indigentia, pastorali beneficio subueniant. Ne subditis offendiculo sint, in primis cautant, ne aliquem scandalizent, paruulorum, viduarum, & orphanorum, ac pupillorum causas paternè agant, patrimonium Christi prudenter exponant, non ad pompam nimis, venatoribus, & canibus plus impendendo, quàm pauperibus, quorum tam magnam curam habuerunt Apostoli, vt Paulo committerent Petrus, Iacobus, Ioannes, tantùm vt pauperum memor esset ad Galat. 2. & inquit Paulus; quòd etiam solicitus fui hoc ipsum facere. Ità etiam testatur ad Rom. 15. Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis, probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Istud esset perfectè pascere populum sibi subiectum, hoc esset Episcopi officium, ad ista facienda admonendi sunt, hortandi sunt, & cum patientia increpandi, si non fecerint. Ista negligentes, non excuso, nolo consuere puluillos sub cubito eorum.

Tamen nostra ætate non deest populo fideli auditus verbi diuini, ideò minùs iustè conquetitur diuersarius super pastoribus, quòd sit defectus doctrinæ pascendo, cum toc fiant in omni vico sermones ad populum, vt verbum Dei, quasi veniat in contemptum? Ideò Christianissimus Cancellarius Ioannes Gerson. dubitat, an expediens sit ouibus tam frequens diuini verbi prædicatio? Vndè superior pastor tunc docere debet, vel curare vt doceatur, cum viderit doctrinæ defectum, vel erroris ortum, & sic magis appareret mihi necessarium pastoribus nostro sæculo, vt examinarent prædicanda, quàm vt curarent prędicationem, Sic Apostoli cum audissent, qui erant Hierosolymis, quia recipisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, Actuum 8. Sic Leo X. Roman. Pontifex fideles pauit, errores diuersarij circa sacramentum pœnitentiæ, purgationes animarum, & indulgentias excludendo, quod autem & posteritati fiat manifestum, quomodo Dius Leo pauerit, & docuerit, placuit illius doctrinæ tenorem inserere.

Bulla

Bulla Leonis Papæ contrà Lutherum.

LEo Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Thomæ titul. S. Sixti, ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum Imperatorem electum, nostro & Sed. Apost. Legato. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum postquam circumspectio tua Germaniam applicauerat, aures nostras peruenisset, quòd nonnulli religiosi, etiam ad verbum Dei deputati, super indulgentijs à nobis & Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris ab immemorabili tempore citrà concedi solitis, publicè prædicando, multorum cordibus imprimerent errores. Idque nobis intelligere nimis graue, & molestum esset, alijs nostris literis eidem circunspectioni tuæ. (De qua propter eius singularem doctrinam, & in rebus agendis experientiam, specialem in Domino fiduciam obtinemus) commisimus, vt auctoritate nostra, approbatione digna approbares, ea verò, quæ minùs rectè dicta essent, etiam per eos, qui Romanæ Ecclesiæ doctrinam se sequi paratos assererent, reprobare, & damnare curares. Et ne de cætero quisquam ignorantiam doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, circa huiusmodi indulgentias, & illarum efficaciam allegare, aut ignorantiæ huiusmodi prætextu, se excusare, aut conficta protestatione se iuuare, sed vt ipsi de notorio mendacio conuinci, & meritò damnari possint, per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium potestate clauium, quarum est aperire, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicèt & pœnam, pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante sacramento pœnitentiæ, pœnam verò temporalem, pro actualibus peccatis secundùm diuinam iustitiam debitam, mediante ecclesiastica indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere, eisdem Christifidelibus, qui charitate iungente membra sunt Christi, siuè in hac vita sunt, siuè in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & sanctorum, ac tàm pro viuis, quàm pro defunctis Apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi & sanctorum dispensare, per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse. Ac proptereà omnes, tàm viuos, quàm defunctos, qui veracitèr omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pęna secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quantę concessæ, & acquisitæ indulgentiæ equiualet. Et ità ab omnibus teneri, & prædicari deberi sub excõmunicationis latę sententiæ pœna, à qua, illam incurrentes, ab alio quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, Auctoritate Apostolica earundem tenore præsentium decernimus. Et ne quisquam de pręmissis valeat ignorantiam allegare, circumspectioni tuæ mandamus, quatenus vniuersos, & singulos Germaniæ Archiepiscopos, Episcopos, & alios locorum ordinarios, in virtute sanctę obedientiæ, & sub suspensionis à diuinis pœna, moneas, eisque districtè præcipiendo mandes; vt præsentes literas, siuè earum transumptum, infrà tempus per circumspectionem tuam eis præfigendum, in eorum ecclesijs, dum ibi populi multitudo ad diuina conuenerit, publicare, & circa indulgentias prædictas supradicta sub simili excommunicationis latæ sententiæ pœna tenere, & prædicare debeant. Et nullus contra ea quouis modò directè, vel indirectè venire præsumat. Tibi nihilominùs contrà præsumentes, & inobedientes procedendi, illosque debitis pœnis, quibus tibi videbitur puniendi, plenam & liberam, etiam per præsentes concedimus facultatem. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Et quia difficilè foret easdem præsententes literas, ad singula queque loca, in quibus expediens fuerit de ferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, illarum transumptis manu publici notarij indè rogari subscriptis, & sigillo alicuius prælati, seù personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, vel curię ecclesiasticæ ea prorsùs in iudicio, & extrà, ac aliàs, vbi liber fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si fuissent ostensæ, vel exhibitæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicę 1518. quinto Idus Nouemb. Pontificatus nostri anno 6.

Sana, & Catholica, catholici pastoris constitutio, qui si non verbo prædicat, pascit eamen decretis, constitutionibus, & alijs ad pastorem pertinentibus, qui si negligens fuerit, Deo dicere possum, quòd Concilium de Marcello martyre, quando grana thuris Idolis obtulit, & Concilium de Symacho Papa dixit. Symachus Papa Sedis Apostolicæ pręsul ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis, & liber, cuius causam totam Dei iudicio reseruamus. Ità modestè Synodus Theoderici Regis iussu congregata, de Romano præsule sensit. At quàm modeste Roman. Pontif. obiurget diuersatius, immò omnes Episcopos, prudens lector suarum scriptionum facilè intelligit. Fœlicem dicit ambitionem. Si quis vsquam inueniretur, qui animum pastor esse ambiret, vnius ouilis vnum esse pastorem, Christus veritas prædixit, Ioan. 10. Et cum non omnes mali. Immò maior pars fuerit bonorum, sequens est vsquam fuisse, & esse Roman. Pontifices pastores omnium fidelium, qui si titulos ambiunt solùm, & non re pascunt, committo eos iudicio Dei. Mox tamen sequenti capite explicabimus, & annorabimus plures fidelissimos pastores vniuersalis Ecclesiæ.

CAPVT XLIII.

De pastura, quomodo Episcopi debent ei intendere, & licèt eis per alios docere, tamen honestas exigeret, vt & per se docerent.

Obiectio 8. diluitur.

SOphistico more diuersarius sibi parat solutionem, quam possit facilè infringere, pascere non potest, nisi superior, ergo licèt non faciat officium pastoris, tamen per hoc non omittit locum superioris. Sed cum Pastor vt ex Prophetis, & Patribus docuimus, plura includat, cucoit aliquem pascere, qui superior non existit, pascit nos quotidie S. August. sua doctrina saluberrima, qui tamen Apher nullam super me prælationem habuit, proximus meus, vel æqualis, vel inferior pascit me bono exemplo, & tamen non est superior meus. Hoc autem est, cui pastura in vniuersum committitur. Huic intelligitur regimen, & superioritas commissa, hinc reges dicuntur pastores apud Prophetas. Captiosè ergò assumit, superior pascit, ideò pascere non potest, nisi superior. Est enim sophysma consequentis currens mouetur, tamen vitiosè argutatis, non moueri nisi currentem, ità & infantiliter hic arguatur, non mirùm de diuersario, quòd in has Symplobadas, & pueriles scopulos paralogismis impingit. Quoniam dialecticam contemnit, & respuit, quasi omnis illa sit sophystica, quo fit, vt Sophismata negligere se credat, maximè cauillis illis, captionibus, & sophismatibus irretiatur, & captiuetur, quare omnia quæ affert de germano vocabuli significato, scilicèt pascere, friuola sunt, quòd nunquam huius intelligentiam sit assecutus, quam nos ex ipso saluatore, ex prophetis, & Patribus superiùs produximus. Vndè quæ per derisum affert hystrionico more diuersarius de noua latinitate verbi pascere, præterimus. tanquam somnia lymphaticorum, cum quicquid in buccam venerit, statim sine omni pudore, sine rectæ rationis libramine proferat. Quale est hoc cæcutiens dictum, & minimè sibi constans allucinatio, prælatos nec dum pro præmio expectaturos, sit primatum in suo significatu gerere debeant, quasi vllum aliud maius præmium, vel desiderari, vel expectari possit à bono pastore, quàm Deus, quis non sentit has insanas voces temerarias, & sacrilegas, plùs in ore, quàm pectore natas esse. Applica si placet de S. Leo I. optimo præsule, & summo omnium fidelium vniuersali pastore, sicut ei acclamatum est in sacrosancta Calcedonen. Synodo, quæ vna est ex quatuor illis Euangelicis, & Synodis, à toto orbe Christiano approbatis, & eadem sancta Synodus huiusmodi subscriptionem Legatorum suorum fieri passa est, vt secundo lib. explicabimus.

Sophysma Lutheri. Luther contemnit dialecticam, ideò innoluitur Sophismatib.

Immodestia Lutheri.

Obiectio 9. diluitur.

Ex prædictis liquet quàm inane sit corrolarium, quod infert, aliquem præesse, & non pascere, quasi aliquis possit esse præsidens, & non pastor, quòd omninò diffidet, & complicat quid in intelligibile, sed ex ruinosis principijs, ruitura consurgunt ædificia, sit malus prælatus, sit à Domino adiectus, vt assumam à diuersario affirmata, negabit ne quispiam eum esse pastorem, & pascere? cur tunc Dominus Iesus ait. Ego sum pastor bonus, nisi quia aliqui pastores sunt mali, cur aliquibus pastoribus dicitur Vę, per Prophetam Ezech. 34. Vę pastoribus Israel &c. Pastores illos Euangelicos voces, vel minùs, non curo, si non euangelicæ faciunt, viderint ipsi quomodo arctissimam reddituri sunt Deo rationem. Quare facilè subditi non selle amaricati proteruiæ, compesci possunt, vbi docuerint se habere penuriam doctrinę, cogitur tunc Rom. Pont. eis prouidere, sed non audio hanc quæstionem motam, nisi à sciolis, & sibi placentibus, quinimmò maior quæstio est in vulgo, sermones multiplicati, itàque laterem lauat, de ista captiosa subditorum interrogatione, an pastor diligat? vbi quæso subdito mandatur inquirere, an superior diligat? quam hic diuersarius instruit rebellionem subditorum? Quis vnquam audiuit tantam temeritatem, vt superior dilectionis suæ ad Deum subditis rationem reddere cogatur? Ausim dicere, nullius subditi, etiam si insolentia Lutherum superet, esse interrogare superiorem an Deum diligat? Hoc enim nouit scrutator cordium, & inspector conscientiarum, non quilibet è vulgo, immò sine magna præsumptione, prælatus respondere non posset, se Deum diligere, cum nemo sciat, an odio, vel amore dignus sit, maximè fidelis subditus, ità quærere non debet, cum Christus ei id prohibuerit Matth. 22. [Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei, omnia ergò quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.] Alligant autem onera grauia &c. Iam vides, quibus verbis compescendi sint subditi in temeraria insultatione, quòd Petrus 1. Petri 2. etiam discolis Dominis obediendum præcepit. Et omninò pueriliter labitur diuersarius, quòd existimat Petro hic officium docendi iniunctum, & quòd pascere, arbitratur solùm pertinere ad doctrinam. Nam docendi officium, Christus non tanta solemnitate, nec singularitèr Petro, sed omnibus Apostolis simul commisit. Matth. vlt. Euntes ergò docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis Marc. vlt. Euntes in mundum vniuersum, prędicare Euangelium omni creaturę. Non ergò Petrus illam potestatem pastoralem prius habuit, sed primo omnium Patrum sententia accepit.

Subditum ni inquirat an prælatus diligat.

Ecclesia...

Alium cauillum adfert, quasi Deo amabiles Episcopi se tueantur, quia per alios doceant, & diligant, concludens pastorem per se debere docere. At hic affirmatissimè dico pastorem oportere per se docere, sed sufficit ad hoc quod pascat, vt prouideat subditos, ne careant, aut defectum patiantur doctrinæ, alios doctores sua auctoritate, si excedant, corripiet, & emendet. Hoc enim ad regimen pasturæ pertinet, & quòd per alios docere possit, liquet ex Domino, qui per Apostolos docuit, & ideò iussit discipulos rogare Dominum messis, vt mittat operarios suos in messem suam. Messis quidem multa, operarij

Enervatur Obiectio.

tarij pauci Matth. 9. Et ità ipse designauit ob hoc 72. discipulos, & misit illos binos ante faciem suam Luc. 10. Vndè Chorebo stultior est, qui arbitratur pastorem per se doctere debere omnes sibi commissos, nam sic Clementem induximus iussa Petri exequentem pro mittendis ad ciuitates pastoribus. Quis enim sacrarium literarum lector ignorat, Moysen ductorem fuisse vniuersi populi Israelitici, sicut Petrus vniuersi populi Christi ductor, & pastor fuit, dicente Augustino lib. 22. contrà Faustum cap. 70. Quid ergò incongruum, si Petrus post peccatum factus est pastor Ecclesiæ? (loquitur de amputatione auriculæ) sicut Moyses post percussum Ægyptum factus est rector Synagogæ illius, & tamen in libro Exod. cap. 18. [Legimus Ietro dixisse Moysi, quid est quod facis in plebe? cur solus Sedes, & omnis populus præstolatur de mane, vsque ad vesperam? & infrà. Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, & populus iste, qui tecum est, vltrà vires tuas est hoc negotium, solus illud non poteris sustinere, sed audi verba mea, atq; consilia, & erit Dominus tecum. Esto in populo in his, quę ad Deū pertinent, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo cęremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide tibi de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore, quicquid autem maius fuerit, referant ad te, Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris sustinere. Huc accedat, & legar, quisquis contendat populum doceri deberi per se à pastore, cùm minora alijs, maiora negotia dumtaxat sibi pastor reseruet, minora enim negotia alijs magistratibus per vrbes dispositis demandantur. Sicut Petrus fecit 80. dis. in illis. Per hoc tamen nolim excusare Episcopos, si inuerso ordine agant, & minora, & minima omnia per se expedire velint, scilicèt temporalia. Maiora autem, & maxima, spiritualia, & quæ Dei sunt, committunt vicarijs in pontificalibus, in spiritualibus, in iudicialibus. Hoc enim est Cymbam aduersùs aquam ducere, quos si solos improbaret diuersarius, ob hos, & similes abusus, adeò nihil esset, quod ei aduersaret, vt etiam haberet me adiutorem, si Apostolica vteretur forma.

Liquet quàm à syllogistica laycorum superbientium more, plurà adducit aduersarius, quæ nec rationis sunt, nec rationi consentanea. Assumit impossibile esse vnum tot pascere, quoniam semper insistit huic vni, quod pascere sit per se docere. Vndè doceat per se pastor vbi opus ast, aut curet, vt doceantur, paratus sit reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in ipso est spe, & fide, traditur enim titulus pastoralis Episcopo, tanquam vocato in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, vt ait beatus Gregorius cap. decreto 2. quæst. 6. Pastor ergò vniuersalis papa, habet plenitudinem potestatis. Nam quòd officium pascendi, & amandi in nullo hæreat pastore, titulo apud omnes remanente, existimantes minimè so-

briè dictum, cùm non sit inspector cordium quo ad amorem, & quo ad doctrinam, satis multi reperiuntur curati, qui pascunt verbo, & exemplo, Episcopi multi pascunt, fratres mendicantes plures optimè pascunt. Non loquor de illis, qui pascunt seipsos, scorsum in tablinis conuenientes, parentes collationes, & eleemosynas pauperum in crapulas expendentes, alijs religiosis patribus panem doloris comedentibus, maximè quando, ob id seniores patres non assumuntur, quòd talium collationum sunt exprobratores. Christus venit in mundum peccatores saluos facere, hoc est omnium principalissimum, cur filius Dei venit in mundum, licèt multa ob hoc fecerit, docuerit, passus fuerit, vt ad salutem illam humanum genus perduceret.

Sed obstat diuersarius, laycum etiam posse per alium docere, verùm nulla est auctoritas, vel potestas pęnes laycum, sicut apud Episcopum iubendi alium docere, licèt non in sola doctrina consistat pastura, vt sæpè ostendimus. Ingenuè tamen fateor, laudabile esse Episcopis, vt per se etiam docerent, sicut D. Adolphus ex illustribus principibus de Anhalt. Episcopus Merseburgen. non raró sermonem ad populum facit, nam sic docentes, Lutheranas iniurias, & contumelias vitarent. Omnibus enim ait S. Petrus, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.] Vndè gratia Dei, tantus est numerus prædicatorum, vt diuersarius descendere non possit vsque ad neminem, qui pascat. Et in superiori Germania ad Rhenum, Necharum, & Danadium, mea ætate, & paulò suprà, plurimæ possim sunt erectæ præbendæ pro his, qui inuigilare debent seminationi verbi Diuini. Arbitror ego supremos, medios, & infimos prælatos pascere, licèt non omnes doceant. Excedentes, vel negligentes non excuso, nolo otiosum pastorem, vigilet, pascat, educet, vocet, reducet. Otiari non patior pastorem, vt pulchrè Beda prosequitur in Homil. [Et pastores erant in religione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, quòd si pastor hæc non fecerit, erit quidem pastor, sed talis, quem Dominus per Ezechiam increpet.

Obiect. 11.

CAPVT XLVI.

Declarantur Episcopi Romani docti à temporibus Gregory Magni contra impudens mendacium diuersarij.

EXcutere adhuc restat vnum diuersarij dictum, horrendum satis, & omnibus Romanis Pontificibus centum sexaginta duobus à tempore Gregorij iniuriosum. Nam si ista verba pertinent ad pontificiam dignitatem, inquit, à tempore Gregorij Magni non fuit pastor, quamuis perpetuò errore labatur, quòd pascere torquet semper ad docere, ta-

Obiect. 7. & 11.

men ostendamus, & hoc esse falsissimum, & libidios detrahendi pontificię dignitati à diuersatio allatum, non meminit diuersarius recentia, quomodo sciet antiqua? quis enim ignorat eruditionem Theologicam Sixti IV. Minoritæ, Nicolai V. omnium literatorum patroni, Petrum de Candia, Alexandrum Quintum appellatum, quis ignorat fuisse Theologatot? Nam ob insignem eruditionem, & morum integritatem, à Concilio Pisano io Summum pontificium est euectus, eius adhuc extant egregij commentarij Theologici, quis non audiuit Petrum de Tarantasia ordinis prædicatorum celebrem doctorem in Papatu suo Innocentium V. appellatum? Negligens est lector, qui Innocentij tertij scripta non vidit, de officio Missæ, de Sacramentis, de conditione miseriæ humanæ.

Dum hæc statim essent mihi obuia legenti libellum diuersarij, & quod optimè noram, Michaelem de Zezcuna cum complicibus, omnem ansam latrandi contrà Io. 22. accepisse ex Homelijs, & sermonibus eius ad populum confestim intelligete potui, ista à diuersario pronunciata absque examine veri, & iudicio, quod tamen in te graui fieri non debet, & cum omnis homo verax esse debeat, ne alteri per calumniam falsum imponat, tamen in primis dedecet Theologum mentiri in famam proximi, Pius II. maiorum nostrorum memoria sermones ad populum habuit, & orationem exhortatoriam contrà Turcas ad omnes fideles in conuentu Mantuano. Ve omnibus autem patentior sit veritas, mox ad Platinam eueurri, vellicatim vitas Sum. Pont. visurus, quod huic plurimùm auctoritatis in hystoria tribuat Luther, & à tempore beati Gregorij incipiendo, de Bonifacio V. ait. Bonifacius autem pontifex vir singularis humanitatis, & clementiæ, magna in omnes benignitate, & gratia vtens, nullum genus officij, quod, pastorem bonum deetar, prætermisit. De Honorio I. ait. Honorius autem à rebus externis aliquantulum quietis adeptus doctrina, moribus sanctissimis, omnem propè clerum renouauit. Hic habes pastutę tuæ nomen, doctrinam. De Theodoro 1. ait. Theodotus pontificatum iniens, omnia, quæ ad dignitatem religionis christianę pertinere arbitrabatur, circumspiciebat, vt bonum pastorem decet, docere autem, in primis ad pastorem pertinet, diuersarij sententia, quia hoc sit officium officiosissimum. Martinus I. eodem teste, Paulum Constantinopolitanum ab errore reuocare, nuncijs, & literis studuit. De Agathone scribit, quòd tantæ fuerit sanctitatis, vt Leprosum obuium factum, osculo sanauerit, & hic plurimum curauit Constantinopolitanos pascere, & Monothelitarum errores extirpare. De Leone II. ait. At Leo, in quo præter doctrinam, & eloquentiam, singularis teligio, mita pietas, & clementia fuit, quique omnes verbo, & exemplo ad iustitiam, & fortitudinem, humanitatem, benignitatem hortabatur. Non est hoc pascere, verbo, & exemplo docere? Eadem testatur de Benedictio II. Benedictus ab ineunte ætate Christo militans, diuinæ scripturæ ità operam dedit, vt doctrina, & exercitatione in rebus diuinis, singularis tùm haberetur. Sanctitate sua peruenit Constantinum Imperatorem, Pertharim Longobardorum Regem, & Reginam Rhodolindam. Laudatis Constantino I. & Gregorio II. De Gregorio III. scribit. Fuit vir singularis doctrinæ, & humanitaris præcipuè, Græca, atque latina lingua eruditus, mentem diuinæ Scripturæ, ità callens, vt nemo tum disertior prædicatione, atque interpretatione rerum occultarum, & admirabilium haberetur. Præterea verò, oe verbo tantum, & cohortatione populos nôuisse arbitretis, omnia, quæ exemplo mouere possunt, ità assiduè obibat, vt iudicate difficilè sit, promptior ne lingua, quàm operè habendus esset, Orthodoxæ fidei, ità acertimus defensot fuit, vt ob eam rem maximorum principum graues simultates, & inimicitias susceperit, &c. Commendat deindè eius charitatem in pauperes, captiuos, viduas, pupillos. Vide Candide Lector, an nullus fuerit pastor in Romana Sede, si verba Christi [Pasce oues meas] de pontificia dignitate intelligantur? Zachariam quoque commendat, cuius sermone Liutprandus Longobardorum rex permotus, pacem toti Italiæ dedit. Stephanum II. extollit. Vir erat, inquit, singularis religionis, & prudentiæ, amator cleri, restitutor Ecclesiarum, christianæ doctrinæ diligens prædicator, & scriptor, pater pauperum, pupillorum, & viduarum defensor, & infrà. Stephanus habita Synodo oues suas, atque earum pastores recensset, delinquentes castigat, errantes in viam rectam deducit, ignaros docet, quid deceat Episcopum, quid presbyterum, quid denique omnes sacros initiatos proponit, non habes hic dignum per omnia pastorem? Tam bonus pastor fuit, & Paulus I. quem tantæ pietatis fuisse scribit, vt noctu cum duobus, aut tribus familiaribus cubicula pauperum ægrotantium circuiret, vnumquemque eorum, & verbis, & eleemosynis ad recuperandam valetudinem cohortatum, carceres adiens, plerosque dimittebat, pupillos, & viduas tuebatur, & eleemosynis sustentabat. Celebrat, & Stephanum III. Stephanus, inquit, pastor diligentissimus, & verus Petri successor, ac Christi imitator moritur. Non minorem laudem tribuit Leoni III. Ab ineunte, inquit, ætate, ità erat aduocatus, & eruditus disciplina Ecclesiastica, vt dignus esset, qui cœteris anteferretur. Fuit præterea vir castus, integer, pudicus, facundus, doctorum virorum amator, præterea ægrotos visere, eosque ad patientiam abhortari, eleemosynas indigentibus præbere, desperatos consolari, errantes in viam rectam deducere, prædicationibus, admonitionibus, quibus plurimum ob eloquentiam, & doctrinam valebat, ei peculiare fuit. Et quid aliud in optimo pastore posset desiderari? laudat, & Eugenium II. quòd ita pauperum, pupillorum, viduarum, causas, & vitam tutatus est, vt ab omnibus meritò pauperum pater diceretur, & quòd huius opera, & precibus, captiui omnes, & exules ex Gallia dimissi sunt, quos ipse suis facultatibus sustentauit, & in vita retinuit. Porrò Greg. III. ità prædicauit. Greg. Pont. nobilitate insignis, sanctitate clarus, doctrina, & eloquentia præcipuus, diligentia, ac sollicitudine, tùm in rebus diuinis, tùm in

huma-

humanis admiratione dignus, nam & populi sui commoda mirum in modum curauit, diuites in officio continendo, pauperes pascendo, desperatos consolando, errantes sanis admonitionibus in viam rectam deducendo, Electos in fontem Domini doctrina, & exemplo, quo advixit in officio continuit. Agnoscis ne verum iam pastorem? Laudes Leonis IV. superius explicauimus, eius decretum defensando. Nec Benedicti III. præconia obtinuit. Sacerdotum funeribus semper interfuit, ęgrotos præterea inuisit, pauperes aluit, desperatos, & calamitosos consolatus est. Viduas, & pupillos acerrimè tuebatur, his artibus vitam arctissimè traduxit, an hoc non est pascere, inuisere, scilicèt alere, consolari, curari? pares laudes profert Nicol.I. qui Bulgarorum Regem cum omni prouincia ad fidem Christi literis, & sanis admonitionibus conuertit, eisdemque Bulgaris Episcopos in presbyteros dedit, qui Neophitos in fide continuarent, pulso Photino, cuius fraude Bulgarij in errorem fuerant lapsi, Adriano II. hoc laudis exhibet præconium. Adrianus, inquit, pontificatum adeptus, omnia, quæ ad honorem summi Dei pertinerent, diligenter circumspiciebat, verbis, exemplo, auctoritate, tum sua, tum maiorum, vnumquemque ad benè, beatèque viuendum cohortatus, Photio pulso, Ignatium restituit, Bulgaris, vt in fide continerentur, tres insignes viros misit. Syluestrum subdiaconum, Leopardum Anconitanum, Dominicum Taruisinum, non amplius prosequor hystoriam, quid posteà Rom. Pontifices anno 650. annis fecerint, ne perpetuo stylo hystoriæ, lectoris delicatum stomachum nausea afficiam. Sufficiat pluribus ostendisse, verissimos fuisse in Petri Sede Episcopos, qui plenissimè verbum Christi prosecuti sunt, ipsum diligendo, & oues eius pascendo.

Postremò, & hoc ridiculum est, quod subdit. Non enim aliquid mandatur subditis, sed Petro, & quid hoc nostri est? quasi non sufficeret aliquem constituere pastorem ouium, nisi, & ouibus præcipiatur, vt sint subditæ, quasi vllus hominum vsquam ità insaniuerit, vt dubitari oues subditas fore pastori, licèt, & scriptura hoc non obticuerit, oues pro subditis vsurpari? Vndè Psal.78. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, & 2.Reg.24. Dixit Dauid ad Dominum. Ego sum, qui peccaui, ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Christus, ait Io.10. Et oues vocem eius audiunt, quid est hic audire, nisi obedire? Sufficiebat ergò constituere pastorem ouium Christi, quo constituto, mox consectarium est, oues fideles, & fore subiectas, iam itàque manifestarium est, has duas Euangelij auctoritates, Matth.16. & Ioan.21. maximè probare primatum prælationis, & regiminis vniuersalis Petri super alios, quod omnium seculorum patribus fuit receptum, probatum, & testatissimum, & cum sensus literæ hoc exhibeat, & tot sancti Patres, ità intelligant, neque vllus vnquam repertus fuerit, qui sensum istum reprobauerit, vel negauerit, etiam si aliquando aliter fuerint interpretati, iam fermè 1500. ann. Ideò nouis his prophetis, verba Dei adulterantibus, & lacerantibus, ac pro libito suo torquentibus ad sinistram interpretationem, fideles christiani fidem adhibere non debent, sed cum sancta matre Ecclesia credant Petrum esse pastorem ouium, principem Apostolorum, cui Deus dedit omnia regna mundi. Soli Deo gloria. Hæc enim est matris Ecclesiæ auctoritas, ait August. quòd quisquis contra hunc inexpugnabilem murum arietat, ipse confringitur. Nam etsi plures reperiantur, qui scripserunt contrà Pontifices Romanos, vt Petrus de Vineis contrà Innoc. III. & Honorium, Guillermus Ockam contrà Ioan. 22. Cusanus, & Ioan. Antiochenus contrà Eugenium III. Hampurgius contrà Pium II. Iacobus Almain, & Philippus Decius contrà Iulium II. & alij, nullus tamen tam insignis fuit temeritatis, qui verba Christi hactenùs ventricula negasset specialiter ad Petrum, & Romanum pontificem pertinere.

Tertius locus Euangelicus pro primatu Petri afferendus est, Luc. 22. rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

Testes tertij loci sunt.

Leo I.
Augustinus.
Marcus.
Agatho.
Theophilus.
Iulius.
Bernardus.
Chrysostomus.
Beda.
Cyrillus.
Innocentius.

CAPVT XLV.

Petri primatus probatur ex indefectibilitate fidei, & confirmatione auctoritatiua.

DVos adduximus in superioribus Euangelicos locos, & eos prægnantes verborum Iesu Christi, quibus Petrus cœteris apertissimè præfertur. Neque diuersarius plurium meminit, sed non desunt plures. Addo enim prioribus illum, Luc.22. Vbi sic legitur, [Ait autem Dominus Symoni. Symon ecce sathanas expetiuit vos, vt cribtaret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Arrige autem quæso syncere lector, & perpende, quoniam alijs Apostolis præsentibus, ad solum Petrum dixit Christus. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & hoc perpenso, quòd alij Apostoli fuerunt pręsentes statim inuincibiliter concludes, Petrum primatum omnium habuisse, cui specialiter hoc dixit, expendas quæso, quòd primo nominatim eum appellat Symon, quasi ex alijs eum vocando, & discretim alloquendo, Symon, ait, deinde quòd communem futuram prædixit eorum tentationem, expetiuit vos. Dein tertiò reuertitur specialiter dicendo, ego rogaui pro te, non dixit pro vobis, & iterum, vt non deficiat fides tua, tua dicit, non vestra. Et ne aliquid dubitationis subesset, addit, & tu.

In

In præseutia aliotum Apostolorum. Et vt indubitatissimè ab alijs esset distinctus, addit confirma fratres tuos, qui erant discipuli, & Apostoli. Et si apertissimè diceret Christus. Ego tui, tu aliorum curam habeas.

Intelligẽtia falsa reijcitur.

Neque itá accipiendum est verbum Christi, quasi Petrus non èsset amissurus fidem, nam è vestigio prædixit futuram negationem Petri. Inquit,enim Lucas post prædicta. Qui dixit ei. Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire, at ille dixit. Dico tibi Petre, uon cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nosse me, sed verba sunt satis aperta Domini, quòd fides eius non sit defectura,quoniam vt Chrysost. ait, Christus non dixit, eogaui, vt noo reges, sed ne defetas fidem, fides enim Petri non defecit, licèt enim negarit, quia mox conuersus, in casu non mansit, fides quidem intermissa,sed mox respirans,non defecit,quod Theophilus assumit. Nam & si paululum agitandus sis, tanen habes recouditum semen fidei, quamuis deijeiet folia spiritus tentatoris, viget tamen radix. Ideò prius prædixit Christus eius casum, pœnitentiam, & restitutionem ad priotem statum. Et tu conuersus &c. Aç si dicecet, postquam me negato ploraueris, ac pœnitueris, cortobora cæteros, cum te principem Apostolorum deputauerim, hoc enim decet te, qui mecum robores, & petra Ecclesiæ. Hæc S. Thomas ex Theophilo, & multa plura ex suo adducit.

Petrus confortat alios.

Pro primatu autem Petri facit non solum indesectibilitas fidei suæ, sed & potestas confirmandi fideles,& fratres. Quamuis enim vnus alium commilitonem confortare possit adhortando. Vbi etiam minor confortat aliquando maiorem,sed qui ex potestate sibi tradita alium est confirmatutus, est maior confirmato, & itá Apostoli fratres Petri confirmandi à Petro, erant in hoc eo minores. Non enim dixit. Sicut dux exercitus facere solet æqualibus, fratres roborate vos inuiceem, adhortamini & fortes estote, sed specialitèr Petro hoc confirmationis munus est Petro commissum, qui nisi alijs specialitèr essee prælatus, non fuisset iussus confortare, non dico vulgum, plebeculam, infirmiores, sed etiam columnas Ecclesiæ, fratres, Apostolos, discipulos. Ob id ait gloss. interlinea. quæ est Bedæ. Sicut ego tuam fidem ne deficiat, orando protexi, itá tu infirmiores fratres, exemplo pœnitentiæ tuæ, ne de venia tua desperent, conforta.

Quod non intelligatur de fide vniuersalis Ecclesiæ.

Nec patiar aliquem sacræ scripturæ laceratorem, hæc verba torquere ad fidem vniuersalis Ecclesiæ,nam cum fides Ecclesiæ vniuersalis non solum sit indesectibilis,sed etiam inuasibilis, ei non potest dici. Et tu aliquando conuersus, non enim lapsa est vniuersalis fides Ecclesiæ, vt conuertatur. Porrò, & hoc obstat huiusmodi diuinarori, quoniam fideles non sunt fratres Ecclesiæ, sed filij. Hìc autem præcipitur, vt fratres confirmet. Stat ergo inuicta sententia,Christum orasse pro fide Petri, & quia hoc priuilegium se etiam extendit ad sedem Petri, vt inferiùs probabimus, itá quòd in cathedra sua semper catholica vigeret doctrina, & iudicium sedis Apostolicæ, nulla erroris inquiuaretur macula, quæ licèt nondum trat, fundanda tamen erat per Petrum. Rogauit enim specialitèr Dominus pro fide Petri, non sic aliorum Apostolorum, & quia exauditus est pro reuerentia sua, vt ait Apostolus ad Hebr. 5. Concludamus, Petrum ob fidei indesectibilitatem, & potestatiuam confirmationem Apostolis,& sic toti Ecclesiæ fuisse prælatum. Et ne quispiam cauillari possit istum non esse sensum sacræ scripturæ, & verborum Christi, quare institutum nostrum non probent, quamuis ille sit germanus, & genuinus intellectus. Volo tamen astruere per viros Spiritu sancto edoctos sensum præfatum esse bonum, verum, sanum, & à Christo intentum. Non enim me præterit, nullam scripturarum tàm claram haberi, quæ non possit extortè exponendo in errorem trahi, sed veritas tunc inuenitur, cùm planus scripturæ sensus iuxtà sanctorum patrum interpretationem quæritur. Inquiramus ergo S. Patres, & primò prodeat magnus ille Leo I. eruditione,& sanctitate conspicuus in sermone tertio de anniuersario Pontificiæ assumptionis die, vbi sic ait. Commune erat omnibus Apostolis de tentatione periculum, fortitudinis & diuinæ protectionis auxilio paritèr indigebant, quando diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis cura Petri à Domino suscipitur,& pro fide Petri propriè supplicatur,tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ itá ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Perpende optimè Lector, & videbis Leonem nedum sensum, sed & verba tenere sententiæ nostræ. Propriè enim rogauit pro Petro Dominus, vt sic status aliorum certior esse. Sensit hoc idem Leo in epistola ad Petrum Antiochenum Patriarcham. Vbi post multa de dignitate Petri,& prærogatiua sedis eius,ait. Nimirum solus est, pro quo oe deficeret fides eius,Dominus & saluator, asseruit se rogasse, dicens: Symon ecce Sathanas expetijt vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus,confirma fratres tuos. Quę venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throoo illius in sęculum sęculi, sed confirmabit corda fratrum varijs concutiendo fidei periclitationibus, sicut hucusque confirmare non cessauit.

Itá Euangelica, & veritatis verba intellexit B. Augustin. quæst. 75. de quæstionibus Veter. & Noui testamenti. Vbi Petrum asseruit principem, & caput Apostolorum,& gregis Domini pastorem, subdit. Nam inter cętera dicit discipulis Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, Matth. 26. { Et Petro dicit. Ecce sathanas expostulauit,vt vos ventilet, sicut triticum, ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos, quid ambigitur ? } Pro Petro rogabat, pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros noo taceam, manifestum est in Petro omnes contineri, quia, & alio loco dicit. Ego pro his rogo, quos mihi dedisti pater, & volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum Ioann. 17. quomodo

ergo

ergo omnes continentur in Petro, nisi sicut inferiùs in suo superiori, sicut subdiri in suo principe. Et ob id Cyrillus ait super Ioann. Christus omissis cæteris venit ad Petrum cæteris prælatum, neque admittam aliquem temerarium, verba D. Iesu infringere volentem, quasi oratio eius exaudita non fuerit. Cum postea Petrus Christum negauerit. Nam vt Chrysost. ait. Non dixit, rogaui, vt non neges, sed ne deseras fidem.

Beatus quoque Bernardus in epistola secunda ad Innocen. Papam contra Petrum Abilardum ait. Oportet ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua sedes, cui enim aliquando alteri dictum est. Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium est, tempus est, vt vestrum agnoscatis pater amantissimè principatum, probetis zelum, ministerium honoretis, patet S. Bernar. sensisse Christum his verbis prærogatiuam dedisse Petro, quam adhuc retinet sedes Petri. Vndè idem Bernar. in sermone de priuilegijs Sancti Ioannis Baptistæ ait. Decimus honor est assertio matris Ecclesiæ, texitur ora chlamydis, vnguentumque profusum in capite, extremam vestimenti fimbriam inuodantèr perfudit. Hinc enim mater, & magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est. Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. In honore Ioan. Bap. post saluatoris nomen consecrata est, & signata. Dignum namque erat, vt sententiam sponsi, sponsa sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret; vbi principatum ipsa conscendit, electio proculdubio singularis est, in illa ipsa vrbe Ioannem vendicare primatum Ecclesiæ, quam duo cœli luminaria morte clarissima consecrarunt, testatur apertissimè deuotus, & Deo plenus pater, principatum datum Ecclesiæ, & magisterium per verba Christi ad Petrum. Ego pro te rogaui, loquitur autem vt ego existimo de Ecclesia Lateranensi Romana, Papæ peculiaritèr commendata, quæ in honorem S. Ioannis est dedicata.

Quod si nimis tibi recens apparet Sanctus Bernardus, accipe testem vetustiorem Sanctum Marcum Papam scribentem Sancto Athanasio, & omnibus Ægyptiorum Episcopis, vt Arrianis resisterent. Inter alia enim sic ait. Hæc sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis, numquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenùs manet, secundum ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis factus est Euangelijs, Petre inquiens, ecce sathan expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Consideret namque vestra excellens prudentia, quàm bonum sit persistere in dispensatione vobis credita in fide recta, atque hæreticis, & emulis Christi repugnare, & numquam à veritatis tramite declinare, quoniam Dominus saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitáuit, & proprio nos sanguine redemit, qui fidem beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quòd Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidentèr fecisse semper, cunctis est cognitum, eiusdem sententiæ est Iulius, Agatho scripsit Constantino Imperatori, & sexta Synodus acceptauit. Hoc Apostolica Christi Ecclesia, per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur &c. Eadem verba in forma repetit, quæ Marcus prius scripserat, repetije etiam eadem verba Lucius Papa, vt legitur in cap. à recta, 24. quæst. 1. Voluit hoc Innocen. 3. scribens Episcopo Arelaten. cap. Maiores de baptism. & eius eff. Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referentes intelligit, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabis, tu es Christus filius Dei viui, & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.

CAPVT XLVI.

Obiectio Lutheri contra prædicta.

Licèt autem sentententia illa grauissimis testimonijs adductis sit roborata, adhuc tamen diuersarius recalcitrat, & in iudicio per me dato super articulis per Episcopum Brandeburgen. mihi oblatis, nititur illum locum euacuare, quia nihil conferat ad primatum Romanæ Ecclesiæ, quòd Petri fides non sit defectura, quia fides, & potestas regiminis non sunt idem, cum alioquin quicumque haberent fidem Petri, essent principes, & vicarij Christi, omnes enim habent fidem Petri Ephes. 4. vna fides &c. Non enim de fide Petri personali locutus est Dominus, quia hæc cecidit, sed de fide Ecclesiæ, quam Petrus tenebat. Nam ego, inquit, Petri fidem habeo, & vt 2. Corinth. 4. dicitur, habentes eumdem spiritum fidei. Hæc inquam fides nec cadit, nec deficit vmquam, quia in Petro deficiens, orta est in latrone.

Obiectio diuersarij.

Porrò addit, confirmationem vsurpari binariam, primo modo potestatiuè, & sic non fuerit mens Christi. Secundo consolatiuè, & exhortatiuè, & in hoc significatu vsus fuerit eo Dominus, vt scilicèt lapsos corroboret verbo, quod est fratrum officium, & charitatis, non primatus regiminis. Nisi enim sic intelligatur, absurdum illud sequetur, Papam malum non esse Papam. Sicut Donatistæ, & Pighardi dicunt, quia Petro committitur, vt confirmet fratres, non nisi conuerso, indefectibilem fidem habenti, nihil ergo fecit ad primatum regiminis fidei indefectibilitas.

Hæc apud imperitum vulgum possent habere colorem, sed introspicienti patebunt esse floccis leuiora. Et vt de Philomena ait

vulpes.

vulpes. Vox est, aliud nihil, nam primò sua verba affert diuersarius, & non munit antiquorum Patrum testimonijs, contrà nos Sanctos adduximus Patres, quomodo verba Christi sunt intelligenda, & cum in omni re nolle credere antiquioribus stultitia sit; ait Boethius in editione prima Perihermenias, maxima tamen temeritas est, imò peruersitas nolle credere antiquis Ecclesiasticis viris spiritu Dei plenis, in his, quæ sunt fidei. Despiciamus tamen quid obmurmuret.

Primò negat hic dari regimen, sed commendari fidem, fateor fidem commendari, sed quia singulariter Petro dicitur, eminentia præsignatur, & quod rerum hactenùs monstrauit euentus. Veritatis voce fuit prænunciatum, defecit fides in sede Ioanni, Iacobi, Marci &c. In sede Petri manet inconcussa, & non labefacta fides. Vudè fides hic Petro commissa specialiter non est potestas regiminis, sed est signum huius potestatis.

Quòd iactat diuersarius, se habere fidem Petri, obiectiuè non nego, sic vnum est Symbolum totius Ecclesiæ, tamen non credo eum fore tam arrogantem, quòd dicat apud eum fidem non posse deficere, cum possit fieri hæreticus, & ità est vna fides apud Apostolum, sicut & Athanasius ait. Hæc est fides Catholica. Et licèt Petrus Christum negauit, non tamen fidem deseruit, ad quam mox per pœnitentiam redijt. Fides autem Romanæ Ecclesiæ iam deficere non potest, cum vniuersalis Ecclesia ad vnum Patriarchatum Romanum sit coarctata, neque Petrus tamen tunc Papa fuit, sed primò eum Papam constituit post resurrectionem suam.

Luther sophista.

De confirmatione satis est obuium, quos cauillos agat, & paralogismos diuersarius, nam si voluisset Dominus loqui de confirmatione solùm consolatoria, & exhortatina, non plus pertinuissent illa verba ad Petrum, quam ad alios Apostolos. At quia præsentibus alijs Apostolis, conuersus præcipitur confirmare alios, & ei pollicetur fides indefectibilis: ideò non solùm confirmabat Apostolos, sicut vnus socius alium, aut etiam inferior superiorem, quoniam hoc ad omnes pertinebat, sed ex potestate sibi tradita, & ex officio Petro incumbebat specialiter, & suis successoribus alios consolari, & exhortari. Vndè & modo Rom. Pont. debet consolari, & exhortari fideles existentes in angustijs, & dolore spiritus, quod si non fecerit, vbi potest, non video quomodo satisfaciat officio suo, de quo arctissimam Deo est redditurus rationem. Quare friuolè infert diuersarius, sequi hunc non esse Papam, qui non conuertatur, qui non credat, qui non confirmet fratres, sed debuit inferre, hunc non dignè explere officium suum, non esse bonum Papam, non idoneè exequi iniunctum, sicut & omnes similes locos intelligendos docuit Aug. contrà Donatistas, & lib. 4. contrà Manichæos de natura boni, ostendit cur dentur hominibus mali prælati? Vtcumque sit, liquidum fecimus ex superioribus sanctissimorum Patrum testimonijs, Petro promissam indefectibilitatem fidei, & confirmationem fratrum ad primatum, quod abundè comprobat institutum nostrum.

Ratio contra diuersarium.

Nam si exiger à nobis iniquè diuersarius, expressa verba Christi, vbi dixerit Petre esto Primas omnium, & Summus Pontifex; dicam confestim, sic non posse ostendi in Euangelio, vbi Apostoli facti sunt sacerdotes, quòd nullibi inquit ad Apostolorum aliquem esto sacerdos, & verbum hoc, Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, quod pro sacerdotio adsertur, more Lutherano contrà Sanctorum Patrum sententiam, posset torqueri ad quemliber iustum deuotè in sacramenti susceptione, passionem Christi rememorantem. Quare non imitamur propriæ sapientiæ, aut prudentiæ, sed captiuemus intellectum nostrum in obsequium fidei. At modo alios locos Euangelicos proferamus.

In Luke.

Soli Deo Gloria.

Quartus locus Euangelicus pro primatu Petri est Matth. 17. Vbi Petrus iussus est dare didrachma pro Domino, & pro se, & quòd ex hoc innotuerit nobis primatus Petri, clarissimis Patrum probatur testimonijs.

Testes quarti loci Matth. 17.

Hieronymus
Chrysostomus
Augustinus
Origenes
Ambrosius
Glossa ordinaria.

CAPVT XLVII.

Primatus Petri probatur ex solutione tributi, vbi æquatus est Domino Petrus.

Apud S. Matthæum cap. 17. legimus. Et cum venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixeruut ei. Magister vester non soluit didrachma, ait etiam. Et eum intrasset domum, præuenit eum Iesus dicens. Quid tibi videtur Simon? reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos. Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te. Expendenti verba Saluatoris, & contextum scripturæ liquet Christum præterijsse absque solutione didrachmi. Volunt autem interpræres quæsisse exactores. An Dominus teneretur ad solutionem vectigalis. Pluribus autem discipulis præsentibus, pro se, & solo Petro, reliquis Apostolis exclusis, iussit Christus solui tributum, æquando sibi Petrum. Nam stater duo habet didrachma, ait hic Hieronym. & sic quatuor drachmas (nam in fœmineo genere vtitur ea vocula Ambros. in epistola ad iustum, vt latè ibi hoc factum prosequitur) licèt neutrum sit ad Græcam rationem. Nomine ergo duorum soluit staterem Petrus, quo facto, non obscurè Christus voluit intelligere, Petrum reliquis Apostolis prælatum, & Apostolorum principem futurum.

Et ne quis existimet hunc esse sensum fictum Matth. 18

ctum ostendamus illum maximè conuenire facto,& verbis Euangelij, Nam primò istam intelligentiam ex facto habuerunt alij Apostoli. Nam Euangelista prosequitur, in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Quis putas maior est in regno cęlorum? Vbi B. Hieronymus ait. Post inuentum statherem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio? In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, quis putas maior est in regno cœlorum? & respondit. Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex ęqualitate precij, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Ideò interrogant, quis maior sit in regno cœlorum. Hic præfulgidum Ecclesiæ lumen S. Hieron. clarè explicat,etiam Apostolos habuisse hunc sensum, Petrum per solutionem tributi ęquatum Christo. Quod & B. Ambrosius voluit. Est, inquit, aliud piscandi genus Apostolicum, quo genere solùm Petrum piscari Dominus iubet, dicens: mite hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit,tolle,transcripsit Gratianus cap. est aliud 24.quęst.1. glossam non adduco ponderantem verba B. Ambros. quod timeo diuersarium aspernari eam, qui etiam textum, verba sanctorum reijcit. Pulchrè enim ascendit, per hamum intelligi iurisdictionem, quòd ferro putridæ carnes resecentur. Allegat Siricium Papam de lapsis dicentem cap. quia aliquanti 82. dist. quia ferre necesse est, vt abscindantur vulnera,quę fomentorum non sentiunt medicinam. Solus ergo Petrus piscatur, qui solus in plenitudine potestatis accepit iurisdictionem in tota Ecclesia Dei.

Consensit luculentissimus interpres scripturarum S. August. in quæstionibus noui, & veteris testamenti quęst.75. Vbi dum Petrum principem Apostolorum vocasset, subdit. Dicunt ergo exactores didrachmæ (vtitur enim in fœminino genere) ad Petrum Apostolum, Magister vester non soluit didrachmam &c. quo dicto, magistrum vt pro omnibus discipulis soluere, conuenerunt. Saluator autem cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ità & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset dominici gregis. Quid apertiùs potuit dicere Sacer Augustinus Ecclesiæ Doctor clarissimus, non Romæ, sed Hypponæ, transmare, in Numidia, ne ostentationis nota ei improperetur, vel quod humana passus sit Papæ consentiens. Hæc enim diuerticula quærit diuersarius. Clarè diffinit Augustinus in Petro omnes contineri etiam Apostolos, ipsum esse caput Apostolorum, pastorem Dominici gregis.

Suffragatur S. Chrysostomus super eodem loco dicens; vidisti honoris excellentiam? vide nunc quanta philosophia vtitur. Hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideò non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur (pro me vero inquit, & te) quoniam, & Petrus primo genitus erat. Miraris omnipotentiam Christi? Mirare etiam discipuli fidem, qui ad rem ità natura incredibilem, illico paruit, cuius quidem fidei retributionem confestim habuit Christo,in solutione tributi coniunctus (in illa hora adierunt discipuli dicentes ad Iesum, quis putas maior est in regno cœlorum?) humanum quid passi sunt discipuli, quod Euangelista quoque significauit, dicens, in illa hora, quando Iesus cæteris omnibus Petrum prætulit, nam cum Iacobus,& Ioannes primogeniti essent, nihil tamen pro ipsis fecisse videtur. Veriti autem turbationem perferri suam (vel vt alia litera habet. Verecundati autem passionem confiteri suam) non apertè Petrum præponi sibi, sed confusè. Quis ergo maior est interrogauerunt, quando certos præferri conspexerunt, nihil tale passi sunt. Cum verò ad vnum delatus honor est, tunc nimirùm doluerunt, quamuis non ex hac re solùm, sed ex alijs quoque multis inflammati fuerunt. Tum quia dixit illi. Dabo tibi claues regni cœlorum. Tum etiam, quia beatus es Simon Bariona. Tum etiam hic. Da eis pro me, & te. Tum denique, quia liberiùs eum multò cum Christo colloqui conspiciebant. Vides Petrum hic omnibus prælatum, honorem ad eum vnum delatum.

Non latuit hoc Origenem homil. 5. dicentem,Iesus mittit Petrum eum hamo compræhendere piscem. In cuius ore dicebat inuenlendum esse statherem, vt daretur pro se, & Petro, ego arbitror, quoniam maximum hunc honorem æstimantes in Petrum à Christo collatum, quasi per hoc indicasset eum cæteris discipulis meliorem, cupiebant, quod suspicabantur,cautè cognoscere, simul autem & sperabant, quod & causam ipsam interrogationis reuelantes indicerent,hoc ergo ostendere volens Matthæus, adijcit, propter illud, quod air. Hunc accipiens da propter me, & te. In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? prosequitur adhuc plura Origenes à Chrysost. non dissentiens. Voluit hoc glossa ordin. ab initio cap. 18. Matth. Habes ergo testes irrefragabiles hoc loco probari primatum S. Petri, sicut audiuimus, Hieron. August. Ambrof. Chrysost. Origenem, & glossam ordinariam.

CAPVT XLVIII.

Obiectio contrà prædicta.

AT huic verissimę sententiæ, liquidissimus Ecclesiasticorum Patrum sententijs,nescio quo vestro percitus opponit se diuersarius, in maligno suo iudicio, quod edidit super declaratione quorumdam articulorum mihi oblatorum ab Episcopo Brandemburgen. Primò autem calumniatur, quòd diximus solùm Petrum æquatum Christo. Nam si Petrus est æqualis Domino; priùs dicicimus eum inferiorem, & vicarium. Miratur cur æqualitas passionis, æqualitas miraculorum, æqualitas verbi, & multa alia, Petrum non fecerunt principem, quarum quælibet est multò maior, quàm æqualitas tributi dati. Similitèr omnes homines æquales sunt in hu- Obi. diuersarij.

manitate, quæ est omnium summa, & admiranda æqualitas. Ex qua omnis dignitas hominum, & tamen nullus ex hac sequitur primatus regiminis.

Obiectio 2.

Porrò æqualitas illa census indicat minoritatem Petri, vt quia alij Apostoli liberi à censu fuerunt, modò textus indicat, quòd censum dare non sit filiorum Regis, sed seruorum, & inferiorum. Ideò Christus se cum Petro subiecit inferioribus, quòd alijs Apostolis non præcepit. Sed Apostoli cum idem argumentum conciperent, quod Echius, suspicantes Petrum ob id primum fore, cœperunt quærere, quis esset maior? Acceperunt autem solutionem eiusdem argumenti per interemptionem, sequenti capitulo prohibiti, ne quis maior inter eos esse cuperet. Quod si quis dixerit Christum prohibuisse ambitionem, non maioritatem, eadem ratione dicturus sum à Christo non seruitutem, sed cupiditatem seruitutis præceptum, quando dicit. Qui vult maior esse, sit vester seruus, quare potiùs dicendum est Christum occasionem ambitionis amputasse, tollendo maioritatem, & præbuisse occasionem humilitatis imponendo seruitutem. Ille ergò est maior in Ecclesia, non qui multa ditione dominatur, sed qui multa humilitate seruit, & iste est sensus purus Euangelij. Addit diuersarius verba iniuriosa conuiciorum plena, suæ religionis, & professionis oblitus, quæ nos velut Dauid hastam, & gladium, & clypeum Goliath despicimus, scientes hoc neque Thelogi, neque viri boni officium esse, lacerare famam alterius. Porrò in fine addit. Ridendum forè. Si Dominus, & seruus aliquo casu simul capiantur, simul soluant censum æqualitèr, statim hunc seruum cæteris omnibus Dominum fieri hoc ipso casu.

Immodestia Lutheri

Diluuntur obiecta.

Sed qua friuola sint ista, satis ex adductis liquet, nam sine omni auctore, ex proprio ingenio, & prudentia contemnens ecclesiasticos Patres, educit nouum sensum, reijciens intelligentiam antiquorum. Ideò diluamus hæc temeraria. Nam cum primò improbat Petrum æquatum in solutione tributi, quia Petrus sit inferior, ridicula prorsùs ratio. Nam textus satis indicat Petrum æquatum in solutione tributi, quare nisi extreme desipiat, hoc negare non audet, sed quod æqualem fecerimus Petrum Christo diffitemur, cum omnis homo qui spirat, nouerit Dominum maiorem Vicario, at quia vices eius tenet, & Dominus ei commissurus erat plenitudinem potestatis. In hoc dicitur ei æqualis cum limitatione. Nihil est de æqualitate Passionis, quia & S. Andreas in Cruce obijt. Nihil est de æqualitate miraculorum, cum & S. Ioannes, & S. Matthæus, & alij maxima fecerunt miracula. Nihil de æqualitate verbi, cum illa multisona Euangelij tuba Paulus eum excesserit. Nihil de æqualitate in humanitate Christi, quæ omnibus est æqualis. sed ex solutione tributi ad Sanctorum Patrum traditionem. Inditium dedit Dominus, futuri primatus Petri.

2. obiec. diluitur.

Euanidum est, & illud, quòd dicit ex redditione tributi pro Petro probari minorem cum alijs Apostolis, si enim ob solutum tributū esset minor alijs, ità & Christus, quia soluit tributum esset minor Apostolis. Non aduertit diuersarius patentissima verba textus, datum tributum ob scandali vitationem, vt satis manifestaret se non obligatos ad solutionem tributi. Rectè autem, vel semel dixit diuersarius, Apostolis idem argumentum fuisse suspicatos, sed perperam inducit Christum soluisse argumentum per interemptionem, quia tulerit maioritatem. Hoc inquam falsum est, & deprauat vbique sacram Scripturam. Non enim prohibuit maioritatem, sed maioritati modum addidit ministerij, vt qui maior esset, fieret sicut minor, hoc quidem supponit aliquem esse maiorem dignitate, sed quia in statu altissimo profunda debet esse humilitas; Ideò mandat talem maiorem dignitate esse minorem ministerio, & humilitate. Vndè rectè dixit Origenes. Sciebant discipuli hoc interrogantes, quia non est æqualitas sanctorum in Regno Dei, & qualiter quis sit maior, & qualitèr minimus, discere cupiebant, quòd si sententia diuersarij esset vera, primarus Ecclesiasticus, non solùm non esset de iure diuino, sed etiam de iure diuino prohibitus, quo consectarium esset omnes Summos Pontifices, omnes Episcopos peccasse, & esse damnatos, quia contrà prohibitionem Christi, contrà Euangelium vsurpassent prelationem in Ecclesia Dei. Absit autem hoc suspicari de sanctissimis, & Spiritu Dei plenis Episcopis, at de hoc plura lib. 2. Neque ad propositum conducit, de Domino, & seruo captiuis, quia hic iussu Domini, Petrus in solutione tributi ei æquatus est non extorsione exactoris.

Quomodo maioritas prohibita.

Cauillus Lutheri.

Liquet iam temeritas diuersarij, vbi suprà assumentis, Petri successor non sit, nisi qui æqualitèr Christo, & Petro soluerit tributum Imperatori. Nam si tributi æqualitas probat primatum in Petro, debet etiam eundem probare in suo successore, ne sit Christo inæqualis, & Petro dissimilis, & sic impij erunt Roman. Pont. statuentes de rebus Ecclesiæ liberis à censu vectigali tributo. Exclamat deiu, quasi sic interpretari Euangelium, sit dare principibus potestatem exigendi censum à clero, & cum Papa sit Summus Sacerdotum, maximum debeat soluere censum. Et ità magno boatu imponit mihi illos articulos, quasi eos dixerim. Primus Roman. Pont. est hæreticus, quia exemplo Christi (quibus est æqualis) non pendit tributum. Secundus, clerus totus est hæreticus, quia non soluit principibus sæcularibus tributum. Tertius iura de priuilegijs, & immunitate Ecclesiarum, & rerum, & personarum sunt hæretica, quia prohibent dari censum contrà Christum, & Petrum soluentes.

Articuli fícti per Luther, & falso Echio impositi.

Euacuatio cauilli.

Possem, & ego obliuisci modestiæ, & dicere Luthero, sicut Augustinus Iuliano, mentiris. Hi enim articuli non sunt mei, sed à te confícti secundum nequitiam cordis tui, sed quia probo ex hoc loco Petri primatum, Ideò ipse infert ex hoc loco hos articulos. Ac ego dico, & Hieronym. Augustin. Ambrof. Chrysostom. & Originem hoc loco affirmasse Petrum alijs prælatum. Nullum tamen eorum, hos perditissimos articulos intulisset ex eo. Vndè non debuit maledicax diuersarius, propter sophisticas suas consequentias, inuali-

Sophistæ Luther. nalidè, & captiosè inductas, alteri imponere articulos hæreticos, maximè cum sciret alterum in alto, & basso dissentire illis articulis.

Sed insantissimas eius audiamus inductiones, quia dixi cum sanctis Patribus, Petrum Prælatum alijs Apostolis in solutione tributi. Infert, Ergò & successor Petri debet soluere tributum. Mirum est, quòd ille Sophista non intulit, & Petrus accepit statherem ex pisce, quem hamo cœpit, quare & successor Petri debet statherem accipere ex pisce hamo capto, ad soluendum tributum, quis hic non rideat? cum expressè Dominus ostenderit eos non soluisse tributum, nisi ob vitationem scandali. Et non nego, Papam, vel Episcopum etiam postea potiùs debuisse soluisse tributum, quàm quod scandalum alicui dedissent. At modò apud Christianos principes, hoc non est necessarium, Sophistica est item illatio, tributi æqualitas probat primatum in Petro. Debet ergò etiam probare in successore Petri. Nam dico, tributi æqualitas probat etiam primatum in Papa. Non autem tributi, quòd Papa de nouo det, sed tributi quod Petrus dedit. Vndè liquet Roman. Pontif. non fecisse contrà Euangelium, statuendo pro immunitate Ecclesiarum, [sed potiùs ex hoc loco Euangelij probatas fore illas constitutiones, cum Christus ait. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis? at ille dixit, ab alienis, dixit illi Iesus ergò liberi sunt filij, quò dicto satis declarauit Christus, & se, & Apostolos, eorumque successores liberos fore à censibus. Vndè quod Dominus vitandi scandali causa pro se, & Petro fecit. non dat occasionem principibus sæcularibus exigendi censum à Sacerdotibus, sed potius eis prohibet recipere censum, cum ostendat illum esse indebitum, & filios non debere soluere tributum declaret. Quare inanes sunt cauilli, inutiles argutationes, temerarij paralogismi, quibus articulos hos damnatissimos, exprobatione nostra ineptissimè deduxit. Pergamus iam, & alium locum ostendere ex Euangelio, Petrum obtinuisse primatum inter Apostolos.

Quintus locus Marci 3. pro primatu Petri; Vbi primo loco ab Euangelista nuncupatur, testes huius loci sunt.

Hieronymus.
Chrysostomus.
Glossa ordina.
Rabanus.

CAPVT XLIX.

Primatus Petri iam asseritur ex nominatione.

Tres Euangelistæ scripserunt nomina Apostolorum, velut in cathalogo illa recensentes, qui omnes Petrum 1. loco ordinant, satis innuentes Petrum fuisse primum Apostolorum. Sanctus Marcus cap. 3. Sic ait. [Et ascendens in montem vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo. Et cum mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.]

[Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedei, & Ioannem fratrem Iacobi, & imponit eis nomina Boanerges, quòd est filij Tonitrui, & Andream, & Phillppum, & Bartholomeum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphei, & Thaddæum, & Simonem Cananeum, & Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum. Matthæus, aut cap. 10. eos enumerat dicens. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, &c. Luc. cap. 6. ait. Et cum dies factus esset vocanit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andræam fratrem eius.] Sic vbique Petrus velut Apostolorum præcipuus. Primò loco ab omnibus Euangelistis nominatur. Hoc non præterijt Hieron. dicentem. Ordinem Apostolorum, & meritum vniuscuiusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Et gloss. ordin. ibi meminit. Voluit Dominus Apostolorum principem prius alio nomine vocari, vt ex commutatione nominis, Sacramenti viuacitas commendaretur. Alia item gloss. quæ est Rabani. Simon, id est obediens, qui propter primatum Apostolici ordinis vocatur Petrus, id est firmus.

Non tamen me præterit, Euangelistas non perpetuò secutos ordinem dignitatis in nominandis Apostolis, quòd ex eorum variatione est cuique apertum, ideò placuit in tres ordines Cathalogum Apostolorum secundùm tres Euangelistas distinguere.

Catalogus Apostolorum secundum Euangelistas.

Matthæus 10.

Petrus.
Andreas.
Philippus.
Bartholomæus.
Iacobus Zebedei.
Ioannes.
Thomas.
Matthæus.
Iacobus Alphei.
Thaddæus.
Simon Cananeus.
Iudas Iscariotes.

Marcus 3.

1. Petrus.
2. Iacobus Zebe.
3. Ioannes.
4. Andreas.
5. Philippus.
6. Bartholomæus.
7. Matthæus.

8. Thomas.
9. Iacobus Alph.
10. Thaddæus.
11. Simon Cana.
12. Iudas Iscari.

Lucas 6.

Petrus.
Andreas.
Iacobus.
Ioannes.
Philippus.
Bartholomæus.
Matthæus.
Thomas.
Iacobus Alph.
Simon Zelotes.
Iudas Iacobi.
Iudas Iscar.

12. filij Iacobi 12. Principes plebis Israel 12. fontes reperti in Helim. 12. lapides in veste sacerdotis, 12. panes propositionis, 12. exploratores à Moyse missi. Duodecim lapides à Iordane eleuati, Duodecim lapides altaris, 12. boues sub mari Æneo, 12. stellæ in corona, 12. fundamenta. Duodecim portæ, 12. denarij, Duodenarium Apostolorum significant.

Quare ex solo hoc ordine velle probare dignitatem alicuius Apostoli, robur habere non posset, tamen quia in Petro omnes conueniunt, satis innuitur illum indubiè esse primum omnium: Aut saltem illud est verum, quod Chrysost. Homil. 33. ait. Et Marcus quidem ex dignitate ipsos numero collocauit. Si ergò alij non curauerunt seriem dignitatis contexere Apostolorum, saltem cum Marcus illam obseruauit, indicat nobis Petrum omnibus esse prælatum. Ob id nos in initio huius capitis à Marco, non à Matthæo exarsi sumus, quod nostro plus congrueret instituto. Hoc tamen addendum, nullum Euangelistarum in prædicta Apostolorum nominatione obseruasse ordinem vocationis, cùm apud Ioannem legamus Petrum tertio loco vocatum, quamuis sæpiùs fuerint vocati, & fortè, vt nostri doctores existimant, illa non fuit Apostolica, quam Ioan. cap. 1. commemorat.

Hic tumidè satis insurgit diuersarius, quasi omne robur belli in hac posuerim ratione. Opponit ergò prima de S. Andrea, qui iure vocationis esset primus, sicut Petrus nominatione. Nam sic Paulus vocat antecessores suos, & magnos, quia ante eum fuissent vocati. Secundò, quia Ruben prior nominatione inter Patriarchas, & tamen iure diuino non fuit maior eorum. Tertiò, quia Stephanus nominatur prior inter dyaconos, itàque iure diuino fuit rector eorum. Et Lucas ante Ioannem, & Marcus ante Lucam nominatur. Ergò semper vnus fuit rector alterius. Quartò, Sic Iacobus post Petrum ante Ioannem nominatur, ergò Iacobus erit rector Ioannis, & vltimus Apostolus à penultimo regetur. Quintò, quia sæpissimè Petrus, Iacobus, Ioannes suo ordine numerantur. Et tamen apud Matth. Andreas secundum locum habet. Sextò, quia Paulus ad Galath. 2. postponit Petrum Iacobi minori Episcopo Hierosolymitano. Sic Andreas primus vocatur, & nominatur.

At quamuis hæc leuicula ex prioribus iam sint euacuata, & breuitèr tamen illa denuò retexemus. Nam quod primò, & vltimò adducit de S. Andrea, respondemus, ordinem vocationis non dare ordinem dignitatis, secus de nominatione, quia secundum Chrysost. Marcus nominauit eos ex ordine dignitatis. Secundò, quia & Matthęus nominaturus Apostolos expresse dicit. Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Petrus. Si ergò est primus Petrus, non est primus vocatione, quia sic debuisset dixisse primus Andreas. Ergò loquitur de alio primatu, quàm vocationis, & iste est primatus dignitatis, & honoris, ac regiminis. De quo nos loquimur. Et quem nos defendimus, quare iam constat ex vocatione non sumi primarum. De Ruben nihil est, quod faciat, cum secundum ætatem numerantur patriarchæ. Hìc autem Chrysostomo teste secundum dignitatem. Sic & Apostoli non æqualiter ordinantur ab Euangelistis, cuius rationem dedimus. Attamen apud Marcum ordo dignitatis venari debet, omnes quoque in Petro concordant. Et Matthæus cum primum dicit, quæ omnia non vult aduertere diuersarius Grammaticæ, Theologiæ, Doctor. Quòd Paulus habita ratione loci, qua de Hierosolymis loquebatur, præposuit in narratione Iacobum Hierosolymitanum Episcopum, non probat ex hoc Iacobum fuisse digniorem Petro. Ergò ratio illa persuasiua, Petrum à tribus Euangelistis, Primò loco nominatum, & à Matthæo primum nuncupatum esse, quia primatum à Christo obtinuit super reliquis Apostolis, accedentibus testimonijs præfatis, quamuis non ignorem hunc locum esse solum topicum, & probabilem, non Apodixin.

Loci alij in vnum conferuntur.

Loci		*Testes.*
Sextus.	Ioan. xxi.	Bernardus.
Septimus.	Luc. v.	Ambrosius.
Octauus.	Matth. xviii.	Chrysostomus.
Nonus.	Marc. xiv.	Beda, & August.
Decimus.	Ioan. vi.	Glos. & Cypr.
Vndecimus.	Luc. xxii.	Gregorius.
Duodecimus.	Ioan. vlt.	Theophilus.

CAPVT L.

Petrus primus Apostolorum probatur ex septem locis Euangelicis.

VT tandem finem faciamus, colligamus in vnum fascem reliquos locos, quos à Sanctis Patribus deprehendimus intellectos pro primatu Petri, ne delicatissimos stomachos lectorum offendamus. Et primò quidem adduco illud Ioann. 21. [Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica se succinxit, erat enim nudus, & misit se in mare, alij autem discipuli nauigio venerunt,

runt, non enim erant longè à terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete &c.] Quòd Petrus solus super aqua ad Christum peruenit, signare videtur, sibi soli potestatem super vniuerso orbe traditam. Et quamuis à beato Augustino edoctus, non me prætereat, quantum valeant argumenta Symbolica, tamen accedat, & illa persuasio superioribus, maximè cum non sit à me ficta, sed à sancto illo, & deuoto Bernardo allata, qui lib. 2. de consideratione ad Eugenium, sic inquit. Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempè signum singularis pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cœteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ. Indè est quod altera vice, Matthæus 14. & Marc. 6. instar Domini gradiens super aquas. Vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi. Ità cum quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis, facta ex omnibus, ipsa vniuersalis Ecclesia, toto orbe diffusa. Solus enim supra mare, iussus est venire ad Christum, vt daretur intelligi, quòd totus orbis, qui per mare est designatus, suæ ditioni parere deberet. Consentit beatus Gregorius Homil. 24. super illo Ioan. vlt. Manifestauit se iterum Iesus ad mare tyberiadis, sed superius verba eius induximus, quæ relegat Cadidus Lector.

Sacer Ambrosius floridissimus antistes (vt verbis Augustini vtar) alium adducit locum, Luc. 5. Renarrat Gratianus eius verba 24. quæstione 1. Non turbatur, Deuique etsi alijs imperatur, vt laxent retia sua. Soli tamen Petro dicitur, duc in altum, hoc est in profundum disputationum, quid enim est tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre? scire filium Dei, & professionem diuinæ generationis assumere, quam licèt mens non queat humana, plenæ rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur, & prius dixerat. Non turbatur nauis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Sic & Beda per nauem Petri, quam Christus ascendit, ait Ecclesiam significari. Cui Augustinus libro 11. de quæstionibus Euangeliorum capitulo vndecimo non dissentit dicens. Quòd Dominus de nauicula docet turbas, significauit hoc tempus, quando Dominus auctoritate Ecclesiæ docet gentes, qui & illud verbum Petri, exi à me, quia homo peccator sum, quod tamen Christus non fecit, docere, inquit, munus Ecclesiasticum non deferendum, peccatorum turbatione. Vndè & alij laxant retia, sed prout Petrum facere conspiciunt, in verbo tuo aie, laxabo rete.

[Sic Domino Iesu docente fraternam correctionem, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. Tunc accedens Petrus ad eum dixit, Domine quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam ei?] Vbi Petrus, tumquam futurus præses Ecclesiæ, fraternæ correctionis modum diligenter præ alijs quæsiuit Apostolis, & sequenti capitulo, [Cùm Dominus dixisset, quàm difficilè esset diuitem intrare ad regnum cœlorum. Tunc respondens Petrus dixit ei. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis? Vbi Chrysostomus, ait. Interrogat Petrus, vt tu inops discas, quoniam in nullo hinc diminutus es, qui enim claues regni cœlorum acceperat, pro his, quæ ibi sunt confidit, & pro orbe terrarum interrogat. Iuxtà nouissimam translationem sic habet. Quærit inquam Petrus, ne si id à se perciperes, præsertim cum adhuc Spiritus sancti gratia non abundaret, ambiguitate perplexus iaceres, sed vt ab ipso eius magistro, prolata sententia firma spe robores. Nam quemadmodum etiam nos pro alijs disputamus, sic Apostolus quoque ad vniuersi orbis commodum, non dubitauit interrogare.

Instante quoque tempore passionis soli Petro dicit. Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum, Marc. 14. quasi Dominus voluisset ostendere, ipsum præ cœteris ex commisso sibi officio debuisse vigilasse.


Sic Ioann. 6. dum multi discipulorum abijssent retrò, dixit Iesus ad duodecim. Nunquid, & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, dicit glossa. Vnus pro omnibus respondet, quod, & Cyprianus testatur Epistola 3. ad Cornelium papam, cuius verba superius citauimus.

Posset, & verbum beati Gregorij, & Ioann. Patriarchæ Antiocheni exornari, vbi pertractant illud, Luc. 22. & Matth. 26. de amputatione auriculæ Malchi à Petro facta. Augustinum desuper recitauimus, Gregorij vnum verbum adducamus, quod Gratianus renarrat 24. quæstione 1. Si Petrus, vbi inquit. Tollit ergò Petrus aurem, quare Petrus? Quia ipse est, qui accipit claues regni cœlorum, ille enim condemnat, qui & absoluit, quoniam ligandi, atque soluendi idem adeptus est potestatem, tollit autem autem malè audientis, tollit autem gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis, caueamus ne cui tollatur auricula, dum legitur Passio Domini. Si autem ad diuinitatem referimus infirmitatem corporeæ passionis exciditur auricula, & exciditur à Petro, qui non passus est Christum prophetam estimari, sed Dei filium docuit fidei confessione signari.

Sed properemus ad finem, & illum nouissimum locum producamus Ioann. vltimo. [Dixit Dominus ad Petrum, Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò tu non vis, & infrà dicit ei. Sequere me, quod non modo intellexit de genere Martyrij, sed & ordine magisterij, vt ait Theophilus. Indè quidam recensior ait. Sequere me, gerendo vices meas, & in officio pastorali, & Martyrio.

Hæc habui Candide Lector ex Euangelicis

licis scripturis, consentientibus Sanctorum Patrum, ac Martyrum interpretationibus, pro primatu Petri in Ecclesia Christi, à quo optimo saluatore, & amabili Domino constitutus est Petrus princeps, & pastor totius Ecclesiæ, ac omnium fidelium, quem primatum primò ei promisit, Matthæi 16. & contulit Ioann. 21. Varijs autem locis insinuauit, & testatam reliquit. Non autem quæsiuimus pompam verborum, flosculos dicendi, sententiarum exornationes, ac phaleras vocularum, & pictæ munia linguæ, alioquin robustissima quæque ab initio, & fine collocassemus, & imbellem turmam in medio, verùm christianæ studuimus simplicitati, flocci habentes illam instructionis pompam, contenti sanam docuisse doctrinam, & veram, quam fideles Catholici ab ipsis principibus Ecclesiæ Apostolis semper tenuerunt illibatam, à qua, nec hodiè vllis captiosis sophismatibus auelli se patiantur. Respondi autem, & rationibus diuersarij, quantum ad malos, & temerarios attinet, non satis, quam autem ad bonos, & intelligentes, plusquam satis, vt Augustinus ad Bonifacium, inquit.





LIBER SECVNDVS.

De Primatu Petri aduersùs Lutherum.

CAPVT PRIMVM.

Primatus Petri, & Romani Pontificis probatur Sacro Dionysio, & Cypriano auctoribus.



Vm inter omnes diuinas auctoritates, quæ sanctis literis continentur, Euangelium meritò excellat, poterat ergo sufficere fideli, & parato veritatem audire, & amplecti quod superiori libro sacri Euangelij locis multiplicitèr disputando versatis, & trutinatis, effecimus, Petrum constitutum primatem Apostolorum à Domino Christo prælatione, præstat tamen ad obstruendum ora loquentium iniqua, idem Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorum Doctorum sententijs, roborare; præter superiùs enim allegata, euocabimus Sanctos Patres primatum Petri affirmantes, tumidas quoque rationes diuersarij iugulabimus, auctoritates sacræ Scripturæ peruersè ab eo inductas, & dilaceratas, restituemus. Quod vt ad vtilitatem Ecclesiæ, fidelium profectum, & diuini nominis laudem facere possimus, ipsam sapientiam, & Dei virtutem Dominum Iesum omnium bonorum largitorem. D. O. M. humillimus precibus imploramus, vt qui hæc nobis dedit incipere, adiuuet vt perficiamus, ad gloriam nominis sui, qui est benedictus in sæcula, Soli Deo gloria.

Ex diuinæ Scripturæ tractatoribus primus prodeat sacer Dionysius Areopagita Pauli discipulus, & Apostolorum contemporarius, qui cap. 3. de Diuinis nominibus, de augustissimæ, & sacrosanctæ Virginis Mariæ corpore scribens ait. Namque & apud ipsos Diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (vt nosti) & plerique ex Sanctis Fratribus nostris, ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque cœperat, conuenissemus. Aderat autem, & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen, vbi post contuitum placuit, vt infinitæ potentem diuinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo. Meminit sacerrimus Dionysius de conuentu Apostolorum, & aliorum Sanctorum ad exequias virginales Diuæ Mariæ. Liquet autem ex verbis Sancti Patris, Titum, Timothæum, Hieratheum, & se cum multis alijs interfuisse, & horum omnium etiam Apostolorum. Petrum dicit supremum decus, & antiquissimum culmen. Id quoque restatus est significantiùs libro de cœlesti hierarchia, vbi eum appellat verticem Apostolorum, vti eum induximus, de transitu quoque Apostolorum ad Timotheum scribit, tunc inquit Paulus Petro, pax tecum fundamentum Ecclesiæ, & pastor ouium, ac agnorum Christi. Is primitiuæ Ecclesiæ antistes, agnouit primatum S. Petri pastorem Ecclesiæ &c.

Cyprianum S. Martyrem, & Episcopum adducamus primæ celebritatis Doctorem, qui lib. 1. epistola 3. ad Cornelium Papam contrà Nouatianos scribit, quod Maximum, & Fortunatum Episcopos constituerant, & ex inuidia ad Romam nauigarent, quorum perfidiam ità incusat; post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent ad Petri cathedram, atque principalem Ecclesiam (vndè vnitas sacerdotalis exorta est) à schismaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Vide sanctum Martyrem agnoscere Petri cathedram principalem Ecclesiam (quamuis ipse foret apher) à qua vnitas sacerdotalis exorta sit. Et cum ortus iste non possit conferri in originem temporis, referendus est ad originem dignitatis. Vndè non oportet opponere Sancto Patri, quòd ex Ecclesia Hierosolymitana vnitas sacerdotalis exorta sit, vti diuersarius in Lipsica disputatione faciebat, cum sanctissimus Pater in sacris literis strenuè exercitatus, ignorare non potuit, Hierosolymam fuisse primam tempore, quare de ortu dignitatis in Petro, qui sedem suam Romæ diffiniuit, locutus est S. Martyr.

Idem S. Cyprianus scribit ad Magnum epistola 6. Ecclesia vna est, quæ vna intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si autem apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quem propter sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit. Nouatianus in Ecclesia non est, fuit autem Cornelius Papa Romanus, cum quo Ecclesia fuit. Cui Nouatianus aduersùs iudicatur à S. Martyre non esse in Ecclesia Dei; simile adduximus superiùs ex Ambrosio, & Cypriano cap. adducauit 24. quæst. 1. verba autem priùs adducta tran-

transcribuntur 24.quæst.1. dicimus,in eadem epist. increpat Nouatianos dicens eos schismaticos Ecclesiam Dei scindentes, contrà pacem, & vnitatem Christi rebelles, quia cathedram sibi constituant,primatum assumant, præpositos irreligiosa temeritate contemnant, nolebant enim Rom. Pontif. vt superiorem agnoscere, quod nisi esset contrà ius Diuinum, quo Rom. Pontif. est alijs prælatus. S. Cyprianus non dixisset, eos rebelles contrà vnitatem, & pacem Christi, eo potissimum tempore, quo Roma adhuc erat sub Imperatoribus idololatris Valeriano Gallo Christum non agnoscentibus.

Cypriani epistolam ad quintum in operibus suis non inueni, eam tamen citat Augustinus lib. 2. de baptismo contrà Donatistas cap.1. in qua hæc Cypriani verba refert. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secus Paulus de circumcisione disceptaret,postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arrogantèr assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potiùs debere. Nihil expressiùs dici poterat pro primatu Petri, nec Sanctus Augustinus illa reijcit, sed approbat.

Idem Cyprianus Antoniano scribit epistola 2. lib.4. & transumitur 7. quæst. 1. factus, vbi plurimum Cornelium laudauerat, cui numerus vniuersus Episcoporum per totum mundum concordi vnanimitate consenserit, ità subdit. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio &c. cum Fabiani locus, idest locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vocaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus esse voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiæ ordinationem, quia Ecclesiæ non tenet vnitatem, & infrà. Et cùm post primatum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debet,factus est, non iam secundus ille, sed nullus est. Attende Candide Lector vniuersos Episcopos totius mundi in Cornelium consensisse,eum primum esse, qui se contrà eum erigat, non seruare vnitatem Ecclesiæ, quod de alio Episcopo, quàm summo totius Ecclesiæ capite dici non posset.

Vt autem omnes teneantur iure diuino agnoscere Rom. Pontif. idem satis declarat, contrà Nouatianos dicens. Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit,in Ecclesia se esse non confidat,transcripsit Gratianus 93. dist. qui cathedram. Et in confessione Vrbani, Synodij, & Maximi schismaticorum ad vnitatem fidei redeuntium, scribit ad Cornelium Papam lib.3. epist. 11. eos fuisse confessos. Sincera mens nostra semper in Ecclesia fuit, nec ignoramus vnum esse Deum, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Ecclesia esse debere, pondera vnum Episcopum, vnum enim intelligere nequit, nisi summum, cum in sola Aphrica Episcopi fuerint Catholici, nonaginta sub Fabiano Papa, vt idem meminit Cyprian. in epist. 3. lib. 1. ad Cornelium superiùs allegata. Hoc quoque proposito nostro suffragatur, quòd contrà Cornelium Rom.Pont. Martianum Arletten. Episcopum se erigentem deponendum curauit, quod adulteram cathedram collocaret. Heresum quoque causam dicturus scribit lib. 4. epistola 9. ad Florentium Pupinianum. Vndè enim schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Attende Lector syncere, quod malum est vnum illum Episcopum negligere, & contemnere, quòd hinc hæreses oriantur. Hoc quoque notabile est quomodo vnus dicatur Episcopatus, quòd sit ab vno in vniuersum terrarum orbem diffusus, at hoc non est instituti nostri, consule Gregor. in registro, & Cardinalem Brixien.

Omnes tamen Episc. Aphricæ numerauerunt 430. & 4.

CAPVT II.

Primatus Petri, & Sedis Apostolicæ fortissimè probatur auctore S. Athanasio in epistolis.

Pergamus, vt accepimus celebres adducere patres, quorum testimonijs ità firmetur, ità roboretur sententia nostra, vt impudentissimus sit, qui contrà audeat mussitare. Scribit S. Athanasius fidei Christianæ defensor accertimus pro capitulis Nicæni Concilij ad Sanctum Marcum Papam dicens. Nicæni Concilij capitula optamus, vt vestræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate (quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum) ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere mereamur, quatenùs vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi ab emulis Sanctæ matris Ecclesiæ, euadere valeamus. Habes pie Lector, Romanam Ecclesiam esse matrem, & caput omnium Ecclesiarum. Hoc non in Italia, non in Gallia, non in Germania, sed in Alexandria trans mare orientalis Patriarcha, fortissimus fidei propugnator, à tota Ecclesia receptus, Athanasius testatur, & pronunciat, vnum hic te admonere velim, facere Athanasium in prædicta epistola mentionem 70. capitulorum Concilij Nicæni, cum tamen nos solùm habeamus viginti, vt benè quoque meminit huius Gratianus dist.17.cap.vnigeniti. At de hoc forsan libro illo aliquid dicturi sumus.

Idem S.Athanasius cum Episcopis Ægyptijs scripsit Liberio Papæ, inquiens per diuinorum eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria,super ędificatur orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica institutione fundata, & à fidelibus Patribus firmissimè roborata, ad quam omnes beatissimi Apostoli pari honoris, & potestatis consortio præditi, populorum agmina concurrentes, piè, sanctèque de tenebris ad lumen homines perduxerunt, & in fine subdit. Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Huic respice lector, quàm ingenuè fatetur is orientalis vniuersalem Ecclesiam Papæ commis-

missam, & ne velut lubricus anguis elabatur diuersarius, dicendo hoc esse iure humano. Addit S. Athanasius commissionem factam à Domino Iesu,& ità iure diuino. Vndè Apostolos honore, & potestate æquiparat, & tamen Petrum prælatione præfert.

Vndè ijdem ad Felicem Papam scripserunt. Ideò pater beatissimè, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos habere curam nouimus, præfatam Apostolicam,& summam expetimus, iuxtà Canonum decreta, sedem, vt indè auxilium capiamus, & infrà. Ad eam quoque, quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non potest obliuisci mater infantem suum, sic & vos nolite obliuisci vobis nos commissos, & infrà. Ob id vos, prædecessoresque vestros Apostolicos, videlicèt præsules in summitatis arce constituit,omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis. Et infrà, vt Apostolica doctrina, nos Apostolorum principe suffragante Petro ab imminentibus periculis liberare valeat. Attende mi candidè lector, quam syncerìtèr fateantur veritatem hi viri sancti, beatissimum patrem appellant Papam, quod velut recens, & superbum assentationis nomen, refugit diuersarius, deindè Papam habere curam orientalium. Adde quòd Apostolica sedes est Summa, & quòd ad eam appellant vi Canonum Concilij Niceni. Ipsam quoque esse matrem Ecclesiarum, annectè prioribus, & hoc Romanos Pontifices in summitatis arce constitutos, quibus coniunge, quòd omnium Ecclesiarum cura est eis commissa. Et quòd suffragium Petri Apostolorum principis implorant.

At multò maiora sunt, quæ sequuntur, meminit enim constitutorum in Nicena Synodo dicens. Similiter, & à suprà dictis partibus est desumptum consonantèr, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanum, aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram Romanam sanctam interpellet sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi, ac absoluendi speciali est priuilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum adeò fixum, & immobile præstat, quoniam ipsam formam vniuerforum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus veram Apostolicam constituit sedem, ipsa enim est sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, leuantur, & sicut in Christo Christiani, & in Petro, & in Christo renouantur Ecclesiæ. Tu es enim,sicut diuinum testatur veraciter eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columna, id est Christi, qui Ecclesiam sustinere, & proptijs humeris portare debes, sunt confirmati,tibique regni cœlorum claues commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in cœlis sunt promulgauit. Tu prophanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, princeps, & doctor, caputque omnium, orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis, igitur ne despicias patrum tuorum pater pietatem, bonamque intentionem. Et sicut illi, patres, & prædecessores nostros à multis liberauerunt oppressionibus, & angustijs, ità nos liberare dignèris. Nam fuit semper vestræ sanctæ, & Apostolicæ sedi licentia, iniustè damnatos, vel excommunicatos potestatiuè sua auctoritate restituere, & sua eis omnia reddere, & illos qui eos condemnauerunt, aut excommunicauerunt Apostolico punire priuilegio. O sanctissimè pater patrum abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquiorum,& insidiantium infestationes,nos,& fratres nostros opprimentium, atque perdere volentium, qui ad vos, quasi ad caput confugimus, vt vestro suffulti auxilio liberemur.

Quid adhuc vis Luther nondum sapis? nondum intelligis Ecclesiam Romanam primam esse, & supræmam à Domino constitutam? Quod si quis nostra ætate huiusmodi dixisset, quot adulationum, assentationum nominibus eum notasses? Cadit ergo erronea tua,& heretica doctrina,Ecclesiam Romanam non fuisse alijs superiorem, maximè Græcis ante tempora beati Gregorij, Mendacij enim te conuincit S. Athanasius cum Ægyptijs, & Lybiæ Episcopis,qui plus ducentis annis Gregorium præcesserunt, & tamen de antiquiori tempore testimonium perhibent.

Sed ne habeat diuersarius quò hiscere possit, addamus & sequentia. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis, aut longinquis positis prouincijs, super Episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non priùs tractandum, vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset pronunciatio facta, qua firmaretur, vel infirmaretur, indèque sumeret normam. Vndè Ecclesiæ sumpsere exordium prædicationis, ne passim ab insidiatoribus columnæ euerterentur Ecclesiæ. Certum est enim eidem sanctæ sedi vestræ in honorem beatissimi Petri, patrum decreta peculiarem decreuisse reuerentiam pro rebus inquirendis atque determinandis, quas sollicitè decet,iustèque ab ipso præsulum examinare Apostolico vertice, cuius sollicitudo semper fuit, & est, tàm mala damnare, quàm probare laudanda. Quoniam humilissimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, vt ipse Dominus præcepit,& sanctorum patrum decreta statuerunt, &c. Vides ne à remotis etiam appellari Papam? Ecclesias sumpsisse exordium à Roma, vt superius deteximus in Cypriano, agnoscis ne Apostolicum verticem Romæ? Quæ si omnia contemnere velis, vel hìc vide orientales, & Ægyptios ex præcepto Domini, & ità diuino iure, persoluentes obsequium culmini Romano, fuimus prolixiores in recitandis illis epistolis, quòd nemo Christianus est,qui Athanasium non celebret, cuius Symbolum Ecclesia, ad quotidianas preces transtulit, qui satis vicinus fuit primitiuæ Ecclesiæ. Iunior tamen Cypriano. Vndè epistolæ eius, & confratrum possent toræ inseri. At nos breuitati studuimus, & pauca ex his tenarrabimus lib. 3. Sed iam velit, nolit diuersarius cogitur admittere orientales, & Ægyptios fuisse sub Romano Pontifice, etiam ante tempora B. Gregorij.

CAPVT III.

Primatus Petri probatur auctoribus Eusebio, & A. Augustino.

AVditis Sanctis Martyribus Dionysio, & Cypriano, & magno illo confessore Athanasio. Iam alia videamus Ecclesiæ lumina, & accedat huc Eusebius Cæsariensis Episcopus veterum hystoriarum, fidei, & religionis nostræ impensè doctus, is libro secundo hystoriæ Ecclesiasticæ cap. 14. sic ait. In ipsis Claudij temporibus clementia diuinæ prouidentiæ, probatissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentia, & virtutis merito, primorum principem Petrum ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quemdam, & magistrum militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare. Iste adueniens ex orientis partibus,vt cœlestis quidem negociator mercimonia diuini luminis,si quis velit comparare, aduexit, & salutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma Enangelij sui clauibus,ianuam regni cœlestis aperuit, hic regulam hystoriæ seruans Eusebius appellat Petrum probatissimum Apostolorum,maximum principem etiam primorum, & qui fuerunt hi primi, nisi Apostoli?

Splendidissimum illud Ecclesiæ lumen Augustinum, vt despiciamus oportet, quem & si plures locos Euangelicos interpretatem lib. primo audiuimus, præstat tamen alia eius dicta afferre,institutum nostrum promasientia. Et primò astipulatur sententiæ nostræ in epistola ad Glorium Eleusium, & Felicem Grammicum Donatistas, & locatur, 162. in libro epistolarom,postqoam plura in Secundum Tigisitanum dixisset, quod non debeat absentes damnasse in catrthagine, subdit. Tantò magis enim timere debuit, ne pax vnitatis violaretur,quantò erat Carthago ciuitas ampla, & illustris. Vndè se per totum Aphricæ corpus malum, quod ibi esset exortum, tamquam à vertice effunderet, erat, etiam eransmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis. Vndè nou mediocris vtique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ.in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris. Vndè Euangelium ad ipsam Aphricam venit per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere,si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conantur. Vides studiosè lector Augustino placere,quod Cecilianus, quem defendit contra Secundum, paratus erat accipere ius Romæ, & quòd ibi semper viguit principatus Apostolicæ cathedræ.

Plenioribus votis agit hoc lib. 2. de Baptismo contra Donatistas capit. 1. dicens. Commemorat Cyprianus quod etiam nos in scripturis sanctis didicimus,Apostolorum Petrum, in quo primatus Apostolum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulabat, de Circumcisione agere solitum, à posteriore Apostolo Paulo fuisse correctum, & infrà. Puto quod sine vlla sui contumelia. Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad martyrij coronam, cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existuam, quis enim nescit illum Apostolatus principatu cuilibet Episcopatui præferendum? sed & si distat cathedrarum gratia, vna tamen est Martyrum gloria, pars posterior renarratur per Gratianum 2. quæst. 7. puto. Sed expende quæso dicta, in Petro Apostolorum primatus excellenti gratia præemioer. Vnde manifestarium est eum non loqui de Somnitario primatu diuersarij locationis, sed de primatu excellentiorum gratiæ, quo præeminebat Petrus reliquos Apostolos. Expendè, & hoc, quod inquir, Petrum, & Cyprianum plus differre cathedrarum gratia, quàm Martyrum gloria, nam si Episcopatus essent æquales iure diuino, immò vt allucinatur diuersarius, Episcopos, & simplices sacerdotes esse æquales iure diuino, iam non differeot Petrus & Cyprianus Cathedrarum gratia, cuius oppositum hic astruit Augustinus.

Similis fermè sententia legitur in Augustino lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. vbi de falsis Christianis Nazarenis loquens, præputia carnalia circumcidentibus, subdit. Sicut ergo illi,Petro in primatu Apostolorum Martyrij gloria coronaro, in sua peruersitate, præcisi ab Ecclesia remanserunt. Sic isti,Cypriano per abundantiam charitatis in sorte sanctorum passionis charitate suscepto, seipsos exules, vnitatis agnoscunt, & contra vnitatis patriam, pro suis calumnijs ciuem vnitatis opponunt, Augustinum lib.22. contrà Faustum capit. 70. superius induximus.

Idem Augustinus confutaturus duas epistolas pelagianorum, scribit ad Bonifacium Papam. Cùm verò uoo desinant fremete ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto prætio redemptas oues, aditus vndecumque rimari, communisque sit omnibus uobis, qui fungimur Episcopatus officio (quamuis ipse io ea præemineas celsiore fastigio) specula pastoralis. Hic Augustiuus sub infula Pontificali, vidit Papam præeminere in specula pastorali, quod Luther non poterit videre in sordida cuculla. Et in eadem epistola superius dixerat. Tantò maior in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quantò certior amicitia, neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamuis altius præsideas esse amicus humillium, & amorem rependere impensum. Habes studiose Lector Aphrum illum Numidianum agnoscentem Papam superiorem Booifacium, qui plus centum quinquaginta annis præcessit beatum Gregorium.

Et ne quicquam ambigas de sancto Augustino, adduco locum, quo omnem tollit ambiguitatem, omnem excludit euasionem. Nam in libro quæstionum noui, & veteris testamenti quæst. cap. 27. Certè sanctus Ioannes Castimoniæ fuit custos, condiscipulus autem eius Sanctus Petrus vxorem habuisse cognoscitur, & primatum, vt acciperet inter tot Apostolos,non ei obstitit filiorum generatio. Hunc locum legat diuersarius, & ma-

masticando ruminet, Petrum prælatum in primatu omnibus Apostolis, etiam sancto Ioanni, quamuis Ioann. virgo, Petrus pater esset.

Immò existimat Diuus A. Augustinus, nullum Christianum latere, hunc obtinere primatum. Ait enim tractatu 56. super Ioanne. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum, quod & gloss. interline. Ioann. 13. iudicarat, venit ad Symonem Petrum, gloss. non post alios, sed prius ad principem Apostolorum. Ideò expauit, quòd Deus lauet pedes hominis.

De agone quoque Christiano cap. 30. ait, non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim claues Ecclesiæ, regni cœlorum datæ sunt, debet ergo Ecclesia Catholica correctis, & pietate firmitatis filijs libentèr ignoscere, cum ipsi Petro personam eius gestanti (emunerat facta Petri) videmus veniam esse concessam, eumque correctum, & firmatum vsque ad dominicæ passionis gloriam peruenisse, habes causam hic expressam, cur Petrus gesserit personam Ecclesiæ ob primatum, quam rationem pluribus declarauimus libro primo, ideò ne acta agamus, ad eumdem locum lectorem remittimus.

CAPVT IV.

Hieronymum fuisse Cardinalem, & non recens esse Cardinalium officium.

Assurgat nobis in adiutorium hæreticorum malleus, barbatus ille Hieronymus, Ecclesiæ Romanæ sacerdos, quem ob id non iniuria Cardinalem appellamus, etiam si nomen Cardinalis in vita non habuerit, modo rem babuerit, & quia diuersarius negat eum fuisse Cardinalem, quia recens sit Cardinalium nomen, nos etiam hunc lapidem voluamus, primò dicamus, non tam recens esse nomen Cardinalium, quòd eius meminerit Stephanus Papa, vt ex decreto Concilij sui Romani cernitur, renarrat Gratianus capit. oportebat 79. dist. oportebat, vt hæc sancta Domina nostra Romana Ecclesia, iuxtà quod à B. Petro, & eius successoribus, institutum est, ritè ordinaretur, & ad Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus præsbyteris, aut diaconibus ordinaretur. Is fuit Stephanus 3. qui rexit anno gratiæ 771. & Synodum collegit in Laterano, occasionem dederat huic constitutioni Constantinus, qui violentia Tattonis Nepusini Ducis ex layco ad Papatum fuerat assumptus. Habes iam testem voculæ, nomen fuisse Cardinalium ante 770. annos, sed & te antea fuisse semper in Ecclesia Romana, patet quòd vocati fuerunt præsbyteri, & diaconi Romano Pontifici assistentes, ad certas Ecclesias sub certis titulis, liquet, ex Synodo authentica, & approbata Gregorij II. qui iunior etiam appellatur, qui Synodum in Laterano celebrauit. Anno gratiæ 550. Subscriptio huius Synodi in codice Canonum authentico ità habetur.

Gregorius Episcopus sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Sequuntur deindè Episcopi 21. Deindè Presbyteri, & Diaconi se subscripserunt.

Sisinnius humilis presbyter sanctæ Romanę Ecclesię Tituli sancti Laurentij, qui appellatur Lucane. Huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Ioannes Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sanctæ Cæciliæ, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Sisinnius presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sancti Sixti, huic constituto, à nobis promulgato subscripsi.

Ioannes presbyter Tit. sancti Marcelli, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Ioannes presbyter humilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sanctæ Susannæ, huic constituto à nobis prmulgato subscripsi.

Eustratius humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sanctæ Anastasiæ, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Thalasius humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sanctæ Dei genitricis, qui appellatur Calixti trans tyberim, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Georgius immeritus presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. sanctorum Ioannis, & Pauli, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Marinus humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Tit. sanctæ Sabinæ, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Constantinus presbyter sanctæ Romanę Ecclesiæ Tituli sancti Ciriaci, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Gregorius humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Tit. S. Clementis, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Epiphanius. Tit. S. Laurentij.

Marinus. Tit. Apostolorum.

Ioan. Tit. S. Priscæ.

Petrus indignus Archidiaconus sanctæ sedis Apostolicæ, Gregorius Diaconus, Muschus Diaconus, Benedictus Diaconus die nona Aprilis Imperat. Diuo pijssimo Augusto Leone, à Deo coronato, magno Imperat. anno eius sexto, sed & Constantino Imperatore eius filio, anno secundo indict. 4.

Similia habes in Concilio beati Gregorij. Similitèr in Synodo Symachi Papæ, vbi subscripserunt 64. presbyteri, habentes Tit. Romæ, qui fuit anno gratiæ 490. Liquet igitur priscis etiam temporibus fuisse in vsu, vt Tit. Ecclesiarum tenerent sacerdotes Summo Pontifici astantes, quos iam Cardinales appella-

pellamus, & de horum numero fuit Sanctus Hieronymus, vt ipse de seipso sępius, & Augustinus pluribus locis scribit.

Antequam pergamus, & hoc quoque admonere volumus studiosum Lectorem, quia anno superiori multa diligentia libri omnes Gregorij castigatè ex Parisiorum officina prodixerunt. Calcographi fortè harum rerum minùs Petri, dum in fine decreta reposuissent Gregorij Magni in Synodo Romana constituta, mox altera pagina addiderunt alia decreta quasi eiusdem Beati Gregorij, quæ tamen sunt Gregorij Secundi, vt ex Codice Canonum apertissimè liquet, & ex decreto Paschasij. Huius euidens argumentum est, quòd Synodus Gregor. Magni fuit habita tempore Imper. Mauritij anno Imper. eius 13. indict. 14. 5. die Iulij, Synodus Gregor. iunioris, in qua Canon primus est. Si quis presbyteram duxerit in coniugium, anathema sit &c. celebrata est anno 6. Leonis, finita die 9. Aprilis, vbi inter Mauritium, & Leonem intersunt plures, quàm 100. anni. Non desunt qui dicant Syluestrum constituisse in Concilio Romano cap. 1. quot testes requirantur ad damnationem Cardinalis, cuius Concilij copiam, dum non habeam, nihil dicere possum. Hoc autem verum est. Cardinalium esse aliquod officium proprium, & peculiare quod antiquitus non fuit, at quod sit illud, & quomodo manu teneatur, quia diuersarius nihil dicit. Ideò nos prætterimus. Sufficiat nobis antiquum esse Cardinalium aliquando officium neque adeò recens esse nomen, vt diuersarius existimat. At ad institutum. Vndè digressi sumus reuertamur.

CAPVT V.

Primatus Petri probatur Auctoribus Hieronymo, & Ambrosio.

Diuus Hironym. preter locos superius libro primo adductos suffragatur sententiæ nostræ pluribus locis, nam primò in epistola ad Damasum Papam incipiente. quoniam vetus, & transcribitur 24. quæst. 1. Quoniam vetus, ait Hieron. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, indè nunc meæ animæ postulans cibum. Vndè olim Christi vestimenta suscepi, & infrà. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hęreditas, conqueritur in Oriente veritatem obnubilari, quę reluceat in Occidente, subdit verba iam citata. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat humanitas, à Sacerdote victimam salutis, facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor, ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuę consotior, super illam ędificatam Ecclesiam scio, quicumque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio, & infrà. Quicumque tecum non colligit, spargit, liquido vult omnem Ecclesiam esse subiectam Romanæ, quod extra hanc domum vult esse prophanas, & quod spargit, qui Romano Pontifice non colligat. Quod, & Erasmus Roterodamus animaduertit in scholis doctè, & prudenter inquiens. Heronym. omninò videtur sentire, omnes Ecclesias debere esse subiectas Romanæ Sedi.

Alia quoque epistola ad Damasum incipiente oportuna, ait. Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est, hoc dixit S. Pater non in Italia, non in Gallia, aut Pannonia, sed in Barbaro limite Syriæ, in tres partes scissa Orientis Ecclesia, vt epistola indicat.

Aduersus Luciferianos disputans Orthodoxus ait. Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot Sacerdotes. Nota Candidè Lector salutem Ecclesię pendere in dignitate Sacerdotis Summi. Et reddit huius causam, propter oborientia schismata plurima. Si non auctoritate supræmi Hierarchæ in Ecclæsia illa extirpentur, ideò vult ei dari eminentem potestatem ab omnibus.

In epistola ad Augustinum incipiente tres simul epistolas &c. appellat eum principem Apostolorum, nam ab hoc Porphyrius Paulum procacitatis redarguerat, quòd principem Apostolorum repræhendisset.

Beatus Hieronym. in expositione Symboli ad Damasum (cuius verba reuarrat Gratianus 24. quæst. 1. hęc est fides) ait. Hæc est fides Papa beatissime, quàm in Catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minùs peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri Sedem, & fidem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel maliuolum, vel etiam non cathoricum, sed hæreticum comprobabit, verba, quæ sequuntur, non sunt Hieron. nec Gratiani, sed Iulij Papæ ad Athanasium, vt infrà loco suo recitabimus, quod nota Lector decreti, ne verba Iulij pro Hieronymo cites, præfulgidum iubar Ecclesiæ Sanctus Hieronymus licèt in Oriente, fidem tamen, & Sedem Petri habet pro doctore, Papam in Sede Petri sedentem. Cuius sententiam Catholicam repugnantis, hæreticam iudicat.

Ad Euagrium scripsit. Non altera Romanæ verbis Ecclesia, altera totius orbis, at cribrabitur hic locus lib. 3. quoniam diuersarius hunc pro se adducit. De viris quoque illustribus idem Hieronymus, air. Simon Petrus filius Ioannis prouinciæ Gallilcæ vico Betsaida, frater Andreæ Apostoli, & Apostolorum princeps, quod alibi sępè facit, & nos posterius plura ex eo adferemus.

Copulabimus Hieronymo Florentissimum Episcopum Ambrosium, qui & nostram firmat sententiam, libro enim primo de pœnitentia cap. 6. loquitur contrà Nouatianos. Non habet Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discerpunt. Exciderant enim ab vnitate Ecclesiæ. Vndè extrà Ecclesiam Romanam existentes, arbitratur Beatus Ambrosius hæreditatis Petri incapaces. Expræssius est quod

lib. 3.

lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ait. Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, & formam. Hanc enim consuetudinem non habet, vt pedes lauet, & infrà. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen, & nos homines sensum habemus, ideò quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus, ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus deuotioni.

Agnouit hoc Ambrosius in Syricio Papa, cum alijs collegis ad eum scribens, recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter tibi commissam ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias. Dignumque quem oues Domini audiant, & sequantur, & ideò quia nosti ouiculas Christi, lupos facile depræhendes, & occurre quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique vultu, dominicum ouile dispergant. Agnoscis, & tu Candide Lector Papam pastorem ouilis Christi, cui sollicitudo ouium commissa sit. Et ad Theophilum epistola 78. causam Euagrij, & Flauij prius in Capuensi Synodo actitatam, præsentibus Ægyptijs Episcopis, censet deferendam ad Romanum Pontificem.

CAPVT VI.

Primatus Petri probatur auctore Gregorio.

Gregorius Magnus à Deo pleno ore asserit nostram sententiam, vt vel indoctum, vel maleuolum se statim iudicet quisquis opera eius legens, aliter eum sensisse pronunciat. Vndè scribit vniuersis Episcopis per Dalmatiam constitutis. Sed postquam mores vestri, ità sæcularibus sunt traducti negotijs, vt obliuiscentes omnem Sacerdotalis in vobis honoris tramitem, cunctumque superni metus intuitum, non quid Deo, sed quid vobis placeat studearis explere, necesse habuimus hæc ad vos destrictiora specialiter scripta transmittere, quibus ex Beati Petri principis Apostolorum auctoritate præcipimus, vt nulli pœnitus extrà consensum, permissionemque nostram, quantùm ad Episcopatus ordinationem pertinet. In Salonitana ciuitate, manus præsumatis imponere, & infrà. Confidimus enim in Omnipotentem Dominum, quia quantùm ad intentionem nostram attinet, nunquam quod nostram grauare possit animam, sinimus fieri, quod nostram possit grauare Ecclesiam.

In Lutherum. Hoc eo libentius induximus, quod intelligat diuersarius, nec B. Gregorium semel instituto in Ecclesia Episcopo, eam deinceps dispositioni Dei commisisse, quod tamen faciendum consulit Romano Pontifici diuersarius. Et hoc Gregorius auctoritate Petri Apostolorum principis se facere asseuerat. Sic in carta relicta de letania maiore in Basilica S. Mariæ. Sexta igitur feria veniente à titulo B. Laurentij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes, ad B. Petrum Apostolorum principem Domino supplicantes &c. Sic Geradio patritio, & exarcho Aphricæ scribit. Plurima enim pro pascendis ouibus B. Petri Apostolorum principis vtilitatibus, excellentiam vestram præstitisse didicimus, ità vt non parua loca patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, datitiorum habitatoribus restaurasset. Scribit præterea Episcopo Risinien. præterea iudico suggestionem me apud pijssimos Dominos summis præcibus plenam fecisse, & virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham concesso vsu pallij, ad Beati Petri Apostolorum principis limina mecum celebraturum solemnia missarum trasmittere debuisset.

Et eidem Anastasio Patriarchæ Antiocheno scribit, præterea iudico, quia à serenissimis Dominis, quantis valui præcibus postulaui, vt vos honore restituto ad Sancti Petri Apostolorum principis limina venire, & quousque ità Deo placuerit, hic mecum vincere concedant. Vide quàm peruigil pastor curauit Antiochenum Patriarcham depositum restitui, & ad limina Petri Principis Apostolorum venire, ità integrè, & in vniuersum Beatus Pater Petro primatum, & principatum tribuit.

Scribit etiam Theodelindæ Longobardorum Reginæ, quæ ex nobilissimo Bauarico sanguine lucidissima stella prodijt. Cum itàque integritatem nostram ex aperta mea traditione, seù professione cognosciris. Dignum est, vt de Ecclesia Beati Petri Apostolorum principis, nullum vlterius scrupulum dubietatis habearis. Sed in vera fide persistite, & vitam vestram in petram Ecclesiæ hoc est in confessione Beati Petri Apostolorum principis soliditate. Nec tot vestræ lachrymæ, tantaque bona opera pereunt, si à fide vera inueniuntur aliena. Vides iam petram Ecclesiæ confessionem Petri, & ne ausam hic arripiat diuersarius quasi petra sit fides, non Petrus, quamuis satis clarum sit ex verbis Beati viri hanc suam non esse sententiam, quia vult eam solidare in confessione Petri, à qua venit firmitas Ecclesiæ.

Tamen nisi diuersarius Euangelium non legerit, moneat eum B. Gregorius Mauririo Imperatori scribens. Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi dicitur. Petre amas me, pasce oues meas, ipsi dicitur. Ecce Sathanas expetijt cribrare vos sicut triticum &c. Ipsi dicitur. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quid hoc luculentius?

Et ad Ioan. Constatinopolitan. scribit. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes sunt membra Ecclesiæ.

Sic Episcopo Viennen. Desyderio, Siagrio, & Augustino scribens idem facit, & in multis alijs epistolis, appellat semper ipsum principem Apostolor. quas omnes referre esset fastidiosum, enarremus epistolas per capita.

Sic enim eum laudat in epistola ad
10. Venantium Episcopum Lunen.
11. Rusticianum Patritiam.
12. Basilium.
13. Secundinum seruum Dei inclusum.

14. Oci-

14. Ocilianum tribunum.
15. Brunichildem Reginam Francorũ.
16. Leandrum Hyſpaniarum Epiſcopum.
17. Nekaredum Viſigothorum Regẽ.
18. Innocentium Epiſcopum Aphricanum.
19. Decimum Lillabitanum Epiſcopum,
20. Quirinum Epiſcopum Hiberniæ.
21. Candidum presbyterum Galliæ.
22. Barbaram, & Antoniam.
23. Sauinellam.
24. Baſſiuum Epiſcopum Firman.
25. Eulogium Alexandrinum.
26. In priuilegio monaſterij Sueſſion.
27. Prothaſium Epiſcopum.
28. Martinum Diaconum.
29. Theoſticam, & Andream.
30. Theodorum Medicum Conſtantinopolitanum.

In quibus omnibus præfert Petrum principatu alijs Apoſtolis. Non erit tamen inutile aliquas prægnantiores afferre. Nam apertè multùm hoc teſtatur ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum dicens. Suauiſſima mihi ſanctitas veſtra, multa in epiſtolis ſuis, de ſancti Petri Apoſtolorum principis Cathedra locuta eſt, dicens, quòd ipſe in ea nunc vſque in ſuis ſucceſſoribus ſedeat. Et quidem ego me indignum eſſe non ſolùm in honore præſidentium, ſed etiam in numero ſtantium agnoſco. Sed cuncta, quæ dicta ſunt, in eo libentèr accepi, quod ille mihi de Cathedra Petri locutus eſt, qui in Cathedra Petri ſedet, & cum me ſpecialis honor, nullo modò delectet. Valdè tamen letatus ſum, quia vos ſanctiſſimi, quod mihi impendiſtis. Vobiſmetipſis dediſtis. Quis enim neſciat ſanctam Eccleſiam, in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? qui firmitatem mentis traxit à nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur. Tibi dabo claues Regni cęlorum &c. Itàque cum multi ſunt Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola Apoſtolorum principis ſedis in auctoritate conualuit, habes quod iam petis pro primatu Petri, & pro primatu Sedis eius.

31 Contrà Ciriacum quoque Conſtantinopolitanum ſcribit Theſſalonicen. Epiſcopo. Sine Apoſtolicæ Sedis auctoritate, atque conſenſu, nullas, quæque acta ſunt in Synodo Conſtantinopoli, vires habere. Et in fine. Nam ſi quis (quod non credimus) ſcripta præſentia, aliqua in parte neglexerit, à Beati Petri Apoſtolorum principis pace ſe nouerit ſegregatum.

32 Notabilis eſt illa epiſtola ad Gulfarum Magiſtrum militum in Hiſtria. Cognouimus inquit, inter cęteras curas iniunctæ vobis gubernationis illarum partium, præcipuam ad animarum lucris ſollicitudinem habeatis, & ità errantium corda ad vnitatem feſtinate vos Eccleſiæ reuocare, vt quantum ad deſiderium veſtrum pertinet, nullum illic ab Apoſtolica ſegregatum, remanere velitis Eccleſia, tantuſque vos Beati Petri Apoſtolorum principis amor accenderit, vt nullæ ipſius, cui à Domino omnium creatore, oues ſunt traditæ, ſummo reintegrare
33 cum deſiderio cupiatis. Et in alia epiſtola ad Eulogium, audiamus quid primus omnium paſtorum dicit, loquitur de Petro. Iſta omnia cum ſint aperttiſſima, non veniunt per nos ponderanda, cum cuilibet, etiam Grammatico ſatisfaciant lectori.

Notabilis eſt, & iſte locus ad Theoti- 34 Actuum 10.
ſtam patritiam ſuper reprehenſione Petri à diſcipulis facta. Ideò eum tenarremus, Petrus Apoſtolorum primus, tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum poteſtate ſuffultus, quærelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, & infrà. Si enim cum à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in ſancta Eccleſia acceperat, attendiſſet, poterat reſpondere. Vt paſtorem ſuum, oues, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent, & infrà. Si ergo paſtor Eccleſiæ Apoſtolorum princeps ſigna, & miracula ſingulariter faciens, non dedignatus eſt in cauſa ſuæ reprehenſionis, rationem humilitèr reddere, quantò magis nos peccatores, cum reprehendimus, reprehenſores noſtros, ratione humili placare debemus? Quia di- In Lutherũ.
uerſarius crepat ſuper verbis Beati Gregorij, & ampulloſis verbis iactat Gregorium affirmatorem ſuæ ſententiæ, vt lib. 3. Inanem eius, & elatam iactantiam euacuabimus. Ideò hìc operoſius proſecuti ſumus ſancti viri teſtimonia, vt patentiſſimum faceremus eum ſemper ſenſiſſe, Petrum fuiſſe Apoſtolorum principem, totius Eccleſiæ paſtorem, cui omnes fideles in ſucceſſoribus obedire teneantur.

CAPVT VII.

Primatus Petri probatur Auctoribus Cyrillo, Chryſoſtomo, & Leone.

PRoducantur alij iam fortiſſimi veritatis propugnatores, in noſtram ſententiam. Et primo Cyrillus Alexandrinus lib. 9. ſuper Ioan. ait cap. 35. diſcipuli non dubitatunt exclamare per principem conſortij ſui. Tu es Chriſtus Filius Dei viui, & lib. 10. cap. 41. Beatus enim Petrus diſcipulorum omnium princeps narranti, quæ paſſurus erat, ſaluatori reſiſtebat, clamans, propitius tibi eſto Domine. Et alio loco ait, vt membra moueamus in capite noſtro, in Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere teneamur, ipſum venerantes præ omnibus.

Cyrillum citat Sanctus Thomas in catena aurea Matth. 16. ſecundùm Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, hereticaque circumuentione manet immaculata ſuper omnes præpoſitos, & In originali
Epiſcopos, & ſuper omnes primates Eccle- adhuc non
ſiarum, & populorum in ſuis Pontificibus, repeti.
in fide pleniſſima, & auctoritate Petri, & cum aliæ Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundatæ, ſtabilita ipſa inquaſſibilitèr ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium ora obturans hæreticorum. Et nos neceſſitate ſalutis, non decepti ſuperbia, nec vino ſuperbiæ inebriari, typum veritatis, & Apoſtolicę traditionis vna cum ipſa confitemur, & prædicamus, hìc Orientalis Epiſcopus, & Patriarcha, liberè pronunciat Eccleſiam Romanam eſſe primam.

Suc-

Succedat Patriarchæ Alexandrino, alius Constantinopolitanus Ioan. Chrysostomus, qui à principio super Mattheo ait. Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus de piscatore, primum Ecclesiæ pastorem, de persecutore Doctorem gentium, & magistrum. De publicano primum Euangelistam, & de latrone primum cœlicolam. Ità citatur ab alijs licèt verba nostræ traslationis, qua vtimur, non concordent. At sæpius fuit auditus Chrysostomus lib. 1. vt minimè sit ambigendum de eius sententia.

Sanctum porrò Leonem Magnum illum Pontificem, magna grauitate pronunciantem ascribamus sermone 3. de anniuersario die assumptionis suæ. De toto mundo eligitur vnus Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principalitèr regit, & Christus, magnum est mirabile dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid commune voluit esse cæteris principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Quid hic dicere potest contrà diuersarius? Petrus ex toto mundo deligitur, vt omnes regat, & tu vis eum arctare intra angustias Iudeæ. Et quicquid alijs tribuit, hoc fecit per Petrum, hoc iuniores Canones dicunt, alij sunt vocati in partem sollicitudinis, sed Petrus cum successoribus in plenitudinem potestatis.

Præterea idem S. Leo scribit ad Anastasium Thessalonicen. inter alia decreta, velut in Codice Canonum pleniùs continentur. Connexio totius corporis, vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit, & hæc quidem connexio, totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum. Quibus & si dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quomodo & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret, de qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio. Et magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et rursum quidem in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem eius susceperant ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem, vniuersalis Ecclesiæ cura confflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat, & sicut non vult grauis oneris sarcinam ferre, ità non audeat alij importabile pondus imponere, hæc Canone 41, Cuius dicta si probè expenderis totam historiam, & totum neruum negotij nostri reperis enucleatum, nec opus est eum, qui certus est, vlteriùs certiorari.

In sermone quoque secundo sui anniuersarij. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit. Sic enim ordinatus est præ cæteris, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor constituitur, dum ligandorum, soluendorumque arbiter, mansura etiam in cœlis iudiciorum suorum definctione, præficitur qualis ipsi cum Christo societas esset, per ipsa appellationum nomina nosceremus, & infrà. Si quid itàque à nobis rectè agitur, rectèque discernitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum, atque meritorum, cuius in sede viuit potestas, & excellit auctoritas. Hoc enim obtinuit dilectissimi illa confessio, quæ à Deo Patre Apostolico inspirata cordi omnium humanarum operationum in terra transcendit, altitudinem, & firmitatem, quæ nullis impulsionibus quateretur, recepit. Quomodo adhuc aliquis desipit, Petrum non consecutum primatum in Ecclesia ob gloriosam confessionem,

Et de natali Sanctorum in sermone ait. Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani Imperij destinatur, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salute, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.

Vides Lector Caput Apostolorum, ad caput mundi destinatum, vt totum corpus vegetaretur capitis virtute. Non moror diutiùs, quoniam nemo sanę mentis alitèr existimare poterit, quàm Leonem affirmatissimè vbique nostram probare sententiam.

CAPVT VIII.

Primatus Petri probatur auctoribus Maximo, Beda, Bernardo, Anselmo, Optato, Lactantio, Paulino, Francisco.

MAximum pro hac parte libro primo adduximus, paucas illius Doctoris habemus homilias. Vtinam Deus faciat integra illius opera ad nos peruenire, superest vnus locus ex Homilia de Apostolis. Quanti ergo meriti apud Dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.

Venerabilis Beda citatur super Apocalypsi (cuius omnia opera propè diem per calcographos in lucem edentur) & Angelo Ecclesiæ Ephesi scribe. Sola Romana Ecclesia sua auctoritate valet iudicare de omnibus, de ea verò nulli iudicare permittitur, transferibuntur hæc verba per Gratianum 9. quæst. 3. Episcopo.

Sanctus verò Bernardus mellifluus verbi Diuini præco, vbique hanc intonat sententiam, vt ex allegatis libro 1. liquet, quibus addamus illud libri secundi de consideratione ad Eugenium. Age indagemus adhuc diligentiùs, quis sis, quem geras, videlicèt pro tempore personam in Ecclesia Dei, quis es? Sacerdos magnus, Pontifex summus, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, Tu Primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron: vide suprà lib. 1. cap. 30. & lib. 3. Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatus tui, at tu si sa-

ſi ſapis, non primatu gaudebis, ſed fructu.

Idem in epiſtola ad Eugenium, incipiente, audirum eſt, inquit altiorem locum ſortitus eſt, ſed non turiorem, ſublimiorem, non ſecuriorem, terribilis, prorſus terribilis eſt locus iſte, locus inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius, locus illius, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

In epiſtola quoque incipiente, importunus ſum peremproriam dare ſententiam ad Epiſcoporum depoſitionem, ſolius Romani Pontificis eſſe dignoſcitur, pro eorum nimirùm, quòd & ſi alij multi vocati ſint in partem ſolicitudinis, ſolus ipſe habet plenitudinem poteſtatis, ſolus proindè (ſi dicere audeam) in culpa eſt, ſi culpa non feritur, quæ ferienda eſt, & eo impetu quo fuerit ferienda.

Et alio loco ait; in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt. Et in epiſtola ad Piſanos incipiente, beneſaciat vobis Deus, ait, honora tuum, & vniuerſitatis patrem. En vniuerſitatis patrem appellar Innocentium Papam II. hactenùs Bernardus, qui & ſi partìm fidei obtintat apud diuerſarium, quippè qui eius auctoritatem floccifaciat, lubentèr tamen eum adduximus, quòd fideles multi, qui caſtioribus ſunt auribus, tantò patri aſſenſum præbebunt.

Anſelmus Cantuarienſis eiuſdem eſt ſententiæ, & fidei ad Vrbanum Pontificem dicens. Domino, & Patri vniuerſæ Eccleſiæ, in terra peregrinationis Summo Pontifici Vrbano II. Anſelmus vita peccator, Habitu monachus, debitam ſubiectionem &c. Quoniam diuina prouidentia veſtram elegit ſanctitatem, cui & fidem, & viam Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum rectiùs refertur, ſi quid contrà Catholicam fidem in Eccleſia, vt eius auctoritate corrigatur, nec vlli alij tutiùs ſi quid contrà errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur, quapropter ſicut nulli digniùs poſſum, ità nulli libentiùs præſentem epiſtolam, quàm veſtræ deſtino ſapientiæ, quatenùs ſi quid in ea corrigendum eſt, veſtra cenſura corrigatur, & caſtigetur, & quod regula veritatis tenet, veſtra auctoritate roboretur. Expende Lector Anſelmum exiſtimare Papam eſſe regulam, & amuſſim veritatis, quam ſi acceptaret diuerſarius iam lis finem confeſtim haberet.

Cardinalis Brixitn. citat Optatum lib. 2. contrà Parmenianum; vnà cathedra eſt priuilegium vnius Eccleſiæ, & primum. Ideò non adhærens vnitati carhedræ, non adhæret vnitati Eccleſiæ. Carhedra vna eſt, & negare non audes: ſcire te in vrbe Roma, Petro cathedram eſſe collatam, in qua ſederat omnium Apoſtolorum caput Petrus, in quo vno, cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli, ſingulas ſibi quiſque defenderet, vt iam ſchiſmaticus eſſet, qui contrà vnam carbedram, alteram ſibi collocaret. Ergo cathedra vnica eſt, quæ eſt prima dotibus, & in ea ſedit primus Petrus: ſucceſſit Linus, Lino Clemens, cui Anacletus, & ſequentes, Damaſo Siricius, qui hodie noſter ſocius eſt; & infrà. Contrà portas inferi claues ſalutares legimus Petrum principem noſtrum recepiſſe. Cui à Chriſto dictum eſt, tibi dabo claues. Vndè eſt ergo, quod claues regni cœlorum, vobis vſurpare contenditis? qui contrà cathedram Petri, veſtris præſumptionibus, & audacijs ſacrilegè militaris, & infrà. Igitur de dotibus Eccleſiæ cathedra prima eſt, quam probauimus per Petrum noſtram eſſe, quæ ducit ad ſe Angelum. Angelus enim, qui datur Eccleſiæ, ei non coniungitur: qui ſe Carhedræ Petri non coniungit, & infrà. Vos dico abſciſos palmites à vite. Vos riuum conciſum à fonte, non enim poteſt origo eſſe riuus, qui paruus eſt, & non de ſe naſcitur, & arbor à ramo conciſo exſecta ante areſcit.

Expende Chariſſime Lector. Vnam ſolam eſſe cathedram in Eccleſia, quòd ſucceſſione è regione aſcendatur ad Petrum, in quo omnes vniantur Epiſcopi, & quod Angelus Dei non coniungatur illi, qui non coniungatur carhedræ Perri.

Vndè auſim hìc dicere cum Lactantio, qui optant, vel deſiderant tolli primatum à Roma, & eius deſolationem fieri cupiunt, ſunt præcurſores Antichrilti. Stante enim Roma, non veniet ille miraculorum mendacij artifex, ità enim ſcribit Lactantius lib. 7. inſtitutionum diuinarum de fine mundi. Etiam res ipſa declarat lapſum, ruinamque breui fore, niſi quod incolumi vrbe Roma, nihil iſtius videtur metuendum. At verò cum caput illud orbis ceciderit, *pirroi* eſſe cœperit, quod Sybillæ fore aiunt. Quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarum. Illa eſt ciuitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia, precandusque nobis Deus cœli, & adorandus eſt, ſi tamen ſtatura eius, & placita differri poſſunt, ne citiùs quàm putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantùm facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt. Hæc Lactantius, quamuis me non prætereat non omnia eiuſdem capitis dicta, ab omnibus probari. Vide ſi libitum eſt Auguſtinum epiſtola 80. ad Eſirium.

Lubet adſcribere verſus S. Paulini de Roma in honorem S. Felicis Nolani.

Credas innumeris, vt ingenia dilatari hoſpitibus, ſic Nola adſurgit imagine Romæ.
Tu quoque poſt vrbem, titulo ſortita ſecundos.
Nam priùs imperio tantùm, & victoribus armis.
Nunc & Apoſtolicis terrarum es prima ſepulchris.

Addatur poſtremò minor ille S. Franciſcus ſigillis ſtigmatum approbatus, fratres, & ordinem ſuum, imò totum mundum remiſit ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & fidem Eccleſiæ fortitèr, & firmitèr tenendam, vt patet in principio, & fine regulæ ſuæ, & primo Cantico de eodem, Franciſcus vir catholicus,

licus,

licus, & totus Apostolicus, Ecclesiæ tenere Sedem Romanæ docuit. Et vt semel dicam, quæstiones, & rationes diuersarij non cœperunt hodie ventilari, sed ab antiquis temporibus, quoties aliqua factio, hæresim nouam constituere proposuit, cœpit cauillari illos locos. Velut Walden. Marsiliani, Pauperes de Lugduno, Wickleffistæ, Hussitæ, Pighardi, Græci schismatici, Armenij, & Aphri schismatici, Bulgari quoque cum ab Ecclesia recederent. Sufficiat ergo diuersario caput suum cum hæreticis in intellectu sacrarum literarum, mihi sufficit auctoritas Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum, Doctorum, & vniuersitatum, qui sacram Scripturam intellexerunt pro primatu Petri, de quo me refero ad omnes præsentes, & futuros verè catholicos.

CAPVT IX.

Primatus Petri, & Papæ probatur Pontificum auctoritate, Clemente, Anacleto, Sixto, & Iulio.

LVculentissimis sacratum literarum interpretibus monstrauimus à Domino Iesu constitutum pastorem super tota Ecclesia, expostulat iam series, vt illud idem Summorum pontificum Augustali auctoritate probemus. Et ne diuersarius calumnietur nos frigidissimis decretis à 400. annis natis hoc astruere, diuinos, & sanctos in primis adducamus patres, Martyres gloriosos, & charitate Dei ardentes, qui eo vixerunt tempore, vbi nondum charitas refriguit, qui æstuabant zelo fidei, & amore Dei. Aduocemus autem inter priores magnum illum hierarcham Clementem pontificem, & Martyrem, qui Canone primo refert verba beati Petri, Trado ipsi Clementi à Domino traditam mihi potestatem ligandi, & soluendi, vt de omnibus, quibuscumque decreuerit in terris, hoc decretum sit, & in cœlis, ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod expedit solui, tanquam ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit, ipsum ergò audite, scientes, quia quicumque contristauerit doctorem veritatis, peccat in Christum, vbi sanctus Petrus non loquitur de potestate ordinis. Cùm S. Clemens dudum esset ab eo sacerdos ordinatus, consectarium est eum loqui de potestate regiminis, quam moriturus Clementi velut successori commendauit. Canonem septimum incip. in illis dudum citauimus. Scio quod plures reclamant, quasi illi canones non sint Clementis. Eò quod in his legatur destinari deberi epistolam ad Iacobum Hierosolymis, qui tamen octo annis, & amplius ante Petrum Martyrio coronatus est, & hæc est vna ratio, quam allegat Beda, cui epistola Iacobi inter canonicas sit prima. At dico primò non referre ista. Sufficere receptos illos canones pro authenticis à plurimis annis. Secundò, ratio aduersarium non oppugnat, cum in primitiua Ecclesia frequens fuerit, vt seniores coadiutores assumerent in Episcopatu. Et Petrum constat viuentem delegisse Clementem. Sic S. Augustinus non solùm coadiutor assumptus est à B. Seue. Valerio, sed & obtento fauore Primatis Carthaginensis Episcopus ordinatus est viuente Valerio, quod tum fuisse solitum in transmarinis, & Aphricanis Ecclesijs, Possidonius testatur, quibus exemplis motus Augustinus, qui prius recusabat, Episcopatum assumpsit. Contrà Concilij Nicæni sacratissimi decreta, licèt hoc ignorans fecerit; Vndè & ipse Augustinus viuens successorem sibi Episcopum delegit, vt in actione eius Ecclesiastica habetur loco epistolæ 110. Eradum presbyterum successorem mihi volo, & Seuerus Mileuitanus idem fecerat, designato ergo Clemente, poterat adhuc pluribus annis superstes viuere Petrus, sed omninò contendas hanc epistolam scriptam non esse à Clemente, quia iniunctum ei fuerit, vt mortuo Petro scriberet Iacobo, quod hystoria non patiatur, neque credibile sit toto octennio Petrum ignorasse Iacobi obitum. At contrà dico, nec agere sanctum Petrum, vel Romanam Ecclesiam ambiguis istis argumentis, dum dilucida veritas ex indubitatis certis, & approbatis sacris Scripturis, & patrum sententijs habeatur absque hesitatione, vt quisque catholicus fateatur Petrum, & modo Romanam Ecclesiam, primam fore, summæ potestatis, & excellentiæ inter cunctas alias sedes, inducamus ergo præter allegata indubitatos cannones Martyrum, quos habemus in manibus antiquissimorum exemplarium.

Anacletus enim venerabilis Senex, & Martyr fuit auditus in duobus canonibus, quibus addamus canonem octauum, vbi præcepit maiores causas referri ad Sedem Apostolicam, Canone 9. statuit ordinationes Episcoporum Apostolica fieri auctoritate, canone item 17. constituit summa negotia, post Apostolicam Sedem pertinere ad primates.

Sanctus Sixtus martyr, ait. Memor sum me sub illius nomine, Ecclesiæ præsidere, cuius confessio à Domino glorificata est, cuius, & fides nullam hæresim fouet vnquam, sed quidem omnes hæreses destruit. Intelligo autem aliter mihi non licere, quàm vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam transcripsit Gratianus capitulo memor. 24. quæst. 1.

Iulius I. Athanasio scribit, & omnibus Ægyptiorum Episcopis. Et Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & B. Apostolo Petro opem ferente, in futuro manebit sine vlla hæreticorum insultatione, firma, & immobilis omni tempore persistet. Et ad orientales Episcopos scribit, porrò dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum, in præfatis antiquis statutis decretum fuerat, quæ hactenus sancta, & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia. Non oportere præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiã primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt, & sicut B. Petrus Apostolus fuit primus omnium Apostolorum: ità & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, primas & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem, atque apicem, omnes Ecclesiæ maiores causæ, & iudicia Episcoporum recurrant, & iuxtà eius sententiam, terminum sumant.

Nec extrà. Romanum quicquam ex his decerni debere pontificem, prior pars scribitur 24. quæst. 1. hæc est fides, nam totus canon non est Hierony. altera pars transcribitur, 3. quæst. 6. dudum prosequitur Iulius, quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam, & inter beatissimos Apostolos &c. vt superiùs Leonem citauimus, nam eadem verba, quæ posuit Iulius repetijt Leo.

Vndè orientales Episcopi hæretici, licèt tamen hoc agnouerunt. Eusebius, Theoginus, Theodorus, & Berinthus, & Iulio rescripserunt, licèt circa omnes Romanam Ecclesiam sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & semper pietatis matrem existere.

Idem beatus Iulius in secunda epistola ad eosdem scribit. Decuerat vos, vt suprà lib. 1. cap. 6. & infrà. Canonibus præcipientibus nihil extra Romanum pontificem decerni. Cui hæc, & maiora Ecclesiarum negocia, tàm ab ipso Domino, quàm ab omnibus vniuersarum Conciliorum patribus, speciali priuilegio sunt tradita, & infrà. Quare miror vos tam audaces esse, & tam impudentes egisse, & terminos, ac iura beati Petri Apostolorum principis inuasisse. Ideò summopere mihi, cui vice Apostolorum principis vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est, prouidendum auxiliante ipso summo Apostolo, ne deinceps ealia fiant. Nempè huic sanctæ Sedi præfata priuilegia, ideò specialiter sunt concessa de congregandis Concilijs, tàm de iudicijs, quàm restitucionibus Episcoporum. Ista verba in parte renarrat Gratianus cap. ideò 11. quæst. 6. quæ sunt adeò aperta, vt si quid addere vellem, videre solem facibus iuuare. Ait ibidem improbando eos, quòd Athanasium in Synodo deposuerant, regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit, quando nec ab Orthodoxis Episcopis, hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatus interfuit, Canonibus præcipientibus, sine eius auctoritate Concilia fieri non debere, nec vllum ratum esse Concilium, aut erit vnquam, quòd eius non fuerit fulcitum auctoritate. Alium eius canonem renarrat S. Iuo lib. 4. Iulius Apostolicæ Sedis Episcopus, omnibus Episcopis; Habet sancta Romana Ecclesia potestatem singulari priuilegio sibi concessam, aperire, & claudere ianuas regni cœlestis. Alium citat Gratianus cap. nolite distin. 11. Satis enim condignum esti quemquam, vel pontificum, vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri sedem, & sequi viderit, & docere, multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordae, quæ indè auctoritatem habet, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum. Elegans est canon in decreto Paschasij illius Iulij super eadem re, quem tamen breuitatis studio omittimus.

CAPVT X.

Primatus Petri probatur auctoritate Martyrum Sixti, Anicij, Eleutherij, Zepherini, Antherij, Fabiani, Sixti Secundi, Marcelli, Melchiadis.

TRaxit nos Iulij austeritas, sanctitas, eruditio, & magnanimitas, vt præmaturè eum adduximus, maximè quod maximum defenderit Athanasium, omnibus catholicis cognitissimum. Studebimus iam obseruare rationem ætatis, & ideò emarginabimus, quo anno gratiæ, quisque vixerit. Et post Clementem, & Anacletum redeo ad S. Sixtum Martyrem omnibus in Christo fratribus scribentem canone 2. placuit. Si quis fratrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam, & Apostolicam appellar sedem, & ad eam quasi ad caput suffragium habeat, renarrat Gratianus cap. si quis 2. quæst. 6. & Canone sequente, ait, S. Martyr. Ab hac enim sancta Sede à sanctis Apostolis tueri, defendi, & liberari iussi sunt Episcopi, vt sicut eorum dispositione ordinante Domino primitus sunt constituti, sic huius sanctæ Sedis, cuius dispositioni eorum causas, & iudicia seruauerunt, protectione futuris temporibus sint liberi. Expende Lector non iure humano, sed Domino ordinante, hanc esse potestatem Sedis Apostolicæ. Sixtus 119.

Anicius Martyr, & Papa Canone 4. ait, si Metropolitanus incorrigibilis apparuerit, ad hanc Sedem Apostolicam, cui omnium iudiciorum referri præcepta sunt, eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri de eo timorem habeant, renarrantur à Gratiano 9. quæst. 3. Si autem, vide Lector, & expende, perpetuam esse hanc potestatem in Sede Apostolica, qua sancti isti Martyres vsi sunt. Anicius 189.

Porrò Eleutherius Papa, & Martyr, Canone 1. ait. Incipiente, de accusationibus. Quoniam quamuis apud comprouinciales, & Metropolitanas, atque primates eorum liceat ventilare accusationes, vel criminationes, non tamen licet diffinire sine huius sãctæ Sedis auctoritate, sicut ab Apostolis, eorumque successoribus, multorum consensu Episcoporum iam est diffinitum, nec in eorum Ecclesijs alij, aut præponantur, aut ordinentur antequam hic eorum iustè terminentur negotia transsumpta) per Gratianum capitulo quamuis 9. quæst. 6. Attendè Lector ab Apostolis diffinitum, quòd non fecerunt Apostoli, nisi diuina institutione ornari. Eutherius 177.

Zepherinus Papa, & Martyr gloriosus, Canone 1. prohibet Episcopum iudicari absque Sedis Apost. consensu, & dein ait. Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, est appellandum, & concurrendum quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, à suis oppressionibus releuentur, quia non potest, nec debet obliuisci mater filium suum, renarrat Gratianus cap. ad Romanam Ecclesiam 2. quæst. 6. Habes in primitiua Ecclesia, Apostolicam Sedem habitam pro matre fidelium, & Ecclesiarum. Zepherinus 208.

An-

Anterius 239. Anterius Papa, & Martyr, Canone 1. Toletanæ scribit prouinciæ, de mutatione Episcoporum. Vndè sanctam Sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote eam communi vtilitate, & necessitate, fieri licere, sed non libitu cuiusquam, aut dominatione, Petrus sanctus Magister noster, & princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque, de quadam parua ciuitate Apostolica auctoritate mutatus est Romam. Renarrat Gratianus, habes cur Petrus transtulit se Romam.

Fabianus 241. Fabianus Marco ministris Ecclesiæ scribit. Beatus Apostolorum princeps Petrus in ordine Clementis alloquens populum, ait. Si inimicus est iste. Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, vt vobis dicat, cum illo nolite amici esse. Vide Candide Lector noluisse S. Petrum hunc habendum pro amico; cui Sum. Pontif. inimicaretur. Habes hic validum argumentum pro epistola Clementis, quòd sit approbata, quam tamen sanctus Martyr citat, & allegat, quòd Fabiani ortus non longè fuerit ab occasu, & morte Clementis, ideò præsumitur habuisse è vicinia temporis notitiam huius epistolæ cap. quanto de præsumpt. cap. quosdam eodem cum concordantibus.

Idem Fabianus in epistola ad orientales, quæ incipit, exigit dilectio vestra. Si enim deuiauerit à fide Episcopus, tunc erit accusandus apud primates suos, quòd si incorrigibilis, quod absit, apparuerit, tunc erit accusandus apud Sedem Apostolicam, pro alijs enim actibus magis est tolerandus à subditis suis, quàm accusandus.

Consentit plenis suffragijs venerandus
Sixtus 264. ille senex Sixtus II. Martyr, & papa Can. 2. dicens. Quamuis comprouincialibus Episcopis causam scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Ponifice permissum est, cùm B. Petro Apostolo, non ab alio quàm à Domino sit dictum quæcumque ligaueris super terram &c.

Marcellus 308. Marcellus papa, & martyr Maxentio Episcopo scribit, & est Canon. 2. Synodum Episcoporum absque huius Sedis Romanæ auctoritate (quamquam possitis quosdam Episcopos congregare) non potestatis regulariter facere, neque vllum Episcopum, qui hanc appellauerit Sedem Apostolicam damnare, antequam hic sententia diffinitiua procedat, rescripsit Gratianus cap. Synodum distin. 17. Idem papa ait. Ad Romanam Sedem omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suum confugere, eamque appellare debent, vt indè accipiant tuitionem, vndè accipiunt consecrationem, renarrat Gratianus 2. quæst. 6. ad Romanam Ecclesiam cap. &

Melchiades papa, & martyr Canone 5. ait de Constantino, denique idem præfatus princeps donaria immensa, & fabricam templi primæ Sedis B. Petri principis Apostolorum instituit, adcò vt sedem Imperialem, quam Romani principes possederant, relinqueret, & B. Petro, suisque præsulibus præfuturam concederet. Scio non deesse, qui nolunt hunc canonem esse Melchiadis, sed Syluestri, & ità eum citat Brixien. Cardi. quibus ego omninò accedo. Ex duobus potissimè motus. Primò, quia canon sequens 6. Idem verò, & 7. decreuit sancta Synodus, loquuntur de Synodo Nicœna, quid in ea decretum sit de sæcularibus negotijs, & quomodo Constantinus noluerit iudicare Episcopos, contrà quos tamen libellos susceperat, cuius rei etiam Ruffinus meminit in additione lib. 1. ad hystoriam Ecclesiasticam Eusebij, sed omnibus est notissimum Nicœnum Concilium esse celebratum primò post mortem Melchiadis sub Syluestro papa, & Constantino Imperatore, velut omnes consonant. Vndè S. Syluester destinauit ad illud Concilium Osium Cordubensem Episcopum, Victorem, & Vincentium presbyteros Romanos, quare Melchiades non potuit scribere de actis Concilij Nicœni post mortem suam. Aliud argumentum est, quòd decretum illud omnium fermè Rom. Pont. habens decreta, vsque ad Paschasium, nihil omninò habet de constitutionibus Syluestri, qui tamen sedit 21. ann. Ideò signum est, quòd facta est confusio decretorum Melchiadis, & Syluestri, & sic cessat argumentum Laurentij Vallæ (de Canone 4. Melchiadis incip. futuram, & renarrat Gratianus 12. quæst. prima, futuram) libro de Donatione Constan. quoniam ex primo iuncto argumento satis arbitror ostensum cap. 4. 5. 6. 7. esse Syluestri, non Melchiadis. Mallem tamen doctioris audire iudicium super eo, aut Romana videre originalia, quia in Codice canonum Syricij decreta, mox eanes sequuntur.

CAPVT XI.

Pontificem Romanum esse supremum probatur per Damasum, Innocentium, & Concilium Aphricanum.

DAmasum doctum illum, & sanctum Papam, Hieronymi Synchronon, citat Cardin. Brixien. in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Mauritaniæ in Concilio Aphricano incip. lectis fraternitatis vestræ literis, vbi asserat super Ecclesiam vniuersalem, Papam habere Episcopale ministerium, & Romanam Ecclesiam verticem Ecclesiarum, & quòd vice Petri legatio pro Christo vtitur, quisquis Romanus Pontif. decernit, etiam ibi quod in Metropolitano Concilio de omni concordia, causæ tractari debent omnium, sed diffinire summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque Apostolicæ Sedis auctoritate minimè licet, quam omnes approbare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam Synodum sine eius auctoritate fieri, non est catholicum, nec Episcopus, nisi in Synodo legitima, & suo tempore, Apostolica auctoritate congregata, definitè damnari non potest, nec vlla vnquam rata leguntur Concilia, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate. Damasus 371.

Ità dum Synodus Carthaginien. (in qua Innoc. I. Concilium Aphri. 408.
62. se subscripserunt Episcopi) ad Innocentium papam scriberet de gestis contrà Pelagium, & Cœlestium. Hoc itaque gestum Domine Frater sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ medio cha-

ritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam peruersitate corrigenda. Rescripsit illis Innocentius papa in requirendis de his rebus, quas omni sollicitudine decet à sacerdotibus, maximè verò à iusto, & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quàm antea cum prouinciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis iudicium. Scientes quid Apostolicæ Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit, quem sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda; Id verò quod patrum instituta, sacerdotali custodientes officio, non censetis calcanda, quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quicquid de disiunctis, remotisque prouincijs ageretur, non prius ducerent diffiniendum, nisi ad huius sedis notitiam perueniret, vbi tota huius auctoritate, infrà quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manerent, quod præcipere, quos abluere quos velut in cœno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret. Expende Candide Lector Episcopatum, & totam auctoritatem emersisse à Petro, omnia ad Sedem Apost. velut ad fontem referenda leguntur illa inter epistolas sancti Augustini in epistola 92.

Scripsit ad eumdem Innocentium papam beatus Augustinus ex Concilio Mileuitano. Quia tè Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis, vel negligenter, vel fastidiosè accipere. Rescripsit beatus Innocentius. Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diuersorum consulta fideli, ac modica disceptatione tractamus, & infrà. Diligenter ergò, & congruè Apostolico consuluistis honori. Honori inquam illius, quoniam præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ sanctæ regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostris esse seruatam. Neque enim hoc credo vestram latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, verè scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent, præsertim quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc vestra dilectio retulit, quod per totum mundum omnibus posset prodesse Ecclesijs, legitur, vbi supra epistola 93. vide transmarinos non vnum, vel alterum, sed tota Concilia Carthaginense, & Aphricanum, alterum Romanum agnoscere pontificem, velut supremum Ecclesiæ caput. Eiusdem canonem ad Eugubinum decennium arbitror superius scriptum, quem renarrat Gratianus cap. quis nesciat 11. distin. plura eius capita pro instituto nostro scribuntur in originalibus, quas breuitatis studio præterimus, vnum tamen ceferamus, quo ità statuit. Nemo iudicabit primam Sedem, iustitiam temperare desiderantem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque ab regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Renarrat Gratianus 9. quæst. 3. Nemo.

CAPVT XII.

Primatus Petri probatur auctoribus Liberio, Felice, Leone, Gelasio, Anastasio, & Hylario.

Liberium, & Felicem Romanos Pontifices suo ordine præterimus, ideò adhuc in ordinem sunt reponendi. Scribit enim Liberius papa, dum adhuc integram seruaret fidem, Athanasio, & Episcopis Ægypti, Olim ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia, ad rectam fidem defendendam. Liberius 354.

Sic Felix Papa, quem etsi beatus Hieronymus, velut propensiorem in Arrianos notat, tamen ab hac nota eum purgabimus lib. 3. Is scribit Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum, Thebaidarum, Lybiorumque Episcopis. Inspiciamus ergò adiuuante Deo, & sancto Petro Apostolo, per quem, & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium, & infrà. Cùm primatuum, & Archiepiscopatuum faceret mentionem subdit. Salua in omnibus Apostolicæ Sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea à sanctis Patribus roborata, & infrà. Antecessores nostros egisse benè nosti Athanasi, quando tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adnoplites, ab Episcopis Orientalibus, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro damnari estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput, vt semper huic sanctæ Sedi licitum fuit, confugistis, & infrà. Tali enim priuilegio huius sanctæ Sedis, tu & fratres tui proprias recepistis sedes. His enim, & alijs plurimis documentis, manifestum est nullum damnari, aut suis expoliari rebus debere Episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellauerit, aut sibi defensatricem asciuerit, donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri agnoscat, quia solum Christus Iesus huic sanctæ sedi Apostolicæ hoc facere commisit, vtpote, quoniam solus, atque præ omnibus præfatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à Rege regum Christo claues regni cœlorum. Vides Candide Lector sedis Apostolicæ diuinam auctoritatem. Felix 370

Leo sanctus, & magnus est adeo apertus in nostram sententiam, vt nemo nisi Chorebo stultior id negare possit, adduximus plæque eius in superioribus, possemus rorum addere, quod ad Anastasium Thessalonicen. Leo 444

Epi-

Episcopum, Papæ per Græciam vicarium scribit. Ad breuitati studentes transeamus. Increpat enim eum, quòd Episcopum inconsulto Roman. Pontif. deposuerat, cuius debebat expectasse rescriptum, subdens, vicès enim nostras ità tuæ credidimus charitati, vt in partem vocatus sis sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vide in codice Canonum à Canone 31. vsque ad 41. Renarrat Gratianus 3. quæst. 6. cap. multum. Et Dioscoro Alexandrino scribit. Cum Beatissimus Petrus Apostolus à Domino acceperit principatum. Et Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nephas est credere, quòd S. Episcopus discipulus illius Marcus, qui Alexandrinam primus gubernauit Ecclesiam, alijs regulis, & traditionibus suis decreta firmaxerit &c. Renarrat Gratianus cap. cum beatissimus 24. quæst. 1. Idem Leo in sermone habito in Synodo, ait. Admonente diuinę vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus, trina admonitione mysticis sanctionibus imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat, & ipsius sedis, cui per abundantiam gratiæ diuinæ præsumpsimus, præreuerentia coarceamur, ve periculum desidiæ quantum possumus declinemus, ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini testatus est, non inueniatur in nobis, quia quotiens quis negligenter pascit gregem Domini, cum totiens conuincitur summum non amare pastorem. Renarrat Gratianus 25. qu. 1. diuiois præceptis.

Gelasius 9. quæst. 3. ipsi sunt. Astipulatur pleni ssimè Gelasius Papa cap. 3. dicens ad Faustum magistrum fungentem officio legationis Constantinopolim. Ipsi sint Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsùs appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari. Sententiamque eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandarunt. In alio Canone ait. Confidimus quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullum magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate firmauit. & continuata moderatione custodit, transcripsit Gratianus 25. quæst. 1. confidimus.

Idem Gelasius scribit vniuersis Episcopis per Dardanam constitutis. Apostolicam sedem sine vlla Synodo more maiorum absoluit, iniquè à Synodo condemnatos, sicut sine Synodo habuit, quos oportuit damnandi potestatem.

Anastasius 498. Successor eius proximus Anastasius secundus scribit Anastasio Imperatori in epistola incip. diuinum fauorem mihi appropinquasse confido, quòd consonantis mea in nominis tui Augustissimi, non dubium præferat auxilium, vt sicut præcelsum vocabulum pietatis tuæ per vniuersas gentes toto orbe præfulget, ità per ministerium meæ humilitatis, sicut semper est, sedes beatissimi Petri in vniuersali Ecclesia adsignatum sibi à Domino Deo teneat principatum.

Sic præsidente Hylario in Synodo Rom. Adrianus
iussit Paulum notarium recitare epistolam 465.
Episcoporum Hyspaniæ ad Papam, Domino beatissimo, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hylario, Ascanius & vniuersi Episcopi Tarraconen. Prouinciæ. Etiam si nulla extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum nobis reuera fuerat illud priuilegium sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus post Resurrectionem Saluatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminatione prospexit, cuius vicarij principatus, sicut eminet, ità metuendus est, & amandus, proindè nos Deum in vobis primitùs adorantes, cui sine querela seruituris, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam. Indè responsa quærentes, vndè nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur, post lectionem acclamatum est ab vniuerso Concilio. Ordinatio Apostolica illibata, seruetur dictum 8. Exaudi Christe Hylario vita dictum V. dignus Papa doctor dictum 8.

CAPVT XIII.

Primatus Papæ probatur Auctoribus Symacho, Vigilio, Ioanne, Pelagio, Gregorio.

Symachus, qui Anastasio successit, qua- Symachus
tuor Concilia Romæ habuit, inter alia 499.
decreuit Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotamus decrets per prouincias, quia præsentiam Papæ non habent, valitudinem perdiderunt, legistis insanissimi aliquando in illis prouincijs maioribus, præter Apostolici apicis sanctionem, aliquid constitutum, & non de maioribus negotijs ad consultationem (si quid occurerit) præfatæ sedis arbitrio fuisse reseruatum, deindè Canon meminit, quod Episcopi scientes, quòd eius primum Petri Apostoli meritum, deindè secuta iussione Domini, Conciliorum venerandarum auctoritas, singularem in Ecclesijs dedit potestatem, nec antedictæ sedis antistitem, minorum subiacere iudicio Subscripserunt Laurentius Modiolanen. Petrus Rauennatis, & 75. Episcopi, prior pars est Canonis tertij Renarrat Gratianus, distinct. 17. Concilis.

Vigilius Papa scribit Canone 2. Qui se Vigilius
scit alijs esse præpositum, non molestè ferat 535.
aliquem sibi esse prælatum, ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ità reliquis Ecclesijs vices suas credidit esse largiendas, vt in parte vocatæ sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vndè omnium appellantium Apostolicam sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia causarum, eidem sedis reseruata esse liquet, præsertim cum in his omnibus, eius semper sit expectandum consultum.

Idem Papa scribit Eleutherio fratri (non Luthero, qui iam se ficto nomine Eleutherium scribit, & nominat, fortè pertesus antiquum nomen Luther conueniens rei (nulli, vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum sit,

& for-

& forma Ecclesiarum, à qua omnem Ecclesiam principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat, non reuoco ad trutinam verba istorum Pontificum, ità aperta sunt, & manifesta, quæ lecta statim clarescant, sine inductione, aut interprete, abundè probent intentum nostrum. Renarrat priora verba Gratianus 2. quæst. 6. Qui se scit, licèt malè asscribatur Iulio, cum sit Vigilij, benè similem Canonem habuit Leo primus, & in decreto Paschasij recitatur 27. loco.

Ioan. 3. 563. Ioannes 3. Canone vnico ait. Si Petrus princeps Apostolorum adiutores Linum, & Cletum asciuit, non tamen potestatem Pontificij, aut ligandi, & soluendi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi. Renarrat Gratianus 8. qu. 1. Si Petrus.

Pelagius 580. Pelagius magni animi Papa huius nominis secundus. Canone 2. scribit Episcopis Constantinopoli constitutis. Relatum est ad Apostolicam sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere. Vosque ex hac præsumptione ad Synodum conuocasse generalem, cum generales Synodos conuocandi auctoritas, Apostolicæ beati Petri Apostoli sedi, singulari priuilegio sit tradita, & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta, qua propter quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia Synodus talitèr præsumpta esse non potuit) statuistis ex auctoritate S. Petri Apostolorum principis, Domini saluatoris voce, qua beato Petro potestatem soluendi, & ligandi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successores eius indubitantèr transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis, vana & cassa esse, ità vt deinceps nunquam appareant. Similis fermè Canon narratur à Gratiano eiusdem Pelagij cap. multis dist. 17. Expende duo hic. Primò insanum errorem diuersarij dicentis Græcos non fuisse sub Romana Ecclesia, quod si esset verum, quid ibi præcepisset Pelagius sibi non subditis. Secundò potestatem generalem à Domino accepisse Petrum, quæ transiuit in successores.

Gregorius 590. Huius sententiæ meminit consonè beatus Gregorius, vt videre licet lib. 7. epistola 69. vbi plenissimè illa eadem testatur contrà Ciriacum Constantinopolitanum, qui simili fastu erigebat se contrà Gregorium, sicut Ioannes contrà Pelagium. Vndè idem Gregorius cap. 38. contrà præsumptionem Michaelis Constantinopolitani graphicè ità dicit. Quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel priuilegia euacuare nititur, non hic vnus Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem, & interitum machinatur, cuius compassione, vel sustentatione vlteriùs respirabunt filiæ, à quouis oppressè vnica illa matre suffocata? cuius refugium appellabunt? ad quem habebunt refugium? ipsa enim Athanasium, ipsa omnes catholicos suscepit, fouit, defendit, & proprijs sedibus pulsos restituit. Ergo diuersarius non solum Ecclesiam, sed Christianitatem nititur subuertere, iudicio S. Gregorij, multa scribit in hanc sententiam Mauritio Augusto, Constantiæ Augustæ, Eulogio, Alexandrino, Anastasio, Antiocheno, Aniano Constantinopolitano contra Ioannem Constantinopolitanum. Et similia scripsit Eusebio Thessalonicen. Eulogio, & alijs contrà Ciriacum, fortè lib. 3. plura ex eo allaturi summus.

Idem beatus Gregorius lib. 10. registri sui ponit formam abiurationis schismatis, & hæresis. In qua abiurans promittit Papæ; & per Papam Petro Apostolorum principi, se permansurum in vnitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia. Renarrat Gratianus 1. quæst. 7. Quotiens. Habes ex hac forma dilucidè, schismaticum iudicari, qui non tenet communionem Romani Pontificis, multa sancti viri dicta exposuimus lib. 1. multa isto libro, dum in ordinem Doctorum eum instruximus.

CAPVT XIII.

Primatus Papæ probatur Auctoribus Agathone, Leone, Adriano, Nicolao, Stephano, Leone, Sancta Matre Ecclesia.

Agatho 673. Agathon Papa suffragatur nobis, dum scribit Constantino quarto Imperatori, Heracleo, & Tyberio Augustis, cum vniuersis Synodis subiacentibus Concilio Apostolicæ sedis, post multa sic ait. Nos autem licèt humillimi summis viribus enitemur, vt Christiani vestri imperij resp. in qua beati Petri Apostolorum principis sedes fundata est, cuius auctoritate omnes Christianæ nobiscum regiones venerantur, & colunt, per ipsius Petri Apostoli reuerentiam, omnium gentium sublimissima esse monstretur. Et in suggestione, quam sextæ Synodo misit Apostolicæ sedis auctoritatem, vt potè Apostolorum omnium principis, semper omnia catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fidelitèr amplectentes, secutæ sunt.

Leo 851. Leo IV. vir sanctus, vt primo libro induximus, is dum Leoninam ciuitatem à nomine suo appellasset, & fundasset, sub Petri Apostolorum principis patrocinio, portis præcationes addidit, quæ primatum Petri testantur. Vndè in secunda porta, quæ apud Molem Adriani ducit ad prata, hæc præcatio inerat, Deus, qui ab ipso huius mundi principio hanc sanctam catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam ab hostibus custodire, & confirmare dignatus es &c.

Adrianus 862. Adrianus primus de veneratione imaginum Constantino, & Hireneo Imperatoribus, & toti Concillio scripsit. Nam ipse princeps Apostolorum beatus Petrus, qui primatus Apostolicæ sedi præsedit, sui Apostolatus principatum, ac pastoralis curæ successoribus suis, qui in sua sanctissima sede successuri sunt, perennitèr dereliquit, quibus & auctoritatis potestatem quemadmodum à Saluatore nostro, & Domino Deo ei concessa est, Ipseque tradidit diuino iussu successoribus suis, quorum traditione Christi sacram imaginem, genitricisque eius, Apostolorumque, & omnium sanctorum venerantur imagines, repullulabat tum error de imaginibus, quem olim infelix Imperat. Constantinus infelici Synodo Constantiana firmauerat, cui primò restitit Paulus Papa, damnauit Stephanus III. Adrianus denuò suppressit.

Nico-

Nicolaus Papa Canone 5. Michaeli Imperatori Græco scripsit, patet profectò Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est iudicium, à nemine fortè retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, iuxtà quod Bonifacius Papa Rufo, & ceteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens, nemo ait. Vnquam Apostolico culmini, de cuius iudicio, non licet iudicare. Nemo enim in hoc rebellis fuit, nisi qui de se voluit iudicari, ad idem inducit Gelasium, & infrà. Per principalem igitur Apostolorum Petri, & Pauli dexteram, quam suprà exposuimus, & potestatem, & ius habemus, non solùm in monachos, verumetiam in clericos, de quacumque diocesi, cum necesse fuerit ad nos conuocare, prior pars renarratur ab Iuone lib. 4. & Gratiano 9. qu. 3. patet, nisi quod est macula in vulgatis libris, in quibus Innocentius pro Bonifacio legitur, posterior pars narratur in cap. principalem eadem causa, & quæstione.

Idem Nicolaus ad Photium ait in epistola incipit. postquam, in qua deducit primatum Apostolicæ Sedis, & ex illo primatu immineat Romano Pontifici, pro omnibus, qui Christiano censentur nomine, cura, cuius rationem in æterno examine reddere habeat, & quòd vniuersitas credentium à Romana Ecclesia doctrinam requirit, integritatem fidei deposcit, & criminum solutionem, à qua rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, atque ecclesiasticis institutionibus omnes Ecclesiæ requirunt. Sic Stephanus Papa ait, enimuero quia hi speculam, & exemplum Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, posita est, omnibus quicquid statuit, quicquid ordinauit perpetuò irrefragabiliter obseruandum est.

Postremo accedat Leo IX. qui in Synodica ad Petrum Antiochenum scribit, ab Apostolica tua Sede nostram Catholicam consulendo perpendimus tuam prudentiam, nolle deuiare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in orbe terrarum ecclesijs, sancta Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum diffiniendæ referantur, sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus Sanctorum, Rex regum, Dominus dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis dignitatis, & totius Ecclesiæ disciplinæ, venerabilis apex præfulgeat, ac præcellat. vbi ipse vertex, & cardo Apostolorum Petrus carnis suæ Resurrectionem beatam in nouissimo die expectat, sic sancta Mater Ecclesia, quando officium agit de Pontifice Romano vtitur hoc Cantico. Qui dum esset Summus Pontifex terrena non metuit, de nullo autem alio Pontifice quantumuis sancto, illo cantico vtitur. Hæc arbitror quemlibet fidelem debere mouere, nisi habeat marmoreum caput sanctum Petrum pro se & successoribus accepisse primatum à Domino.

CAPVT XV.

Excusatio Auctoris cur decreta recentia à 400. annis nata adducat cum inductione Innocentij.

Licèt diuersarij temeritas me prohiberet ne ad recentiores Pontifices descenderem à 400. annis nata, at quia lib. 1. ostendimus, cuius inuicti roboris sint omnium Romanorum Pontificum decreta, & non solum pro diuersario scribimus, sed ad fidelium salutem bonam, & instructionem in communi. Et non spero de futuros, apud quos Pontificum ius, & præsulum decreta, quæ in publicis leguntur gymnasijs magno stipendio, & plerique Doctores insignibus in ipsis ornantur, suam obtineant actoritatem, idcircò vel eis canam, & musis si diuersarius nolit auscultare, nam ità rectè explebimus iussa Euangelica, super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei, quæcumque dixerint facite. Matth. 23. Ideò perpetuo contextu aperiamus hanc sententiam semper constantissimam fuisse in Ecclesia, & cum à primitiua Ecclesia hoc ostenderimus, vsque in mille annos pergamus, & hactenùs hoc idem strenuè obseruatum, & non obseruato ordine ætatis. Primò audiamus Innocentium Tertium scribentem decano, & capitulo Andegauensi, non enim humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi.) Episcopus ab Ecclesia remoueatur, legitur in cap. inter corporalia de translat. prel. scripsit idem Innocen. ad Bertholdum tertium Zaringiæ ducem ad eum, qui nobile Friburgum Brisgogiæ condidit, vbi nos bonam partem adolescentiæ peregimus cap. venerabilem de electi, pertinere ad Romanum Pontificem, & eius auctoritatem examinandi personam electam in Regem, & vis promouendi ad Imperium, qui electum regem inungat, consecret, & coronet, mendosi sunt hic aliqui libri, qui inscriptionem habent, Duci Thuringiæ, quin constet Thuringiam non esse Ducatum, sed Lantgrauium habere, quem præsidem prouinciæ dixeris, ideò vera inscriptio est Duci Zaringiæ, nam maximè semper fuerunt simultates, grauissima odia, inter domum Sueuię, & Duces Zaringiæ, posteaquam Fridericus de Stauffen, auus Friderici Barbarossæ, ab Henrico Quarto Imperatore occiso Rodulpho Duce Sueuiæ, & eiecto ex Sueuia armis Bertholdo Zaringo eius genero, in eodem Ducatu inuestitus est, vndè prædictus Bertholdus 3. qui Conrado fratri in regimine succederat, à Philippicis Sueuius in Moltzhaim multis confossus vulneribus interijt. Ad Guidonem comitem montis Pessulani scribit Innocen. Locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur, cum enim Petrus fugiens vrbem, exiuisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat reuocare, Interrogatus ab eo, Domine quò vadis? respondit, venio ad Romam iterum crucifigi, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum

ipsum protinùs est reuersus, legitur in cap. per venerabilem, extrà, qui filij sunt legitimi, & ibi latè prosequitur Papam esse Vicarium Christi vniuersalem. Interrogatus Innocen. ab Archiepisc. Arelaten. respondit, maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum, quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabis. Tu es Christus filius Dei viui, & pro eo Dominum exorasse, ne deficeiat fides eius, reponitur in cap. maioris, extrà de baptis. & eius effectibus. Semper sibi, & veritati similis Innocen. scribit Patriarchæ Antiocheno, cum ex illo generali priuilegio, quod à Beato Petro, & per eum Romanæ Ecclesiæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodum manauerint instituta, continentia, maioris Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam perferendas, ac per hoc translationes Episcoporum, ac sedium mutationes, ad summum Apostolicæ Sedis Antistitem, de iure pertineant, nec super his quicquam præter eius assensum debeant immutari. Idem Innocen. assumit. cap. ad honorem de auctorit. & vsu pallij, vulgatam sententiam superiùs quoque adductam ex Leone, Symacho, B. Gregorio, B. Bernardo, ait enim fanè solus Romanus Pontifex in missarum solemnibus pallio semper vtitur, & vbique quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur, de ratione pallij gestandi, vide singulariter Beatum Gregorium in epistola ad Maximum Episcopum Salonitanum. In registro libri 8. epistola c. 29. Alij autem eo, nec semper, nec vbique, sed in Ecclesia sua, in qua Ecclesiasticam iurisdictionem receperant, certis debent vti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis nō in plenitudinem potestatis.

CAPVT XVI.

Primatus Petri probatur Auctoribus Nicolao, Paschali, Bonifacio, & Constantino Imperatore, de quo plura, & eius donatione.

NIcolaus III. in cap. Fundamenta, de electi. lib. 6. loquens de fundamentis ecclesiæ militantis in montibus sanctis, mox repetit verba sancti Leonis. Huius autem muneris Sacramentis, ità Dominus ad omnium Apostolorum voluit officium pertinere, vt in B. Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari dicendo. Tu es Petrus &c. vt æterni templi structura, Deo ædificante constructa, mirabili munere gratiæ Dei in Petri consisteret firmitate. Et infrà dicit de Roma, quòd sit per sacram Beati Petri Sedem caput totius orbis effecta. Paschalis Papa ad Archiepiscopum Panormitanum scribit cap. significasti, de elect. aiunt, in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ ecclesię legem concilia vniuersalia præfixerunt, cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperint, & in eorum statutis patenter Romani Pontificis excipiatur auctoritas. Bonifacius Octanus in prohemio sexti scribit Doctoribus, & Scholaribus Bononiensibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quam in perscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo vniuersis dispositione incommutabili prætulit ecclesijs, & totius orbis præcipuum obtinere voluit magistratum, regimini præsidentes sollicitamur, curis continuis, & assidua meditatione vrgemur, vt iuxtà creditæ nobis dispensationis officium subditorum, comodis intendamus. Idem Bonifacius VIII. ob id condemnauit Pauperes de Lugduno, vt patet in Extrauaganti, vnam sanctam ecclesiam Catholicam, & Apostolicam vrgenti fide credere cogimur, extrà quam nec salus est, nec remissio, & plura prosequitur de vnitate ecclesiæ, & infrà. Igitur ecclesię vnius, & vnicę vnum corpus, & vnum caput, non duo capita, quasi monstrum. Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro, pasce oues meas inquit, & generaliter non singulariter has, vel illas, per quod sibi commisisse intelligitur vniuersas, siuè ergò Græci, siuè alij se dicant, à Domino Petro, ciusque successoribus non esse commissa, fateantur necesse, se de ouibus Christi non esse, dicente Domino, in Ioanne, vnum ouile, & vnicum esse pastorem, & in fine. Porrò subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturę declaramus, dicimus, diffinimus, & pronunciamus omninò esse de necessitate salutis, sufficiat hęc attigisse ex recentioribus Pontificibus, cum abundè inuentum ex ecclesiasticis Patribus, & martyribus post sacras literas ostenderimus, addamus pauca ex Romanis Imperatoris. Primò, vulgata est Constantini donatio, & legitur 96. dist. Constantinus, at mox instabit diuersarius hanc esse inanem paleam fine grano, quam dantes Florentinus, & Laurentius Valla diù triturarunt, multi prætereà ex iureconsultis dubitant an sit facta, vt Leopoldus Bebenburgius de iuribus imperij explicat, & qui credunt eam esse factam, adhuc dubitant an valuerit l. legatus ff. de offic. præsb. & l. constitutione, ff. Bald. in l. Barbarus Philippus, ff. de offic. prætor. videantur notata Doctor. in capite ex ore, de his quæ fiunt à maiori parte cap. & cap. ex insinuatione, de Symon. At vt cunque sit rantæ dubietatis Pelagum, hìc non expiscabimur. Quia vt Cardinalis Cusanus inquit, ista quęstio non est soluta hactenus, nec soluetur verisimiliter vnquam. Constat enim Exarchatum Rauennæ semper mansisse Imperatori vsque quo Longobardi hunc vi cœperunt. Sed & hoc constat, dum Pipinus à Stephano II. Papa inuocaretur: Astulphum Longobardorum eò compulit, vt omnia ab imperio vsurpata relinqueret; quæ Pipinus S. Petro donauit. Sicut in gestis eiusdem Stephani in particulari omnia bona donata continentur. Sic Desiderio Longobardo plures huiusmodi ciuitates per vim occupante. Carolus Magnus ad petitionem Adriani Secundi eas iterum recepit, & Sancto Petro solemniter donauit, non est nostrū tantas componere lites, hoc tamen dico nouissimè Bartholomeum

Pin-

Pincernum de monte arduo à Græco in Latinum transtulisse hanc donationem, dein dici donationem illam tractam ex historia S. Syluestri, & historia S. Syluestri per Gelasium approbata est dist. 15. Sancta Romana, licet non exprimat, quam historiam approbet, cum plures circumferantur Syluestri, & est satis ampla approbatio, quod legi possit, diuersi etiam, diuersa loquuntur, non displicet Beato Hieronymo Constantinum ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatum. Vide Vincentium libro 24. historiarum in fine, addo etiam hoc vt mirabile. Ex Augustino apertissimè collegi Constantinum Imperatorem fuisse Christianum tempore Melchiadis Papę, ait enim ad Glorium Eleusinum, Felicem Grammaticum, & alios epistola 162. vbi ait, dein diximus aliquantò post Maiorini ordinationem, quam contrà Cæcilianum nephario scelere leuauerunt, erigentes altare, contrà altare, & vnitatem Christi discordijs furialibus dissipãtes, eos petijsse à Constantino, tunc Imperatore, iudices, Episcopos, qui de suis quæstionibus, quæ in Aphtica exortæ, pacis vinculum dirimebant, arbitrio medio iudicarent, quod posteaquam factum est, præsente Cæciliano, & illis, qui aduersùs eum nauiganerant, iudicante Melchiade tunc Romanę vrbis Episcopo cum collegis suis, quos ad præces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc illo in Episcopatu confirmato, Donatum, qui aduersùs eum tunc aderat, improbatum. Quibus rebus peractis, cum illi omnes in pertinacia scelestissimi schismatis permanerent, post apud relatum memoratum Imperatorem, eandem causam diligentiùs examinandam, terminandamque curasse, illos verò ab Ecclesiastico iudicio prouocasse, vt causam Constantinus audiret. Quo posteàquam ventum est, vtraque parte assistente Innocentem Cæcilianum fuisse iudicatum, atque illos recessisse superatos, & in eadem tamen peruersitate mansisse: nec me præterit quid Leo VIII. in Synodo Romana cum subscriptione Episcoporum, & clericorum, ac ciuium Romanorum Ottoni I. Saxoni restituerit: sed quid dicere debeo, vel antiquorum negligentia, aut quod sæpè volentes, vel coacti à iure concesso recesserunt, aut scribentium pro diuersis affectibus varietas, vt raró aliquid vetustatis adferatur, quod non possit per ingeniosum controuerti, veluti illa hora legi quemdam pulchris motiuis conantem probare Imperium non translatum à Græcis ad Carolum Magnum, nec Carolum fuisse vnquam Imperat. Romanorum, sed Patritium, vt 73. distinct. Adrianus. Et in antiquissimis Codicibus non alitèr legimus, quàm quod Rex fuerit Francorum, & Longobardorum, ac Patritius Romanorum; me præterit quomodo inuitus huc rapiar, remotiùs euagando, quàm fuerit instituti mei, non nescius, quòd librum exigeret iustę magnitudinis, & nos plura habemus recondita in vtramque partem apud nos latentia, sed rogemus Deum Optimum Maximum, vt det Ecclesiæ Romanæ, & Imperio pacem, concordiam, & vnitatem, ne pessima illa tempora redeant Henricorum, & Fœdericorum, Ludouicorum, quæ periculosissima, maxima attulere fidelibus incommoda; impijssimis agentibus adulatoribus, qui vtrimque procurarunt cristas erigi, cecidit interea nobilissima Sueuorum domus, nondum restituta, iam hæc dixisse conteuti.

CAPVT XVII.

Primatus Petri probatur ex Iustiniano, Valentiniano, Martiano, Phoca, & Carolo.

AT sit ambigua Constantini Donatio, nos Academicorum more nihil decreuimus, neque opus est, vt nos dubijs iuuemus argumentis, cum certa, & constantia nobis satis suppeditent, & auxilientur. Prodeat ergo in primis Iustinianus Imperator (inter claros) de Sum. Trinit. & fide catholica, vbi dum Ioann. VI. Papa Imperatori scribit, vt laboret pro vnitate fidei, dicens. Inter claras sapientiæ mansuetudinis vestræ laudes Christianissimæ principum puriore luce, tanquam aliquod sydus irradiat. Quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum primum Domino loquente preceptum est, pasce oues meas, quàm esse verè omnium Ecclesiarum caput, & patrum regulæ, & principum statuta declarant, & respondet Iustinianus &c. Sanctissimo Archiepiscopo almæ vrbis Romæ, & Patriarchæ Ioanni, reddentes honorem Apostolicæ sedi, & vestrę sanctitati, quod semper nobis in votis fuit, & est (vt decet Patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinamus ad notitiam vestræ deferre sanctitati, quoniam semper fuit nobis magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenùs obtinet, & immotè permanet, nulla intercidente contrarietate, ideòque omnes sacerdotes, vniuersi orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ sanctitatis properamus. In præsenti ergo, quæ commota sunt. Quamuis manifesta, & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ Sedis vestræ doctrinam, ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita, & prædicata, necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum sit, & indubitatum, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quia caput est omnium Ecclesiarum sanctarum, per omnia enim, vt dictum est, properamus honorem, & auctoritatem vestræ sedis crescere, ad longum dein prosequitur suæ fidei protestationem, & quòd hanc omnes sequantur sacerdotes, exceptis quibusdam Monachis, cum Nestorio adhuc sentientibus. Expende Lector Iustinianum in Græcia agnouisse Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum, & ei subijcit omnes sacerdotes. Et ne crederet aliquis hoc esse nouum, ostendit priùs semper fuisse, quia statum hunc hactenus obtinet, qui immorè permanet, dein Ioannes Papa denuò prosequitur multa, quæ faciunt pro primatu Sedis Apostoli-

stolicæ, quæ nos breuitati studentes libentèr omittimus, in auct. quoque, vt Rom. Eccl. col. 3. ait. Iustinianus, & legum originem anterior Roma sortita est, & Summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est, qui dubitet. Vndè & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij, speciali nostri numinis, lege illustrari, ecce Iustinianum affirmare neminem esse, qui dubitet Rom. Pont. esse summum, & tamen non fuit centum annis post B. Gregorium, sic Valentinianus ad Theodosium aie. Beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit locum habeat, ac facultatem de fide iudicare, hi, qui fuerunt anno gratiæ 380. perhibent testimonium, Papam ab antiquo habuisse principatum, sic Martianus S. Leoni scripsit. Leoni Archiepiscopo Romæ gloriosæ ciuitatis. Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, post Mauritium Phocas Imper. designatus contrà Ciriacum pro Romano Pontifice determinauit, contrà quem priùs scripserat B. Gregorius, Placida Augusta filio Augusto scribit, quia Roma maxima ciuitatum, & domina omnium terrarum. Ideò Petrus in ea principatum ordinauit diuini Episcopatus. Carolus item Romæ contrà Leonem III. cessauit inquirere, quia intellexit Apostolicam sedem à nemine iudicandam, vt Platina refert; & in concilio Caroli Imperatoris legitur; in memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam sedem, vt quæ sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiasticæ esse debet magistra rationis, quare obseruanda est cum mansuetudine humilitatis, & licèt vix ferendum ab illa sede sancta imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione tollamus. Sic omne verum vero consonat, vt manifestarium fit Papam Romanum Pontif. omnium esse primum, & supremum.

CAPVT XVIII.

Primatus Romani Pontifices probatur ex Concilio Niceno, & ibi de numero Canonum Concily.

VT nihil omninò negligamus, quod ad tanti fundamenti Ecclesiastici assertionem pertineat, præstat iam sanctissimorum Conciliorum sententias, & Canones adducere. Si Summi Pontifices, & Martyres diuersario suspecti videantur. Vndè cum sancta Nicæna Synodus omnium consensu sanctissimæ auctoritatis decernatur, à qua nullo fideli liceat recedere, & de qua legitur in Chalcedonensi Synodo, quòd Spiritus sanctus manifestè Patribus consedit. Et quòd Romanus Pontifex sit supremus, probatur ex eodem Concilio, in quo talis legitur Canon. placuit, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu deiecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit audire, & iustum putauerit, vt renouetur examen scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligentèr omnia inquirant, & iuxtà fidem veritatis diffiniant. Quòd si quis negat causam suam iterùm audiri, & deprecatione sua moueri Episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat. Erit in potestate Episcopi quid velit, & quod existimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent; habentes auctoritatem eius, à quo destinati sunt, erit in eius arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos, vt negatio terminum imponat, faciet quod sapientissimo Concilio suo iudicauerit. Et ità retulit Zozimus Papa (qui fuit vigesimus quartus antè B. Gregorium) in commonitorio dato Faustino Episcopo Potentianæ plebis, Philippo, & Asello presbyteris legatis Apostolicæ Sedis ad Concilium Carthaginense, & legit Dauid notarius ad iussum Aurelij, vbi & S. Augustinus interfuit, & responsum eius in Codice Canonum pleniùs continetur. Vndè ex hoc liquet plures fuisse Canones Concilij Nicæni, quàm 20. & satis liquet ex beato Athanasio, qui idem Concilio interfuit cum sene Alexandro Episcopo, quòd fuerunt 70. cap. fuit scribit ad Marcum Papam, qui fuit successor Syluestri, & Iulius Papa fatetur se, ità reperijsse in scrinijs. Et sic soluitur apparens repugnantia, quæ posset suboriri alicui de numero Canonum Concilij Nicæni, quæ aliquando mouerat patres Aphricanos, quam etiam diluit dudum Gratianus dist. 17. cap. septuaginta, & seq. hoc adde temporibus Syluestri etiam fuisse legatos à latere, patet ex illo Canone Nicæni Concilij, quare non est res noua, vt superiùs probauimus ex Cardinalibus, quia illos presbyteros in senatu Pontificis arbitror semper fuisse, vt liquet præter suprædicta. Ex subscriptione Concilij habiti sub Gregorio Magno, & hic ex Nicæno Concilio, quem ordinem senatorium Romanæ Ecclesiæ à Petro durasse crediderim, sicut in Apocalypsi viderat Ioannes viginti quatuor seniores adstantes agno &c. Vndè inuenio eos tempore Syluestri, sub quo celebratum est Concilium Nicænum appellatos fuisse Cardinales, vt superiùs meminimus. Non tamen me præterit, quod Innocen. IV. in Concilio Lugdunensi pro insigni Aristocratiæ maiestatis, in Ecclesia, dedit eis Pileum rubeum, seu galerum, sed quid excurro, hoc volui annotare, sicut hodie sunt legati aliqui Papæ. Aliqui verò specialiter à latere, ità fuisse tempore Nicæni Concilij ex Canone liquet. Porrò prosequamur ea, quæ nostro proposito deseruiunt, Iulius Papa in defensione S. Athanasij contrà schismaticos orientales Ecclesiæ Episcopos (quos eadem epistola citatos testatur ad Romam) plurium meminit Canonum. Hi tamen potissimùm nobis deseruiunt Et omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellant Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiæ causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum auctoritas, reseruauit. Expende quæso lector semper hoc fuisse, quod Patres in Concilio agnouerunt antiquorum esse insti-

stitutum, Romanam Sedem esse matrem omnium &c. Alius Canon. Quoniam culpantur Episcopi, quia aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papæ fieri placuerit, placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa liceret appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos eius tractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex causam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus, quoniam quamquam comprouincialibus Episcopis accusati, coràm eisdem Pontificis acta scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice permissum est, consonat 15. Canon interpretationi Zozimi. Alius Canon sequitur. Si quis putauerit se à Metropolitano grauari, apud primarem diœcæseos, aut penès vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam iudicetur. Alius Canon, placuit, vt si accusatus, vel damnatus Episcopus appellauerit Rom. Pont. id statuendum, quod ipse censuerit. Et in quibusdam alijs Canonibus vniuersalibus dicitur. Salua in omnibus Romanæ Ecclesiæ auctoritate. Alius Canon. Et prouincialis Synodus retractetur per vicarios vrbis Romæ Episcopi. Si ipse decreuerit. Aliàs Primates accusarum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti auctoritate, aut reum seipsum, aut per Innocentes, & Canonicè examinatos regulariter testes, conuincatur. Idem Concilium statuit, antiquitas teneat omnem talem ordinationem graduationem, quæ apud Ethnicos fuit in primatijs diffinitum inspirante Spiritu sancto. Repetit Iulius, & Hismarus Remensis contrà Lauden. cap. 15. modò in Capitolio fuit Summus Pontifex. Ob id in Concilio Chalcedonen. Episcopus Nicænus fuit prælatus Episcopo Basianupolitano, vt legitur actione 12. eiusdem Concilij. Et in epistula formata eiusdem Concilij, sicut renarrat Burckhardus Wormatien. In suo decreto, & meminit Gratianus 84. dist. In nomine Domini. Ego N. Episcopus humilis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & in vnitate Sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est ius ligandi, & soluendi. Hæc omnia refraganrur diuersario, qui non vult antè Beatum Gregorium orientales fuisse sub Romano Pontifice, cum tamen Nicæa vrbs sit Bythiniæ, Asiæ minoris prouinciæ, secundùm Strabonem, Ptolomæum, Melam, Dionysium, & alios, & cum decretum ibi sit, posse Episcopum in causa depositionis appellare Summum Pontificem, constat Rom. Episcopum esse supremum Ecclesiæ monarcham, hæc de Nicæno Concilio.

CAPVT XIX.

Primatus Rom. Eccl. probatur ex Concilijs Chalcedonensi, Constantinopolitano, Synodo 6. Et Ephesina, & ibi de Leone cassante Concilium Ephesinum primum.

Cæterùm commendatissimum Concilium fuit Chalcedonense d. cap. & 30. Episcoporum, cuius Canon iste legitur. Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habet potestatem appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum, petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi infamiam secundùm claues sibi à Deo datas. In eodem Concilio acclamatum est Papæ Leoni Magno, Leo Sanctissimus Apostolicus, & œcumenicus Patriarcha viuat per multos annos. En syncerè lector, vt vetustatis te commonefaciam, scripserat Leo epistolam ad Flauianum Constantinopolitanum Patriarcham, qui eius sententia fretus in Concilio Constantinopolitano Nestorium, & Eutyceem damnauerat. Sed Theodosio Imperatore annuente Synodus Ephesina Dioscoro Alexandrino iniquitatis ministro præsidente indicitur, vbi Eutyces restituitur, Flauianus damnatur. Leo Papa Romanus excommunicatur, ad quos errores destruendos Chalcedonense Concilium opera Leonis in Bythinia conuocatur, adiuuante Martiano catholico Imp. vbi lecta est illa Leonis epistola. Et dixerunt vniuersi Patres, hæc est Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Hæc omnia credimus, Orthodoxi ità credimus, anathema sit, qui non ità credit, Petrus per Leonem locutus est. Et quia magna disceptatio fuit in eo Concilio super primatu Pontificis Romani, eo quòd Dioscorus excommunicauerat Leonem, tamen liberè pronunciauit Concilium illud Asiaticum, Romanum Pontificem esse primum.

Vndè super allegationibus, tàm Romanæ, quàm Constantinopolitanæ Ecclesiarum primatus sic decreuit, ex his, quæ gesta sunt, vel ab vno quoque deposita perpendimus. Antè omnia quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones. Antiquæ Romæ Reuerendissimo Episcopo conseruari. Oportet autem Reuerendissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis vrbis nouæ Romæ, iisdem primatus honoribus dignum esse, & potestatem habere ordinare Episcopos in Asia Pontica, & Thracia diocesibus, secundùm hunc modum, vt decreto facto à clericis vniuscuiusque Metropolis, & possessoribus clarissimis super hæc, & à Reuerendissimis Episcopis prouinciæ omnibus, aut pluribus eligi quantumcumque præfatæ Ecclesiæ Metropolitanæ dignum esse probauerint, referri autem ab omnibus eligentibus sanctissimo Archiepiscopo Constantinopolitano. Vtrùm sic si velit, hunc qui electus est deductum, sic ordinare, aut secundùm eius promissionem in prouincia Episcopatus mereri decretum, & infrà. Quæ autem videntur, sanctum, & vniuersale Concilium docere dignetur.

tur. Reuerendissimi Episcopi dixerunt, hæc iusta sententia, hoc omnes dicimus, hoc omnibus placet, & quod interlocuti sumus, rota Synodus comprobauit. Habes in oriente decisum. Romanum Pontificem esse suprẹmum. Nam Chalcedon. quoque in Bythinia est, in Asia minori, & Valentinianus indixerat Concilium in Nicæa, sed ad instantiam legatorum Papæ transtulit in Chalcedona ob publicas necessitates magis idoneam; vides hic Patriarchatum Constantinopolitanum, qui eundem habet honorem per Thraciam, Pontum, & Asiam, quem Rom. Pont. in suo Patriarchatu, sicut Nicænum Concilium subiecit Alexandrino Patriarchatui, Lybiam, Ægyptum, & Thebaidã; accedat & aliud magnum Concilium Constantinopolitanum à 150. Episcopis contrà Macedonium, & Eudoxium hẹreticos sub Theodosio Imperatore Nestorio Archiepiscopo Constantinopolitano, vbi primò omnes Canones Nicæni Concilij fuerunt approbari, & Canone 2. dicitur. Verùm tamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd vrbs ipsa sit iunior Roma. Renarrat Gratianus dist. 22. Constantinopolitanæ etenim Sedi senioris Romæ propter Imperium illius ciuitatis, diguè patres priuilegia reddiderunt, eadem intentione permoti, omnes Reuerendissimi Episcopi æquè sanctæ sedi nouæ Romẹ priuilegia tribuerunt, rationabilitèr iudicantes. Imperio, & senatu vrbem ornata, ẹque priuilegijs senioris Romẹ frui, & in Ecclesiasticis, sicut illam haberi negotijs, & secundam post illam existere, & ab hoc Nicẹnum fuit allatum Concilium, & per hoc Concilium, & Chalcedonense fuit mutatus ordo Patriarchatuum. Quia apud Martyres, & alios Romanos Pontifices Alexandria fuerat secunda sedes post Romanam. Sicut lib. 1. ostendimus ex Anacleto dist. 22. Sacrosancta. Et Leo Papa diù ẹgrè tulit in Chalcedonensi Concilio Constantinopolitanam prẹlatam Alexandrinẹ, Sexta Synodus primò quidem Constantinopoli sub Constantino IV. patre congregata; dein post 4. annos sub Iustiniano filio renouauit constitutionem Concilij iam memorati, dicens Canone 41. renouantes sancti Concilij Constantinopolitani decreta, petimus, vt Constantinopolitana Sedes similia priuilegia, quẹ Roma inferior accipiat. Et in Ecclesiasticis negotijs magnificetur, vt illa secunda post illam existens, postquam Alexandrina sedes numeratur, deindè Antiochena: Et posteà Hierosolymitana. Transcripsit Gratianus cap. renouantes dist. 22. In his omnibus intuere ab antiquo antè tempora B. Gregorij Romanam Ecclesiam fuisse superiorem alijs Ecclesijs. Cuius contrarium, tam firmiter diuersarius asserit. Alterius Synodi Constantinopolitanẹ canon habet, veneramur secundùm scripturas, & canonum diffinitiones sanctissimum antiquẹ Romẹ Episcopum primum esse, & Maximum, & ex eodem Concilio 6. scripserunt ad Agathonem de gestis eiusdem Concilij, nos quidem tibi, qui in prima sede vniuersalis Ecclesiẹ Sedes, & stas super fidei firmam petram, quẹ à nobis in Synodo gesta sunt prẹsentauimus, Concilium sacrum Ephesinum non discrepat à prioribus, In quo Petrus Rauenuẹ Episcopus ait. Quod stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radij, quod fonti riuuli, hoc Apostolicẹ sedis reuerentiẹ debent omnes Ecclesiẹ, quas vbique terrarum rẹligio christiana fundauit, doctus facilè explicat hẹc Symbola, quomodo faciant pro primatu Romanẹ Ecclesiẹ.

CAPVT XX.

Primatus Petri probatur ex Sardicense Concilio, & quomodo illud sit approbatum, & cur Aphris fuerit suspectum, de Ariminensi Concilio reiecto.

SAcrum item Sardicense Concilium, quod non diù post Nicẹnum Concilium celebratum est, in Sardica, Osio prẹsidente canone 7. confirmauit decretum Concilij Nicẹni suprà memoratum, posse Episcopum à suo gradu deiectum appellare Summum Pontificem. Renarrat Gratianus 6. quẹst. 4. Osius dixit. Idem canone 3. ait. Si in aliqua prouincia aliquis Episcopus contrà fratrem suum Episcopum litem habuerit. Vnus ex duobus ex alia prouincia aduocet cognitorem, quod si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterùm Concilium renouetur, si vobis placet, S. Petri memoriam haberemus, vt scribatur ab his, qui causam examinauerunt Iulio Romano Episcopo, & si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices; respondit Synodus placet. Scias tu studiosè Lector Osium istum fuisse Cordubensem Episcopum Hispaniæ, & cum Victore, & Vincentio presbyteris Romanis nomine Syluestri prẹfuit Concilio Nicẹno, ille idem sub Iulio Papa prẹfuit Concilio Sardicensi cum Vincentio de Capua, & Calipedio Neapolitano legatis Sedis Apostolicẹ. Non me prẹterit, quid calumniator obijcere posset, quia B. Augustinus illud Concilium non reputauit catholicum, sed Arrianum, imò cum collegis suis 216. Episcopis recusauit acceptare statuta illius Concilij. At ego sic respondeo, Ecclesiam Aphricanam in hoc non benè egisse, quòd Concilium illud non acceptauit, non moueor verbis Augustini reputantis Concilium illud Arrianum, quia eidem interfuit Sanctus Athanasius, Arriani dogmatis euersor, & se subscripsit, fuit enim 16. in ordine, qui erroribus Arrianis non acquieuit. Et testatur hoc Bonifacius Papa Romanus (ab Augustino quoque laudatus) ad Eulalium Alexandrinum Episcopum, quomodo Aphri in hoc errauerunt. Vndè reducti sunt ab illo errore. Nam cum in Sardicensi Concilio fuerint Episcopi ex Asia, Ægypto. Grẹcia, Aphrica, Italia, Hispania, ipsum fuit receptum, & approbatum, in octauo Concilio generali. Vndè & Nicolaus Papa scribit Michaeli Imperatori Constantinopolitano canon 15. Quod dicitis, neque Sardicense Concilium, neque decretalia, vos habere Sanctorum Pontificum, vel recipere, non facilè vobis facultas credendi tribuitur. Maximè cum Sardicense Concilium, quod penès

vos

vos in vestris regionibus actum est, & etiam Ecclesia recipit, qua ratione conuenerat, vt hæc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret. Et vt dictum est non retinetet. Sed moueris candidè Lector, quid impulerit Augustinum, & senum Aurelium. Ad suspicandum Concilium illud esse Arrianum, afferam tibi remotiora. Quia Osius in extremo vitæ suæ suspectum se reddiderat de Arriana perfidia, & diffamauerat, & quia potissimum suis auspicijs actum erat Sardicense Concilium, Ideò non mirum, si sancti patres Aphricanæ Ecclesiæ absque fermento malitiæ, se difficiles fecerunt ad illud Concilium acceptandum. Quod vt planius agnoscas. Non fastidias prolixiorem negotij narrationem. Constantius Augustus Constantini magni filius, Arriana hæresi infectus apud Ariminium Italiæ numerosam vtriusque orbis Synodum Episcopalem collegit, sicut vir eruditissimus Sulpicius Seuerus in chronicis suis refert, & aduersùs fidem catholicam cupiens venena reuoluere. Ecclesiam Dei tyrannica vsurpatione turbauit, denique coacti patres, vel metu principis, vel Tauri præfecti præsentia, cui executio taliter fuerat delegata, vt si maior pars Concilij in Arrianorum sententiam consentiret, ipse consulatus insignia mereretur. Penè omnes Episcopi, qui ibidem fuerunt subscripserunt. Sed postea iterum diuino inspirante præsidio, quamplurimi agentes pœnitentiam, datis quoque libellis ad sanctam Ecclesiam, de qua plus necessitate, quàm voluntate discesserant, redierunt. Vnde, & in æternum ab omnibus catholicis Ariminensi Concilio rectè dicitur anathema, quod si quis dicere neglexerit, Catholicus non est. Hunc ergo Osium (prædictus Sulpicius refert) in longa Synodi disceptatione placuit missa Episcopali legatione, debere perquiri. Vtrum in sancta, & venerabili Nicæna congregatione, in qua præsens fuerat Omousion, sicut nos catholici rectè confitemur vnius cum patre substantiæ filium, an certè sicut Arriani obtendunt Omousion, quod est similis cum patre substantiæ filium, 318. patres nostros confiteri decreuissent, qui siue per longam ætatem desipiens, siue pro assentatione principis huiusmodi responsum reddidisse perhibetur. Vtramque partem rectè intendere, quæ confessa fuerit, siue Omiousion, siue Omousion, cuius sententiam, quoniam ita stultè prolata est, ab omnibus catholicis, etiam Arrianis, vno ore irrisa est, & refutata ob id etiam in ciuitate Corduba, in qua Episcopatum tenuit. Post hanc responsionem nomen eius inter Catholicos Episcopos antecessores eius minimè recitatur. Hæc ergo Osij diffamatio absterruit Aphricanos patres. Nam cum 21. sint Canones eius Concilij, sedecim ad eius propositionem sunt recepti, reliqui quinque ad Gaudentij, Alipij Ianuarij, & Aetij suggestionem sunt æditi. Quare auctor suspectus, re nondum benè cognita, quoque Canones suspectos fecit Aphricanis patribus, neque hoc mirum esse alicui videri debet, tot tunc hæresibus exurgentibus, adeò vt etiam Hieronymo suspectus esset Augustinus ab initio, & ipse quoque Augustinus subdubitabat, aliquando de Hieronymo, quare nullus mirari debet, si Osius à Catholicis confutatus, Aphris fuit cum omnibus suis decretis suspectus.

CAPVT XXI.

Primatus Petri probatur ex Concilio Syluestri, Marcelli, Symachi, & Hormisdæ.

Accedamus ad Concilia Romana, Syluester, is, qui primus Roman. Pontific. non sine sanctitate, sine tamen Martyrio decessit, conuocatis post Nicænum Concilium 176. Episcopis Romæ inter multa alia salubriter constituta, vltimo canone sanxiuit. Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes à prima sede iustitiam desiderant temperari, subscripserunt huic Concilio 176. Episcopi cum Constantino Imperatore, & matre Sancta Helena. Romæ coacta est Synodus aduersùs Marcellum Papam, qui humana passus, tempore Diocletani mortis timore Idolis sacra fecerat, & posuerat thura. Obtulit se humillimus pater correctioni Synodi. Sed nullus eorum, qui aderant sententiam in eum proferre ausus erat, dum ei sæpissimè omnes dicerent, tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio, & iterum ei dicunt. Prima sedes non iudicatur à quoquam. Renarrat Gratianus dist. 21. Nunc autem benè aliqua addit, quæ non reperio in originali. Non est opus, vt quis calumniator objiciat mihi Concilium Aphricanum contra Pelagium, & Celestum habitum. Nam gloriosissimis Imperatoribus Honorio, Augusto 16. & Theodosio octauo Conc. kalen. Maias Carthagine, in secretario Fausti. Cum Aurelius Episcopus consedisset, adstantibus Diaconibus, placuit omnibus Episcopis, & sequitur Canone 17. vt presbyteri, Diaconi, & cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerunt. Si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est, finiant adhibiti, ab eis ex consensu Episcoporum suorum, quod si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Aphricana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo intrà Aphricam in communione suscipiatur, transcripsit Gratianus 2. quæst. 6. placuit, ad facilè excutere, quod loquitur de clericis, & inferioribus. Nicænum Concilium de Episcopis, quòd si contendas eos etiam exercuisse in Episcopo, vt in affiario respondebimus libro tertio, Symachus quoque Papa Romano Concilio præsidens, Concilio suo secundo præsidentibus Episcopis, 58. & astantibus sibi Diaconibus, Anastasio, Hormisda, Ioanne, & Arapito. Inter alia decreuit Eulalio Episcopo Syracusano dicente. Quod si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes intra suos terminos Concilio habito, quicquid sine Metropolitani sui antistitis, vel auctoritate statuerint, irritum esse debere, patres sancti sanxerunt. Quantò magis, quòd in Apostolica sede, non existente præsule, qui prærogatiuam, merito beati Apostoli Petri per vniuersum orbem primatus obtinens sacerdotij, statutis Synodalibus consueuit tribuere

buere firmitatem, à laicis, licèt consentientibus aliquantis Episcopis, qui tamen Pontifici, à quo consecrari probantur, præiudicium inferre non potuerunt, præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica statura vllo modo censeri. Loquitur de statuto facto per Basilium patritium vicarium Odoacris Regis in præsentia aliquorum Episcoporum de electione Summi Pontificis, & eius auctoritate, quod ibi in Concilio fuit retractatum, postremo clerici, abbates Hierosolymitani, Antiocheni, & secundæ Syriæ deprecationem, & supplicationem porrexerunt Hormisdæ Papę, & Iustino Imperat. in qua inter alia dicunt de fide Ecclesiæ, haurire aquam cum letitia ex fonte salutis. Esayas propheta exclamat fontes salutis, Euangelicas veritates, & prædicationes manifestè ostendens. Ex quibus beati Apostoli, & eorum qui per ordinem fuerunt discipuli, & sapientes Ecclesiæ doctores salutarem aquam fidei haurientes, omnem sanctam Ecclesiam Dei irrigarunt, quæ in petra summi Apostolorum subnixa, rectam in influxibilem confessionem custodiens, fiducialitèr cum eo ad vnigenitum Dei filium, omni tempore exclamauit dicens. Tu es Christus filius Dei viui. Liquet iam etiam orientales agnouisse Petrum summum fuisse Apostolorum, & super eum, velut petram ędificatam forè Ecclesiam, & ad Papam habuerunt recursum velut successorem Petri. Vndè ei conquæruntur, quæ ab hæreticis patiantur, & Papa eos coosolatur, sicut epistolæ inuicem missæ restantur.

CAPVT XXII.

Papæ primatus probatur ex Concilijs Lateranen. Romano, Lugdunen. Constantien.

Concilia recentiora adferamus, quæ etsi aspernetur diuersarius pro sua temeritate, at quia Christus sponsam suam Ecclesiam non derelinquit, cuius fidem promisit indefectibilem, & cum qua mansurus sit vsque ad consummationem sæculi, ideo non abstetrebit nos, quin accedant, & nostro ordine diuersarij falsam sententiam expugnatura. Primum Concilium Lateranen. generale in Laterano habitum sub Innocen. III. In quo saluberrimum constitutum est præceptum de confessione quotannis facienda tempore paschæ. In eo fuit etiam condemnata sententia abbatis Iochini, vbi de Ecclesia Romana inter alia ait. Quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est, & regina, legitur cap. damnamus, de sum. trinit. & fid. catholic. & alio Canone eiusdem Concilij ait. Antiqua patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sancta & vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum, locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate. Ità quòd postquam antistites eorum à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento libentèr, & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem, dominicæ verò crucis vexillum antè se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicunque Summus Pontifex præsens fuerit, aut eius legatus vtens insignis Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorumdem iurisdictioni subiectis, ad eos, cum necesse fuerit, prouocetur solius appellationibus ad sedes Apostol. interpositis, quibus est ab omnibus humilitèr deferendum. Hic sacrum Concilium testatur Romanam Ecclesiam obtinuisse principatum super alias Ecclesias, & ab omnibus appellari posse ad Romanam sedem. Sic Alexander III. in Concilio Romano diffiniens, cur à duabus debeat eligi partibus, cum in alijs Ecclesijs, ad electionem Episcopi sufficiat maior pars, & tedit rationem, quia in alijs Ecclesijs, quod in dubium venerit, superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana verò Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem haberi recursus, habes Synodum affirmantem alias Ecclesias habere superiorem, sed non Romanam, legitur cap. licèt de elect. Tertiò in Concilio Lugdunen. sub Gregorio decimo, vbi contra Græcos fuit diffinitum Spiritum sanctum procedere à patre, & filio, ait Synodus, hoc professa est, hactenus prædicauit, & docuit, hoc firmitèr tenet, & prędicat, & profitetur, & docet, sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra, hoc habet orthodoxorum patrum, atque doctorum latinorum, paritèr & Grecorum, incommutabilis, & vera sententia. Quid ambigis, Romana Ecclesia omnium fidelium mater est, & regina, cap. 1. de sum. Trinit. & fid. catholic. in 6. Idem Concilium in alio Canone ordinans formam eligendi Summum Pontificem, inter alia ait. Cum igitur de creatione vicarij Iesu Christi successoris Petri rectoris vniuersalis Ecclesiæ, gregis Dominici directoris, omni priuatæ affectionis inordinatione deposita, & infrà, vt eorum ministerio acceleretur vtilis, & per necessaria totius mundi prouisio, idoneo celeritèr eidem Ecclesiæ sponso dato, sacra Synodus Hic liberè pronunciat Papam vniuersalis Ecclesiæ rectorem tàm, quod pertinaciter adhuc negat diuersarius noster, cap. vbi periculum, de elect. lib. 6. sic aliud Concilium Lugdunense sub Innocen. IV. celebratum ait, pro humani generis redemptione de summis cœlorum ad ima mundi descendens, & mortem tamdem subiens temporalem, Dei filius Christus, ne gregem sui prætio sanguinis gloriosi redemptum ascensurus post Resurrectionem ad patrem, absque pastore desereret, ipsius curam Beato Petro Apostolo (vt suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis suæ opera accenderet deuotionis ardore) commisit. Vndè nos eiusdem Apostoli, disponente Domino, licèt immeriti successores, & ipsius redemptoris locum in terris, quamquam indignè tenentes, circà gregis eius-

eiusdem custodiam, sollicitis excitati vigilijs, & animarum saluti iugi attenrione cogitationis intendere, submouendo noxia, & agendo profutura, debemus, vt excusso à nobis negligentiæ somno, nostique cordis oculis diligentia sedula vigilantibus, animas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Habes Petro vniuersalem curam gregis commissam. Vndè ob hoc Io. 22 rationabiliter condemnauit Marsilium de Padua. Bonifacius Octauus pauperes de Lugduno, Et laudatissimum Constantiense Concilium Ioannem de Wicleff Anglicum, Ioannem Huss, & Hieronymum Boemos. Vndè ex 223. articulis contrà Wicleff depositis sacrum, & laudabile Concilium Constantiense condemnauit 45. & nonos articulus fuit iste, post Vrbanum Sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Græcorum, sub legibus proprijs articulus 37. Ecclesia Romana est synagoga sathanæ, nec Papa est immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum. Articulus 41. non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias, qui declaratus est esse erroneus. Si per Romanam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summ. Pontif. super alias Ecclesias particulares. Sic art. Ioan. Huss. similis sunt perfidiæ. Articulus 7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ catholicæ. Articulus 9. Papalis dignitas à Cæsarea inoleuit, & Papæ perfectio, ac institutio à Cœsare emanauit. Articulus 10. nullus sine reuelatione asseteret rationabiliter de se, vel de alio quod esset caput Ecclesiæ particularis sanctæ, vel Rom. Pontif. caput Romanæ Ecclesiæ. Atriculus 11. Non opottet credere quod iste quicumque est Roma. Pontifex sit caput cuiuslibet Ecclesiæ particularis sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit. Articulus 15. obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem scripturæ, Articulus 26. Non eo ipso quod electores, vel maior pars eorum consenserit viua voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona legitimè est electa, vel quòd eo ipso est manifestus, & verus successor, vel Vicarius Petri Apostoli. Artic. 27. Non est scintilla apparentiæ, quòd oporreat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum illa militante Ecclesia conuersetur. Isti articuli sernè omnes à tam laudatissimo vniuersali Concilio Constantiensi condemnati sunt de sententia diuersarij, ideò eius doctrina est tamquam reprobara, ac condemnata abijcienda, nec est opus, vt error semel reprobatus denuo abijciatur. Ait Gelasius Papa, cap. Maiores 24. quæst. 1. vndè non licèt alicui fideli post tanti Concilij diffinitionem hoc reuocare io dubium. Cùm in eo maximo schismate extincto, omnia regna in vnam redierunt concordiam, & obedientiam Martini V. Consentientibus Germanis, Italis, Gallis, Hyspanis, Anglis, Vngaris, Dacis, Polonis, & Scotis, in præsentia, & iudicio doctissimorum, & probatissimorum virorum Ioannis Gersonis, Petri Cameracen. Iacobi de Florentia, Nicolai Dinckelspuel, Henrici de Pyro, Ioan. de Vercellis, Simonis de Perusio, Petri de Anchorano, Ioan. Reghusium Archiepiscopi, Conradi de Susuto, Ioannis Antiocheni. Et aliorum erudititissimorum virorum. Vndè qui negat mihi hoc Concilium, erit mihi, sicut Ethnicus, & publicanus.

CAPVT XXIII.

Primatus Papæ probatur ex Concilijs Florentino, & Romano, & de Gracis reuersis.

Constantiense Concilium maximam auctoritatem, & famam consecurum est, quòd tanti schismatis facta est extirpatio, & quòd tres obedientiæ sub Io. 23. Gregor. XII. Benedicto XIII. ad vnionem veneruut post multa fatigia Concilij Pisani, & Romani, Ità dein fuit laudatum Concilium Florentinum, quòd in eo facta est vnio Ecclesiæ Grecæ, dudum schismaricæ, cum Ecclesia latina, vbi etiam Rex Armeniorum iterum redijt in gremium Ecclesiæ, qnod Concilium sub Eugenio IV. celebratum est, vbi huiusmodi sententia legitur. Diffinimus sanctam, & Apostolicam Ecclesiam, & Romanorum Pontificum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium christianorum Patrem, ac doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Ckristo plenam potestatem daram, sed quia non solum super isto puncto Græci tunc subdiderunt se, & vniuerunt Romanæ Ecclesiæ. Sed & super multis alijs, quos tamen Græconicos errores adhuc videtur inritulari diuersarius noster. Ideò consultum apparet, & alia recensere eius Concilij decreta, velut Blondus Flotius Forliuiensis narrat. Cuius viri verba ea de re referre constitui, quoniam non solùm Concilio interfuit, sed pontificis secretarius, ac scriba constiturionem ipse perscribit, & mandato Pontif. per vniuersum christianum orbem Ecclesijs legendam, tenendamque transmisit. Is igitur lib. 13. decadis sic scribit. Ioanne Paleologo Imperatore cum ea Græcorum multitudine, quam secum aduectam ostendimus, apud pontificem Eugenium Ferrariæ constiruto, habitæ sunt singulis propè diebus publicæ disputationes. Huic latinis, occidentalibusque rerum diuinarum, iurisque pontificij petitioribus, qui apud pontificem accerti, conuenerant, opiniones, ritusque Græcorum ordine expositos, improbantibus, illis è contrà tueri, aut aliter, sanioremque in partem, quam à nobis acciperentur interpretari annixis. Et cum multos menses ea durasset contentio, nec certus appareret tantæ rei finis, Ferrariam pestis inuasit, quæ cum curiales. maximè popularetur pontificem perpepulit. vt Concilio translato, Florenrina demigraret, vbi sexto postquam applicauerat mense, post multas, perniciosissimasque partium disceptationes, ad eam deuentum est conclusionem, qua serio enarrata facillimum

limum intellectum eſt, qualia fuerint, quæ tot præſtantes vtriuſque partis viros menſium quindecim diſputatione diſtinnerunt eam, verò ex decrero quòd ſummo partium couſenſu latinis pariter, & Græcis ſcriptum literis, per vniuerſum orbem miſimus, verbis ſuis referemus. Conuenientes namque latini, & Græci in ſacroſanctam œcumenicam Synodum Florentinam, magno ſtudio inuicem annixi ſunt, vt inter alia articulus ille de diuina Spiritus ſancti proceſſione, ſumma cum diligentia, & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis verò teſtimonijs ex diuinis ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus ſanctorum Doctorum Orientalium, & Occidentalium, aliquibus ex Patres, & Filio, quibuſdam à patre per filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum, & eandem intelligentiam accipientibus omnibus ſub diuerſis iocalibus, Græci quidem aſſeruerunt quòd id, quod dicunt, Spiritum ſanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, vt Filium excludant. Sed quia eis videbatur, vt aiuut, latinos aſſerere Spiritum ſanctum ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & duabus ſpirarionibus procedere, ideò abſtinnerunt à dicendo, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat, & Filio. Latini verò affirmauerunt non ſe hac meute dicere Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere, vt excludant Patrem, qui ſit fons, ac principium totius deitatis Filij, ſcilicèt, & Spiritus ſancti, aut quòd id, quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre nou habent quod ponant duo principia, ſeù duas ſpirationes, ſed vnam eſſe aſſerant, vnicamque ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenùs aſſeruerunt. Et quoniam ex his omnibus vnus, & idem eliciatur veritatis ſenſus, tandem in infraſcriptam ſanctam, & Deo amabilem, eodem ſenſu, & eadem mente, ſenteutiam, vnanimiter concordarunt, & conſenſerunt. In nomine igitur ſanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc ſacramento vniuerſali approbante Concilio, diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omues confiteantur quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpirationum procedit, declarantes quòd id quod Doctores ſancti, & patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum. Ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe, ſecundùm Græcos quidem cauſam, ſecundùm verò latinos principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut, & Patrem, & quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipsũ quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius ęternaliter habet à Patre, à quo etiam æternaliter genitus eſt, diffinimus inſuper explicationem illorũ verborum, Filioque procedit, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè, & rationabiliter fuiſſe appoſitam. Item in azimo, ſeù fermentato pane triticeo corpus Chriſti veracitèr confici, ſacerdotemque in altare ipſum corpus Domini conficere debere, vnumquemque ſcilicèt iuxtà ſuæ Eccleſię, ſiuè Occidentalis, ſiuè Orientalis Eccleſiæ conſuetudinem, item ſi verè pœnitens in Dei charitate deceſſerit. Antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & obmiſſis, animas eorum pœnis purgatorij poſt mortem purgari, & vt à pęnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, ſcilicèt ſacrificia, orationes, eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta, illorum quoque animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt. Illos etiam, qui poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel ex eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ. In cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate. Alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali, & mortali peccato, vel ſolo originali decedunt. Mox in infernum deſcendere, pęnis tamen diſparibus puniendas. Item diffinimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum pontificem ſucceſſotem eſſe beati principis Apoſtolorum, & verum Vicarium Ieſu Chriſti. Totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium chriſtianorum patrem, & doctorem exiſtere, & ipſi B. Petro paſcendi regendi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Quemadmodum, & in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur, renouantes inſuper ordinem traditum in canonibus veterum venerabilium Patriarcharum, vt Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanum pontificem, Tertius vero Alexandrinus, Quartus autem Antiochenus, Quintus Hieroſolymitanus ſaluis videlicèt priuilegijs omnibus, & iuribus eorum, ingenti hæc vnio pontifici Eugenio, apud omnes nomen profeſſos chriſtianum, gloriæ fuit. Hæc Blondus repetit Dominus Marcus Vigerius Saonem Cardinalem eruditus, in ſuo decachoro. Hoc idem ſępè teſtatum eſt, in nouiſſimo Concilio Romano celebrato anno gratiæ 1511. ſub Iulio Secundo, vbi in ipſa conuocatione Concilij, dicit ſanctam Romanam Eccleſiam, magiſtram fidei, veritatis alumnam, omnium errorum expertem, vnicam, & immaculatam, diuina inſtitutione ſanctorum, auctoribus Conciliorum canonumque omnium teſtimonio, Eccleſiarum cunctarum primatum tenentem, fidelium matrem &c. Et in monitorio contrà tres Cardinales, ait. Cęleſtis latitudo potentiæ, diuina prouidentia cuncta diſponens, vt Eccleſiæ triumphanti militantem Eccleſiam ſimilem faceret, voluit Summo Pontifici Chriſti Vicario, Dominici gregis paſtori, adeſſe in regenda, & gubernanda vniuerſalis Eccleſiæ monarchia. Conſiliarios, & miniſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Et in vltima Bulla conuocationis Cardinalium à Piſis ad Concilium Romanum, ait. Saluator Dominus noſter Ieſus Chriſtus &c. factus paſſibilis pro ipſius humani generis ſaluatione, cuius ſic redempti, & à poteſtate diaboli liberati. Curam B. Petro

cęlestis regni clauigero Apostolorum principi, & successoribus suis, commisit omnem potestatem, & principatum super omnes tribuendo, eumque caput vniuersalis Ecclesiæ constituit. Omisit etiam circà œcumenicum Concilium Florentinum, de Græcis addere. Quod Platina meminit, abeuntibus Græcis, Armenio, etiam cum fide nostra conuenisses sublatis crebris disputationibus eorum erroribus, promulgarisque Eugenij literis super ea re, quæ rationem concordiæ ostenderent. Cùm inscriptione, datum in sacrosancta œcumenica sessione Concilij Florentini, quod in Cathedrali Ecclesia habitum est. Anno Domini 1439. die 22. Nouembris, ità hæc inuicta veritas à tot sæculis per omnes ætates salua mansit, & incolumis.

CAPVT XXIV.

Primatus Petri probatur ex orationibus Ecclesiæ de sancto Petro, & in consecratione, & coronatione Papæ.

ACcedat hoc vltimo loco sancta mater Ecclesia. Cuius vocem omnes fideles audire debent, nam vt Ambrosius in Symbolo, ait. Non habebit Deum patrem, qui noluit habere Ecclesiam Matrem, orat autem sancta mater Ecclesia pro Romano pontifice in die sanctæ parasceues, Deus omnium fidelium pastor, & rector famulum tuum Leonem, quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Non euades negando præces illas Ecclesiæ. Quoniam sic Cęlestinus Papa contrà Pelagianos vtitur orationibus Ecclesiæ. Confirmando acitata in Concilio Aphricano. Vndè iniuriosè, & falsò diuersarij propugnator mihi aliqua proposuit, ac si præculas Ecclesiæ negarem, quod nunquam feci. Nec vnqnam admissurus sum, Dei gratia coadiuuante, & me subleuante. Porrò in consecratione Romani pontificis orat Ecclesia, idcircò huic famulo tuo Leoni, quem Apostolicæ Sedis præsulem, & primatem omnium, qui in orbe terrarum sunt sacerdotum, & vniuersalis Ecclesiæ doctorem dedisti, & infrà: tribuas ei Domine cathedram pontificalem ad regendum Ecclesiam tuam, & plebem sortis tuæ intra mundi limites vniuersi. Et in coronatione eius prior Episcoporum Cardinalium tertiam dicit orationem, Deus qui Apostolum tuum Petrum inter cęteros Apostolos primatum tenere voluisti, eique vniuersæ christianitatis molem super humeros eius imposuisti, respice quæsumus propicius hunc famulum tuum Leonem, quem de humili cathedra, violenter sublimatum in thronum eiusdem Apostolorum principis sublimamus, vt sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ità virtutum meritis cumuletur. Quatenus Ecclesiasticæ vniuersitatis onus, te adiuuante, digne ferat. Sic prior Diaconorum dans ei pallium dicit. Accipe pallium, sanctam plenitudinem pontificalis officij ad honorem omnipotentis Dei. Et papa confirmaturus Episcopum dicit. Mandata cęlestia efficaciter gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Et in natali dię S.Petri canit de Petro sancta mater Ecclesia. Regem adoremus Dominum, qui in cælo, & in terra primum sancto Petro donum dedit ius ligandi, atque soluendi, ob hoc in sacertimo Canone missæ, dum sacerdos pro Dei Ecclesia orat, in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adiuuare, & regere digneris, toto orbe terrarum. Mox orat pro Papa quasi vniuersalis Ecclesiæ pastore, vnà cum famulo tuo Papa nostro Leone (nomen enim Papæ exprimi debet, vt Gelasius tradidit ante mille annos) adiecto dein pastore inferiore vocato in partem sollicitudinis, & antistite nostro, libro primo plura fuere audita de hoc testimonia ex auctoritate Ecclesiæ, sed nolumus velut deridiculus fidicen, qui corda semper aberrat, eadem retinere. Credo itàque cuilibet fidei non temeratio, proteruo, aut pertinaci, persuasum iam esse Petrum habuisse primatum à Christo, quem tenent successores eius Romani Pontifices, quod post Euangelica dicta libro primo, ostendimus in libro secundo auctoritate S.Dionysij, Cypriani, Athanasij, Eusebij, Augustini. Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, Cyrilli. Chrysostomi, Leonis, Maximi, Bedæ, Bernardi, Anselmi, Optati, Lactantij, S.Francisci: sanctis istis Doctoribus copulauimus, sanctos Martyres Romanos pontifices, Diuos Imperatores, & sacerrima Concilia, quæ omnem Christianum Pium, & fidelem ad assentiendum merito astringere debent, & cogere ad credendum, hanc potestatem pontificiam Petri, & successorem esse à Deo, ideo credo pontificem Romanum, sicut locum Petri, ità & principatum nunquam perditurum. Vndè inanissimi sunt cauilli, quos in contrarium duxit ille hæreticus Marsilius de Padua in libro defensorij pacis, fundat nempè se ex textu S. Augustini 9. dist. ego solis. Resoluit enim se ad hoc punctum (quod & diuersarius noster facit) quia auctoritatibus sanctorum Doctorum credere non arctamur, nisi in quantùm se fundant in sacra Biblia. Hæc autem sententia est periculosa post sanctæ Ecclesiæ probabilium doctorum approbationem. Vndè potius debebat acquiescere cap. Ecclesiasticarum 11. distin. quam ità præsumere, & in Chrysopasso prædestinationis latè prosecuti sumus, quid faciat doctorum approbatio, nunc ad alia pergamus.

CAPVT XXV.

Quod sanctus Petrus fuerit executus officium primatus sui.

AVctoritatibus plurimis iam testatum reliquimus beatum Petrum accepisse primatum totius Ecclesiæ, quem, & successores probè tennerunt. Superest, vt rationibus quoque id astruamus; sed antequam hoc faciamus, erit forsan non inutile ostendere Petrum fuisse vsum, & executum officium sui primatus. Quod & breuibus facturi sumus.

Primo enim interrogante Christo. An Apostoli cum alijs discipulis, qui abierant re-

retro abire vellent. Respondit Simon Petrus. Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ
Secundo. habes. Ioan. 6. Sic interrogante Iesu. Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Simon Petrus dicens. Tu es Christus filius Dei viui
Tertio. Matth. 16. dicente item Domino. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet, ait et Petrus. Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?
Quarto. Luc. 12. Christo item dicente, quomodo diuites non facilè Regnum Cœlorum ingredientur, tunc respondens Petrus dixit ei. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus
Quinto. te, quid ergo nobis erit? Matth. 19. & Luc. 18. Sic dum discipuli impleuerunt ambas nauiculas piscibus, & Petrus hoc videns, procidit
Sexto. ad genua Iesu, dicens. Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Lucæ 5. discipulis quoque in mari laborantibus, Domino apparente, & dicente habete fiduciam. Ego sum,
Septimo. nolite timere. Respondens autem Petrus dixit, Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. Matth. 14. Transfigurante se Domino in monte. Respondens Petrus dixit ad Iesum Domine bonum est nos hic esse. Si vis
Octauo. faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. Cũ Christus dixisset de noxa proximo remittenda. Tunc accedens ad eum Petrus, Domine quotiens in me peccabit frater meus, & dimittam ei? Matth. 18. ità sæpè in Euangelica historia plus omnibus Apostolis, legitur, vel respondisse, vel interrogasse Dominum. Vt verissimè à Chrysostomo os Apostolorum appelletur. Caput enim respondit, & interrogat pro subditis, post Resurrectionem quoque interrogauit Dominum, de Ioanne di-
Nono. cens. Hic autem quid? Sed & post Ascensio-
Decimo. nem officium sibi à Domino creditum fideliter, & strennè est executus. Nam mox post eius Ascensionem præsentibus alijs Apostolis, præsidentiæ suæ actum exercuit. Exurgens enim Petrus in medio fratrum dixit. Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, &c. Actuum 1. in tanto fidelium numero præsente etiam Maria Mater Domini, & tota Ecclesia, sanctus Petrus sui officij munus obiuit, & Mathiam in locum Iudæ substituit. Sorte
Vndecimo. diuinitùs data, vt meminimus. Et in die Pentecostes omnes Apostolos defendit. Stans
Duodecimo. Petrus cum vndecim eleuauit vocem suam, & loquutus est eis, viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea &c. Actuum 2. Sic populo admirante de claudo sanato ad portam speciosam. Videns Petrus respondit ad populum, viri Israelitæ, quid miramini
Decimotertio. in hoc &c. Actuum 3. Captis Apostolis Ioanne, & Petro, & in Concilio statutis in medio, tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos, principes populi, & seniores Israel audite, si nos dijudicamur hodie in benefa-
Decimoquarto. cto hominis infirmi. Actuum 4. Ananiam prætereà, & Saphyram Spiritui sancto mentientes, Petrus solus sententia mortis damnauit, dicens ad Ananiam. Cur tentauit Sathanas
Decimoquinto. cor tuum, mentiri Spiritui sancto, & fraudari de prætio agri? Actuum 5. Simone Mago volente pro pecunia emere potestatem dandi Spiritum sanctum per impositionem manuum: Petrus dixit ad eum, pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Actuum 8.
Similiter dum Apostoli Concilium conuocassent super obseruantia legalium, eo quod aliqui Pharisæi credentes dicerent, oportere circumcidi conuersos, & seruare legem Moysi, in eo Concilio velut præsidens Beatus Petrus proposuit dubium discutiendum, ait enim Lucas. Conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc, cum autem magna inquisitio fieret. Surgens Petrus dixit ad eos, viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit pro os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere &c. Actuum 15. Et quamuis sanctus Iacobus pronunciauerit in Concilio, vt mox sequitur, tamen hoc fuit, quoniam Petrus deferebat Iacobo in sua Ecclesia residenti, tamen Petrus fuit princeps huius decreti de legalibus, non Iacobus, vt testatur Beatus Hierony. ad Augustinum in epistola incipiente. Tres simul epistolas, vbi ait. In sententia Petri Iacobum, & omnes presbyteros simul transijsse, subdit. Hec non debent esse molesta lectori. Sed mihi, & illi vtilia, vt probemus ante epistolam Paulum non ignorasse Petrum principem huius esse decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Decimosexto.

CAPVT XXVI.

Ratio prima pro primatu Papæ sumpta ex conformitate Ecclesiæ militantis ad triumphantem.

SVperest vt hanc nostram sententiam rationi consentaneam ostendamus, quam tot solidissimis Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimonijs firmauimus: liceat tamen hic præfari, neminem debere à me expetere acribologiam mathematicam in hoc negotio, demonstrari enim nequit, quod voluntate Dei Optimi Maximi contingenter constitutum est. At probabiles rationes adducturi sumus, quæ cuilibet fideli non frontoso satisfacere debent, vt redigat intellectum suum in captiuitatem, in obsequium Christi.

Et primò quidem ità roboro sententiam iam sæpè assertam, quoniam Ecclesia illa Ratio prima.
militans in terra, quæ adhuc peregrinatur per fidem à Domino, est exemplata, & effigiata ad instar cælestis Ecclesiæ triumphantis in cęlo per gloriam, iuxtà illud Apocalipsis 21. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. At nemo fidelis dubitat talem ordinem principiatum esse in cœlo, vbi mansiones multæ sunt, Ioan. 14. & Deus est omnia in omnibus, iuxtà illud Iob. 38. Nunquid nosti ordinem cœli, & rationem eius pones in terra? Vndè Christus, non reliquit talem post se confusionem in sancta Ecclesia sua, cum ea, quæ à Deo sunt, ordinata sint, ad Roman. 13. Adstitit enim regina Ecclesia à dextris eius, circundata varietate ministrorum, Psalm. 44. Ibi enim sunt minores clerici, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Archipresbyteri, Episcopi, primates, & horum omnium caput Papa, quare non oportet confundere iure diuino clerum,

&

& Episcopum, quòd quilibet Curatus sit Episcopus, Hac ratione vsus est, vt videtur. Beatus Paulus vas electionis ad Ephes. 4. Et ipse dedit, quosdam autem Propheras. Alios verò Euangelistas. Hanc rationem attigisse videtur Sacer Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia. Nostra enim Hierarchia à Deo traditis ordinibus sanctè disposita sanctis, & cœlestibus Hierarchijs conformis est. Nam ibi sunt principatus, virtutes, dominationes, throni, vt testatur etiam Apostolus, liquet hoc in elegantissima Pyramide, quem commenrarijs nostris super mystica Theologia Dionysij adiecimus, varietatem illam ordinum pulcherrimam Dionysius explicat, cap. 3. Cęlestis Hierarchiæ, & vtriusque Hierarchiæ conformitatem duobus libris expressit. Vndè consectarium est, sicut in cœlis est verum caput Christus, habet tamen caput ministeriale etiam in terra. Hac ratione vsus est Beatus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, vbi inter alia sic ait. Malum est & inutile, vel omnes fieri velle rectores, vt nullus, qui regi debeat, iam supersit, vel rursum regendi officium neminem velle suscipere, per quod scilicet claudicare continuò, & labefactari poterit omne corpus ecclesiæ. Nemine quoque gubernante. Et vbinam à nobis, vel quomodo, aut à quibus colitur Deus? quo pacto sacrosancta mysteria ad instar cęlestis imaginis celebrabuntur, per quæ vtique in terris adhuc positi, cęlestibus ordinibus sociamur, erit sine dubio illud. quod dictum est, vt non sic Rex, neque princeps, neque Sacerdotium, neque sacrificium, & omnia illa nobis quoque accident, quibus pro immensis sceleribus prior ille populus condemnatus est. Expende, ad instar cœlestis imaginis, & quod pater, nam reputat auferri à nobis principatum Sacerdotij. Vsus est hac ratione Beatus Bonifacius I. in epistola ad Eulalium Alexandrinum Episcopum de reconciliatione Aphrorum. Quomodo Ecclesia ad instar cœlestis militiæ disparem habeat concordantiam Hierarchicam, in qua ad vnum primum S. Papam Romanum deuenitur? Vsus est hac ratione Beatus Gregorius Magnus vniuersis Episcopis Galliarum, ad hoc diuinæ dispositionis prouisio gradus, & diuersos ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum moles gereretur administratione singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cœlestum militiarum exemplar nos instruit, quia dum sunt Angeli, sunt Archangeli, liquet quod non æquales sunt, sed in potestate, & ordine (sicut nostis) differt vnus ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, istam constat esse distinctionem, quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere? Cui noui etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax, & charitas, mutua se vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione synceritas. Quia igitur vnum quodque tunc saluberrimè completur officium. Cum fuerit vnus, ad quem possit recurri præpositus. Vide in registro lib. 4. epistola 52. renarrat Gratianus cap. ad hoc dist. 89. vsus est hac ratione B. Bernardus de consideratione ad Eugenium Papam lib. 3. vbi Graphicè ità construit. Nec vilem repures formam hanc, quia in terra est, exemplar habet è cęlo. Neque enim filius potest facere quicquam, nisi quæ viderit Patrem facientem, præsertim cum sub Moysi nomine dictum sit. Vide omnia, quæ facias, secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est, viderat hoc, qui dicebat, vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam, ego enim proprer similitudine dictum reor. quod sicut illic Seraphim, & Cherubim, ac ceteri quique vsque ad Angelos, & Archangelos ordinantur sub vno capite Deo, ità hic quoque sub vno Summo Pontifice, Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum, non est paruipendendum, quod & Deum habet auctorem, & de cęlo ducit originem. Quod si dicet Episcopus nolo esse sub Archiepiscopo, aut Abbas nolo obedire Episcopo, hoc de cœlo non est, nisi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audisti nolo sub Archangelis esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuipiam, cap. nisi Deo. Hæc Bernardus, qui cæteris exactius hanc formauit rationem, & instruxit, quæ diuersarius diuerticula quærit, & euasiones, lib. 3. nos reticebimus, hac ratione videtur vsa alma facultas Theologica famosissimi studij Parisini contrà Ioannem Tarnacen. Ità enim refert Ioan. maioris amœni ingenij Doctor. Primus articulus fratris Ioannis Angeli prædicatus Tornaci fuit iste fratres præsenti Episcopo, & admissi sunt prij Sacerdotes, & verè curati, & meliùs, quàm presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à Summo Pontifice, & dicti presbyteri ab Episcopo solùm. Sequitur qualificatio facultatis facta ante 38. annos. Quicquid sit de prima parte propter æquiuocationem illius termini proprij, dicit tamen facultas quod proprio in se, & quo ad omnes reliquas partes, & probationem partis vltimę, qua dicitur, ab Episcopo solum, est scandalosa, in fide erronea, hierarchici ordinis destructiua, & pro conseruatione eiusdem ordinis publicè reuocanda, & abiuranda. Vndè apparet esse extremam hæresim velle dissoluere pulcherrimum ordinē Ecclesię à Deo institutum, & sic potestatem Ecclesiæ imminuere. Et est prima ratio, & communior, quæ pro hac sententia offerri solet.

CAPVT XXVII.

Secunda ratio pro primatu Papæ ex similitudine ad Synagogam, tertia item ex bonitate regiminis Monarchiæ.

Astruitur hoc idem alia ratione communi & tali, decet esse illum ordinem ecclesiasticum sub vno capite Papa, non solùm ad imitationem Cęlestis Ecclesiæ vti prior ratio Secunda ratio.

ratio deduxit. Sed etiam ad similitudinem Synagogæ, cum Ecclesia Christi, & quæ ex latere eius fluxit, sit excellentior Synagoga. In qua omnia in figura contingebant ipsis, Corinth. 10. Ideò tantò maior est vnitas in Ecclesia, quantò Sacerdotium Euangelicum est excellentius legali, & quantò figuratum est excellentius figura, licèt inter illa sit quædam similitudo. At regimen Synagogæ fuit Monarchicum, vbi constitutus est vnus summus Sacerdos, qui præerat omnibus Sacerdotibus, tantaque erat illi data potestas, vt qui ei non obtemperaret, morte dignus esset. Velut eleganter sanctus martyr Cyprianus, in epistola ad Cornelium induxit illud Deuteronomi 17. Et homo quicunque fuerit, in diebus illis morietur homo ille, translatione vulgata sic legitur. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt, loco quem elegerit Dominus, & docuerint te eius legem, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferatur malum de Israel. Constitutus autem est Aaron Summus Sacerdos iussu Domini Leuit. 8, & ibi à Moyse consecratus est. Vndè ità accuratè à sacra Scriptura, & historijs Summi Pontificis descripti sunt legales, quorum Cathalogum referre libet, vt si historiæ non in omnibus concordarent.

Cathalogus Pontificum Synagogæ.

1 Aaron,
2 Eleazar.
3 Phinæes.
4 Abisue.
5 Bocei.
6 Ozy.
7 Heli.
8 Achitob.
9 Achimelech,
10 Abiathar.
11 Sadoch.
12 Achimaas,
13 Azarias.
14 Ioiada.
15 Azarias.
16 Amarias,
17 Achitos.
18 Sadoch.
19 Sellum,
20 Elchias.
21 Afarias.
22 Zaraias,
23 Iosedech,
24 Iosue.
25 Ioachim.
26 Elizaphat,
27 Ioiade seu Iudas,
28 Ioannes,
29 Iadus.
30 Onias.
31 Simon Iustus;
32 Eleazarus.
33 Onias,
34 Simon,
35 Onias magnus.
36 Simon,
37 Onias Pius.
38 Mathathias.
39 Iudas Machabeus.
40 Ionathas.
41 Simon.
42 Ioannes Hircanus.
43 Aristobolus I. Rex. & Sacerdos.
44 Alexander vel Lamirs.
45 Hircanus.
46 Antigonus.
47 Annas.
48 Ismael.
49 Eleazarus,
50 Simon.
51 Cayphas.

Deus autem multò maiorem curam habet Euangelici Sacerdotij, & Ecclesiæ suæ sanctæ, quam Synagogæ. Ideò & maiorem vult seruare in ea vnitatem, quod non esset, si rota Ecclesia non regeretur sub vno capite Papa.

Tertia porrò succedat ratio. Suffragatur enim proposito nostro, quòd regimen Monarchicum sit optimum secundum Arist. 3. Poli. & 12. Metha. Quare Deus tale regimen in Ecclesia sua ordinauit, & per Prophetas multifariam prædixit. Quod pulcherrimo ordine, & mira varietate in Ecclesia est distinctum. Si enim Regina Saba mirabatur, videns omnem sapientiam Salomonis, habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum: quantò magis ordo ministrantium, & præsidentium, in Ecclesia Dei, mirandus est, sicut sapiens ait de ea? terribilis est, vt castrorum acies ordinata, ideò hoc promisit Deus per Prophetam, suscitabo super eas pastorem vnum. Ezech. 34. & pastor vnus erit omnium vestrû. Ezech. 27. Est enim vnum ouile vna Ecclesia, erit ergo, & vnus pastor. Ioan. 10. quod, & Iohel prævidit, congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum. Iohel 1. Nolunt enim entia malè disponi, neque pluritas principatuum: bona est Aristot. ait. Hoc à Symbolis ostendit B. Hieronym. ad Rusticum monachum. Renarrat Gratianus 7. quæst. 1. In apibus princeps vnus est, & grues vnam sequuntur ordine literato. Imperator vnus. Iudex vnus Prouinciæ. Roma autem condita duos fratres simul Reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero, Esau, & Iacob bella gesserunt, singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

Suffragatur prædictis, quòd Christus maximè desiderauit vnitatem Ecclesiæ, rogans Patrem, vt vnum simus, & ideò Apostolus Paul. ad Corinth. ait, idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sed cum variæ quæstiones in fide, & ritibus ecclesiasticis exegant, nisi esset primatus, apud quem omnium harum dubitationum fieret definitio, iam Ecclesia innumeris esset subiecta scissuris, erroribus, tempestatibus, discordijs, diuideretur vnitas Ecclesiæ. Et in vnaquaque dioecesi propria oriretur hæresis, vt verissimè dixerat Sanctus Thomas Aquinas, qui

qui hanc supremam potestatem negant in Ecclesia, schismatici sunt, diuisores Ecclesiasticæ vnitatis. Vndè fides nostra miserabilior esset quacumque lege, & secta in mundo, quòd occurrentibus dubijs, vel discordijs, non haberemus vnum primum, ad quem tuto possemus recurrere, qui indubitatè in his, quæ sunt fidei, veritati consonam pronunciaret sententiam, quomodo optimus legislator, & perfectissimus Christus suam Ecclesiam, ita dereliquisset viduam, & desolatam? Cui tamen nihil defectus admisisse, testatur per Prophetam Esayam. Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? quare ad schismata vitanda, ad errores perscindendos oportet, quòd sit in Ecclesia vnus supremus Rector, & Doctor, apud quem etiam auctoritas sit, & summa summarum in dubijs fidei definiendis, & quamuis dulcis Iesus sit verus sponsus Ecclesiæ, & omnium fidelium caput, tamen oportet adesse caput ministeriale, quod nobiscum conuersetur, quod possimus accedere, & nostras necessitates ei exponere. Hoc est Papa, Romanus Pont. successor Petri Domini Iesu Christi in terris vicarius.

CAVPT XXVIII.

Probatio prioris Rationis, quod bonum sit vnum omnibus præesse.

LOcupletabimus prædictam rationem ex epistola B. Gregor. ad vniuersos Episcopos Galliæ. Cuius suprà quoque meminimus, ait enim. Quia vnum quodque salubriter tunc completur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurri, præpositus, idcircò oportunum esse perspeximus in Ecclesijs, quæ sub regno præcellentissimi filij nostri Chilberti Regis sunt secundum antiquam consuetudinem, Fratri nostro Virgilio Arelaten. ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere, quatenus, & catholicæ fidei integritas Deo protegente, sollicita deuotione seruetur. Etsi inter fratres, consacerdotesque nostros aliqua euenerit contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus sed. Apost. functus, discreta moderatione compescat. Si ergo S. Gregor. pro meliori regimine, & vt salua maneret fidei integritas, voluit per Gallias vnum præesse, quantò magis prudentissimus legislator in perfectissima lege Euangelica præpositum cunctis aliquem constituit? qui nihil necessarium in synagoga neglexit, sicut iam superius Esayam induximus, quantò magis Ecclesiam sponsam suam non deseruit? Hac ratione videtur vsus fuisse Leo IX. aduersùs præsumptiones Michaelis Constantinop. dicens. Ipsa corporeorum compositio membrorum nos doceat, qualiter Ecclesia intelligi debeat, ipsa enim est corpus Christi, & Apostolus dicit 1. Corinth. 6. Vos estis corpus, & membra de membro, & sicut in vno corpore multa membra sunt, omnia tamen non habent eumdem actum, ita multi vnum corpus sumus in Christo singulariter alter alterius membra, & infrà. Si totum corpus oculus, vbi auditus, & alij sensus? nunc autem disposuit Deus, sicut voluit corporis membra singula officio suo apta. Membrum enim officio suo non contentum, sed cupiens eripere alienum, conturbat corporis ordinem totum, velut si visus voces, auditus colores discernere tentet. Sic singulorum ornamenta non sunt alij congrua, sed vnumquodque requirit sua, & abijcit aliena. Expende illam rationem, quia sumus omnes vnum corpus in vna spe vocationis vocati, & in illo corpore sunt diuersa membra, etiam officialia, & quodlibet debet esse suo officio contentum, ne totus ordo Ecclesiastici corporis turbetur. Et ex illa membrorum diuersitate, ordo hierarchicus deprehenditur, qui fastigiatur in apicem Papatus, quia debet esse ordo concordantiæ membrorum. Concordantia autem non est sine vno & pluribus. Plura enim concordant, vnum est sibi idem, si non adfuerit vnum, non erit concordia, sed discordia, habet ergo corpus illud ordinem concordantiæ, quando est in vno capite, & in pluribus membris, posse latissimè extendi illa ratio, visus est, & hac ratione beatus Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium, erras si vt summam, ità & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait, Non est potestas, nisi à Deo, proindè quod sequitur, qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter, denique idem ait, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non ait, sublimiori tamquam in vno, sed sublimioribus tamquam multis. Non ergo tua sola potestas à Deo, sunt & mediocres, sunt & inferiores, & quomodo quos Deus coniunxit, non sunt separandi, sic nec quos subiunxit, comparandi. Monstrum facis, si manu submouens, digitum facis pendere de capite, superiorem manu brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas, quàm ipse disponit, nisi tu putas alium esse, qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios Doctores, & pastores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Atquehoc corpus, quod tibi ipsi Paulus suo verè Apostolico figurans eloquio, & capite conuenientissimè aptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis faciens in ædificationem sui in charitate, improbet si pater illas exemptiones, quæ iam solitæ sunt fieri, vbi subditus eximitur à potestate superioris, & immediatè subijcitur Rom. Pontif. Adduximus superius B. Hieronym. contrà Iouinianum, vbi affirmat Petrum constitutum principem Apostolorum. Cuius causam subdit, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio, quare solidè nostra persistit sententia, primatum à Deo in Ecclesia constitutum.

CAP.

CAPVT XXIX.

Ratio quarta ex successione Roman. Pontif. ex Optato, & Augustino deducitur, adiecto Summo Pontifice Catalogo.

SEptem libris disputat hoc negotium optatus Mileuitanus Episcopus Apher, vt scribit Cardinalis Brixien. Germanus doctissimus, & illic concludit. Cunctos Catholicos Episcopos vnitatem Cathedræ necessariò tenere debere. Et libro secundo contrà Parmenianum (contrà quem, & Augustinus scripsit, fuerunt enim synchroni) eodem renarrante decidit. Non esse dubium sedem Romanam per omnes successores, connumerando vsque ad Petrum, qui primus ibi sedit, continuari, & per illud Christo iungi. Sic eleganrissimè Augstinus, Fortunatus, & aliqnis adGenerosum scripserunt contra Donatistas, & numeratur inter epistolas Augustini 165. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius, & verè, & salubriter ab ipso Petro numeramus. Cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait, [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, enumerat dein per ordinem Romanos Pontifices à Petro vsque ad Anastasium. Subdens, in hoc ordine successionis nullus Donatista reperitur Episcopus. Sed ex transuerso ex Aphrica ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Aphris, in vrbe Roma Montensium, vel cucubitarum vocabulum propagauit. In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque in Anastasium, qui nunc eandem Cathedram tenet, etiam si quisquam traditor surrepsisset per illa tempora, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, nolite facere, dicunt enim, & non faciunt, vt certa spes sit fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. Hæc omnia profundè expensa, quòd Donatistis successionem Episcoporum non in Aphrica, Apher Aphris. Sed Romæ obijcit, quòd hic vult probare Euangelium gentibus, & orbi terrarum annuntiatum, quòd certa spes sit, licèt, in Domino collocata, fidem non dissipari, etiam si traditor Romæ sederit. Verba tamen Romani Pontificis sunt audienda, opera fugienda. Vndè S. Augustinus nobis occasionem dedit retexendi successionem Episcoporum Romanorum à Petro vsque ad Dominum Leonem X. iam Ecclesiæ vniuersali præsidentem, qui est 229. in ordine, quam ille ad suæ ætatis Papam Anastasium extendit, adiecta est formula. Quotto anno Christi quisque Cathedram Sanctam rexerit. Et hoc eo quidem consillo, quòd in superioribus sæpè meminimus constitutionem antiquissimorum Pontificum, vt sic in promptu habeat Lector Candidus hanc pagellam, qua confestim agnoscat, quo tempore quisquis eorum fuerit.

Sum-

Summorum Pontificum Cathalogus.

Anni Christi.	Numerus.	Pontificum Nomen.	Anni vitæ.	Menses.	Dies.
33	1	Petrus	25	7	0
70	2	Linus	11	3	12
81	3	Cletus	11	1	11
92	4	Clemens	9	2	10
101	5	Anacletus	9	3	10
110	6	Euaristus	9	10	2
119	7	Alexander	10	7	2
129	8	Sixtus	10	3	21
139	9	Telesphorus	11	3	22
143	10	Higinus	4	3	4
147	11	Pius	11		
159	12	Anicetus	9	4	3
168	13	Sother	9	3	21
177	14	Eleutherus	22	6	5
189	15	Victor	10	3	10
208	16	Zepehrinus	9		1
217	17	Calixtus	5	2	10
222	18	Vrbanus	8	2	12
230	19	Pontianus	9	5	2
239	20	Antherus	3	1	21
242	21	Fabianus	13	11	11
255	22	Cornelius	3	10	10
258	23	Lucius	3	12	10
261	24	Stephanus	3	3	
264	25	Sixtus	2	9	8
266	26	Dionysius	6	2	4
272	27	Felix	4	3	15
276	28	Eutichianus	8	10	4
284	29	Caius	11	4	
295	30	Marcellinus	9	4	
304	31	Marcellus	5	6	21
309	32	Eusebius	2	6	25
311	33	Melchiades	4	6	9
		Huc vsque Martyres.			
315	34	Syluester	21		
336	35	Marcus	2	8	
338	36	Iulius	16	4	
354	37	Liberius	16	7	2
370	38	Felix II.	1	4	2
371	39	Damasus	18	2	10
389	40	Siritius	15	11	25
404	41	Anastasius	3		10
408	42	Innocentius	15	2	20
424	43	Zozimus	1	8	25
425	44	Bonifacius	3	4	7
438	45	Cœlestinus	8		
446	46	Sixtus III.	8		9
454	47	Leo	21	1	13
465	48	Hilarius	6	3	10
471	49	Simplicius	15	1	7
486	50	Felix III.	8	11	19
494	51	Gelasius	4	8	17
498	52	Anastasius II.	1	10	24
499	53	Symachus	15	6	22
514	54	Hormisda	9		18
523	55	Ioannes	2	8	
525	56	Felix IV.	4	2	13
529	57	Bonifacius II.	2		26
531	58	Ioannes II.	2	4	
533	59	Agapitus	1		
534	60	Siluerius	1	5	12
535	61	Vigilius	17	6	26
552	62	Pelagius	11		19
563	63	Ioannes III.	13		
576	64	Benedictus	4	1	28
580	65	Pelagius II.	10	3	10
590	66	Gregorius I.	13	6	7
603	67	Sabinianus	1	5	9
605	68	Bonifacius III.		8	28
606	69	Bonifacius IV.	6	8	12
613	70	Deusdedit	4		
617	71	Bonifacius V.	5		10
622	72	Honorius	12	11	17
634	73	Seuerinus	1		
635	74	Ioannes IV.	1	9	18
636	75	Theodorus	6	5	8
643	76	Martiuus	6	1	28
650	77	Eugenius	3		
653	78	Vitellianus	14	6	
667	79	Adeodatus	4	2	5
672	80	Donus	1	2	5
673	81	Agathon	2	6	15
676	82	Leo II.		10	17
677	83	Benedictus II.		10	12
679	84	Ioannes V.	1		10
680	85	Conon		11	3
681	86	Sergius	14	8	14
695	87	Ioannes VI.	3	3	
698	88	Ioannes VII.	2	7	18
701	89	Sisimus			20
701	90	Constantinus	7		15
708	91	Gregorius II.	19	9	25
729	92	Gregorius III.	10	8	24
740	93	Zacharias	10	2	15
750	94	Stephanus II.	5	1	
760	95	Paulus	10	10	
770	96	Constantinus II.	1	1	
771	97	Stephanus III.	3	5	28
774	98	Adrianus.	23	10	18
798	99	Leo III.	20	5	9
819	100	Stephanus IV.	3	7	10
822	101	Paschalis	7	3	17
829	102	Eugenius II.	4		
833	103	Valentinus			40
823	104	Gregorius IV.	16		
849	105	Sergius II.	12	3	
851	106	Leo IV.	8	3	6
860	107	Benedictus III.	2	5	9
862	108	Nicolaus	9	2	20
871	109	Adrianus II.	5	9	12
877	110	Ioannes VIII.	10		2
887	111	Martinus II.	1	5	
888	112	Adrianus III.	1	3	
890	113	Stephanus V.	6		9
896	114	Formosus	5	6	
901	115	Bonifacius VI.			15
901	116	Stephanus VI.	1	3	
902	117	Romanus		3	21
902	118	Theodorus II.			20
902	119	Ioannes IX.	2		
904	120	Benedictus IV.	3	4	
907	121	Leo V.			4
907	122	Christophorus		7	
907	123	Sergius III.	7	3	15
914	124	Anastasius III.	2	2	11
916	125	Lando		6	
917	126	Ioannes X.	13	2	8
930	127	Leo VI.		6	15
930	128	Stephanus VII.	2	1	12
933	129	Ioannes XI.	4	10	15

937

937	130	Leo VII.	3	6	10
941	131	Stephanus VIII.	3	4	15
944	132	Martinus III.	3	6	14
948	133	Agapitus II.	9	7	10
958	134	Ioannes XII.	4	10	5
962	135	Benedictus V.		2	5
962	136	Leo VIII.	1	4	
963	137	Ioannes XIII.	6	11	15
969	138	Benedictus VI.	1	6	
971	139	Donus II.	1	6	
972	140	Bonifacius VII.		6	12
973	141	Benedictus VII.	8	5	
981	142	Ioannes XIV.		8	
982	143	Ioannes XV.		4	
982	144	Ioannes XVI.	10	6	10
992	145	Gregorius V.	2	5	
994	146	Ioannes XVII.		10	
995	147	Syluester II.	4	1	
999	148	Ioannes XVIII.		5	
1000	149	Ioannes XIX.	4	4	
1004	150	Sergius IV.	2	6	
1006	151	Benedictus VIII.	11	11	
1018	152	Ioannes XX.	9		9
1027	153	Benedictus IX.	10	4	9
1038	154	Sylnester III.			49
1038	155	Gregorius VI.	2	3	
1040	156	Clemens II.		9	
1040	157	Damasus II.			23
1040	158	Leo IX.	13	2	6
1053	159	Victor II.	2	3	14
1055	160	Stephanus IX.		4	
1056	161	Benedictus X.		8	20
1057	162	Nicolaus II.	3	6	26
1061	163	Alexander II.	11	6	
1073	164	Gregorius VII.	12	1	14
1085	165	Victor III.	1	4	
1086	166	Vrbanus II.	3	4	
1100	167	Paschalis II.	18	5	7
1118	168	Gelasius II.	1	5	
1120	169	Calixtus II.	5	10	
1126	170	Honorius II.	5	5	3
1131	171	Innocentius II.	14	8	8
1145	172	Cœlestinus II.		5	
1146	173	Lucius II.		11	4
1147	174	Eugenius III.	8	7	20
1155	175	Anastasius IV.	2	4	24
1157	176	Adrianus IV.	4	10	
1161	177	Alexander III.	21		19
1181	178	Lucius III.	4	2	
1185	179	Vrbanus III.	1	11	

1186	180	G[illegible]			
1186	181	Clemens III.			
1188	182	Cœlestinus III.			
1195	183	Innocentius III.			
1214	184	Honorius III.			
1225	185	Gregorius IX.			
1240	186	Cœlestinus IV.			
1242	187	Innocentius IV.			
1254	188	Alexander IV.	10	4	
1262	189	Vrbanus IV.	3	9	
1265	190	Clemens IV.	3	4	
1271	191	Gregorius X.	4		
1275	192	Innocentius V.		9	
1275	193	Adrianus V.		8	
1276	194	Ioaanes XXI.		9	
1277	195	Nicolaus III.	3	5	
1280	196	Martinus IV.	4	5	5
1284	197	Honorius IV.	2	5	17
1286	198	Nicolaus IV.	4	9	
1290	199	Cœlestinus V.			
1291	200	Bonifacius VIII.	8	9	14
1300	201	Benedictus XI.		10	17
1302	202	Clemens V.	8	3	17
1317	203	Ioannes XXII.	19	3	8
1336	204	Benedictus XII.	7	6	
1343	205	Clemens VI.	10		
1353	206	Innocentius VI.	10	5	
1363	207	Vrbanus V.	8		
1371	208	Gregorius XI.	8	8	
1379	209	Vrbanus VI.	11	9	
1390	110	Bonifacius IX.	14		
1405	211	Clemens VII.	15		
1402	212	Benedictus XIII.	21		
1404	213	Innocentius VII.	2	7	
1407	214	Gregorius XII.	2	8	
1409	215	Alexander V.			
1410	216	Ioannes XXIII.	4	10	
1415	217	Martinus V.	14	3	
1430	218	Eugenius IV.	15		
1438	219	Felix V.	9		
1447	220	Nicolaus V.	8		
1455	221	Calixtus IV.	3	3	
1458	222	Pius II.	5	11	26
1464	223	Paulus II.	6	10	
1471	224	Sixtus IV.	13		
1484	225	Innocentius VIII.	5	11	
1492	226	Alexander VI.	11		8
1503	227	Pius III.			27
1503	228	Iulius II.	9	4	
1513	229	Leo X.	8	8	13

CAPVT XXX.

Discordantia scribentium de successione Rom. Pont. & geminus Cathalogus Imper. & Regum, adycitur.

PLacet tamen hanc adijce re coronidem,& paucis monere lectorem,non omnes concordi sententia hanc successionem posuisse,vt passim in historicis occurret, Eusebius Linum post Petrum ponit. Cui statim Clemens successerit, quod etiam Augustinus in præfata epist. facit. Et Anicetum præponit, nec Felicem II. inter Episcopos numerat. Platina nouissimus scriptor Summorum Pontificum enumerat Ioannes XXIV. quia in numerum redegit Ioannem VIII. qui mentitus sexum ex Moguntia natus, malis artibus Papatum acquisiuit, & de Felice inferiùs plura, verùm nos in præsentia discutere nolumus hanc historiæ diuersitatem, & quia ad petitionem B. Hier. Papa Damasus misit ei Cathalogum Rom.Pont. vsque ad sua tempora, quam ego reperi Bamberge in monte Monachorum, in satis vetusto codice. Cum supplemento,vsque ad Formosum.Cui Platina satis aliàs concordat,& vetustus codex decretorum,Rom.Pont. ex Monasterio S. Georgij in Prifelmingen. Ideò hunc ordinem sum sequutus,adiecti sunt Papæ etiam intrusi, & schismatici, ac depositi. Et ista formula quidam Argentoracen. vsus est, quem placuit in hoc etiam imitari, & quia sæpius mentio facta est Imper. placet einsdem tabulam annectere,quamuis non per omnia concordet, nec sexto Aurelio, nec Beneuenuto Imolensi,qui vitasCęsarum scripserunt. Sed tabellam Argentoracen. imitabimur, quæ est vt arbitror Mathiæ Schurerij. Wimphelingij mei municipis.

Romanorum Imperatorum Cathalogus.

Anni Mundi.	Anni Christi.	Romanorum Reges.	Anni vitæ.	Dies.
4446	751	Romulus	37	1
4485	714	Numa Pompilius	41	2
4526	673	Tullius Hosti	32	3
4558	641	Ancus Martius	23	4
4581	618	Tarquinius Priscus	35	5
4616	583	Seruius Tullius	34	6
4650	549	Tarquinius Superbus.	35	7

Consules Imperatores.

5153	46	1. Caius Iulius Cæsar	4	7
5158	41	2. Octauianus August.	56	6

Anni Christi.	Numerus.	Imperatorum Nomina.	Anni vitæ.	Menses.	Dies.
15	3	Tiberius	23	0	0
38	4	C. Caligula	3	10	8
42	5	Claudius	13	8	20
56	6	Nero	14	7	8
71	7	Galba	13	7	
71	8	Otto		3	
71	9	Virellus		7	
72	10	Vespasianus	10		
81	11	Titus	2	2	20
82	12	Domicianus	15	5	
99	13	Nerua	1	4	
100	14	Traianus	19	6	
119	15	Adrianus	21		
140	16	Antonius Pius	23	3	
163	17	M. Antonius	19	1	
182	18	Comodus	13		
195	19	Helius pertinax		6	
195	20	Seuerus	18		
213	21	Bassianus Carala	6		
219	22	Macrinus	1		
220	23	M. Aurelius Antonius	4		
224	24	Alexander	13		
237	25	Maximinus	3		
240	26	Gordianus	6		
246	27	Philippus	7		
253	28	Decius	1	3	
254	29	Gallus cum filio	2		
266	30	Valerianus	15		
270	31	Claudius	1	9	
273	32	Aurelianus	5	6	
278	33	Tacirus		6	
278	34	Probus	6	4	
284	35	Carus	2		
286	36	Diocletianus	20		
307	37	Galerus	2	6	
309	38	Constantinus	30	10	
339	39	Constantius	24	6	12
363	40	Iulianus	2	8	
365	41	Iouinianus		8	
366	42	Valentinianus	12	6	
378	43	Valens	4		
382	44	Gratianus	6		
383	45	Theodosius	11		
407	46	Archadius	31		
411	47	Honorius	5		
427	48	Theodosius Iunior	26		
453	49	Marcianus	7		
474	50	Zeno	17	6	
490	51	Anastasius	36		
519	52	Iustinus	8		
525	53	Iustinianus	38		
564	54	Iustinus	11		
577	55	Tiberius	7		
583	56	Mauritius	20		
603	57	Phoca	8		
611	58	Heraclius	27		
638	59	Heraclion	2		
640	60	Constantinus III.	27		
669	61	Merentius		6	
670	62	Constanrinus IV.	17		
686	63	Iustinianus II.	10		
696	64	Leo	3		
699	65	Tiberius III.	7		
712	66	Philippicus	1		
713	67	Anastasius	3		
717	68	Theodosius III.	1		
718	69	Leo II.	14		
742	70	Constantinus V.	35		
776	71	Leo III.	5		
781	72	Constantiuus VI.	10		
792	73	Nicephorus	9		
801	74	Carolus Magnus	14		
815	75	Ludouicus	25		
841	76	Lotharius	15		
855	77	Ludouicus II.	21		
876	78	Carolus II.	6		
882	79	Carolus III.	12		
894	80	Arnulphus	12	6	
960	81	Ludouicus III.	6		
913	82	Berengarius	4		
917	83	Berengarius II.	4		
921	84	Hugo	10		
933	85	Lotharius II.	2		
935	86	Berengarius III.	11		
962	87	Otto I.	12		
975	88	Otto II.	17		
987	89	Otto III.	18		
1004	90	Heuricus I.	21		
1024	91	Conradus	15		
1039	92	Henricus II.	19	2	
1057	93	Henricus III.	48		
1108	94	Henricus IV.	20		
1128	95	Lotharius	11		
1139	96	Couradus Sueuus	15		
1153	97	Fridericus Sueuus	37		
1190	98	Henricus Sueuus	10		
1204	99	Philippus Sueuus	12		
1210	100	Otto IV.	2		
1212	101	Fridericus II. Sueuus	33		
1245	102	Conradus Sueuus	12		
1257	103	Conradus Sueuus	10		
1273	104	Rodulphus Haspurg.	19		
1292	105	Adolphus	6		
1298	106	Albertus	10		
1309	107	Henricus VII.	5	8	
1315	108	Ludouicus IV.	32		
1347	109	Carolus IV.	32		
1379	110	Wentezelaus	22		
1401	111	Rubertus	10		
1411	112	Sigismundus	27		
1438	113	Albertus II.	2		
1440	114	Fridericus III.	52		
1493	115	Maximilianus	26		
1519	116	Carolus V.			

In hac Tabella Cæsares assumpti ab Imperatoribus non omnes ponuntur, nec ij, qui electione constituta, fuerunt coronati, sed vt lector tamen plenius habeat, quod petat, non enim hic historiam scribimus, aliam damus tabellam, in qua nomina dumtaxat Imperatorum, Cæsarum, & Regum sunt descripta.

REGES ROMANI

Romulus, & Remus.
Numa Pompilius.
Tullius Hostilius.
Ancius Marcius.
Tarquinus Priscus.

Augusti Cæsares, & Imperatores.

C. Iulius Cesar.
Octauianus Cæsar Augustus.
Marcus Antonius.
Cl. Tiberius Nero.
C. Caligula.
Titus Claudius.
Domicius Nero.
Sergius Galba.
Saluius Otto.
Aulus Vitellius.
Vespasianus Flauius.
Titus Vespasianus.
Domicianus Flauius.
Nerua Cocceius.
Vlpius Traianus.
Aelius Adrianus.
Antonius Fuluius Pius.
Marcus Antonius Verus.
Lucius Aurelius, Comodus.
Lucius Antonius, Como.
Aelius Pertinax.
Didius Iulianus.
Seuerus Pertinax.
Bassianus Antoninus Caracalla.
Macrinus Opilius cum Albinio, & Diadumeno filijs.
Aurelius Varius Heliogabalus.
Seuerus Alexander.
Iulius Maximinus Thrax.
Gordianus.
Philippus Iulius.
Philippus Saturninus filius.
Decius Panno.
Virius Gallus Hostilianus.
Velusianus filius.
Licinius Valerianus.
Galienus filius.
Claudius secundus.
Quintilius frater.
Aurelianus.
Tacitus.
Florianus.
Probus.
Carus.
Diocletianus.
Galerius Maximianus.
Constantius.
Galerius.
Licinius.
Maxentius.
Alexander Phrix.
Constantius magnus cum filio.
Constans.
Constantius.
Syluianus.
Iulianus.
Iouinianus.
Valentinianus.
Valens.
Gratianus.
Valentinianus frater.
Theodosius Archadius.
Honorius.
Theodosius Iunior.
Valentinianus.
Martianus.
Leo.
Zeno.
Anastasius.
Iustinus maior.
Iustinianus.
Iustinus minor.
Tiberius secundus.
Mauritius.
Phocas.
Heraclius.
Constantinus III.
Constantinus IV.
Heracleon.
Iustinianus secundus.
Leo secundus, seu Leontius.
Tiberius tertius.
Philippus.
Anastasius secundus.
Theodosius tertius.
Leo tertius.
Constantinus quintus.
Leo quartus.
Constantinus sextus.
Nicephorus.
Sauratius filius.
Michael.
Carolus Magnus.
Ludouicus Pius.
Lotharius.
Ludouicus secundus.
Carolus secundus Caluus.
Carolus tertius.
Arnolphus.
Ludouicus tertius.
Conradus Francus.
Berengarius primus.
Berengarius secundus.
Henricus Saxo.

Hugo

Hugo Frantius.
Berengarius III.
Lotharius Francus.
Rudolphus Burgundus.
Albertus filius Berenga.
Otto I.
Otto II.
Otto III.
Henricus II.
Conradus II. Francus.
Henricus III. Sueuus.
Henricus IV.
Henricus V.
Lotharius II.
Conradus Sueuus III.
Fridericus primus Sueuus.
Henricus sextus Sueuus.
Philippus tertius Sueuus.
Otto quartus.
Bertholdus Zaringus.
Fridericus II. Sueuus.
Henricus Thuringus.
Wilhelmus Sollandus.
Conradus quartus Sueuus.
Alphonsus Castiliensis.
Richardus Cornudien.
Cooradinus Sueuus.
Rudolphus Hafpurgus Austriacorum Pater.
Adolphus de Nassau.
Albertus Austriacus.
Henricus septimus Litzelburgus.
Ludouicus quartus Bauarus.
Fridericus Austriacus victus.
Guntherus Schimartzemburgius.
Carolus quartus Bohemus.
Wentzelaus filius.
Rubertus Bauarus.
Sigismundus Bohemus.
Albertus secundus Austriacus.
Fridericus III. Austriacus.
Maximilianus I. Austriacus.
Carolus V. Austriacus.

CAPVT XXXI.

Semper hanc fuisse vniuersalis Ecclesiæ sententiam probatur, & de diuersario Fratre aliqua.

COnformiter ergo ad rationem Augustini instrui potest fundamentum. Quòd à temporibus Apostolorum vsque ad tempora nostra prælati, & Doctores Ecclesiæ sibi continua serie succedentes, & populi eis subiecti, de fide non suspecti senserunt, ab omnibus catholicis firmiter est tenendum. Ita enim argumentatur D. August. contrà Faustum, lib. 11. cap. 5. excellentia Canonicæ auctoritatis veteris, & noui testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tamquam in sede quadam sublimiter constituta est, Cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus, & iterum palàm est, quòd in re dubia ad fidem valeat auctoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsque in hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum seriè, & tot populorum consentione confirmatur. Renarrat Gratianus cap. palam, dist. 6. Et quòd Ecclesia hoc semper tenuerit secundum successionem Roman. Pont. prolixè hoc libro monstrauimus, ab omni autem verisimilitudine alienum videtur, quod Sancti Martyres, Pontifices, & Doctores, cum Concilijs in prioribus citati, doctrinæ Euangelicæ, rerum gestarum, traditionum, & consuetudinum vniuersalis Ecclesiæ fuissent ignorantes, nescientes quid circa rem adeò Ecclesiæ necessariam, Apostoli senserint, & discipuli eorum, cum sacris Concilijs. Et sicut Prælati, & Doctores catholici eam tenuerunt. Sic, & populus catholicus. Immò recedentes ab hac sententia semper habiti sunt, vel heretici, vel schismatici, vt Armeni, Græci, Rutheni, Bohemi, Posteaque se ab Ecclesia Romana abduxerunt, cum ergo non legantur à temporibus Apostolorum, vel discipulorum eorumdem vsque ad tempora partum, quicumque populi Christiani, assertioni nostræ contradixerint, tenendum est, & pronunciandum indubitatè hanc esse sententiam vniuersalis Ecclesiæ, quæ in his, quæ sunt fidei errare non potest. Nec obstat si quis pertinax argutetur, plures Sanctos adductos loqui de Petro, non de Romano Pontifice eius successore, hæc calumnia facilè vitatur, quoniam non minor cura erat Christo de sua sponsa Ecclesia, Petro mortuo, quàm eo viuente, si ergo ab initio voluit Sanctum Petrum habere primatum Ecclesiæ loco sui, tamquam vicarium, à maiori Ecclesiam suam muniuit, & gubernauit tali capite post Petrum, sicut maior est facta multitudo fidelium post Petrum in Ecclesia, modò multitudo non ordinata magnam parit confusionem, & acutè probat Dominus Armacanus, in quæstionibus Armeniorum, Christum hanc successionem Episcoporum designasse; cum autem Matth. 24. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, repetit Marc. 14. & Luc. 21. Vbi per, verbum, non intelligit verbum vocale, à se prolatum, sed spiritualem effectum suorum verborum, qui numquam transibit. Ità videtur loquutus de generatione spirituali, de sanctitate, & potestate Apostolica ordinis per sua verba genita, illam igitur potestatem Ecclesiasticam, tam in collegio, quam in capite (quoniam tota ad vnam generationem spiritualem pertinet (non defecturam antè aduentum suum prædixit. Et quia est generatio vniuoca, quo ad spiritualem ædificationem, consectarium est, successores Petri esse eiusdem rationis, & potestatis, quo ad plenitudinem regiminis, sicut Petrum. Et hanc potestatem Petri manere in successoribus vsque ad consummationem sæculi, fidelis ambigere non debet. Ideò quæ ad regimen pertinent, quicquid dixit Petro, etiam ad successores referendum est. Summæ enim sententiæ non conuenit, tam nobilem ordinem, aut tam vtile ad generis humani salutem institutum. Statim deficere fineret in ipso sui principio, dum causa finalis huius institutionis, hoc est salus humani generis, nondum esset adepta, quæ causa potiùs exigit permanentiam illius ordinis, & iam magis in illa confusa multitudine, vbi refriguit charitas, quam

quàm in paucitate exordij, vbi cor eorum erat ardens audire Dominum. Et vt aliquando finem faciamus, venio ad diuersarium F. Luther communi, & catholicæ sententiæ repugnantem, si negat Papam iure diuino præesse toti Ecclesiæ catholicæ: vndè tunc habet mendicitatis priuilegium? Vndè hunc habitum religionis Augustinianæ, quem defert? Vndè ipse, & fratres habent ius audiendi confessiones, publicè prædicandi, & contrà voluntatem communitèr Archiepiscoporum, Episcoporum, & Curatorum. Cum Sum. Pont. fratres sua auctoritate defensauerit, hactenùs, contrà prælatos, & curatos, & ità fratres priuilegijs onerauerit, vt de diuersario, & sibi similibus dicere possit illud Moysi. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, Deut. 32. Si ergo Papa non habet iure diuino hanc potestatem, sed humano, vt diuersarius autumat, & iam Archiepiscopi, Episcopi, & curati frequentèr dissenserunt, & dissentiunt (nisi quod deferunt auctoritati Papæ, in hoc Christo principalitèr deferentes, à quo credunt eum habere potestatem) ideo diuersarij sententia per summam iniustitiam fratres illa sibi vsurpant, vt Romanus Pontifex malè eis, curatis contradicentibus, largiretur, quod absit: nam tunc omnes ordines mendicantes essent in statu damnationis æternæ, alienum ius indebitè contrà salutem propriam, & aliorum vsurpantes, quod esset parùm catholicè loqui, & sentire de tot bonis Patribus Sanctorum illorum ordinum. Irreligiosa autem est omninò diuersario responsio, quia liberè pronunciat, se velle nullum ordinem mendicantium esse, Nam vt Græci aiunt, Sermo est nuntius intelligentiæ, & eloquutio, vt Alcuinus ait, est interpres mentis. Ideò vt sermo diuersarij indicat, mens est ei parùm affecta ad religionem, quòd graue sit ei ferre cucullam, aut mendicitatem fastidit. Nos autem auctoritatem Euangelicam secuti, sacerrima concilia, Sanctorum Martyrum decreta, & Pontificum Ecclesiasticorum Doctorum sententias, communem Ecclesiç vsum, & traditionem, concludimus, Romanam sedem, & Apostolicam ob diuinum priuilegium Petro traditum à Christo, & eo iubente Romam translatum, cui accessit loci dignitas sæcularis in augmentum fidei, vt pax seruaretur, & ob tot tormenta Sanctorum præsulum, quorum plures, quam 30. propter fidem nostram sanctam Martyrio fuerunt coronati, esse primam omnium dignitate. Cui & eius præsidenti cæteri Pontifices omnes, obedire debent, & subesse in his, quæ sunt fidei, ad gloriam Dei omnipotentis, & exaltationem Sancti nominis sui, & fidei catholicę Dominus Iesus Christus sit benedictus in sæcula. Amen.



LIBER



LIBER TERTIVS.

De Primatu Petri aduersus Lutherum.

CAPVT PRIMVM.

Sex rationes Lutheri pro Primatu Petri.

NON sufficit nostra roborasse, nisi & aduersantia tela elidamus Lutheri, quibus, & nostra impetere, & sua eueri nititur, quod facturi, hunc ordinem obseruemus. Primò sex rationes diuersarij ostendemus esse inanes, & inefficaces, quibus probat primatum illum, dein exarmabimus eius rationes, auctoritates, & excusationes contrà catholicam sententiam inductas. Tertiò loco eauillos diluemus, quibus nobis obstrepit diuersarius aliqua argumenta nostra infirmando. Cur autem rationes suas demoliar, ista est causa, quia cum sint inanissimæ, reputat per has etiam hæreticis, & schismaticis efficaciter posse resisti, & rationes Sanctorum Patrum in duobus primis libris enarratas reijcit, & sic de columnis marmoreis vult supponere columnas arundineas, & fidem nostram irrisui exponere hæreticis, & infidelibus, qui crederent nos tam fragilibus teneri, & duci rationibus, quòd manifestarium faciemus eius rationes inefficaces declarando. Soli Deo gloria.

Prima ratio sua inualida est ista, Papam esse superiorem alijs, probatur ex voluntate Dei, quam ipso facto videmus, non enim potuisset Papa venisse in hanc monarchiam sine voluntate Dei, hanc rationem exclamat, & quod hac sola ratione gloriosissimus martyr Cyprianus per multas epistolas confidentissimè gloriatur, contrà omnes Episcoporum quorumcunque aduersarios, sicut 3. Regum. Legimus, quod decem tribus Israel discesserunt à Roboam filio Salomonis, & tamen quia voluntate Dei, sine auctoritate factum est, ratum apud Deum fuit, confirmat, quia Theologi omnes ponunt operationem esse signum voluntatis Dei, non minùs, quàm præcepta, & prohibitiones. Ideò non video inquit, quomodo sint excusati à schismatis reatu, quia huic voluntati contrauenientes sese à Romani Pontifici auctoritate subtrahunt, hæc est vna, mihi insuperabilis ratio, quæ me subijcit Romano Pont. & primatum eius fateri cogit.

Secunda. Si iuxta præceptum Christi cedere aduersario iubemur, & qui angariarit nos mille passus, eundem esse cum illo, & alijs duobus millibus, quantò magis si Roman. Pont. exegerit in suo primatu, cedendum, siue iustè, siue iniustè egerit, nam incomparabilitèr minor res est, primatus iste, quàm vt vnitas, & charitas, humilitas, propter ipsam per nos dissoluatur, ideò non dubito peccare eos, qui in dissensionem sese tradunt, & spiritus æternam vnitatem propter hanc temporalem terrenam excellentiam fugiendam, dissoluuntur, ferenda enim sunt omnia, quæ peccata non sunt.

Tertia, quòd si propter peccata nostra, nos Deus voluerit premere multis principibus, sicut in Prouerb. dicit Salomon. Nunquid resistendum est flagello Dei? propter peccata inquit populi, multi principes eius, proindè quando non est nostrum diffinire, irata ne an propitia Deus voluntate, nobis quoscunque principes dederit? hoc nostrum est, voluntatem eius pio simplicius timore suscipere, quò modò etiam si sub thurca nos esse vellet, thurco subesse libenter debemus.

Quarta. Rom. 13. Apostolus dicit. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quecunque ergo à Deo sunt, ordinata sunt, itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt, qui autem resistunt Deo, ipsi damnationem sibi acquirunt, hæc ergo causa omnium robustissima, nos Roman. Pontif. subiecti sumus, quia enim nulla potestas est, nisi à Deo, ideo non oportet hanc Dei ordinationem impugnare, sed quanta, quanta est humiliter sustinere.

Quinta est, B. Petrus dicens vt subditi simus omni humanæ creaturę, quia sic est voluntas Dei. At humanam creaturam vocat magistratus, hominum arbitrio institutos, vt clarum est ex sequentibus, vbi dicit, siue regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis. Cum autem Rom. Pont. Potestatem arbitremur, humano decreto statutam, & ordinante Deo sic roboratam, sine crimine non est, qui sese suæ auctoritati subduxerit.

Sexta, ad hoc facit vnus ille consensus omni fidelium, qui hodie sub Romano Pont. sunt, nam cum potestas illa sit res temporalis, & longè submittenda vnitati fidelium, non sine fœdissimo crimine esse poterit, si propter rem temporalem hunc tot fidelium consensum communem despexerit, hoc est Christum negauerit, & Ecclesiam contempserit?

pferit? An possibile est Christum non esse inter tot, ac tantos Christianos? Si autem Christus ibi est,& Christiani cum Christo, & Christianis standum est, in quacunque re, quæ contrà Dei præceptum non fuerit. Hæc inquam ratio fortis, & insolubilis est.

Ex quibus possunt multæ aliæ formari, quin huc potest vniuersa scriptura duci, & quæ vbique charitatem, humilitatem, vnitatem spiritus, & timorem Dei, commendet, non violandas esse pro vlla re mundi, nedum pro vnius vno Pontificatu,vel primatu,etiam si solo iure humano esset institutus. Et hac ratione longè meliùs stabiliretur Romani Pontif. Monarchia, si voluntatem Dei & consensum fidelium, non tantum subditi, sed & Romani Pontifices attendere, & timere cogerentur, quam dum velut iure diuino teneant, vi & terrore extorquent, non nisi odium sibi accendunt in subditis, & sese per securitatem in tyrannidem paulatim confortant.

CAPVT II.

Ratio prima Lutheri euacuatur de voluntate Dei, & lapsus eius aperiuntur.

LEgenti mihi hæc verborum portenta, & inanem pompam, quibus aliud dicit, aliud intendit, mox succurrebat illud Chrysostomi super Matthæo. Sed caue, inquit, ne Hærodi efficiaris similis, & dicas, vt & ego veniens adorem eum, cumque veneris, interimere coneris. Timeamus igitur ne quando sthema supplicum, atque adorantum geramus, opere vero existamus inimici, sic noster diuersarius velut Hærodes simulat se reuerentiam, & obedientiam exhibiturum Summo Pont. & tamen nihil aliud agat, quam vt destruat, & labefactet Rom. Pontif. potestatem. Et vt Plautinus Euclio ait. Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. Est enim qui nequiter se humiliat, & interiora eius sunt plena dolo, ait Sapiens Eccles. 19. Et quod Hieremias ait, in ore suo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei insidias, nam proponit, ac si vellet astruere primatum, quæ si constarent, iam actum esset de eo, latet anguis in herba,quod vt manifestarium fiat, curramus per omnes rationes eius præraucidas.

Et ab initio vna fidelia omnes dealbabimus, potius vno Concilio omnes inungamus dicentes, has rationes æque astruere dominium Imperatoris Thurcarum, aut Tartarorum, sicut Rom. Pont. at obijcies, dicere quidem in communi, non contingit sufficienter &c. Idem vnamquamque specialitèr iugulabimus, adeò manifestarijs, & acutissimis telis, vt pœniteat eum huiusmodi fragilia induxisse.

Primo enim cum assumit de voluntate Dei, dico argumentum esse vitiosum, nam tota ratio militat, & currit æquo marte de Phalaride Dionysio Turcha, immò sic non liceret aliquem molestare in potestate. Vndè voluntate operationis Deus vult Thurcam modò, & priùs Saladinum obtinere terram sanctam Hierusalem, sepulchrum Domini, & ergo pro reuerentia voluntatis diuinæ non est Thurcæ resistendum. Agnosce sincere Lector fragilitatem, immò errorem huius rationis, Applica ergò Cain ad Abel, & videbis quantum claudicet, quomodo autē voluntas diuina, quæ in omnibus est honoranda, per operationem signetur, alterius est speculationis, nam & voluntas Dei fuit Christum crucifigi,& tamen crucifigentes grauiter peccarunt, voluntate Dei factum est, quicquid factum est. Voluntati enim eius quis resistet? ad Rom.9. per hoc tamen non excusantur quæcunque crudelia facinora per omnem ætatem facta, non lapsus Adæ, non fratricidium Cain, non adulterium Lamech, non totius mundi iniquitas diluuio absorpta præter Noe &c. & ità currendo per omnia gesta in sacra Scriptura, & in Ethnicis contenta, vndè liquet arundine fragiliorem esse hanc rationem,

Fallitur ergò maiorem in modum diuersarius (si ità sentit, vt loquitur) existimans hanc rationem efficacitèr resistere schismaticis, quod quàm puerile commentum sit, ex hoc liquet, quòd schismaticus diceret, placet mihi hæc ratio, modò patiaris, vt contrà te quoque ea vtar, voluntas Dei, quam in ipso facto videamus, & operatione est ratio non resistendi, & ex ipsa operatione liquet nos, Bohemos, Moschubitas, Ruttenos,Græcos, Armenios, non esse sub potestate Romani Pontificis. Voluntati ergò diuinæ in hoc non est resistendum. Vide vitiosum esse argumentum, quod reciprocum appellat A. Gellius lib. 5. noct. atticarum, & conuersionem Cicero ad Herennium, quo æque facit contrà proponentem, velut contrà respondentem, desipit ergò diuersarius, quod existimat hanc rationem potentem comprimere temeritatem resistentium, quæ maximè eos roboraret in eorum praua, & peruersa pertinacia.

Sed vt videatur aliquid egisse, magnum illum citat Cyprianum, qui hac ratione glorietur contrà omnes Episcoporum aduersarios, neque meminit vllius loci, quippe probè noui Cyprianum eo tempore à diuersario, vel negligentèr, vel in paucissimis lectum, vt disputatio Lipsica probauit, & ego oculatus testis sum, quomodo solùm eum vellicarim perceperit, sed ad propositum, nego Cyprianum fundamentum suum in hoc collocasse, nam sic ex operatione, & facto probasset tyrannidem etiam persecutorum, fateor tamen omni probationi posse occurrere illam rationem. Legi sępius, & relegi Cyprianum, non memini me hoc in eo legisse propotestate, & dignitate Sacerdotali confirmanda. Nam loci,vbi eam tuetur, sunt, epistola.3.lib. primi ad Cornelium epistola 6. ad Magnum lib. 2. epistola 11. ad Cornelium, epistola 9. lib. 3. ad Rogatianum, epistola 11. lib.4. ad Antonianum. Et eodem libro epistola 9. ad Puppianum, & in tractatu de simplicitate Prælatorum, non memini, quod in hac ratione se funder, sed voluit fortè diuersarius sic fascinare Lectorem, vt eum induceret ad sibi credendum tanti Martyris, & Doctoris auctoritate.

Quod

Quod vt planè agnoscas, intuere locum sequentem, in quo diuersarius apertè sacræ scripturæ contradicie, dicit enim decem tribus Israel discessisse à Roboam sine auctoritate, licèt cum voluntate Dei. Contrarium huius legitur in historia Reg. nam 3. Reg. 11. sic legitur, factum est in tempore illo, vt Hieroboam egrederetur de Hierusalem, inueniret eum Abdias Silonites propheta in via, opertus pallio nouo. Erant duo tantum in agro. Apprehendensque Abdias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Hieroboam, tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel. Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid, & Hierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribus Israel, & infrà. Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius (Salomonis) dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Hierusalem ciuitate, quam elegi, vt esset nomen meum ibi. Te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, eritque rex super Israel, dein pollicetur ei, quod velit manere cum eo, & ædificare domum fidelem &c. si audierit præcepta Dei, hæc cap. 11.

Capite verò 3. Reg. 12. dicitur, videns itàque populus, quod noluisset eos audire Rex. Respondit ei dicens, quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Isai? & infrà, factum est autem cum audisset omnis Israel, quòd reuersus esset Hieroboam, miserunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israel. Et cum Roboam vellet pugnare contrà filios Israel. Sequitur, factus est autem sermo Domini ad Semiam virum Dei, dicens, loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo dicens, hæc dicit Dominus, non ascendetis, neque bellabitis contrà fratres filios Israel, reuertatur vir in domum suam, à me enim est factum verbum hoc, quibus omnibus pensatis, liquet Hieroboam iussu, & auctoritate Dei accepisse regnum super decem tribus Israel, quod viuente Salomone ei promisit, & in signo dedit decem scissuras, & diuersarius noster audet dicere, hoc factum sine auctoritate Dei. Scio sanctum quendam doctorem diuersùs tractare hunc locum, Candidus tamen lector satis intelligit me syncerìter textum induxisse.

Porrò falsissimum est, quod adducit, hoc factum voluntate Dei sine auctoritate, quare ratum fuit apud Deum? Nam & patricidium Herodis, & necatio Innocentium fuit voluntate Dei, sicut ipse exponit, idest sine voluntate Dei fieri non potuit, Deus tamen ratum non habuit, ità de quibuscumque alijs, quòd si aliter intelligat voluntatem Dei, iam seipsum inuoluet, nam quod propriè est de voluntate diuina, est de iure diuino, nam eo ipso quòd Deus vult aliquem ad aliqualiter fieri, teneri, ipsa voluntas Dei est, tunc lex diuina. Desinat ergò diuersarius exclamare illam rationem toties claudicantem esse insuperabilem, & quòd dicit non excusatos à schismatis reatu, contrauenientes huic voluntati diuinæ.

Perpende Candide Lecto, quàm infantiliter hic labatur diuersarius, & prorsùs non intelligat, quæ loquitur, nam satis exposuit se loqui de voluntate Dei, quam nos accipimus ex operibus Dei, & contrauenientem huic voluntati operationis accusat reum schismatis, quasi vllus hominum vnquam huic voluntati Dei potuerit contrauenire, cum mox alleget Apostolum. Voluntati eius, quis resistet? & per Psalm. Omnia quæcumque voluit fecit. Psalm. 113. Quòd si rectè fuisset intuitus doctores, quos allegat, inuenisset voluntatem signi operationis Dei, esse beneplacitum voluntatis diuinæ, de quo ait Apostolus, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta ad Rom. 12. Non ergo timeat diuersarius aliquos contrauenire huic voluntati Diuinæ cum B. Augustinus dicat 3. lib. de Trini. Dei, nihil enim fit, quod non de interiori, atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabilem iustitiam, vbi enim non operatur, quod vult, Dei Omnipotentis sapientia, quæ pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, Sapien. 8. Et in Enchiridio ait, non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo, & apertius quidem hoc ostendit de libero arbitrio August. cum ait. Nihil enim constitutum superat voluntatem Dei, quoniam illa voluntas Dei semper impletur, ait idem in Enchiridio, aut de nobis, aut à nobis.

Hoc, & Ioseph dixit fratribus suis. Num Dei possumus resistere voluntati? Gen. 50. Vndè Glossa, hoc probè nouit super illo Psalm. Iustus Dominus in omnibus operibus suis, Glossa, hoc est apud Deum velle, quod facere. Concludit ob hoc August. lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 2. illa voluntas sua, quæ cum eius præscientia sempiterna est, profectò in cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit, non solùm præterita, & præsentia, sed etiam futura fecie. Vndè manifestissimum est, quomodo exorbitet diuersarius admittens aliquos contrauenire voluntati diuinæ, quæ sit operatio Dei, signum voluntatis diuinæ. Fuimus prolixiores in hac nihili, & flocci ratione euacuanda, tum quod ità iactabundè diuersarius eam profert, dicens eam insuperabilem, quam etiam elementarius Theologus videt inanem, & seipsam destruentem, tum quòd sequentes in tam arenoso fundamento iaciantur. Hanc rationem dixit Luther insuperabilem, & eum cogentem, ve subsit Rom. Pont. tamen anno 1520. publicara Bulla contrà eum, nihil aliud egit, nisi vt non subesset Papæ, & alios ab obedientia eius detraheret, sic falsitas sibi nunquam constat,

CAPVT III.

Diluuntur rationes prima, & secunda.

NOn dissimili Arundine, & pugione certeo pugnat in secunda ratione, nam cum ab initio velat, & obnubilat eam fuco quo-

quodam. Euangelium adducens Matth. 5. quod credere debeat quis aduersario, & quòd cum angariante vadat, quis ter mille passus, nisi timerem me nauseam, & fastidium factu rum lectori, explicarem prolixius horum verborum medullam, at nolumus (vt est in prouerbio) omnem mouere lapidem, & dicimus mox diuersarium peccare in limine, quod est in primis vitiosum, incipit enim. Si iuxtà præceptum &c. Nam dico illud non esse præceptum, sed consilium, & hoc intelligendo, vt Hierony. accipit, & textus præcedens concordat, de benefaciendo inimico, & ei reconciliando, secùs esset iuxtà Diui Augustini sententiam, at hoc omittamas. Contradicet diuersarius communi sententiæ Theologorum, quia in Euangelio omnia sunt præcepta, non assentiar ei, quia sic omnes oporteret ingredi Monasterium, & Apostolus ait, de virginibus præceptum non habeo. Consilium autem do. &c. 1. Corin. 7. Nihil his expressius, virginitatem noluit esse præcepti, sed consilij, at de hoc aliàs plura. Constat iam quàm improuidè, & inartificiosè argutetur sophista noster à consilio, ad præceptum.

Porrò quam cæcutiat, ex hoc liquet, quod illatione illa frigida probaret Danielem malè fecisse orantem pro liberatione populi à captiuitate Babilonica, quia debebat cedere aduersario, & angarianti mille passus debebat associari, & alijs duobus millibus. Neque christiani deberent excutere iugum Thurcæ, aut alterius infidelis, neque eis resistere, quoniam etsi sit disparitas cultus, est tamen identitas rationis, quam maleuolæ autem assimilat pontificiam potestatem iniustitiæ, quia aduersario, & angarianti mille passus. Venenum dein apertius emittens, siuè iustè, siuè iniustè egerit Papa, quasi Papa iniustè agat potestatem monarchicam sibi à Deo traditam exercendo, sed ità insibilat serpens. Euam hoc est, indoctam plebeculam sedecturus.

At despiciamus eius confirmationem, quia principatus est res incomparabiliter minor, quam charitas, & humilitas. Audi audacule, hic te in ius voco, dissoluitur ne vnitas fidelium? principatu dissoluto, quomodo ergo mansit vnitas, vt ità dicam vnitissima fidelium, & Apostolorum in primitiua Ecclesia, vbi diuersarius negat fuisse primatum illum regiminis, & dignitatis? Porrò ante tempora S. Gregorij non fuit maxima fidelium vnitas tot millibus martyribus pro fide Christi alacriter morientibus, negat tamen ante illa tempora Ecclesiam Romanam habuisse primatum in resolutorio suarum conclusionum de indulgentijs, quid ergo hic contrà fingere potest diuersarius, nisi ampullas verborum? Vndè si non esset principatus illè iure diuino constitutus, non diceret renitentem principatui, resistere vnitati, & charitati, nam vnitas habetur etiam inter æquales. Dein licet Franci, & Hispani se subtraxerunt ab obedientia imperij, saluo vinculo vnitatis, & charitatis christianæ, ità & de principatu papali dicerent, si esset à solo iure humano (quod est hæreticissimum) iam vnitate, & charitate salua, possent se subtrahere ab obedientia Papæ, & sicut temporalia iam exercent ope regis, sine Imper. ità & spiritualia per primates perficerent, sine recursu ad Summ. Pont. & tamen dicerent se seruare vnitatem, & charitatem christianam nobiscum, quia vna fides, vnus Dominus, vnum baptisma. Vides ergò studiosè lector, quam facili vmbone repellantur machinæ illæ diuersarij imbelles, fragiles, & exarmatæ, & omnia dicit ferenda, quæ peccata non sunt, consilij est, non præcepti. Imò ipse diuersarius est impatientissimus ferendo, at de hoc aliàs.

Adeò autem venenosa, & maledicta est tertia ratio diuersarij, vt vix me contineam, quin eam pro meritis tractem, & modestiæ Theologicæ rationem habens, mititer agam cum ea, & interimendo, suppositum rationis non dabo, potestatem hanc pontificiam datam à Deo in flagellum, sed nobis in bonum, & ædificationem, quinimmò Deus non nisi iratus aufert nobis, vt non sit rex, neque princeps, neque sacerdotium, vt citat Gregorius Nazianzenus in Daniel. cap. 3. Paulo diuersiùs legimus, non debuit ergo diuersarius ità detrahere pontificiæ potestati, quòd diceret eam datam in flagellum, ex qua tanta bona prouenìant fidelibus, vt libro primo, & secundo diximus.

Dein & hoc non caret veneno detractionis, quod comparat papalem potestatem Thurcæ, quòd si non est principi maledicere, sacerdoti Dei detrahere, rebellionem parare, seditionem inter fideles commouere, & omnia infera, & supera inrerturbare, hoc cine est viri christiani, religiosi, mendicantis, Theologi officium, heccine charitas christiana vnitatis conseruatiua, siccine honor, & ordo Ecclesiæ illibatus defensatur.

Porrò, si omnia tam assumpta, quàm tacitè præsupposita essent concessa, consectarium esset vnum magnum absurdum, si quia licet patienter ferre debeamus flagella nobis à Deo inflicta, iuxta illud Esdræ. 3. cap. 10. fortiter fer, qui tibi congerunt casus, & quod S. Paulus, ait, tribulatio patientiam operatur. Patientia autem probationem, probatio verò spem, ad Roma V. Patientia enim nobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem 2. ad Thimot. 3. tamen pro huiusmodi flagellis, licet Deum deprecari, vt auferantur, iuxta illud Psal. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me, & quæ leguntur 2. Paralip. 10. & 3. Reg. 8. Imò Deus aliquando affligit suos, & precibus, & orationibus ad eum conuertamur, iuxta illud Psal. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, Psalm. 82. & cognoscetur Dominus iudicia faciens. Psalm. 9. Liceret ergò rogare Dominum pro auferendo hoc flagello principatus papalis, quod est planè impium, & sanctæ matri Ecclesiæ aduersum, quæ in illo sacratissimo Missæ officio singulis diebus orat. D. O. M. pro huius conseruatione dicens in Canone, in primisque tibi offerimus, pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adiuuare, & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo Papa nostro, quare iniqua est comparatio de Thurca, sub quo christiani existentes, rogare possent, vt ab eis regimine liberarentur,

tur, quod christiano non licet de Papa, vt iam dictum est.

Non suffragatur diuersario, propter peccata populi multa principes terræ, & est Prouer. 28. uam hoc plus ei refragatur, quàm conducat, pluralitas enim principatuum mala, ideò hic sapiens indicat: propter peccata populi diuidi regna, sicut regnum Salomonis fuit diuisum filio Roboam, & Hieroboam, vnus ergo principatus saluatur in Ecclesia, nisi peccatis hominum exigentibus, aliqui schismatici deficiant, & secedant.

CAPUT IV.

Rationes 4. 5. 6. Lutheri euacuantur.

HIs rectè pensatis, arbitror cuilibet catholico liquere languentes diuersarij rationes, vt nec volare, nec ire possint, sed egrè repent, & ex prioribus sequentes excutiuntur, de quarta enim satis, superque dictum fuit circà primam, quod illa non plus probet principatum papæ, quàm Neronis, quare vt nimium generalem dicimus eam non specialiter probare de Papa, quàm de quocumque alio principe, quòd si in isto iaceret suum fundamentum, & consectarium esset, vt iisdem causis posset destrui papatus, sicut alius principatus, quemadmodum communitas Suicerorum, Venetorum, & Florentinorum, reges non agnoscunt hoc, quod nullus christianus admittet. Porrò de suo addit diuersarius, & hoc etiam si iniusta esset, semper tacitè sugillans pontificiam potestatem tanquam iniquam, sed hoc parcat ei Dominus.

Euanida est, & quinta ratio, quod vt verum sit, applica eam communitati Venetorum, & statim erit falsa, aut omnes Veneti peccabunt, non se subijciendo Imperatori, talibus sophismatibus irretire nititur diuersarius, simplicem popellum. Et quod ad verba sancti Petri attinet 1. Petro 2. non est assecutus veram intelligentiam diuersarius, nam hoc dixit Petrus in primitiua Ecclesia instruens fideles, quòd si quis fuerat sub dominio alicuius principis ante baptismum, per fidem noluit illum liberari ab illo dominio, hoc fecit sanctus Petrus, vt ait Glos. interlinearis ibidem, ne in hoc fidei, christianæ religioni posset detrahi, quod per eam subtraherentur iura conditionis. Vndè in hoc crudelissimi tyranni sunt inexcusabiles, quod cum nihil detraherent imperio, neque alicui essent molesti christiani, sed psallerent, vt eleganter, & verè rescripsit Plinius ad Traianum Imperatorem, quæ & hodiè in Epistolis eius legitur, adhuc tamen seuissimè per omnia tormentorum genera, per exquisita supplicia in sanctos Dei viros insontissimos, debachati sunt, perperam ergo diuersarius huc per capillos trahit verba S. Petri, & cum hoc falsum assumit, primatum hunc papalem humano decreto statutum, cum libro primo, & secundo locupletè probauerimum eum esse à Domino Iesu constitutum.

Pari ægritudine laborat sexta ratio, nam cum primò assumit illum communem consensum fidelium in potestatem Romani Pontificis quæro ex eo, cum vnusciusque rei pars potentissima sit principium, quomodò ille consensus habuit initium, aut quando, & profectò, si etiam sit marmoreus, non poterit aliud inuenire, nisi, sicut in superioribus libris docuimus, quòd ex sacra scriptura, Apostolica traditione, Conciliorum declaratione, Papa à fidelibus habitus sit summus, ideò suscipientes fidem, cum hoc fecerunt obedientiam Summo Pontifici, quod & Imper. christiani confirmarunt assentiendo, non nouum ius condendo, vt dilucidè in superioribus diximus, sed placet, quod subdit diuersarius, despicere hunc consensum fidelium, sit Christum negare, & Ecclesiam contemnere, nam hoc vero, sicut vtique est verum, non potest excusare Græcos, & Bohemos Romanum Pontificem contemnentes, quia iuxta eius interpretationem, Christum in hoc negarunt, Ecclesiam contempserunt. Porrò si iste sit iure humano dumtaxat constitutus, velut asserit, dicat mihi, quomodo iuris humani violator (potissimùm si Papa esset nobis solum datus in flagellum) possit dici Christum negasse propter traditiones hominum, quas ipse tam licenter carpit, negat, reijcit, & deridet, vt vidimus libro 1. de constitutionibus Anacleti, Nicolai, Leonis Magni, Leonis IV. &c. Et quod ad consensum attinet, si ob consensum communem fidelium nephas arbitratur repugnare huic primatui, dicat mihi cum patientia, cur non recipit Constantiense Concilium laudatissimum, vbi æqualis consensus communis fidelium concurrit? Ex Italis, Germanis, Francis, Hyspanis, Anglis, Hungaris, Dacis, Polonis, Scotis, Norwegijs &c. Quomodo ergò sine fœdissimo crimine esse poterit Luther, qui hunc tot fidelium communem consensum despexerit.

Porrò, & illud, quod annectitur ieiunum est, non esse possibile inter tot christianos non esse Christum &c. Est enim vitiosum argumentum, tantundem probat pro respondente, sicut pro opponente. Si enim priores rationes, & ista, fuissent adductæ contrà Grecum in Concilio Florentino, conuersione fuisset vsus, Græci, Bulgari, Rutheni, Mosthobitæ, Armenij, non consentiunt, nec se subijciunt Papæ, & non est possibile inter tot, & tantos christianos non esse Christum, igitur cum Christo, & christianis standum est, & Papa ab illis dimittendus. Vides iam ruinosa diuersarij fundamenta, quibus tamen adeò crepat, ac si mathematicas afferret demonstrationes, ac loricata auxilia, cum eum non pudeat in priori ęgra ratione ridicula subnectere, hæc inquam ratio fortis est, & insolubilis, cum adeò ieiuna sit, & imbecillis, vt vix digna fuerit, quam tractarem. Volui tamen insolentiæ hominis occurrere, & prima ratione, & secunda satis docuimus, si non esset primatus iste de iure diuino, si infringeretur, non ob hoc infringi vnitatem &c. Nam indubiè, & Greci, & Orientales Aphri quos dicit (licèt falsò) non fuisse sub Papa, adhuc tamen seruarunt humilitatem, vnitatem fidei, charitatem christianam, absque papatu Roma, secundum eum, cur ergò iam ex his contendit asserere primatum, cum possint esse sine eo, secundum diuersarium, sed verissimum est

est, quod philosophi dicunt, falsum non solùm vero dissenrit, sed etiam falso, hæc de fragilibus, & inartificiosis suis rationibus ab initio libri Falsigraphi positis.

CAPVT V.

Excusatio Lutheri cur decretorum meminerit 400. annorum.

AB inirio perniciosi libelli pollicerur diuersarius, post dissolutas auctoritares pro communi asserta sententia solitas induci, robustissimas allaturum rationes contrà tandem, antequam autem hoc prestet, excusat se super forma proposirionis suæ, qua dixit Romanam Ecclesiam alijs Ecclesijs superiorem probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum decretis intra 400. annos naris &c. formidans nimium salis se apposuisse, ideò super hoc palliatam affert excusationem, de qua prius experiamur. Sciebam, inquit, hæc offensura, & manifestissimè enim est ex decreris Romanorum Pontificum ante mille annos certatum pro hoc primatu. Ego autem hoc spectaui, quòd Romana Ecclesia nunquam fuir, nec est, nec erir vnquam super omnes totius Orbis Ecclesias, licèt super plurimas sit, nec enim fuit vnquam super Græciæ, Aphricæ, Asiæ, Ecclesias, nec eorum Episcopos confirmauit, sicur modò nostros confirmat, vr satis probanr hystoriæ. Deindè fuur sine dubio christiani in Oriente, cum Christi regnum sit orbis rerrarum, iuxta Psalm. 11. & tamen Episcopi eorum non instituunrur, non confirmantur è Roma, uec est necessarium.

Deindè ab hoc tempore cœperunt multiplicari leges, & iura. Nam & Gregor. IX. Bonifacius VIII. Clemens V. nisi cousarcinassent, & alias recisas & alias additas Epistolas scholis regendas, ac docendas tradidissent, sine dubio tot maria glossarum, & infœlicissimum iutis studium, non essent, delituissent autem ram decreta, quàm decretales magno Ecclesiæ lucro, & Euangelij commodo, intra arcas Romani Ponrificis. Nunc autem, quæ facies Ecclesiæ, vigore istorum legum, satis plus videmus, nec hoc satis, in dies augescunr eiusmodi libri, & tamen nihil faciunt, nisi quòd plures animabus laqueos ponunt, indè dispeusationum, confessionalium, indultorum, exemptionum, turpissimæ nundinæ. Indè Episcopatuum, sacerdotiorum, officiorum, palliorum, armatorum rapinæ, & venditiones impudentissimę, indè censuræ, minæ, fulmina ius, fraus, dolus, & infinita moustra, quorum nullum, aut salrem rarum esset, si epistolæ huiusmodi, sicut oportuit, inrra annales, & regestas mansissent sepositæ, & Euangelio locum in publico reliquissent.

Proindè traditiones Romanas nunquam ità sensit mundus, vt in annis istis 400. ideò rorum earum pondus, & omnem vim Greg. IX. tribuendum existimo, per quem velut natæ funr, & ortæ, ab hinc enim vsus eorum robur accepir, & inualuerunr, vt legibus istis, & rraditionibus, ità sunt omnium officia, statuta Ecclesiæ, ordines in vnum chaos confusa, intra istos 400. vt Babylone ipsa confusior sit hodierna Ecclesia, nemo in suo ordine incedit, quilibet sibi ex vrbe legem emit, qua viuat, ille exemptus, iste priuilegiatus, ille familiaris, iste officialis, iste, nescio, quo tirulo, omnes, libertatem quilibet essendi, faciendi, audiendi, habent, per has Roma. leges, Romæ aliud curatur, quàm vt hac Ecclesiæ summa calamitare roboretur factas, & dominatio sua, in omni indiuiduo suo sola. Et hunc, Ecclesias, occasum, si qua non gemimus, si dolemus, si quærulemus hęrerici sumus, irreuerentes in Romanam Ecclesiam, sumus scandalosi, seditiosi, procaces sumus, quia videlicèt quærulari non possumus, in Romani Pontificis tùm iura, rùm potestarem, imò tantas iniurias populi Dei, simul tangamus. Nam hic fons est, aut perpendæ, aut Ecclesiæ seruandæ. Cum autem hodiè omnia sint in vrbe inquinatissima, & corruptissima, & agentibus impijssimis adularoribus, de ipsis nihil liceat, vel mutire, nisi quòd portenra ista laudent, iustificent, glorificent, quid mirum, si sub venerabili Romanæ Ecclesiæ nomine, tot mala inundauerint in omnem Ecclesiam pleno impetu, & præcipiti, & cui nemo resistere possir gurgite.

Denique eò deuenit legum Romanarum studium. Er Euangelij neglectus, vt necesse habuerint statuere in nouissimo Concilio. Animam hominis esse immortalem, quid putas hoc decrerum indicat? Irà vnusquisque in sensu suo abundet, mihi decrerorum auctores sunt Gregorius, & Bonifacius VIII. Clemens V. & extrauaganrium Ponrifices, quòd his agenribus in publicum sparsa, & præcepra sunr, & omnia stabilira, quæ si instar Epistolatum Greg. Augubst. Hierony. Bernardi, & aliorum, vel in Bybliothecis, vel arcis pro cuiusque arbitrio consulenda, citrà vllum præceprum fuissent relicta, fęlicior esset Ecclesia, nunc verò quando summis articulis fidei æquanrur, ab adulatoribus autem, & præferuntur, fructum illarum habemus, ordinis Ecclesiastici confusionem, conscientiarum horrendas caruificinas, Euangelij ignoranriam, scelerum impunitissimam licenriam, adulatorum Romanensium odiosissimam tyrannidem, donec id meruerint, vt sub vasto cęlo non sit odiosius nomen, & grauè olentius, nomine Romanæ curiæ.

Ex his credo intelligi, me non fuisse tam crassæ iguoranrię, vt nescitem longè ante 400. annos decrera Rom. Pont. nota, alioquin quomodo certos 400. annos, & non plus, aut minus potuissem recitare, quomodo iudicare quòd essent frigidissima? quomodo hystorias allegare? quomodo rexrum scripturæ contrarium asserere, nisi diligentissimè omnia præuidissem, & contulissem?

Ex his indicijs volui nasuto lectori satisfactum, vr me non sine causa, sic posuisse cognosceret, nec ignorantiam, sed de industria sic locutum fuisse. Simul vt insidiosæ, & adulatoriæ propositioni Echij per omnia par referre volui, qui cum astruxisset anre rempora Syluestri Romanam Ecclesiam fuisse alijs superiorem, & ego persuasissimum haberem, Echium non esse ram impudentem, vt publicè mentiretur, nec tam ignarum

histo-

historiarum, vt hæc vera crederet, insidias suspicatus sum, vt qui morem sophistarum, & lubricitates istorum protheruorum probè callerem, qui si voient falsum, faciunt verum, & verum mutent in falsum, cum interim in alijs eum loquendi rigorem exigant, vt nec vera Dei tuta coram eis sint, proindè volui animosiorem reddere, ac ante diem triumphabundum reddere, sicut ipse me formidabundum nisus est facere. Hæc diuersarius Luther ad verbum quasi.

CAPVT VI.

Ante Gregorium IX. libros iuris fuisse in frequenti vsu ostenditur, de glosf. iurium, exemptionibus, malis moribus, Romanis abusibus, etiam omnium ducum.

PAlliatam istam, & confictam diuersarij excusationem, quis est tam stupidus, qui non videat, taceo temeritatem, quam profudit, nam cùm propositio sua meæ contradiceret, & expręsse 400. annorum terminum posuisset, re nondum perfecta, sicut & alia temerè effutit. Certior autem deindè factus de antiquioribus decretis, incipit obliuiscere propositionem suam, ne error suus manifestatius depręhendatur, vt autem me verum dicere agnoscas Candide lector, & nunc meditatam, & fictam deptæhendas Lutheri excusationem, euidens argumentum est, quòd re soluturus suam propositionem suo peruerso libello ab initio postquam renarrauerat propositionem meam, subindè, & suam ponit, & numerum istum annorum omittit, & cur quæso iam eam omisit? nisi quia repugnantem veritati vidit, sed singula eius dicta temeritatis plena despiciamus.

Sciebam inquit primò, hæc omnia manifestissimè falsa videri omnibus, at ego dico non solùm videri, sed & esse falsissima, & hęretica, velut monstrauimus. Certum est, inquit, decretis Romanorum Pontificum ante mille annos certatum pro hoc Primatu, sed audi Luthere ante mille annos sancti fuerunt viri, & Euangelici, ipsis etiam sanctis admirationi. Nam nec beatus Gregorius tam antiquus est. Venis ergò ad Hormisdam, Symachum, Gelasium, Leonem Magnum, Hylarium, Innocentium, Damasum, Bonifacium &c. & dein ad sanctos Martyres 33. quòd si tanti, & tam sancti viri suis decretis primatum asseruerunt, impudentissimum est, & improbissimum te, pro singularitate tua, tam sanctis, & tam antiquis, integris, innocentibus, humilibus, diuitiarum contemptoribus, Deo, amandis patribus repugnare. Porrò quod assumit Græcos &c. non fuisse sub Romanam Ecclesiam, dicturi sumus capite sequenti.

Obiecturus suum lapsum de 400. annis explicat quomodo Greg. IX. Bonifacius &c. iura pontificia disseminarunt? hic apertè prodit inscitiam suam diuersarius, & quòd antiquitatis nullam prorsus habeat cognitionem. Illos enim tres increpar Summos Pontifices, qui decretales, Sextum, & Clementinas promulgarunt, quasi prius non fuerint iuris Pontificij libri primi antè Gregorium IX. quàm iam in vsu habeantur. Nam præter Gretiani decretum, fuerunt, decretum Burckardi Wormacien. Germani, qui Gratianum præcessit, vti in superioribus meminimus. Item tria decreta Iuonis, cuius nouissimum Panormia inscripeum, dudum fuit à calcographis impressum de decreto Paschasij, de codice Canonum, de antiquis floribus decretorum diximus in superioribus lib. 1. & Codice Canonum testatur Leo IV. vsos fuisse in omnibus iudicijs cap. de libellis distin. 20. Ideò Secundinus, licet inclusus, quærebat ex B. Gregorio an ne decreta Pontificum essent propagata vltrà Hormisdam, & respondit Greg. vsque ad Vigilium deducta. Vndè iniquè facit diuersarius, quasi non licuerit Pontificibus per successionem facere constitutiones, sicut antiqui semper prioribus addiderunt, & ipse fatetur mundum istis temporibus multò deteriorem factum, modò vetus est verbum. Ex pessimis moribus optimè nascuntur leges. Vndè semper præceptum fuit decretalia recipere, vt Nicolaus Papa probat Episcopis Galliæ cap. si Romanorum distin. 19. & ob hoc improperat Imper. Michaeli, quòd non habebat decreta Sanctorum Pontificum, vt meminimus lib. 2. cap. 20. Vndè si ob iutium promulgationem abijcit Greg. IX. omnes antiqui Pontifices veniunt reijciendi, qui decretalia constantissimè seruari voluerunt.

Vituperat dein glossarum maria, non est instituti mei omnem voluere lapidem, & hoc quidem, quòd ius Pontificium est glossis locupletatum, commune est ei, tum omni professione, nam & in medicinis, philosophia, oratoribus, & Poetis, habent prægrandes commentarios, & in legali sapientia (vbi tamen Imper. Iustinianus L. tanta circà nos, §. Hęc igitur omnia cap. de ve. iur. enu. prohibuit, tam præsentes, quàm futuros, legibus commentarios annectere, habemus Acursios, Odofredos, Albericos, Cynos, Bartholos, Baldos, Dinos, Raphaelos, Imolen. Iasones, Salicetos, cum alijs plurimis, & post tot Ecclesiæ lumina, & glossarum maria in Theologia, incipit diuersarius commentari Paulum, non quòd hunc laborem improbem, si à more maledicendi, & Cynica sua Theologia desisteret, sed quòd exprobrat Canonistis glossas, cum iam hoc literario sæculo, & superioribus, innumeri prodeant in omni scientia commentarij.

Exemptiones sugillat, quasi sub hoc sæculo natas, cum tamen S. Bernard. lib. 3. de consider. ad Eugenium, conquęratur super exemptionibus, qui Greg. IX. præcessit centum annis. Et quamuis non solum exemptionum, sed & quarumcumque aliarum rerum sit abusus culpabilis, tamen exemptiones rationabiliter factas esse laudabiles, patet ex inculpato Summo Pontif. B. Gregorio viro Spiritu Dei pleno, qui exemit monasterium beatorum Ioannis, & Stephani Classitanæ ciuitatis à iurisdictione Episcopi Rauennat.

Quæ autem diuersarius Vrbi Romanæ tribuit vitia, quòd in ea omnia sunt inquinatissima, & occupatissima, de his, quia Romæ non fui, dicere non possum, sed hic primò dico

dico nos scire etiam temporibus Beati Hieronymi (qui fuit ante 1550.) corruptos fuisse mores Romæ, dein & historiæ produnt, licet nulla hæresis ex Romana prodijt cathedra, non tamen defuere deprauatis moribus Pontif., qui à Deo iudicantur, vbi districtam sunt reddituri rationem, secundum quod in corpore gesserunt, præterea sæpe audio pessima inueniri Romæ & optima, homines honestissimos, & impurissimos, de quibus tamen nihil mihi constat præter auditum. Quod autem omnia mihi placeanc, quæ audio Romæ fieri, ingenuè fateor, plurima displicent, vt planè agnoscat Echium inadulabilem fore diuersarius.

At quòd propter aliquos abusus, negem a domino Apostolico quod Deus ei dedit, tota canit scriptura, omnes clamant doctores. Vniuersa obseruauit ecclesia, non faciam. Video enim diuersarium esse Cham ita denudantem verenda patris. Venerabor potius Romanum Pontificé, vt Domini Iesus vicarium, omnium fidelium patrem, totius ecclesiæ pastorem, qui si iniuncto muneri minus satisfaciat, est qui iudicet, quamuis in hoc plus esset ei condolendum, quàm insultandum, & deuotis supplicationibus pro eo apud Deum orandum, quod plus prodesset, quàm procax, superba, maledica, & insolens diuersarij scriptio, qui nondum tamen iuxtà Euangelicam normam eum corripuit, sed mox dicit ecclesiæ, omnia in Innocentem Pontificem regrerendo. Cum a tot annis simus experti, omnibus historijs attestantibus, omnes rebelles huic catholicæ sententiæ, seditiosos, superbos, singulares scismaticos, fuisse damnatos, & in reprobum sensum datos.

In Lutherum. Detractores Pontif.

Nullis ergo abusibus, qui fidei nostræ sanctæ non repugnant, & hæresim non sapiunt, patiar me auelli a veritate Euangelica, & Apostolica, quamquam de abusibus iudicate sit difficillimum, tum quòd Apostolicus non est semper culpabilis, neque possit semper seruare mundum collegiom, mundam familiam. Cum collegium sacratissimum Apostolorum Iudam tulerit, tum semper maior est quætela de abusibus, quàm abusus sint in se, nam & passi aliquid, acerbius id ferentes, amarius loquuntur, plures ex leuitate, rem etiam iustam sinistra interpretatione calumniantur, adde quod infecta natura ad malum prona, ad detrahendum parata est, & proclivis, suggerit cacadæmon, vt caput ecclesiæ debilitet, odio pastoris gignat, rebellionem in subditis pariet, obedientiam subtrahat, & vnitatem ecclesiæ diuidat, vt sic fracto & imminuto ecclesiæ regno, diabolicum suum regimen dilatetur & firmetur, & vt fieri solet, quòd layci oppido clericis sunt infesti, Nouus semper aliquid adijcit autor.

Pro Papa.

Abusus summarius reprehenduntur.

Fomes Lutheri.

Demon contra Papam.

Porrò si abusus criminati pergis, scimus quia needum Romæ confusio est, sed & in toto orbe terrarum, cum totus mundus in maligno positus sit, nam & sæcularium principum aulæ suas patiuntur Harpyas, Capinopolas, etnstatores, ac hatpagatores, sed nec vllus reperitur fratrum conuentus, in quo non Leopardi habitent cum agnis, lupi cum ouibus, columbi cum serpentibus: Non ergo negarim plura perperam agi à plerisque curia'ium officiarijs, sed plures sunt egregiæ eruditionis & integerrimæ vitæ Romæ, quibus ista displicent, liberum ergo scriptoribus calamum inuicia acuere, modò id cum sale fiat, non cum furia, cum fructu, non cum destructione, ex amore, non ex inuidia, aut maledicentiæ morbo, Et quod ait Cicero, contumelia careat obiurgatio.

Apud reges & duces abusus.

Habent enim Germani principes suam cum Romana sede compactata (vt vocant) tum annatis, pallijs, ac beneficijs conferendis, in quibus, si illis fides seruata non fuerit, iusta est causa exhortandi Pontificem, vt pacta seruentur illæsa, vt suis modum imponat, & eos, propter quos male audir sanctitas sua, corripiat. Hoc enim debebat expectare Luther, donec Cæsar, Episcopi & principes catholici cum Pontifice, mutuo auxilio & consilio de reformanda cogitarent ecclesia, tam in clero, quàm in fratibus, & monachis, atque laycis, tam de religione, quàm de superstitione, & quòd denunciationem publicam iuxtà Euangelium Domini Iesu præceptum, fraterna præcederet correptio, hoc enim satius esset, quàm rem tragicis agere conuitijs, ciuilia & intestina mouere bella Summo Pontifi., oblatrare, plebem inficere, tumultum excitare, & spiritum inuidiæ, vt magnus habeatur, & veneretur vuo ore in prælatos ecclesiæ euomere, at maiorum & prudentum committo iudicio, ego pro meo paupere sensu iudico: Si diuersarius etiam zelum haberet (quod ex nullo indicio conijcere possum) tamen non haberet zelum secundum discretionem.

Luther sic debebat agere.

CAPVT VII.

Constitutio Concilij Roma. De studio Philosophia & poesis & canonistarum excusatur.

ID, quod Subindè dicit, Romanaram legum studium eò deuenisse, vt necesse habuerint statuere in nouissimo concilio, animam hominis esse immortalem, corruptè, & truncatè affert constitutionem, & sic tacitè sacrum sugillat concilium. Anno enim domini. 1513. die 19. Decembris, æditus est Canon in concilio Lateranensi sub domino Apostolico Leone 10. lectus per Archiepiscopum Gnezenensem, oratorem regis Poloniæ, in quo refert quosdam Philosophantes temerè asseuerare, animam hominis, saltem secundum philosophiam esse mortalem, dein sacrum Concilium tenorat constitutionem Concilij Viennensis, quòd anima sit immortalis, multiplicabilis secundum corpora &c. sed quærit diuersarius, quid putas hoc decretum indicat? hoc inquam indicat, quod sequitur, omnibus philosophis in vniuersitatibus studiorum generalium, vel alibi publicè legentibus, districtè præcipiendo mandamus, vt cum philosophorum principia, aut Conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscatur, auditoribus suis legerint, quale hoc de animæ imortalitate, aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiusmodi, trneantur eiusdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere, ac omni studio philoso-

losophorum huiusmodi argumenta, cum omnia solubilia existane, pro virili excludere, atque resoluere. En primum, propter quod renouata est constiturio, & infrà. Cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præsciodere, nisi, & ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum semina, originalesue causas, vndè facilè oriuntur remouere. Cùm præcipuè humanæ philosophiæ studia diuturniora, quàm Deus secundùm verbum Apostoli euacuauit & stultam fecit, absque diuinæ sapienriæ condimento, & quæ sine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandòque magis inducuntur, quàm iu veritatis elucidationem, ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari constitutione ordioamus & statuimus, ne quispiam de cætero in sacris ordiuibus coustitutus, sæcnlaris, vel regularis, aut aliàs ad illos iure arctatus in studijs generalibus, vel alibi publicè audiendo philosophiæ, aut poesis studijs, vltra quinquennium post Grammaticam & dialecticam, sine aliquo, Theologicæ, aut iuris Pootificij incumbat. Verum dicto exacto quinquennio, si etiam illis studijs insudare voluerit, liberum sit ei. Dum tamen simul vt seorsùm Theologiæ, aut sacris Canonibus operam nauauerit, vt in his sanctis & vtilibus professionibus, sacerdotes domini inueniane. Vndè infectas philosophiæ, aut poesis radices purgare & sanare valeant, & hos Canones per Ordinarios locorum, vbi generalia studia vigent, & rectores vniuersitatum eorundem studiorum singulis annis in priucipio studij, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus.

Quam saluberrimam constirutionem pro Euangelica doctrina, pro theologico studio, sicut eam Iacobus Vuimphelingius noster agnouit vtilissimam, hic noster diuersarius sugillat, & Euangelium neglectum ait Romanis legibus, profert etiam multa temeritate fructus iuris Pontificij, & eam facultatem totam contaminat, maculat & reijcit, in qua tot optimi viri integerrimi per omnem ætatem versati sunt, Hosticnen. Innocentius, Ioan. Andræ, Antonius de Butrio. Panor. Dominicus Geuimianus, Zabarella. Archidyaconus. Felinus. Et in toto orbe terrarum, in omnibus regnis Christianis, præcellentissimi vigent in ea professione viti, qui primos, & purissimos profetunt fructus, quia fructus iusti, lignum vitæ Prouerb. II. Vndè cum arbores sint bonæ, fructus proferent bonos. Lúc. VI. Quare in communi hortor eos, vt professionem, famam, & honorem defendant, sic & Romanam curiam sequentes, & qui pinguissima recipiunt beneficia ab ea. Eckius his non loditur, qui Romam nunquam vidit, nec vllam gratiam expectatiuam a Roma habuit. Anno. 1520. Ianuario.

Sed quàm frigidum, est quod seqnitur, se non ignorasse, longè ante 400. annos decreta Romanorum Pont. nata, immò constantissimè credo diuersarium huius crassissimæ fuisse ignorantiæ, quod solùm respexisse videtur ad tempus æditorum, decreti, decretalium, & sexti, ac clementinatum. Cum multò maiori inscitia laboret, Græcos. & Aphros nunquam Roma. Ponti. fuisse subiectos asseuerans, & quod experiar, eum Canones antiquos nunquam vidisse. Audet tameo homo vanè iactabundus glorificari se omnia diligentissimè peruidisse, ac contulisse, qui sciam, quàm ieiunè, vt vix per trausennam viderit, quod inferius ex Nicæno concilio manifestabimus, quod tam insolentèr iactitar, & nunquam vidir, sic fumum vendieat, quòd historias citet, & scripturas, quas quomodo tractauerit, partim lib. primo, partum lib. præsenti manifestabimus, omninò frigidis se iuuat palliarionibus, vt quod per imprudentiam meminerit. 400. ann. quomodo diluat, & pœnicillo coloret? Arrogantia Luther.

Prodit autem apertissimè inscitiam suam, cum existimat mendacium esse ante Syluestri tempora, Romanam ecclesiam fuisse alijs superiorem, & quòd non ira senserim, cum verba patentissima sine iuuolucris posuerim, eximistans hoc esse contrà historias, contrà scripturas, cum lib. 2. ostenderim, quod & hoc loco facturus sum, illud esse verissimum. Vndè nihil sopbismatis subfuit in propositione mea, sed timuit timore, vbi nou fuit timor: Maximè ob eam rem temeritatis argueudus est diuersarius, qui iactirat scripruræ sanctæ auctoritatem secum esse, qua probetur Primatus ecclesiasticus nullus esse, at euanidam esse eius iactantiam, statim reuincemus, dum ostenderimus, quàm aburatur sacris litetis, ac sanctis pattibus, vt nisi modestia Christiana in eum vterer, suis eum depingerem coloribus, at ue ei similis efficiar in maledicentia, ego in omni mausuetudine, & mititate pacificis verbis rationes eius iugulabo, auctoritatum in oppositum adductarum, verum & catholicum sensum ad intentiooem sanctorum patrum dabo, quoniam D. Iesus audiendus est in principibus Ecclesiæ, non Lucter, quia qui vos spernit, me speruit, qui vos audit, me audit Luc. 10. Hoc vnum verbum amabilis domini nostri Iesu saluatoris, redemptoris, glorificatoris nostri, mouere deberet diuersarium, ne iam impiè & procacirèr loqueretur de decretis iussis & mandaris Sum. Ponti. Vndè dignus est iuxtà mandatum domini, qui pereat de populo, contrahamus vela in re omnibus norissima, & dimittamus eos, qui ad Christi vicarium dicunt, scientiam viarum tuarum nolumus, præstemus id, quod sumus polliciti.

CAPVT VIII.

Aphros Fuisse sub Ro. Pont. Probatur ex Verbis Lutheri, & ex Cypriano.

Nihil est tam falsum, Nihil tam iniquum, quod audaculi non tentent, temeritas non asserere nitatur, quod in præsenria manifestabimus, diuersarius veritatis hic affirmat se hoc spectasse, quòd Roma. Ecclesia nunquam fuit, nec est, nec erit vnquam super omnes totius orbis ecclesias, licèt super plurimas sit, nec enim voquam fuit super Græciæ, Aphricæ, & Asiæ ecclesias, nec eorum Episcopos confirmauit, quod quàm sit intollerabilis error, quilibet, vel mediocritèr antiquæ eruditionis ecclesiasticæ doctus, intelligit, & quia non me præterit, qua iusolentia iactitet hunc locum diuersarius, vt quo

sæpe

ſępe vtatur popularibus conuiuijs diſputatione publica Lipſica, in maledicis ſuis ſcriptionibus, in excuſatione ſua vulgari ad illuſtriſſ. ſacri Romã. Imper. principem electorem D. Fridericum Saxoniæ ducem &c. Ideò accuratius ſtudebimus & de Aphris, & Grægis, ac Orientalib. oſtendere, eos fuiſſe ſub Roma. Pontifice, cuius oppoſitum Luther, vel ex ignorantia, vel ex malicia, tam temerè aſſerit.

Primùm autem probemus de Aphris, fideles ſemper fuiſſe ſubiectos Romano Ponti. & Antequam digrediamur, aperire oportet, quomodo diuerſarius ſui oblitus, ſibi non conſtet, ſed contradicat, nam ſuperiùs cum improbaret Anacletum Martyrem c. in nouo (vt lib. 1. meminimus) inquit, ſit intelligit ſacerdotalem ordinem cœpiſſe a Petro in eccleſia Larina, poteſt vtrumque ſuſtentari, quemadmodum. & B. Cyprianus epiſtola 3. ſedem Petri principalem, vndè & ſacerdotalis ordo cœperit, appellat, & Aphri tamen ſunt latini, quare ad Aphros relata ſedes Petri, fuit principalis etiam diuerſarij ſententia, quod hic tam audenter negat. At iam probemus Aphricæ eccleſias omnes Romano ſubiectas Ponti. non ſolùm eccleſia pacata, & Chriſtianiſſimia principibus requiem dauibus eccleſiæ, ſed eo etiam tempore, quo Roma Pont. nihil per potentiam facere potuit præ tyrannide Imperatorum gentilium.

Liquet ex B. Martire Cypriano, qui aduocans Satyrum, percunctatus eſt. Vtrum nam de catholicis Epiſcopis eſſet? hoc eſt ſi cum Romana eccleſia conueniret, renarrat B. Ambroſ. 24. quæſt. 1. aduocauit. verba Cypriani ad Antonianum adduximus lib. 2. quæ renarrat Gratianus 7. quæſt. 1. factus.

Et niſi Aphri fuiſſent ſub Epiſcopo Romano, cur Antonianus ſcribens ad Beatum Cyprianum petit, vt exemplum earundem literarum ad Cornelium Papam tranſmitteret, vt depoſita omni ſollicitudine, iam ſciret eum cum Cornelio, hoc eſt cum Eccleſia Catholica communicare, quid inquam petijt Numidicus Apher trans mare mitti ad Romanos epiſtolam, niſi quia Romanum Pontif. agnoſcebat vt ſuperiorem; & quòd deſerens Cathedram Petri, non ſit catholicus habendus. Vidè epiſtola 2. lib. 4. Cyprianum.

Sic epiſtola 6. lib. 1. ad Magnum. Eccleſia vna eſt, quæ vna intùs, & foris eſſe non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, & quem propter Sacerdotij honorem, Martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt. Iam iterum S. martyr. negat eum eſſe de Eccleſia, quia non eſt cum Eccleſia Romana, Cornelius enim Romanus Pont. fuit.

Dum quoque Cyprianus decreuiſſet lapſos ad communionem admittendos ante ſolita tempora ob imminentem perſecutionem. Vacante tamen Sede Apoſtolica, Fabiano martyrij gloriam adepto, ſcripſit tamen, & conſuluit clerum Romanum, qui dum pes literas hoc probaſſet, ait lib. 4. epiſtolarum, quæ literæ per totum mundum miſſæ, & in notitiam Eccleſijs omnibus, & vniuerſis fratribus perlatæ ſunt, vbi dum ſecti ſunt, cęſi, lapidati &c. Rom. coluerunt Eccleſiam, & quod ipſa probauerat, licèt ſuo præſide priuata, Chriſtiani in vniuerſo mundo acceperunt. Electo autem Cornelio mox Aphricana Eccleſia eum ſuper eodem conſuluit.

Electo quoque Cornelio, dicit eadem epiſtola, eum iudicio Dei, Epiſcopum factum, & Coepiſcoporum teſtimonio, quorum numerus vniuerſus per totum mundum concordi vnanimitate cõſenſit, ſatis intelligitur omnibus Epiſcopis per vniuerſum eum præfuiſſe, nam quòd omnes ſuffragia dederint ad eius electionem, nemo, niſi Oreſte inſanior dicet, & tota illa epiſtola abundè teſtatur dignitatem Romanę Eccleſiæ.

Et Aphros fuiſſe ſub Romano Pontif. Cornelio, vbi nondum Papa habebat aliquam iuriſdictionem temporariam Romæ, Imperatoribus infidelibus adhuc tyrannidem exercentibus, duodecimus enim Papa fuit ante Silueſtrum, liquet ex epiſtola 8. Cypian. lib. 3. ad Cornelium Papam, vbi inquit, nos enim ſingulis nauigantibus, ne cum ſcandalo vllo nauigarent, rationem reddidiſſe ſcimus, & hortatos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoſcerent, ac tenerent. Sed quoniam latiùs fuſa eſt prouincia noſtra, habet etiam Numidiam, & Mauritaniam ſibi cohærentes, ne in vrbe ſchiſma factum abſentium animos incerta opinione confunderet, placuit, vt per Epiſcopos retenta à nobis rei veritate ad comprobandam ordinationem, tua ſacta auctoritate maiore, tunc demum ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omninò in prouincia iſta poſitos, literæ fierent, ſicut fiunt, vt te vniuerſi collegæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent, firmitèr, ac tenerent, hæc Cyprianus, ægrètulerat enim Cornelius Papa literas ad Clerum Romanum deſtinatas. & non ad ſe, ſuper quo Cyprianus ſe excuſat, quòd ex Aphrica nauigantibus in Italiam, commiſerat, vt matricem, & radicem Eccleſiæ Catholicæ agnoſcerent, ac tenerent, quia intellexit Eccleſiam Romanam, quam adierunt, vbi apertiſſimum eſt Aphros agnouiſſe Romanam Eccleſiam, vt matricem, & radicem, dein quia diſſentio erat in electione Summi Pontificis Romani, ne fieret confuſio per prouincias latiſſimas Aphricæ, ordinauerunt Epiſcopi, vt retinerent antiquam ordinationem, donec fierent certiores de maiori Romano Pontif. & firmato, ac præualente Cornelio, literæ per omnes prouincias mitterentur, vt haberent communionem cum Cornelio, in quo ſcilicèt eum, velut ſuperiorem agnouerunt, quòd nullus vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, & charitatem ſeruare probaretur, qui Romano Pontif. non adhæret.

Ob id epiſtola 3. lib. 1. ad Cornelium, ſchiſmaticos, licèt ab Eccleſia reiectos, adhuc meminit ad Romam nauigantes ex Aphica, ſimiliter & fœliciſſimum, ſed quid feciſſet Romæ, ſi Aphricana Eccleſia non fuiſſet ſub Romana?

Inſuper ſi Aphri non fuerunt ſub Romano Pont. cum tunc Cyprianus, tanto mari à Cornelio auulſus, excuſat ſe, quòd de Fortunato Pſeudoepiſcopo non ſtatim ſcripſerit, ait enim, quod non ſtatim ſcripſi, non ea

res

res erat, quæ ad notitiam tuam deberet festinatò, statim quasi magna, aut metuenda perferri, maximè quando, & Fortunati nomen satis nosses &c. cum hęc in tua notia esse considerem, non putaui celeritèr, & vrgentèr hæreticorum ineptias tib nunciandas. Certè nisi Cornelius fuisset agnitus vt superior, quid opus fuisset ista excusatione? vbi se ad alios Episcopos Italiæ, Galliæ, vel Asiæ isto modo excusauit? nisi quia Cornelium Summum Pontif. agnoscebat, & vniuersalis Ecclesiæ pastorem, vndè meminie eadem epistola, Episcopos ex Synodo destinasse literas ad Roman. Pontif. quod erat primatus inditium, quòd acitata omnia ad sedem Apostolicam referrent.

Et in epistola 2. Synodus Carthaginen. de actis in ipsa scribit, adijciens, quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placiturum. Vide inferiores desiderare paternam complacentiam super actis. Ità mittentibus Cypriano, & alijs Catholicis Episcopis Felicitanum acholytum ad Cornelium Papam, Fœlicis hęticus eum præuenerat (eadem epistola) quid is concursus quid ea præueniendi contentio? nisi superiorltatem eius, ad quem concurritur, significat, cum quisque studeret alterum præuenire, vt à superiori approbaretur.

Sic tota Synodus Chartaginen. 28. Episcoporum tuetur se auctoritate decreti à Cornelio èditi contrà schismaticos lib.1. epist. 4. quod stultissimum fuisset, nisi Aphricani Romanum Pontificem Cornelium, velut primum, & vniuersalem Episcopum habuissent. Huc Cyprianum, & Synodos sui temporis libentèr addùximus, quòd Apher fuerit, Aphrorum primas, eruditione, grauitate morum conspicuus, ac martyrio gloriosus, cuius auctoritate meritò premitur diuersarius, & nostra fortissimè roboratur sententia, Aphris superiorem fuisse Romanum Pontificem.

CAPVT IX.

Aphros fuisse sub Papa probatur, & Augustino, Euaristo, Damaso, Leone, Innocentio.

CYpriani auctoritatem cuilibet fideli sufficere arbitror, at fortificabimus pluribus nostram sententiam, vt inuicta sit tam pluribus auctoribus firmata. Primò enim Cum Cæcilianus Chartaginen. à conciliabulo hæreticorum fuisset reiectus, & expulsus post varios tractatus, causamque diù, & sæpè in Italia, Gallia, & Aphrica agitabatur, restitutus fuit Sedi suæ Cecilianus Chartagine per Melchiadem Pontif. Romanum,& restituere non potuit, nisi superior, memiuit Augustinus depositionis illius, & testitutionis in epistola ad Glorium Elensium, & Felicem epistola 162. Donatum ibi testatur depositum, & latam contrà eum sententiam, quamuis plurimi Episcopi ei adhesissent, ob id laudat Papam Melchiadem, vt suprà meminimus, & columna 6. eiusdem epistolæ. Iterum August. docet, quomodo Aphri iudicati fuerint ab Episcopis vrbis Romæ. Vndè septuaginta Episcopi fuerunt in condemnatione Cæciliani, quorum sententiam retractauit Melchiades.

Et si ad crepundia venerimus Ecclesiæ, reperimus Euaristum V.Papam à Petro, Episcopis Aphrorum præcipisse, vt septem sine Diaconi apud Episcopum, qui si sint, quasi oculi ipsius Episcopi, qui non dedisset mandatum, nisi sibi subditis.

Ad quod post martyrum tempora, Aphri fuerunt sub Papa, liquet ex epistola Damasi ad Stephanum Mauritaniæ Archiepiscopum, & vniuersos Episcopos Aphricæ, incipit. Lectis fraternitatis vestræ literis, & quia eius meminimus lib. 2. cap.10. nolumus repetere.

Porrò Chartaginen. Concilium 68. Episcoporum, scripsit de actis suis ad Innoc.Papam, & inter alia ait. Hoc itaque gestum Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostris medio charitatis,etiam Apostolicę Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & corrigenda quorundam peruersitate. Responsum Innocen. fuit adductum lib.2. An adhuc maius testimonium postulat? Petit Synodus Aphricana (cui Sanctus Augustinus interfuit) adhiberi auctoritatem Apostolicæ Sedis pro corrigenda aliquorum peruersitate, quid implorarent eius auctoritatem, nisi esset superior? & quomodo coherceret peruersos, si non esset superior?

Ad eundem Innoc. scripsit Concilium Mileuitanum LXII. Episcoporum, meminimus lib. 2. ad quem locum sedulum remitto Lectorem.

Et cum in Concilio Manri. Cœsarien. egissent de Primoso deponendo,decreuie Synodus. Oportere literas destinari ad venerabilem fratrem senem Innocètium, vt agnoscat requisitum Primosum in Concilio, & minimè fuisse repertum legitur cap. 64. in Concilio Aphticano: innumera huius rei possem afferre testimonia ex epistolis Augustini, & mirum est, quòd tam oscitantèr diuersarius legie Doctores antiquos Ecclesiæ, cum alios tamen contemnat, quia scolasticos ipse Ecclesiasticos sequatur Doctores.

Sic S.Leo vniuersis Episcopis per Aphricam mandat Canone suo 49. vt Sacramentum communionem, virginitatis habentibus propositum, Barbarica violentia corruptis, non prohiberent, & quia epistola illa loco Canonis posita frangit ceruicem diuersarij, ideò præstat vel initium eius in medium afferre. Leo vniuersis Episcopis per Cæsarien. Mauritaniam constitutis. Cum de ordinationibus, quædam apud vos illicitè vsurpata, crebrior ad nos commeantium sermo præferret, ratio pietatis exigit, vt pro sollicitudine, quam vniuersæ Ecclesiæ ex diuina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curę nostræ, proficiscenti à nobis, & consacerdoti nostro Potenti delegaures, qui secundùm scripta,quæ per ipsum ad vos direximus de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret. Vndè quia idem pleuissimæ notitiæ nostræ cuncta teseraule, & sub quibus, qualibusque rectoribus, quædam Christi

ple bs

plebes in partibus prouinciæ Cæsariensis habeantur, syncera nobis relatione patefecit, necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro Dominicorum gregum periculis æstuamus. Datis nunc quoque ad dilectionem vestram literis, promeremus, mirantes tantùm apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, vt indignis quibusque, & longè extrà sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ dederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, se augere discrimen. Integritas enim præsidentium est salus subditorum, & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi est sana forma doctrinæ, principatus, quem aut seditio contulit, aut ambitio occupauit, etiam si moribus, atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui perniciosus est exemplo, & difficilè est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Hęc Leo: placuit grandiloquas recensere sententias tanti Pontificis, licèt tota epistola sit notatu dignissima, sed quis est tam impudens, qui iam audeat dicere Aphros nunquam fuisse sub Romano Pontif. Cum Leo ex iniuncta sollicitudine sibi vniuersæ Ecclesiæ, legatum miserit super electionibus Episcoporum inquirentem, quod vide, quomodo sine superioritate ei licuerit, taceo de ordinationibus, & constitutionibus in eadem epistola Aphris datis, modò condere leges, est superioris. Addo quod uoluit aliquem ordinari in locum Lupicini electi, nisi causa ipsius legitimè priùs fuisset discussa, quæ omnia superioritatem apertissimè probant.

Sic Innocen. Papa diem Paschæ quando celebrari debeat, Aphricanis præscribit Ecclesijs Canone 40. Ait enim Innocen. Aurelio, charitatis nostrę officium nullo interuallo dirimitur, etiam si charta nullos apices ferat. Viuit enim spiritalis alternis in cordibus gratia, & amorem nostrum consouet Sacerdotali ipsa vnitas, & infrà, Has ergò literas de ratione paschali, alterius dico futuri anni præscripsi. Nam cum ante diem 11. Kalen. Aprilium plene luna 16. colligatur &c. pondera ex hoc, & multis alijs decretis antiquorum Pontificum, quanta laborauerunt diligentia quottannis Pascha celebrando.

Et dum modus rebaptizandi in Aphrica inualesceret. Congregato Conc. Romæ 115. Episcoporum, prohibuit huiusmodi rebaptizationes, & lapsis remedium pęnitentiæ constituit per Aphricam, velut hoc eius prolixum decretum Anastasius Diaconus in Concilio recitauit.

CAPVT X.

Adhuc probatur aphros fuisse sub Roma. Pontif. & quomodo Apiarius sit Restitutus contra Concilium Cartaginen.

AD Tempora Beati Gregorij recurramus, & inueniamus Aphros fuisse Romano Pont. subiectos. scribit vir sanctus ad Gemiadum exarcham Aphricæ, vt in registro legitur, & præcepit admoneri Aphricanorum Concilium, vt Primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat constitui, quoniam apud Deum non gradu eleganrior, sed vitæ melioris actio comprobatur, præcipit dein Primatem in ciuitate residere, vt Donatistis resistere possit. Et hoc mandat, vt Numidiæ Episcopi non prohibeantur adire Romam Superioris autem est præcipere, quomodo ergo vir tam sanctus & tam doctus præsumpsisse præcipere aliquid Primatibus & Episcopis Aphricæ, si ei non fuissent subiecti?

Expressius hoc legitur in Epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum, in quodam crimine Bizazenus primas fuerat accusatus, & pijssimus Imper. eum iuxtà statuta Canonica per nos voluit iudicari, sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magister obstitit, vt minime fieret. Tamen pijssimus Imper. admonuit. vt transmitteremus, & quicquid esset Canonicum faceremus, sed videntes contrarietates hominum, eandem causam inire noluimus. Nunc autem idem primas aliqua de concilio loquitur, & valdè dubium est. Verum purè, an certè, quia à Coepiscopis suis impetitur, nobis modò talia loquatur. Nam quod se dicit Apostolicæ Sedi subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit, cum verò culpa non exigit, omnes ratione humilitatis æquales sunt, hic Gregorius, quod Canonicum & regulare fuerat, debebat egisse contra Primatem illum Aphricæ Bizazenum. Nam quòd fuerit Aphricanus, liquet ex Concilio Aphricano, sub Zozimo, vbi numerantur Primates Numidiæ Bizacenæ, Mauritaniæ, Zitisen, &c. & agnouit ille primas se subiectum Romanæ, & Apostolicæ sedi, quod affirmat B. Gregorius omnes Episcopos sedi Apostolicæ fore subiectos.

Idem scribit Victori, & Columbo Episcopis Aphricæ, vt donatistarum tyrannidi, velut boni Pastores, resistant, præcipiendo, vt & Paulum Episcopum cum festinatione mittant, vt causas tanti facinoris agnoscat, & sic medicinam nephandissimo facinori imponere possit, hic pastor Roma. pro grege Aphricano fuit sollicitus.

Conquærente Crysonio Epispopo, parochias suæ diocæsis ab Episcopo Valentione occupatas, mandat B. Gregorius Victori, & Columbo Episcopis Aphricæ, vt si querela manifesta constiterit, absque mora ablatas parochias restituat, excusatione cessante fauente iustitia &c. Hæc apertissima sanctorum testimonia, quibus quilibet hominis vsum rationis assentit, diuersarius non vidit, audet tamen gloriari, se omnia diligentissimè præuidisse & contulisse, dum conclusionem posuerit.

Insuper scribit ad Columbum Episcopum, Numidiæ pro Paulo Episcopo, mandans, vt eum ab oppressoribus inquis defendat.

Cum Dodoneus Dyaconus Numida fuisset conquæstus se iniustè punitum, committit B. Gregorius eidem Columbo, quid iu eum agere debeat, aut in eius aduersarium, pro vt merita causæ reprehenderit. Et quia obruor multitudine testimoniorum ex Epistolis

stolis B. Grego. Videat Candidus Lector, ea quæ B. pater Dominico Carthaginen. Episcopo scripsit 8. Epistolis, Columbo Numidiæ 6. & vna Epistola vniuersis Episcopis Aphricæ Gaudentino exarcho 7. Epistolis Innocentio præfecto & alijs.

Et vt semper fortissima superesse præsidia diuersarius sciat ad aciem aduersamconfringendam, & ne sit homo, qui spiret, qui negare possit Aphros fuisse sub Romano Pontif. adducam hoc, quod Zozimus Papa ad Concilium Carthaginense misit Faustinum Episcopum plebis potentianæ, Prouinciæ Italiæ, Piceni, Roma. Ecclesiæ legarum, cum Philippo, & Asello præsbyteris, quibus, & aliqua in mandatis dedit, aliqua per scripturam agenda, & tractanda in eodem Concilio. Vbi & Concilij Nicæni de potestate Pont. Romani decretum est acceptum, adfuerunt in eodem Concilio vtriusque Numidiæ primates, Bizacenæ, Mauritaniæ, Zitifensis, Mauritaniæ Cæsarien. Tripolitanus, Colositinus, Neapolitanus, & Episcopi Prouinciæ consularis, ità quòd eidem Concilio subscripserunt se Episcopi 217.

Zozimo autem mortuo ad Bonifacium scripserunt, & dum Carthaginense tertiò celebrarent Concilium Honorij Augusti temporibus, in commonitorio ad Donatistas dato Theasio, & Euhodio legatis Concilij, in quo decernitur, vt & litteræ desuper ad Episcopum Roma. Ecclesiæ in legatorum commendatione mittendæ sint.

Et proximo Concilio quarto Stilicone, & Anthemio IV. Cousf. recitatæ sunt Innocentij Papæ literæ in Concilio, & decreta illius recepta. Eodem Concilio diffinitum est, vt quicumque ad comitatum pergere velit, causam suam, vel Carthaginen. vel Romano Pontif. insinuare procuret, testatur hoc Epistola ab omni Concilio Aphricano ad Bonifacium vrbis Romæ Episcopum missa, in qua fatetur Concilium se recepisse mandata, & literas nomine Pontificis.

Et hic habes argumentum inuictum contrà obtusitatem errantium, & nescientium Aphros fuisse sub Romano Pontif. Nam Appiarius per consilium Aphricanum fuerat deiectus a Siccensi Ecclesia, qui appellans Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, per Zozimum fuit restitutus auctoritate decreti Concilij Nicæni, ob id primò actum est de illo decreto, & misit Concilium ad Constantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam, pro originali authentico decretorum Concilij Nicæni, quoniam & Aphricani non habebant nisi 20. Canones Nicænos, sicut nos habemus, sed re diligenter perpensa, Concilium aliud Carthaginen. absolutionem Appiarij per Zozimum Papam factam admisit, & successori hoc scribit eius. Rogantes tamen ne Appiarius ad primam Ecclesiam redeat propter scandalum, sed datæ sunt ei literæ commendatitiæ, quòd in omnibus allijs Ecclesijs Sacerdotio fungi posset. Vnde paruo illo tempore post restitutionem Appiarij à Zozimo factam, Aphri habiti sunt rebelles, sed re fæliciter terminata, & literis illis missis ad Bonifacium Papam. Bonifacius deindè notabilem scripsit Epistolam ad Eulalium Alexandrinum Episcopum de reconciliatio-ne Aphrorum. Et quia Augustinus actioni illi interfuit, placet pro eius amore recensere sententiam, seu votum, quod aiunt, quando rogatus fuit in Concilio huius negocij. Augustinus Episcopus Ecclesiæ Hipponen. Prouinciæ Numidiæ dixit. Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiori inquisitione Concilij Nicæni. Rogabatur super eo, an Episcopus deiectus posset appellare sed. Apostol. sicut esset constitutio in Concilio Nicæno.

Multas turbas fecit Appiarius inter summum Pontif. Nam sub Cœlestino denuò abiecerunt Appiarium & obsecrauerunt ipsum solemni legatione & literis, ne Episcopos prouocantes, ad se ex Aphrica admittat ad communionem: Summi tamen Pont. vsi sunt iure suo & 6. actione Concilij 8. factum Zozimi, & Bonifacij fuit approbatum, quis vult iam iudicare pro diuersario, qui gloriatur se omnia diligentissimè peruidisse, & negar Aphros fuisse vnquam sub Ecclesia Ecclesia Romana, sed ità euenit in præcipiti agentibus, & vanam gloriam quærentibus, ego iam ad 4. mensem laboro, licet multæ aliæ intercedant occupationes, & existimo me non fuisse indiligentem, tamen nec dum omnia me peruidisse ingenuè fateor. Vndè oportet nos meminisse fragilitatis nostæ.

Et vt prisci moris Ecclesiæ penitus inscium ostendam diuersarium, illud etiam probabimus Aphricanam Ecclesiam fuisse subiectam sedi Apostol. non solùm vt vniuersalis Ecclesiæ pastori. Verùm etiam vt patriarchæ Romano, sed quia & Græcos attingit hæc moles. Ideò prius contrà infelix diuersarij mendacium, probemus Græcos fuisse sub Roman. Pont.

CAPVT XI.

Græcos fuisse sub Roman. Pont. probatur, Synodo Constantinop. Higenio, Innocent. Leone, Gelas.

Et si aliquando Constantinopolitanus Patriarcha superbiens, scismaticè se Romano Pontif. opposuerit, vt historiæ indicant, tamen omnes & rectè sentientes de fide, fuerant subiecti Pontifici Rom. & velut obedientes Ecclesiæ filij, eum agnouerunt, quod & ipsa Synodus Constantinopolitana agnouit, venerandum secundum scripturas, & Canonum diffinitiones Sanctissimum Romanæ antiquæ Episcopum. primum & maximum esse Episcoporum.

Ponamus ergo lucernam istam non sub modio, & ostendamus Græcos bonos, & sinceros Christianos sub Romano Pont. aliquando & semper fuisse, nam de scismaticis & hæreticis hic nigil dicimus, quòd illi in reprobum sensum dati, non modò Papam, sed & Deum contempserunt. Vnde fidem amittentes, tandem etiam Imperium perdiderunt, sicut pulchre Ioan. Maioris Baptistam Mantuanum inducit.

Hinc est orta lues, quæ Thracia regna vetusque
Græcorum Imperium vertit, Bizantia regum

Vrbs opibus constructa mari praetenta duobus
Aegao, Euxinoque fretis, stipata sedebat
Sceptra tenens, paruo qua gurgite Bosphorus vndam
Colligit, hanc scytica irrumpens Othomannus ab arcto
Insidijsque captam, ferro violauit & igne
Arx erat Europes, & inexpugnabile quondã
Romanæ fidei vallum Mahumetica contra
Arma minas. Asiæ frenans, Libiaque tumultum.

In primis ergo pro repetita habere velim superiora omnia, pro quanto huc scopum de Ecclesijs Græcis taugunt, quibus addantur hæc in præsentia, Higinus Papa Canone 3. Athenien. scribit. Alium in erroris societatem sectantem, vel à sui propositi tramite recedentem, vt Apostol. Sedis inobedientem, suscipere non possumus, nec impedire rectè credentes, vel sanctorum patrum iussionibus obtemperantes, permittimus hic docet Higinus Athenien. Sanctus Papa & Martyr, quem in communionem recipere Apostolicæ Sedis non possit.

Bratus Innocent. Papa Rufo, & Eusebio Macedoniæ Episcopis ostendit. cur recepti sint Bonosiani, Cathari, & Nouatiani, & qualitèr recipi debeant, per manus impositionem, absque reordinatione, & Canone. 35. scribit Rufo, Geronrio, Sophronio, Flauiano, Prosdotio, Etaristeæ Episcopis per Macedoniam constitutis, mota Episcoporum nostrorum Maximiani, & Eumenij, vel potiùs importunitas temporum fecit, vt vos iteraretis de Bubalio, & Tarinono quærimoniam, & nos iterum in homines perditissimos insurgeremus, sed vt possum paucioribus verbis tantorum malorum meditabor compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum conspexerim, retractabo &c. Constat illos Græcos recurrisse ad Roman. Pontif., contrà quem & priùs sententiam fuerant Romæ consecuti, vt lariùs in eadem Epistola continetur.

Ita & Alexandro Antiocheno scripsit de restituendis Paulino & Euagrio. Achatium autem priùs iudicio Apostolico reiectum, permittit Concilio eius restitui, & pulchra est alia eius Epistola, quam lubet recensere. Et onus, & bonor nobis à tua fraternitate impositus, necessarij tractatus causas induxit, quo literis, vel commonitorio verbo, vt dat Spiritus sancti gratia, respondere possimus, reuoluentes itaque autoritate Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum. Quæ censuit de Antiochenæ Ecclesiæ à cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotalibus esse necessarium custodire, quam super diocœsim suam prædictam Ecclesiam non super aliquam prouinciam recognoscimus constitutam. Vndè aduertimus non tàm pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd primi Apostoli Sedes esse monstretur, vbi & nomen accepit religio Christiana, & que conuentum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consumatumque gaudet. Itaque arbitramur frater charissime, vt sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine præmisso, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari, in quibus hunc modum certè seruabis &c. habes hic & modum datum à Romano Pontif. ordinandi Episcopos Antiochenos, & in eadem Epistola tradit aliqua statuta de Metropolitanis, & de Arianis.

Leo sanctus Dioscoro Alexandrino scribit, necesse est autem vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantum missæ more seruato sacrificium ferre non possunt, nisi prima diei parte conuenerint. Studio se ergo fraternitatem tuam admonemus familiariter, vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis fide & actibus congruamus, propter quod remeante filio nostro Possidonio præsbytero hanc ad dilectionem tuam Epistolam dedimus, perferendam, qui nostris processionibus, atque actionibus frequenter interfuit, & toriens ad nos missus, quid in omnibus Apostolicæ Sedis autoribus teneret, agnouit, hic Papa Roman. dat modum sacrificij Diuini Dioscoro Græco.

Gelasius condemnauit Achatium Græcum, quod aliquos molestè ferre intelligens scripsit Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopoli, & rationem facti ostendit, & suam auctoritatem probat, inter alia dicens, in hac ipsa causa Thimoreus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, & Ioannes, & cæteri non solum vnus sed plures vtique nomeo Sacerdotij præferentes, sola Sedis Apostolicæ suut Auctoritate deiecti. Expende lector auctoritate Rom. Pontif. Græcos deiectos.

Idem scribit Episcopis per Dardaniam constitutis (qui Græci sunt) & renarrat Gratianus 24. quæst. 1. maiores, & eisdem Episcopis scribit cap. 35. quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam Ecclesiarum iura turbare, ac priuilegia, quæ metropolitanis, vel prouincialibus Episcopis decreuit antiquitas, temeraria præsumptione inuadere, propter quod etiam communionis Apostolicæ desidetant tenere diffidium, quod scilicèt ab eius auctoritate diuisi, vel impunè proprias vsurpationes exerceant, non respicientes, quia æterno iudici rationem, tam de Catholicæ sinceritatis iniuria, quàm de traditionum præiudicijs paternatum, non sine perpetuæ damnationis interitu sint reddituri, si in hac obstinatione permanserint, charitatem vestram duximus instruendam, vt vos omnes in communi frattes per Dardaniam, siue per contiguam quamcunque patritiam constituti, vos sub Metropolitanis vestris esse meminiistis &c. sequitur de modo subijciendi Metropolitanis, & constituendi &c. quòd nisi Gelasius cognouisset se vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, non suscepisset sibi curam gregis Dominici in Dardania, nec aquieuissent ei Episcopi in Dardania, si non superior fuisset eorum.

CA-

CAPVT XII.

Grecos fuisse sub Papa probatur autoritate Pelagij, Leonis, Anastasij, Grego.

AT ne quispiam contra mutire audeat, & adhuc eum aduersario negare Græcos fuisse sub Romano Ponti. ostendamus non solum priores pontifices, sed & succedentes continuè, habuisse Primatum super Græciam. Vnde accedat in primis Pelagius. 2. magni Grægorij antecessor, scribens Episcopis Constantinopoli congregatis. Relatum est enim ad Apostolicam sedem Ioan. Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere. usque ex hac præsumptione ad Synodum conuocasse generalem, cum generales Synodos conuocandi, auctoritas Apostolicæ B. Petri Apostoli sedi singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta, quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuitis ex auctoritate S. Petri Principis Apostolorum, & D. Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi, & soluendi ipse saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis vana, cassata esse, ità vt deinceps numquam appareant, legitur cap. 2.

Hoc testantur omnia opera Leonis illius magni, quem leniter sup. capite attigimus, scribit enim ad Maximum Episcopum Antiochenum, Roma. ecclesiam esse petram, ideò admonet eum, quia dignum sit eum Apostolicæ sedis in hac sollicitudine esse consortem, & adhoc agendum agnoscat tertiæ sedis priuilegia. Vndè idem S. Leo missis Caterio & Asclepiade dat communionem Episcopis pœnitentibus, vt maneant in suis sedibus, mandat quoque ecclesiam Eusebij non inuadi, quæ omnia superioritatem Roma. Ponti. declarant super ecclesia Constantinopolitana, quæ fuit arx & regina Græciæ.

Anastasius. II. optimus Pontifex in epistola ad Imper. incipiente, exordium Pontificatus mei &c. inter alia scribit, gloriosissimo & clementissimo filio Anastasio Augusto, Anastasius Episcopus vrbis Romæ. Exordium &c. & infra. Illud vero peculiarius pro amore imperij vestri & beatitudine, quæ consequi poterit regnum, pro Apostolico officio prædicamus, vt sicut decet & spiritus Sanctus dictat, monitis nostris obedientia præbeatur, vt bona omnia vestra rempub. consequantur, sicut in Exodo promittitur. Si audieris vocem domini dei tui &c. hæc me suggerentem frequentiùs non spernat pietas tua. Ante oculos domini in Euangelio verba, qui audit vos, me audit, & qui vos spernit, spernit eum, qui me misit, nam & Apostolus concinens saluatori nostro, ità loquitur, quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum sanctum in nobis, pectus clementiæ vestræ sacrarium est publicæ fęlicitatis, vt per instantiam vestram, quam velut, vicarium præsidere iussit in terris, Euangelicis Apostolicisque præceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera impleantur, aduerte quisquis hæc legeris Romanum Pontif. non solum Græcis, sed & Imperatori Græcorum fuisse superiorem.

Ex pluribus locis B. Grego. liquet, Grecos fuisse subiectos Romano Ponti. Nam Ioanni Episcopo Rauennæ scribit lib. 4. registri epistola 14. Sed vt quicumque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ergo tolerare non possum, tamen de hac re iam Diacono nostro scripsi Constantinopolim, vt omnes qui sub se etiam vicenos, ac quadragenos Episcopos habet, requirere debeat.

Et lib. 4. epistola. 34. ad Constantiam Augustam scribit, Salonitanæ ciuitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit, quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi. Vt omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui, & contempto meatque despecto, in audaciam quorundam sęcularium hominum, quibus denudata sua ecclesia, præmia multa præbere dicitur, nuncijsque missas facere præsumit, atque ad me venire noluit. hic Grego. Episcopo Salonitano Græco, maximo nomine, sub pœna excommunicationis maudauit suspensionem ab officio, magnæ temeritatis fuisset vir sanctus, si non subiectum suspendere voluisset a diuinis.

Liquet hoc ex epistola. L. ad Ioan. Episcopum Corinthiorum, æquitatem, atque sollicitudinem Secundini fratris nostri & Coepiscopi, quæ olim nobis benè est cognita, etiam series iudicati, & scriptorum nostrorum monstrauit, in quare valdè placuit, lætosque nos reddidit, quia in causa Anastasij quondam Episcopi, quam ei examinandam iniunximus, vigilantiam suam & diligenter exercuit, & cognita crimina (vt iustitia poscebat, & oportuit) vindicauit, sed his in omnibus gratias omnipotenti deo referimus, qui desistentibus quibusdam accusatoribus, cognitioni eius veritatem, ne tantorum causa facinorum latere potuisset, ostendit, quoniam verò in eadem sententia, in qua suprà scriptum Anastasium iustè damnatum constat, atque depositum, sic quasdam supradictus frater, & coepiscopus noster vltus personas est, vt nostro arbitrio reseruaret, mandat dein ei, vt Paulum Euphemium, Thomam, Clemantium in pristinum locum restituat: expende Grego. Romani auctoritate depositum Anastasium Græcum Episcopum, eius auctoritate complices Anastasij per Corinthiorum Episcopos restitutos.

Libro 7. scribit Ioanni Syracusano Episcopo, nam de Constantinopolitana ecclesia (quod dicunt) quis dubitet eam sedi Apostolicæ esse subiectam, quod & dominus pijssimus Imper. & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.

Et eodem lib. præcepit Episcopo Thessalonicensi, & alijs Episcopis Græcie, ne adhereant Ioan. Constantinopolitano in peruerso nomine œcomeniei patriarchæ constituto

do addens sine Apostolicæ sedis autoritate, atque consensu, nullas habere vires, quæ ibi acta sunt, vndè in fine addit, nam si quis, quod non credimus, scripta pœnitentia aliqua in parte neglexerit, à B. Petri Apostolorum principis pace se nouerit segregatum, sed quid præciperet Beatus Grego. sibi non subiectis?

CAPVT XIII.

Quomodo Phocas extinxit schischisma inter Papam, & Constantinop. Quomodo Layci se subscripserunt Concilijs, & qui Græci fuerunt à Papa condemnati.

Contentio ista Ciriaci erigentis se contrà B. Gregorium, primò post eius obitum fuit extincta sub Bonifacio III. & Phoca Imper. de qua re sic ait Platina, Bonifacio III. patria Romanus à Phoca Imper. obtinuit, magna tamen contentione, vt sedes B. Petri Apostoli, quę caput est omnium Ecclesiarum, ità diceretur, & haberetur ab omnibus, quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur, fauentibus interdum malis principibus, affirmantibusque eo loco primam Sedem esse debere, vbi Imperij esset caput, affirmabant Romani Pontif. vrbem Romam. Vndè Constantinopolim colonia deducta est, caput Imperij meritò habendam esse, cum etiam Græci ipsi literis suis, principem suum Romanorum Imperatorem vocent, ipsique Constantinopolitani etiam ætate nostra Romei vocentur, omitto quòd Petrus Apostolorum princeps successoribus suis Pontif. Romanis regni cœlorum claues dederit; potestatem à Deo concessam reliquerit, non Constantinopoli, sed Romæ, illud tantum dico multos principes maximè Constantinum comparandæ Synodi, ac dissoluendæ, confutandi, vel confirmandi ea, quæ in Synodis decreta erant Romanæ Sedi tantummodo concessisse, meritò igitur sed. Romana cæteris antefertur, cuius integritate, & constantia, cunctæ hæreses confutatæ sunt, & explosæ.

Nicolaus quoque Papa, mandat Michaeli Imper. Constantinopolitano, vt ipse cum Græcis Sardicense recipiant Concilium. Accedunt (vt multa alia omittam) Laycorum subscriptiones in Synodis, nam & hoc te non lateat Candide, Lector non solùm, & Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos Concilijs subscripsisse, sed & laycos, non æquidem vt approbent (quod dudum auctoritate Synodi, & Imperiali decreto fuerat prohibitum,) sed velut testes. Vndè actione 4. Concilij 8. sic legitur Senatores magnificentissimi, & gloriosissimi principes per Bahanum patritium, & præpositum dixerunt ad Concilium. Imperatores nostri sancti miserunt seruos suos, qui Senatus vocantur, qui voluntate Dei honoratus est, vt simus discreti eorum, quæ geruntur, auditores, si vultis ergò à nobis, sicut se habet ordo Synodicus, in fine sanctæ huius vniuersalis Synodi exigere proprias subscriptiones, per me indignum seruum sanctorum Imperatorum nostrorum, cuncti fratres mei, & compatritij dicunt sanctissimo Domino nostro Patriarchæ, & sanctissimis Vicarijs senioris Romæ, & Orientalium sedium, nisi audiuerimus, & ab ipso Focio stante in conspectu nostro, & Episcopis eius, vt in conspectu nostro obseruantur ora ipsorum ex Canonicis, & Synodicis præceptionibus, non scribet manus nostra vnam literam in Synodo. Audiat iudicata per Nicolaum Papam in Synodo Romana, etsi nihil contradixerint, sanabitur mundus ex condescensione ipsorum, si autem hoc factum non fuerit, scimus, quia nostri non egetis ad subscribendum in fine à nobis gestorum, Habes Candidissimè Lector Constantinopolitanos audire debere iudicata per Romanum Pontific. erat enim Focius schismaticus, & rebellis Papæ Nicolao.

Vndè vt nihil prætereat studiosum Lectorem, hoc quoque sciat, Paulum Constantinopolitanum appellasse ad Romanum Pont. Iulium contrà Arianos, & eum fuisse restitutum, Flauianus Constantinopolitanus appellauit ad Leonem Magnum, & fuit restitutus contrà Dioscorum, & Eutychen, quam sententiam, etsi Leo exequi non poterat, tamen fuit approbata in Concilio Chalcedon. & mandata executioni, Ioannes Alexandrinus prouocauit ad Roman. Pontif. & fuit restitutus, ac defensus per Gelasium Papam contrà Achatium, & Petrum, Chrysostomus Constantinopolitanus prouocauit ad Innocentium Papam, semel fuit restitutus, & denuò iussus restitui, de quo statim plura. Vndè Gelasius excommunicauit Imper. Anastasium, quòd Achatium, & schismaticos tueretur. Vndè Platina quoque in vita Gelasij ait. Cum verò intellexisset Petri, & Achatij seditionibus multa flagitia, & parricidia in ecclesijs Græciæ committi, confestim eò misit, qui hos si non statim pœnituerent, in perpetuum damnarent.

Theodorus Pirrum Constantinopolitanum excommunicauit, quòd Acephalorum hæresim instauraret, licèt fictè pœnitens in communionem fuerit receptus.

Paulus Constantinopolitanus Pirro suffectus, à Theodoro quoque excommunicatus fuit, quòd Orthodoxæ fidei normam recipere recusabat, in quem errorem, & Constantius Imper. descendit.

Martinus I. in Theodori locum suffectus, statim legatos Constantinopolim misit, qui Paulum adhortarentur, vt omissis erroribus suis, aliquando veritatis callem ingrederetur. Is autem non modo Pontifici benè monenti, non obtemperat. Verùm etiam Legatos eius in diuersas insulas relegat, quamobrem indignatus Martinus Synodum 100. & 50. Episcoporum Romæ habuit, in qua Paulum omni anathematis vinculo damnatum dignitate priuauit, & Cyri Alexandrini, Sergij, & Pyrri, damnationem renouauit, quæ sententia diuinitùs fuit approbata.

Ignatio Constantinopol. appellante Nicolaum Papam, contrà Focium fuit restitutus inuito primùm Michaele Imper. vt Canone eius 64. legitur, Adriano exequente.

Gregorio Constantinopolitano Monotheletarum errore immerso, Agatho Papa Concilium indicit 289. Episcoporum, & eum

vocat

vocat cum Machario Antiocheno, Gregorio redeunte ad gremium Ecclesiæ, Macharius pertinax in errore persistit, qui & anathematizatus est, & reiectus, Theophanio in eius locum suffecto. Et fuit hæc sexta vniuersalis Synodus Constantinopoli habita sub pijssimo Imper. Constantino 4. interfuit Legatus Sedis Apostolicæ Ioan. Portuensis.

Gallicanus Constantinopolitanus, assensu Iustiniani II. in Synodo Constantinopoli vnam naturam statuit in Christo, & negauit Mariam Theotocon, & Sergij Papæ Apochrisarius stolidè nimis subscripsit, quæ omnia Sergius condemnauit.

Dum Philippicus per tyrannidem Imperium arripuisset. Cyro Patiarcha Catholico in exilium relegato, Ioan. Monachum hæresiartham suffecit, at Constantinus vtriusque sententiam condemnauit, & vsum imaginum in Ecclesia approbauit.

In errorem Philippici dum Leo Imper. descendisset, & reiecto Germano, Anastasium male sentientem de fide, & imaginibus, Patriarcham constituit, sed Gregorius iunior eundem officio priuat, & semouet, & Greg. III. mox vt Pontificatum inijt, Leonem illius III. Imper. Imperio simul, & communione fidelium priuauit, quòd sanctas imagines, & sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset, & tabulas incendisset.

Paulus primus Constantinum Imperat. damnat, quod sacras demoliretur imagines, & abrogato Constantino, Nicetum hæreticum constitisset Patriarcham.

Martinus IV. excommunicauit Imperat. Constantinopolitanum, quòd in Concilio Lugdun. se cum suo Imperio ad fidem Orthodoxàm reuersurum promisit, & non fecit.

Et tandem finem faciam. Cęlestinus I. Romanus Pont. præsedit in tertia vniuersali Synodo in Epheso 200. Episcoporum Nestorio Constantinopolitano Episcopo condemnato, quia Mariam Christotocon tantum dixit, non Theotocon, quæ fuit approbata in magno Chalcedonen. Concilio, vt habetur vltima actione illius Concilij, vbi & Cyrillus Alexandrinus interfuisse memoratur. Ephesina autem Synodus posterior ab hoc fuit reprobata, quia Vicarij missi à S. Leone Papa nolebant subscribere, & protestati sunt contrà Dioscorum Romanam Ecclesiam non acceptaram illa decreta, hinc fortè venit, quòd in consecratione Pontificis, post letanias, & præcationes sanctorum, epistola Latinè, & dein Græcè in Missa legitur. Vndè Diaconus Græcus, & Subdiaconus intersunt consecrationi, hæc prolixius probauimus Romanum Pont. fuisse superiorem Græcis, quod tam pertinacitèr negat diuersarius, contrà tot apertissima decreta, contrà tot certissimas historias.

CAPVT XIV.

Aphros, & Græcos aliquos fuisse sub Papa probatur, & quomodo Thessalonicen. fuerit Vicarius Papæ.

Actum est iam pluribus luculentissimis testimonijs Aphricæ, & Græciæ Ecclesias, dum rectè fuerunt fidei, & incolumis, semper Roman. Ecclesiæ fuisse subiectas, at vt fortiùs vrgeamus diuersarium, ne hiscere possit, & hoc quoque ostendamus Aphricæ Ecclesias, & maioris partis Græciæ pertinuisse ad Romanum Pontif. non modò velut ad vniuersalem pastorem Ecclesiæ, sed quia specialiter ei subsuut, vt Patriarchæ Roma. Volo dicere, vt mentem meam sine inuolucris explicem, illas Ecclesias fuisse sub Romano Patriarchatu, etiam vt distinguitur contrà alios Antiochenum, Constantinopolitanum, &c. Nam primò omnes Septentrionales, & Occidentales Ecclesias pertinere ad Rom. Patriarchatum potestatem ex epistola Agathonis Papæ ad Constantinum Imperator. Heracleum, & Liberum. AA. omnes nos exigui præsules Ecclesiarum vestri Imperij Christiani famuli in Septentrionalibus, & Occidnis partibus constituti, licèt parui ac simplices, fide tamen per Dei gratiam stabiles, & infrà. Numerosa multitudo nostrorum vsque ad Oceani regiones extenditur,] at hæc in confessio sunt omnium, id quod sumus polliciti præbemus. Aphricam ergò pertinere ad Roma. Patriarchatum potestatem. Ex Innocen. primo in epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum, quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum, præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes.

Ideò Flauianus Constantinopolitanus Leoni Papæ scribit, omnibus, qui sub tua reuerentia constituti sunt Deo amantissimis Episcopis. Loquitur de his, qui specialitèr Rom. sunt subiecti Pont. Ità & Leo III. scribens Carolo Magno, dum nominasset decretum constitutum consensu Orientalium, & Græcorum Patriarcharum, addidit, & omniũ Rom. Pont. intelligens de Episcopis suo Patriarchatui subiectis, at hęc iniquis fore communia, nihil probare de Græcis, nihil de Aphris, & ego semper didici ab vniuersalibus inchoandum in disciplinis, volui ego ab ouo ordiri historiam, & ab initio liquere, sic veteres locutos, vt de Romano Patriarchatu, cum præcisione loquerentur, satis tamen tempestiuè de Aphris, & Græcis institutum probabimus. Et quidem primò ex veteribus liquet, Thessalonicen. Episcopum vices habuisse Apostolicæ Sedis per Epirum veterem, nouum Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, vtramque Ripperensem, & Mediterraneam, Misiam, Dardaniam, & Breualum, ità quòd fermè totam Europam cum Aphrica Occidentali, Patriarchatus Romanus sub se habuerit. Et hoc ita esse liquet ex Epistola Leonis Sancti, & Magni, & docti Papæ, ad Anastasium Episcopum Thessalonicen. incipienre, quanta. Quanta fraternitati tuæ à beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sunt, & qualia etiam nostro

ſtro tibi fauore ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres,& iuſto examine ponderares multum poſſemus de iniunctæ ſollicitudinis deuotione gaudere, quoniam ſicut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis, ità etiam ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs ſimpliciter ex diuina inſtitutione debemus. Imitator noſtræ conſuetudinis adiuuares, & longinquis à nobis prouincijs, præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes, & continenti opportuno, quę proſpectu promptū tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus, vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares, nam cum maiora negotia, & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet, ſub noſtrę expectatione ſententiæ ſuſpendere, nec ratio tibi fuit, nec neceſſitas, in id, quod menſuram tuam excederet deuiandi, abundant enim apud te, monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantia, frequenter inſtruximus, vt commendatas tibi Chriſti Eccleſias per exhortationem charitatis, ad ſalubritatem obedientiæ prouocares, quia etſi plerumque exiſtunt inter negligentes, vel deſides fratres, quæ oporteat maiore auctoritate curare, ſic tamen eſt adhibenda correptio, vt ſemper ſit ſalua dilectio, & infrà. Venit ad nos cum Epiſcopis prouincię ſuę frater noſter Atticus veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, & de digniſſima afflictione, quam pertulit lachrymabili actione conqueſtus coram adſtantibus Dyaconis tuis, qui quærelis flebilibus, nihil contrà referendo ea, quæ nobis ingerebantur, fidē non carere monſtrabant &c. & infrà. Vndè ſicut multum nos ea, quæ à te piè ſunt curata, lętificant, ità nimium ea, quæ ſunt perperam, geſta contriſtant, & neceſſe eſt poſt multarum experimenta cauſarum, ſollicitius proſpici, & diligentius pręcaueri, quatenus per ſpiritum charitatis, & pacis, omnis materia ſcandalorum de Eccleſijs Domini, quas tibi commendauimus auferatur, præeminente quidem in illis prouincijs Epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu, dat deindè formam, & in multis agendi, & ſubdit. In euocandis autem à te Epiſcopis moderatiſſimum eſſe te volumus, ut per maiores diligentiæ ſpeciem, fraternis glorieris iniurijs, & infrà. Ità vt præſtituto tempore non vltra quindecim dies, qui conueuerint retardentur. Si autem in eo, quòd cum fratribus tractandum diffiniendumuè credideris, diuerſa eorum fuerit à tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione ferentur, vt remotis ambiguitatibus, quòd Deo placeat decernatur. Aurea eſt epiſtola lectiſſimis ſententijs referta, arbitror mecum ſatisfeciſſe pollicitationi meæ, Epiſcopum Theſſalonicen. fuiſſe Vicarium Summi Pontificis per maiorem partem Græciæ, vndè etiam auctoritatem habuit ſuper primates Græciæ, ſed limitatam, vt grauiora ad Sedem Apoſtolicam referret.

Indè apud B.Gregorium legimus Corinthiorum Epiſcopum recepiſſe Pallium ab ipſo. Ait enim in epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Corinthiorum lib.4.regiſtri. Pallium verò, ſicut per epiſtolam veſtram, quam per Andream, & fratrem, & Coepiſcopum noſtrum ſuſcepimus, poſtulaſtis, direximus, quo ità vos vti neceſſe eſt, ſicut prædeceſſores veſtri vſi, concedentibus noſtris prædeceſſoribus, approbantur. Expendè, Pallium præſtitit Romanus, & non alia ratione, niſi ſicut Patriarcha ſuo Epiſcopo.

CAPVT XV.

Auctoritate Papæ vbique Epiſcopos inſtitui, & de vſu, ratione, & collatione Pallij.

AT quia incidimus in Pallij acceptionem à Romano Pontifice, quam vt rem nephariam, & maximè pernicioſam, & ambitioſam calumniatur aduerſarius. Vndè auſu temerario negat confirmationem Epiſcoporum Græciæ, vel Orientis è Roma acceptis. Et quamuis hoc in ſuperioribus oſtenderimus, ſæpè reſtitutos eſſe Græciæ Epiſcopos per Romanum Pontificum. Et quod hoc euidenter aſſerat, addnco epiſtolam S. Iulij ad Orientales Epiſcopos, vbi poſt multa increpando eos, quod Sanctos Dei Athanaſium, Paulum, Marcellum, Aſclepium, & Lucianum perſequerentur, aie, quia nullus debet præſumere, quæ ſibi non videntur conceſſa, quam culpam potuiſſetis nullo malo incidere. Si vndè conſecrationem honoris accipitis, indè legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & B.Petri Apoſtoli Sedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiæ magiſtra rationis. Pondera vndè accipitis conſecrationem honoris.

Indè S.Marcellus Papa, ait. Ad Romanam Sedem omnes Epiſcopi, qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, quaſi ad caput ſuum confugere, eamque appellare debent, vt indè accipiant tuitionem, atque conſerationem, quod omnibus minimè negare conuenit Epiſcopis.

De Theſſalonicen. iam audiuimus quomodo, vt Vicarius Papæ confirmauerit, licèt Papa Corinthium tunc per ſe confirmauerit, & alios reſtitutos.

Ob hanc rem Orientales Epiſcopi ſcripſerunt Iulio Papæ, vt Epiſcopos ab eis ordinatos, confirmaret, inquiunt enim, quibus agnitis, ſi noſtris placitis magis, quam eorum machinationibus aſſentire, vt ordinatos Epiſcopos in damnatorum locum firmare eligitis, pacem vobiſcum, & communionem habere volumus, de Pallio illi nondum meminerunt.

Sed probemus auctoritate illius humillimi, minimè auari Pontificis ſancti Gregorij Magni, Pallia ſemper fuiſſe data, deſcribit autem rationem Pallij ad Maximum Epiſcopum Salonitanum Græcum. Itaque pallium ad ſacra miſſarum ſolemnia vtendum ex amore tranſmiſimus, cuius vos volumus per omnia gentium vendicare, huius enim indumenti honor, humilitas, atque iuſtitia eſt, tota ergò mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in aduerſis (ſi quando eueniunt) cum iuſtitia erectum, amicum bonis, contrarium malis? nullus vnquam faciem pro veritate loquentem præ-

præmens, miserieotdiæ operibus iuxta veritatem substantiæ insistens (expendè quod ait pro more transmisimus, ergò iam à sanctis Patribus, & martyribus hoc idem fieri erat solitum) sequitur infirmis compatiens, beneuolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudijs tanquam de proprijs exultans, in corrigendis autem vitijs seuiens, in fouendis virturibus auditorum animos demulcens, in ira iudicium sine ira tenens, in tranquillitate autem securitatis censuram non desereus, hæc est frater charissimè Pallij accepti ratio, quam si sollicitè obseruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habes.

Ioann. 5. Romanum Pontificum ante 800. annos testatur Platina scripsisse librum de Pallij dignitate, sed pergamus testimonia adferre vberiora de Pallio ex Papa minimè ambitioso Gregorio.

Scribit Sebastiano Risin. de collato Pallio Anastasio Patriarchæ Antiocheno, ait enim. Præterea indico suggestione me apud pijssimos Dominos summis precibus plenam fecisse, vt virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu Pallij, ad beati Petri Apostolorum principis limina mecum celebraturum solemnia missarum transmittere debuissent.

Vniuersis quoque Episcopis per Dalmatiam cõstituris de narali Salonitano Episcopo super restitutione Honorati Archidiaconi sui scribit, quem obdurato adhue corde contumaciter ad eundem reuocare gradum, si fortè postponeret, vsu eum Pallij (qui ab hac Sede concessus est) pro contumacia tot vicibus ad missa priuari præcipimus. Si verò etiam amisso Pallio, adhuc in eadem pertinacia perseuerauerit, à Dominici quoque corporis, & sanguinis participatione submoueri, ęquum enim est, vt asperos de Iustitia sentiat, quos erga se politos in charitate contempsit, hic pro magna pœna priuari, quem præcipit Pallio collato.

Maiori austeritate beatissimus Gregorius vir licet humillimus, executus est Pallij vsum, & auctoritatem aduersùs Ioannem Rauennæ Episcopum, & quia pluribus super eo contendit, congeramus omnia lib. 2. registri, increpat eumdem super illicita vsurpatione Palli, quod in Letanijs solemnibus gestat, cui obijcens B. Gregorius ait, quòd de Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extrà missarum tempus vsum, sibi Pallij vendicasse, & infrà. Admoneo quatenus, nisi decessorum meorum munificentia, tibi hæc per priuilegium attributa docueris, vt in plateis Pallium vlterius non præsumas portare, ne non babere, & ad missas incipias, quod audacter, & in plateis vsurpas. Vide S. Patrem nolle admittere Rauennaten. Pallij vsum in plateis, & letanijs, alioquin velut eum priuare priuilegio portandi illud in missa.

Ità lib. 4. admittit ei in tribus Letanijs Pallij vsum, scilicèt S. Petri, Ioannis Baptistæ, & Apollinaris, donec subtilius vtriusque aliquid agnoscat, & statim Epist. 4. sequenti dennò exprobrat ei Pallij vsum, extrà Ecclesiam, & testatur se scripsisse Dyacono suo Constantinopoli, vt expetiatur sicubi vsus sit, vt in letanijs eum Pallijs ambulent, nam absit inquit, vt per me Rauennaten. honor Ecclesiæ, in aliquo imminui videantur.

Et lib. 7. post Ioann. decessum Mariano Episcopo constituto, mandauit Castorio notario, vt diligenter inquireret, quòd solemnes Letaniæ essent Rauennæ, quia Florentinus Dyaconus deposuerar in vsu esse omnibus Letanijs Pallium gestare.

Sic scribir Ioan. Episcopo primæ Iustinianæ, manifestum bonitatis liquet esse indicium, in vnius electione cunctorum conuenire consensum, quia igitur suscepta fratrum & Coepiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos sacerdotij totius Concilij vnito consensu, & serenissimi principis voluntate declarat accersiri, gratias omnipotenti Deo creatori nostro, magna cum exultatione retulimus, qui vitam, actusque vestros, ità de prædictis fecit esse probabiles, vt omnium vos (quòd est valde laudabile) facerer placere iudicio, quibus nos quoque in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus, atque omnipotentem Dominum deprecamur, vt charitatem vestram, sicut sua gratia elegit, ità in omnibus protectione sua custodiat. Pallium verò ex more transmisimus, & vices vos Apost. sedis agere, iterata innouatione decernimus. Expende Gregorium coosentire in personam electi, ei pallium mittere, & vices suas Archiepiscopo Græco committere.

Sic scribir Virgilio Episcopo Arelaten. quòd verò in literis iuxtà antiquum morem vsum Pallij, ac vices Sedis Apostolicæ postulasti &c. Gessit enim Arelaten. Episcopus vices Rom. Pontif. per Gallias, vt suprà meminimus iterum iam meminit antiqui moris Pallij dandi ex vrbe.

Notabilis est epistola ad Brunichildem Reginam Francorum, quæ peticrat Pallium pro Siagrio Episcopo, sed Gregorius recusabat, quia is, qui Pallium venerat recepturus, erat schismaticus, dein Siagrius non petierat Pallium, ideò ait Gregorius, quia prisca consuetudo retinuit, vt honor Pallij, nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat. Commisit tamen negotium Candido presbytero suo.

Leondro quoque Hyspaniarum Episcopo scribit præterea ex benidictione B. Petri principis Apostolorum Pallium vobis trasmisimus, ad solùm missarum solemnia vtendum, quo trasmisso valdè debui, qualiter esset vobis viuendum admonere, sed locutione sub primo, quia verba moribus anteitis, non ergo contemnat Pallium diuersarius, insigne Episcoporum, neque auaritia excogitatum dicat, quòd tam S. Patres humiles diuitiarum contemptores ante tot annos dederunt & super quo B. Gregorius adeò aduersarius est Ioanni Rauennatensi. Redeamus institutum fortius roborando Græciæ aliquam partem & Aphricas pertinuisse ad Patriarcatum specialitèr Romanum absque eo, quòd omnes ecclesię sunt Ro. ecclesiæ subiectæ, velut Patriæ ecclesiæ, Nam in Concilio Arelatensi per S. Siluestrum vocati sunt Episcopi Aphricæ, & Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hyspaniæ, quia erat Concilium totius Patriarcatus Romani, misit illuc Syluester

Clau-

Claudianum & Habitum præsbyteros, Eugenium & Quinatum Dyaconos.

Allegarem cap. placuit 2. quæst. 6. at quia Gratianus addit de suo croco, quod in originalibus non reperitur, immò possem probare numquam fuisse in originalibus, ideò supersedeo.

Damasus Papa in epistola ad Stephanum Archiepiscopum præsidentem Concilio Mauritaniæ, & vniuersis Episcopis Aphricanæ Prouinciæ scribit epistolam incip. Lectis fraternitatis vestræ &c. in qua dicit, super ecclesiam vniuersalem. Papam habere vniuersale ministerium, & Roma. ecclesiam verticem esse ecclesiarum & quòd vice Petri legatione pro Christo vtitur quisque Rom. Pont. Et quod in Metropolitano Concilio de omni concordia causæ tractari debent omnium, sed diffiniri summas, quæ relas causarum, vel damnare Episcopos absque Apostolicæ sedis autoritate minime licet, quòd omnes approbari si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet, nam Synodum sine eius autoritate fieri, non est catholicum.

CAPVT XVI.

Grecos sæpe fuisse scismaticos probatur, & vndecim discessiones enumerantur.

Licet arbitror cuilibet bono iam satis esse persuasum, Græcos, & Aphros fuisse Ro. Pont. subiectos, tam Græci inconsutilem domini tunicam, sæpius scindere tentarunt, ideò non mirùm, quòd in disputatione Lipsiea dixi aduersario, Græcos inobedientes Ro. fuisse hæreticos, scismaticos & viros Belial. de vn. solent. XI. diuisiones Grecorum a Ro. ecclesia numerari.

Prima fuit, quando Eusebius Antiochenus cum Concilio suo deposuit S. Athanasium, & alios sanctos viros. vt iam sæpe meminimus, quos dum Iulius Papa citaret ad Romam, ipsi se subtraxerunt ab obedientia Ro. ecclesiæ Iste Eusebius cum Eusebio Nicomedien. fuerant principales & sederunt quinque hæretici Constantinopoli per ordinem. Eusebius primus Nicomedien. Macedonius heresiarcha, Eudosius Arrianus, Demophilus Euagrius, quo mortuo, accepit sedem Greg. Nazianzenus, contrà Canones, ne hæretici iterum eam inuaderent, qui in Concilio post. 12. annos cessit, & Nectarius vir catholicus ordinatus est sub Damaso Papa, cui Chrys. successit.

Secunda diuisio Orientalium fuit facta sub Cælestino per Nestorium vocatum ab Antiochia ad Constantinopolim, sed opponente se Cyrillo Alexandrino cum Synodo Aegyptiaca, anno 4. in Concilio Ephesino, fuit recepta epistola Cyrilli, & reprobatus Nestorius.

Tertia diuisio fuit sub S. Leone per Dioscorum Alexandrinum successorem Cyrilli in dignitate, non in religione, qui Euthicis hæresiarchæ sententiam in Conciliabulo Ephesino 2. approbauit, Anatholio suo Archidyacono in locum Flauiani Constantinopolitani sublimato & Leone Conciliabulum improbante scripsit Dioscorus libellum contrà Leonem, & eum excommunicauit, sequebantur eum fermè omnes Orientales, & durauit septem annis, terminata fuit illa dissentio in Concilio Celcedonen. opere B. Leonis & Martiani Imper.

Quarta diuisio facta est per Achatium Constantinopolitanum, qui per Imper. Zenonem curauit Petrum Magnum hæreticum Episcopum ordinari Alexandriæ. Et Petrum hæreticum Antiochiæ sub Simplicio Papa, Achatio duo successerunt hæresiarchæ Macedonius, & Tbimoteus, inobedientia illa durauit vsque ad tempora Iustini Imper., vbi Ioannes Constantinop. Patriarcha misit Schedam Synodicam Hormisdæ Papæ, & fuit Orientalis ecclesia vnita Romanæ.

Quinta diuisio facta fuit per Ioannem Constantinop. conuocata Synodo determinauit se esse œcumenicum Episcopum, cui restitit Pelagius 2. Griacus Ioannem secutus est, contrà quem & Ioan., B. Gregorius. Extincta est illa diuisio sub Bonifacio 3. vt meminimus.

Sexta diuisio facta per Sergium hæresiarcham Monothelitarum, quem plures in sede secuti sunt hæretici, Pyrrus, Paulus, Petrus, Pyrrus, Thomas, Ioannes, Constantinus, Theodorus, Finita est hæc scissio sub Agathono Papa, & Constantino 4. in sexta vniuersali Synodo, de quo cap. sexta Synodus dist. 96.

Septima diuisio facta per Tytum Constantinopolitanum sub Ioan. 6. Papa, quèm multi secuti sunt hæretici, & pepererunt nouam heresim Iconomacorum, negantium adorationem imaginum, cœpit hæc lues sub Gregorio secundo, & durauit vsque ad Adrianum Papam, & Constantinum 5. vbi extinctis hæresibus, Orientales Ecclesiæ in septima Synodo vnitæ sunt Romanæ ecclesiæ.

Octaua discessio facta est per Nicephorum constantinopolitanum, suggerente Leone Imper., qui reuocauit errorem de imaginibus, & durauit vsque ad Methodium Patriarcham, qui subieccit se obedientiæ Roman. Pontifi.

Nona & pessima diuisio facta fuit per Focium Patriarcham factum, expulso S. Ignatio, & licet Focius deponeretur per Nicolaum Papam, & Basilium Imper. tandem in 8. Synodo sub. Adriano 2. facta fuit vnio Focio condemnato, qui callidè decepto Imp. rediit ad sedem suam, itá quòd plena vnió primùm facta est, post mortem Focij.

Decima diuisio facta fuit per Michaelem Constantinopo. instinctu Constantini 5. pessimi Imper. tempore Leonis IX. Michael excommunicauit omnes Episcopos Latinos, quia Nicæni patres adderent in Symbolo, quià patre, filioque procedit, durauit hæc pessima diuisio vsque ad Innocen. 3.

Vndecima discessio fuit facta per Andronicum Imper. filium Michaelis Paleologi, recidentem in errorem Constantini 5. & perseuerauerunt a temporis Focij, pro maiori parte in illo errore de Spiritu sancto, & quòd crediderunt latinam Ecclesiam hæreticam vsque ad Concilium Floreutinum sub Eugenio 4. celebratum, in quo Ioan. Pelagius Imper. Græcorum, cum Patriarcha obedientiam fe-

ce-

cerunt Romanæ ecclesiæ, & se ei vniuerunt, sed dicuntur reuersi ad vomitum. Vnde per Thurcam Constantinopolis omnino surrepta est de manibus Christianorum, & potest dici 12. discessio.

Et mirandum est profectò diuersarium ægrotulisse, quòd dixerim Græcos hæreticos, qui Roma. non audiuerunt Ecclesiam, nam & S. Thomas librum scripsit de erroribus Græcorum, de quibus breuitatis gratia, nihil iam dicturus, quoniam sunt plurimi & iam 700. annis quasi in hæresibus perstiterunt, ideò B. Bernardus de ipsis ait lib. 3. de consideratione ad Eugenium. Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt & non sunt iuncti fidei, diuisi pace, quamquam & in fide ipsa claudicauerint à semitis rectis, hos scismaticos, & nos pro hæreticis babentes diuersarius, voluit catholicos defendere, quis credat monacho?

CAPVT XVII.

Orientales Ecclesias subesse Papa probatur auctoritate orientalium, Athanasiy, & iulij.

INuictis, vt arbitror, argumentis actum est, Aphros & Græcos Romanæ & Apostolicæ sedi fuisse subiectos, vt non possit non omnibus historiarum Ignarus videri diuersarius, & antiquæ in Ecclesia obseruantiæ, qui id tam temerè, tam arroganter non modo negauit, sed & contrarium pro fundamento suscepit erroris sui, nonne similis erit stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna, Math. 7. at ne quicquam obstreper, quoniam & Orientales Ecclesias exemit à Romani Ponti. iurisdictione, ideò producamus easdem fuisse sub Papa, quando extitere catholicæ. Omnes enim scismatici, aut ob hæresim, aut ambitionem quæsierunt occasionem recedendi ab obedientia sedis Apostolicæ.

Sententiam ergo nostram firmant Orientales Episcopi Eusebius, Antiochenus, Theogenus, Theodorus, & Berinthus cum Coepiscopis suis scribentes Iulio Papæ (vt iam sæpe meminimus) de Athanasio, Paulo &c. damnatis ità subdiderunt, postquam potierant Papam approbate eorum condemnationem. Sic aliter egeritis, & eis amplius quàm nobis consentire iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps, nec congregari, neq vobis obedire, neq vobis, vestrisque fauere nolumus, sed per nos, quicquid melius elegerimus, agere conabimur. In quibus verbis cum minentur se recessuros ab obedientia sedis Apostolicæ, si Papa nolit consentire in condemnationem per eos factam, apertissime dant intelligere se priùs fuisse sub sedis Aposto. obedientia.

Sed non territus pompósis verbis, Iulius eis respondet, & eos citat ad iudicium sedis Romanæ. Ait enim, quapropter cum omni festinatione vos omnes ad huius sanctæ sedis reuerentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem, per vos ipsos possitis ostendere, & infrà. Quæ de re Ecclesiasticam sequentes regulam, vos & illos Romæ regulariter ad iudicium die statuta, non sub angusto temporis spatio, vt excusatio locum non inueniat, literis & apochrysarijs euocauimus. Illique vocatione suscepta ad diem præstitutum venere, sed nos ne vestris mendacijs caperemini, vestraque calumnia enudaretur, venire distulistis: nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oues pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eos posuistis, decuerat ergo, vt ad regulare conueniretis conuocationem, quod de his, & alijs vestris præsumptionibus redderetis rationem, quo occurreret veritas, si falsitas displiceret, & nullus dubitat, quod ità iudicium nocens subterfugit, quemadmodum cum innocens absoluatur, requirit. Vellem enim vos magis ad iam dictam Canonicam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Concilio redderetis rationem. Cur Synodum ad statutum ecclesiarum & fratrum in Antiochiam subuertendum, & Nicæni magni Concilij distructionem fecistis? aut cur nobis inconsultis, Episcopos ad eam conuocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio? Canonibus quippè iubentibus in Nicæna Synodo, non debere præter sententiam Romani Pont. vllo modo Concilia celebrari, nec Episcopos condemnari, aut cur in prædictorum loco fratrum, alios adulteros posuistis, antequam penes nos, aut apochrysarios nostros causa eorum Canonicè esset examinata? &c. Audet diuersarius dicere Orientales nunquam fuisse sub Roma. Ponti. Cur ergo appellant ad Iulium? Cur Synodus eorum est inualida, neglecto Summo Pont.? Cur Episcopi, Romano Pont. ignorante, substituti, adulteri dicuntur & lupi? Cur voluit causam prius per se examinare Iuius, aut per apochrysarios suos? stultissimus est profectò, qui adhuc hiscere audet, Orientales non fuisse sub Romana Ecclesia.

Et apertè hoc testatur Athanasius transmaſinus cum vniuersis Episcopis Ægyptijs ad Marcum Papam, verè nouimus Apostolatus vestri cor gratia Spiritus sancti in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis, quantò magis nobis, qui licèt exigui ordinis, tamen verbi sumus, vobisque obedientes, cum omnibus nobis commissis, & sumus, & esse semper volumus. Expende vestri sumus, vobis obedientes sumus. Ideò dein ad Iulium appellarunt Marco mortuo.

Et nisi Iulium insignis temeritatis notes, oportet te fateri, Orientales fuisse sub Pont. Romano. Ait enim ad Orientales Episcopos. Et nos scitote deinceps hunc typum, non esse passuros, vt ea, quæ specialitèr ad hanc sanctam pertinent Sedem, sicut iudicia Episcoporum, maiores causas vos patiamur, nobis inconsultis, inuadere, absque status vestri periculo, sed si quis ab hodierna die, & deinceps, Episcopum præter huius sanctæ Sedis sententiam, damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabilitèr esse damnatum, & proprio carere perpetim honore. Eosque, qui absque huius sedis sunt ciecti sententia, vel damnati absque huius sanctæ sedis auctoritate, scitote pristinam recipere communionem, & in proprijs restitui sedibus, quoniam, & priùs à tempore S. Apo- stolo-

ftolorum, hæc huic sanctæ sedi concessa sunt, & posteà in memorata Nicæna Synodo, propter prauorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditèr ab omnibus roborata, vt magis singuli prouideant, ne talia audeant perpetrare, & caueant, si non propter Domini, & amorem fratrum, tamen propter opprobrium hominum ruborem suum, atque canonicam vltionem, saltem hęc timore, & verecundia compressa, silentio comprimantur, amputato scilicèt totius vsurpationis excessu, quia nullus debet præsumere, quæ sibi non videntur concessa. Arrige aures, nullum Episcopum damnandum, præter Sedis Romanæ consensum, & quomodo auderet tanta comminatione scribere Orientalibus sibi non subditis sed? hoc vrgentissimum, quod ait, Apostolorum temporibus Romanam Ecclesiam hoc habuisse priuilegium, qui non longè à primitiua vixit Ecclesia, qui tempus Martyrum vidit, & hoc à Nicæna Synodo Orientali dicit roboratum, non ergo de nouo aliquid constituit Nicæna Synodus, sed quod priùs erat ex sacris literis cognitum, & antiqua traditione Sanctorum obseruatum, voluerunt, & ipsi obseruari, & custodiri, quæ omnia ignorat noster diuersarius. Audet os leuare in cœlum contrà primatum Romanæ Ecclesiæ, & mentiri, Orientales nunquam fuisse Romano Pontifici subiectos. Ideò S. Athanasius cum Episcopis Ægyptijs, Libiæ, & Thebaidas ingenuè fatentur se subesse Romano Pontifici, vt in epistolis quoque ad Liberium, & Felicem testati sunt antè 1150. annos, quos & superiùs sæpè euocauimus, ideò in præsenti omittamus, & his vetustiora adducamus.

CAPVT XVIII.

Orientales Episcopos probatur ex Victore, Zepherino, Fabiano, Marcellino, Eusebio, Felice, Sixto, Gregorio, & Iustiniano Imper.

A Nascente quasi Ecclesia, Orientales fuisse subiectos Rom. Pont. probatur ex eo, quòd Victor I. Martyr, & Papa scribit Theophilo Alexandriæ Episcopo, & Ægyptijs decretali 1. celebritatem Sanctę Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri statuerunt, & nos istud eadem die solemniter celebrare mandamus, quia non decet, vt membra à capite discrepent. Expende S. Martyrem antè 1320. annos reputasse Alexandrinum Patriarcham, & Episcopos Ægyptios esse membra, & Romanum Pontificem esse caput.

S. Seuerinus Papa, & Martyr Episcopis per Ægyptum scribit Canone II. Nunciatum est Sedi Apostolicę per Apochrysarios nostros, quosdam fratrum nostrorum Episcoporum ab Ecclesijs, & proprijs sedibus pelli, suaque eis auferri suppellectilia, & sic nudos, & expoliatos ad iudicia vocari, quod omni caret ratione, cum constitura Apostolicorum, eorumque successorum, & præcepta Imperatorum, ac constitutiones legum, fieri idipsum prohibeant, & Apostolicæ Sedis auctoritas idipsum fieri vetet. Vndè posteà mandat eos restitui. Cur auctoritatem Sedis Apostolicæ allegaret non subditis? aut cur gregis Ægypriaci curam susciperet, nisi esset vniuersalis pastor? quid mandare attentaret, nisi eos sibi nouisset subditos?

S. Fabianus Martyr, cuius hodie, & S. Sebastiani solemnia agimus, scribit omnibus Orientalibus Episcopis can. 3. Literis vestris inter cętera insertum inuenimus quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in cœna Domini chrysma conficere. Errant verò, qui talia excogitant, & mente vesania potiùs, quàm recta sentiente, hæc audiunt, sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, & de anno in anno renouanda, & fidelibus tradenda, cum alijs præceptis, & mandatis ibi decretis, pondera apochrysarios fuisse Romanæ Sedis tempore Martyrum in diuersis prouincijs; Tempore Zepherini antè 1300. annos, sunt autem apochrysarij responsales à Græco apocrinomæ, id est respondeo, & erant legati Sedis Apostolicæ, indè apochrysis responsio.

Marcellinus Papa, & Martyr, Orientalibus Episcopis scribit, & decernit clericum à laico non esse accusandum.

Eusebius Papa, & Martyr fratribus Episcopis per Alexandriam, & Ægyptum respondet. In scripturis vestris reperimus, quosdam Episcopos vestris in partibus, à proprijs ouibus accusatos, aliquos videlicèt ex suspicione & aliquos ex certa ratione, & idcircò quosdam esse suis rebus expoliatos, quosdam verò à propria sede pulsos, quos sciatis nec ad Synodum prouincialem, nec generalem, posse conuocari, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta, quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur, præcipit, deindè formam tradit, quomodo de his in iudicio agendum sit. Vide Eusebium superiorem Alexandrino, & Ægyptijs, quibus mandata dat, & præcepta.

Felix II. patrum imitatus auctoritatem, & antequam traditionem scribit Anastasio Alexandriæ Episcopo, & Ægyptijs. Cum ad iudicium venerit, quis si voluerit, & necesse fuerit, induciæ ei petenti à Patribus constitutæ, absque impedimento concedantur, & iudices à se electi tribuantur &c. & eisdem scribit. Nullus seruus, nullus libertus, nullus infidus, nullus, criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus, qui inimicitijs studet, nullus, qui frequentèr litigat, & ad causandum, vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona, & omnes, quos ad causanda publica crimina, leges publicæ non admittunt, permittantur accusare Episcopos.

Sixtus II. & ipse Martyr, ac diuini Laurentij assormator, omnibus Orientalibus Episcopis scribit. Statuentes decernimus, vt hi, qui non sunt bonæ conuersationis, & quorum vita est accusabilis, vel quorum fides, vita, libertas, nescitur, non possint Domini sacerdotes accusare, nec viles personæ ad eorum accusationem admittantur.

Sic B. Gregorius ad Eulogium Alexandrinum Episcopum scribit lib. 6. epistola 60. Ad hanc vnitatem cordium, etiam vestrę sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris sui fa-

lubri-

subtitêt sequi instituta cognouimus, & semper ad magistri sui gremium, vndè illic prædicatio salutaris exorta est, tota se conferre deuotione sentimus. Alludit ad prædecessores, Petrum magistrum Romæ, & Marcum discipulum Alexandriæ. Collige Alexandrinum tccurrere ad gremium magistri, & sic Romanæ Ecclesiæ sequuntur pleraque mandata in eadem epistola.

Idem B. Gregorius scribit Isicio Hierosolymorum Episcopo, vt in Ecclesia sua quædam compescendo, quædam tolerando mitiget.

Et Ioanni Episcopo Latisseo frater noster Adrianus Thebanæ ciuitatis Episcopus ad Vrbem Romanam veniens lachrymabiliter est conquestus, de quibusdam capitulis se à fraternitate tua, nec non à Ioanne patriæ Iustinianæ Episcopo, non legitimè, neque Canonicè condemnatum. Cùmque per diuturnum tempus, nullam diuersæ partis videremus huc aduenire personam, quæ eius debuisset obiectionibus respondere, necessariò cognoscendæ veritatis intuitu? ea quę prænès vos acta sunt, relegenda tradidimus. Ex quibus cognouimus Ioan. & Cosmam Diacones &c. prosequitur capitula, in quibus minùs legitimè processerint contrà Adrianum, ideò decernit eum reuocandum in propriæ dignitatis ordinem, iniungens, si quam causam habeant mouendi contrà Adrianum, quod hoc faciant coràm suis responsalibus Constantinopol. vel accedant Apostolicam Sedem, renarrat Gratianus 16. quæst. 1. frater noster. Et vt finem faciamus probat hoc luculentissimè Iustinianus Imper. dicens in l. reddentes C. de Sum. Triuit. ideoque omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus.

Quis ergo existimabit hæc sciens, sanctissimos Martyres, ac patres, ea fuisse præsumptione, vt temeratio ausu, præcepta dare attentarent, leges imponere, delicta coercere, contrà eorum sententias damnatos restituere, nisi illi forent sibi subiecti sub potestate Romanæ sedis positi, in quos Imperium sumpsisset ab ipso Domino nostto Iesu Christo, quare concludamus Orientales semper fuisse sub Romana Ecclesia, antequam hęresim induerunt? & Romanis vixerunt legibus.

CAPVT XIX.

Orientales fuisse sub Papa ostenditur eorum Concilijs, & quod Concilia à Papa auctoritatem habeant ostenditur, Legati quoque Papæ in Concilio Niceno, Chalcedonen. Chartaginen. 6. 7. 8. Ephesino, & Sardicensi recensentur.

At non solùm Otientales Ecclesiæ fuerunt subiectæ Rom. Pont. sed & hoc in Synodis apud eos habitis hoc decreuerunt, & statuerunt, vt in Nicæa, & Chalcedonen. in quibus decretum est, posse Episcopum appellare ad Sedem Apostol. vt suprà quoque meminimus, modò appellare non licet, nisi ad superiorem, & maiorem. Fuit autem Nicæa ciuitas Asiæ minoris in Bithinia, & quamuis Occidentales Episcopi pauci interfuerint, maior tamen pars fuit Orientalium, & Asiaticorum, vt ex subscriptionibus liquet: subscripserunt enim Te Episcopi Ægypti, Palestinæ, Phenitiæ, Isauriæ, Arabiæ, Mesopotaniæ, Persidis, Capadociæ, vtriusque Armenię, Paphlagoniæ, Ponti, Galatiæ, Asiæ, Libię, Phrigiæ, Liciæ, Cilitiæ, Pysidiæ, Pamphiliæ, Neson, Bithiniæ.

Simitèr, & Chalcedonum in Asia est sita è regione Bizantij nouæ Romæ (quæ proh dolor Thurcę regia est) in qua acclamatum est Romano Pontifici S. Leoni, quòd sit ęcumenicus, & vniuersalis Episcopus Ecclesiæ catholicæ, quæ ambo laudatissima, & omni ętate approbata Concilia, fuerunt congregata, & roborata auctoritate Romani Pontif.

Vndè ad Concilium Nicenum misit Sanctus Syluester Osium Cordubensem Episcopum Hispaniæ (de quo superioribus plura) & Victorem, & Vincentium presbyteros vrbis Romæ. Ad Chalcedonen. Concilium missi sunt Paschasius, & Lucensis Episcopi, Bonifacius presbyter. Et quia audet diuersarius in libello, quem hactenùs improbauimus, contrà Paschalem dicere de cap. significasti de elect. Concilia non esse facta, nec robur accepisse à Romana Ecclesia, quia inquit Luther. quis hoc ferat quæso? Nunquid Nicænum Concilium robur accepit, aut factum est auctoritate Romanæ Ecclesiæ? Numquid & multa alia per Augustinum, & olim Cyprianum in Aphrica habita?

Hic diuersarius, quia superbia, omnia existimat se scire, crassissimam prodit ignorantiam suam, vt nec minimam guttam sapiat de antiquis Concilijs. Nam etsi particulares Synodi prouinciales bis in anno, ex antiqua Patrum institutione celebrarentur, nullius tamen Synodi rata erant decreta, nisi Summi Pontificis interuenisset auctoritas. Vndè rectè mentitur diuersarius, audens dicere Concilia Aphricana sine auctoritate Papæ habita per Cyprianum, & Augustinum, nam Cyprianus, vt primatu prior, potuit conuocare Synodum, sed Augustinus cum non esset primas, nullam Synodum collegit. Tum decreta in Aphricanis Concilijs miserunt ad Romanam Sedem, velut suprà diximus de Mileuitano Concilio, & alijs, & liquet ex epistolis Augustini 92. & 93. Ostendimus in superioribus ad Concilia Aphricana interuenisse auctoritatem Romanorum Pontificum, Anastasij, Innocentij, Zozimi, Bonifacij.

Et vt diuersarius errores suos intelligat, & aliquando resistat, adduco ei facta in prima actione Concilij Chartagineo. cui S. Augustinus, & Alipius interfuerunt cum Osio, ità enim scriptum ibi inuenio, post consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij XIII. & Theodosij VIII. Augustorum 8. Kalen. Iun. Chartagine in sacrario Basilicę Fausti, cum Aurelius Papa vnà cum Valentino primæ sedis prouinciæ Numidiæ. Faustino Episcopo Ecclesiæ Potentianæ prouincię Italiæ Picini, legato Ecclesiæ Romanæ, sed & legatis diuersarum prouinciarum Aphricanarum, id est Numidiarum duarum, Bizacenæ, Mauritaniæ, Zitifen. & Mauritaniæ Cęsarien. sed & Tripolis, & Vincentio Colositano, Fortunatio Neapolitano, & cæteris Episcopis prouinciæ proconsularis residentibus 217, nec

nec non Philippo, & Asello presbyteris, atque legatis Romanæ Ecclesiæ, consedisset adstantibus Diaconibus &c. Daniele notario recitante professionem Concilij Nicæni, mox incepit legatus Romanæ Ecclesiæ. Faustinus Episcopus plebis Potentianæ Italię prouinciæ Piceni legatus Romanæ Ecclesiæ dixit, iniuncta sunt nobis à Sede Apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra beatitudine tractanda, sicut gestis superioribus meminimus, hoc est de Nicænis Canonibus, vt conseruentur, & constituta eorum, & consuetudo, de his ergo primitus si beatitudini vestræ placet, tractemus, & posteà cætera, quæ acta, vel inchoata sunt (intellige in prioribus Concilijs Aphricanis) inserta firmabuntur, vt & sedem venerandam rescriptis vestris intimare possitis, atque nos ammonuisse apud venerabilem Papam euidentèr clareat, licèt & capitula actionum iam inserta sint gestis, de ipsis ergo, vt superiùs dixi, quid vestræ beatitudini placeat agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medio, vt scire possit vestra beatitudo, quid in eo contineatur, vel ad singula respondeatur &c. Habes præter superiùs allegata de Cornelio Innocentio, quomodo & auctoritate Zozimi conatu fuerit Concilium Aphricanum. Zozimo autem vita functo, Bonifacius eumdem Faustinum ad Concilia Aphricana misit. De Nicæno autem Concilio iam diximus. Quomodo omnium sententia auctoritate S. Syluestri fuerit coactum. Taceat ergo diuersarius, & iniuriam Sedi Apostolicæ factam diluere nitatur publica reuocatione.

De hoc autem te certiorem facere volo, licèt certa esset ordinatio Ecclesiarum, vt quisque locum suum obtineret, ciuilitari tamen studentes aliquando digniores venerati sunt senium, & experientiam, sicut in Concilio Constantinopolitano, subscripsit se Nectarius Constant. antè Timotheum Alexandrinum (cuius opere coacta fuit Synodus) & antè Cyrillum Hierosolymitanum, cum tamen in dignitate ambo eum præcederent. Tunc enim Constantinopolis nondum erat Patriarchatus, sed sub S. Leone I. data est ei secunda Sedes post Romanam, diù reclamante Leone, tamen legati Sedis Apostolicæ, etiam si cessissent alijs in ordine, tamen semper fuerunt primi in subscriptione.

Sic in sexta Synodo fuerunt legati Papę, Theodorus, & Gregorius Presbyteri, Ioannes Diaconus, & Constantinus Subdiaconus sub Agathone Papa. In septima Synodo Petrus Archipresbyter, Petrus Presbyter, & Abbas Monasterij S. Sabinæ. In octaua missus est, Donatus Ostiensis Episcopus, Stephanus Ephesinus Episcopus, Marinus Diaconus Ecclesiæ Romanæ, Anastasius ille doctus Romanæ Sedis Bibliothecarius, licèt tardè illis venientibus, Synodus dixerit, quoniam dudum expectati fuerunt vicarij senioris Romę, & ampliùs expectare non sit iustum, incongruum omninò putamus despicere fluctuantem Christi, & Saluatoris nostri Ecclesiam per dilationum dispensationem, quæ illi debetur, hinc ergo velut ex necessitate discutiamus.

In secunda Synodo Ephesina fuerunt à Leone destinati Iulius Episcopus, Hilarius Diaconus, & Dulcicius Notarius, qui intelligentes fraudem Dioscori, noluerunt intrare Synodum, licèt requisiti, nec voluerunt decretis eis ostensis subscribere. Tunc ramen Talasius Cęsareę Capadocię patrię Episcopus, decreuit in actis Synodi procedendum, cum Ambasiatoribus Archiepiscopi Romani, vocati nollent venire, pondera mi lector, quo honore Græci, & orientales Romanus habuerunt Pontificem, nam etsi Episcopi essent schismatici, & hæretici, tamen per vnum annum expectauerunt legatos Romani Pontificis.

Ità & ad Sardicen. Concilium missus fuit, Osius Corduben. Fortunatianus Aquilegien. & Vincentius de Capua, legati Sedis Apostolicæ, taceat ergo diuersarius quæso, tam impudens dicere mendacium, Concilium Nicænum, & alia sancta Concilia, non fore auctoritate Summi Pontificis, vel congregata, vel robotata.

CAPVT XX.

De causa Concilij Chalcedonen. eius subscriptio, & quod Orientales sub Papa fuerint probatur.

VT autem videanr oculi testes, modum subscribendi in veteribus Concilijs, placet huc annectere subscriptionem Chalcedoneo. Concilij, quantùm ego de ea potui in præsenti habere, quod vt faciam, his moueor potissimùm rationibus. Nam cum diuersarius neget Ecclesias Gręcię, & Orientis fuisse sub Romano Pontifice, apertiùs eius falsitas, & temeritas detegatur. Leo enim sanctitate magnus, eruditione conspicuus, contrà Concilium Ephesinum 2. in iussu, suo Theodosio annuente, à Dioscoro Alexandrino coactum, Eurychete hæretico exaltato contrà sanctum virum Dei Flauianum Catholicum Patriarcham auxilio Marciani Imperat. Catholico Theodosio mortuo, Concilium illud Chalcedonen. indixit, quod est vnum de quatuor sacris Concilijs, in quo roborari sunt Nicęni Concilij Canones. Romanus Pontifex Summus in Ecclesia declaratus pastor vniuersalis, & acclamatum est (pro more illius ætatis) ab vniuerso Concilio. Leo Sanctissimus Apostolicus, & Oecumenicus Patriarcha viuat per multos annos. Appellatio quoque Episcoporum ad Romanam Sedem admittenda, decreta, Eutyches damnatus. Heresis Nestoris abiecta. Manicheorum libri combusti. Et quia Dioscorus in Concilio Ephesino ausus fuerat excommunicare Leonem Papam, hanc præsumptionem Sancti Patres adeò detestati sunt, vt sine vlla restitutione hunc damnarent, quia præsumpserit excommunicationem dictare aduersùs Sanctissimum, & Beatissimum Archiepiscopum magnę Romę Leonem. Renarrat Gratianus capit. in tantum dist. 21.

Aspice ergo, & pondera Candide Lector Maximi huius Concilij subscriptionem, recognoscentis Romanũ Pontificẽ esse vniuersalis Ecclesiæ pastorem, cum paucissimi fuerint

rint ex Occidente, sed vel ex Græcia, Asia, aut Aphrica. Vndè hoc vnum Concilium sufficere debet ad diuersarij errorem eliminandum, quod si ipse, quid huiusmodi habeat pro sui erroris confirmatione, quomodo gestiret, & exultaret, quàm pompaticis, & ambulosis verbis creparet.

Subscriptio Concilij Chalcedonen.

Paschasius Episcopus vicarius Domini mei Beatissimi, atque Apostolici, vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis vrbis Romæ, Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi. Lucensi Episcopus ciuitatis Ecclesiæ Asculanę, Vicarius Domini mei Beatissimi, & Apostolici viri vniuersalis Ecclesiæ Papę vrbis Romę Leonis in Synodo Gręcę lecta subscripsi. Bonifacius Presbyter S. Eccl. Rom. statui, & subscripsi.

Leontius Romanus.
Anatholius Constantinop.
Prouinc. Thraciæ.
Quiriacus Heraclien.
N. Pelusianen.
Romanus Eudoxipolitanus.
Lucianus Byceps.
Prouinc. Thraciæ II.
Frontion Philippipolitan.
Sebastianus Bearys.
Epicteus Berois.
Prouinc. Diacletianopol.
Basilius Traianopolit.
Docimasius Marodinanns.
Cęreuus Maximianopolit.
Macharius Enuntos.
Prouinc. Emimontij.
Iobianus de mectu.
Prouinc. Illyrij.
Anastasius Thessalonicen.
Perquintillus Episcopus Eraclien.
Sozon Philippensis.
Dadanius Barlaa.
Maximinus Serrien.
Nicolaus Strobien.
Anopatais Thassintanus.
Eusebius Doueratanus.
Prouinc. Telladię.
Petrus Corinthij.
Nicozas Megaren.
Ioannes Messenen.
Ophelimos Getheas.
Athanasius Opontunen.
Irenicus Naupactuensis.
Domnus Plateonensis.
Onesimos Algusanos.
Prouinc. Quirię I.
Maximus Antiochenus.
Macharius Laudien. per Eusebium Presbyterum Antiochenum.
Theotistos Beriensis.
Gerontius Selacen.
Romulus Chalcedonen.
Petrus Gabulen.
Maras Onasathen.
Sabas Palriben.
Vranius Gabolanien.
Prouinc. Quirię II.
Domnus Apauiensis.
Metillus Larisensis.

Prouinc. Cilicię I.
Theodorus Tareuensis.
Matronianus Pompypolit.
Theodorus Metropolitanus.
Alexandros Sebasten.
Philippus Adanen.
Ypatrus Zefiren.
Theodorus Augustes.
Chrysippus Mallitanus.
Salustius Coricitanus per Philippum Adonen.
Prouinc. Cilicię II.
Cyrillus Anazarben.
Polyrronius Epiphauen.
Ioannes Flauiados.
Indemus Ypenupolit.
Iulianus Russitanus.
Bassianus Montpręstiensis.
Per Sophronium Episcopum Isaurię.
Basilius Seleucensis.
Theodorus Claudiopolitan.
Iulianus Celenderotanus.
Ioannes Diocęsariensis.
Danihelus Anagnortu.
Epiphanius Cetettorocusis.
Manipręus Titipolit.
Achatius Antiochensis.
Leamanditos per Papa Diaconum.
Ammonius Latapis.
Arianus Selinuntonien.
Per Paulum Subdyaconum.
Natalis Philadelphitanus.
Tyraunus Germanicen.
Prouinc. Phęnices.
Photius Truensis.
Damianus Synodensis.
Paulus Ptolemydus.
Olimpius Ardapolitanus.
Paulus Prophiritanus.
Thomas Paneados.
Petrus Byblitanus.
Per Photium Pureutenum.
Eustachius Perithopolit.
Theodorus Tripolitanus.
Praelides arcis.
Alexandrus Amparadij.
Porphirius Betriopolit.
Pet Zelosen. Dyaconum.
Phosphorus Arosiaden.
Prouinc. Mesopotaniæ.
Symeon Amidensis.
Noe Cæphanen.
Maras Azetiuen.
Zebennos Mantitopol.
Galurnas iu relles.
Eusebius Suphanien.
Prouinc. Palestinæ. I.
Iuuenalis Hierosolymitanus.
Elicon Cæsarien.
Per Zozimum Episcopum Medinen.
Leontius Ascalonitanus.
Photinus Diospolitanus.
Paulus Anthedonen.
Praclios Agotupolitanus.
Panciatus Abdiadensis.
Polycronius Anepatudensis.
Stephanus Iamnien.
Prouinc. Palestinæ II.
Seuerianus Schytepolitanus.
Amianes Capitoliados.
Zebinos Pollisitanos.

Ioan-

Ioannes Gadarien.
Prouinc. Palestinæ. III.
Berillus Eliensis.
Atetas Elusitanus.
Musonius Zoronen.
Martianus Cliotanus.
Niz riras.
Martianus Gasæ.
Prouinc. Paleasepiri.
Atticos Nicopolitanus.
Marcus Euryas.
Peregrinus Phinicenus.
Euricios Adrianopolit.
Laudius Aschannen.
Soryricus Cergirasuesitan.
Ictetos Dodonen.
Ioannis Pritticen.
Prouinc. Metropoli Epiri.
Zenobius Bortroensis.
Lucas Doraeen.
Eusebius Appollonien.
Petrus Ecinien.
Prouinc. Thessalia.
Constantinus Demetrias.
Martyrios Gorginan.
Gemiadius Enossutanus.
Cyrillus Subretanus.
Euphrates Eulenterien.
Demetrius Laupennen.
Prouinc. Byrhiniæ.
Eumonius Nicodemonen.
Anastasius Nicænus.
Iulianus Co.
Eleutherius Caleedonen.
Lallinieus Appamenus.
Prouinc. Galathiæ I.
Eusebius Aneytanus.
Iulianus Tabianus.
Meliphtoggos Iuliopolit.
Yperechius Aponotanien.
Achatius Cimitanus.
Leucadius Muyzitanus.
Euphrasius Galatinen.
Prouinc. Galatiæ II.
Theoctistos Pisinuntos.
Per Phocium Archidiaconum.
Helpidios Myceretermis.
Myterus Ammorij.
Aquilas Eudoxiados.
Quiriacus Trocnaden.
Pios Peteniſſen.
Longinus Orcisu Copileontl.
Prouinc. Cappadociæ. I.
Phalasios Cæsarien.
Musumus Nussenus.
Phirminus Termis.
Prouinc. Cappadociæ. II.
Patricius Traaen.
Theodosius Nazianzenus.
Aristomagus Colonen.
Cyros Cybittronen.
Prouinc. Armeniæ. I.
Ioannes Sebasten.
Cecurius Sepastianopolit.
Ioannes Nicepolitanus.
Prouinc. Armeniæ II.
Constantinus Melitinen.
Achatius Arimantheus.
Adomos Crauissu.
Per Lochium Præsbyterum.
Ioannis Arcis.

Per Euphronium Præsbyterum.
Prouinc. Pontulemonciaci.
Dorotheus Neocæsariensis.
Per Photinum Diaconum.
Ioannis Polemoniacus.
Gratiadus Cerassuntenus.
Atarbius Trapezontios.
Prouinc. Hellespontí.
Seleucius Amasenus.
Antoninus Amnissenus.
Per Olympinm Dyaconum.
Paralios Andraponen.
Per Helpidium Præsbyterum.
Vranius Iborensis.
Per Paulum Præsbyterum.
Atticus Zelonen.
Antiochus Synopenus.
Prouinc. Paphlagoniæ.
Petrus Gagrotanus.
Ethericus Pampiopolit.
Per Epyphanium præsbyterum.
Renos Lulliopolitanus.
Polycronius Dediren.
Theodorus Seronen.
Prouinc. Onoriados.
Calegorius Claddiopolit.
Theodorus Heraclensis.
Apragmonius Tuttanos.
Theophilus Adrianipolit.
Per Pelagium Præsbyterum.
Genthilius Erarensis.
Per Eulogium Præsbyterum.
Olympius Presiaden.
Per Modestum Præsbyterum.
Diogenis Gyzicuntos.
Petrus Dardanen.
Thalassius Parui.
Dauid Adrianen.
Eulalius Pionien.
Pionius Troaden.
Stephanus Pymanenus.
Theusabius Ilau.
Ermias Abdien.
Danihel Lampsacenus.
Patricius Adrianopolit.
Prouinc. Asiæ.
Stephanus Ephesinus.
Ethericus Smyrnen.
Thomas Aliocomenus.
Et Balentiuianipolitanus.
Eusebius Clazomenus.
Quiriacus Edles.
Mamas Animeeu.
Leontius Magnisias Maioris.
Quintus Phocen.
Proclos Algizenos.
Bosilicus Baleaspolitanus.
Philippus Neaslyletanus.
Rufinus Briulonitanus.
Olympius Euazotanus.
Esayas Eleas.
Esperos Epitanen.
Petronius Myrineus.
Neonius Nyssenus.
Paulinus Perperenotanus.
Marcellinus Metropolit.
Iulianus Ypopetanus.
Prouinc. Lidiæ.
Florentinus Sardeonen.
Menecraris Corasen.
Patricius Crassen.

Poli-

Policarpus Gabalen.
Paulus Tripolitanus.
Helias Vendatanus.
Consinios Hierocæsarien.
Amaxios Selgonnen.
Andreas Satalenus,
Dionysius Attanens.
Gemellus Stratonicens.
Alcimedes Eiladens.
Leueyos Appollosieri.
Prouinc. Pamphiliæ.
Epiphanius Pergens.
Theophilus Adriassu.
Neon Smyssu.
Diodoridus Lysanien.
Paulus Poglonien.
Marcellinus Isidonen.
Macedon Maginens.
Moras Codroij Lonens.
Prouinc. Pamphiliæ alterius.
Amphilocius Sidesensis.
Gaios Suedionen.
Eudoxius Elllonens.
Martianus Corallen.
Eusebius Cottinen.
Obremus Coratien.
Romanus Myrrenus.
Aristoclitos Olymponen.
Eudoxius Chomaten.
Palladius Capidalen.
Cyrinus Pacaten.
Stephanus Lymmyren.
Zenodotus Telmiiu.
Cronton Pasitidonen.
Philippus Barbaren.
Theodorus Antipollenus.
Leontius Araxenus.
Antipatros Caumenus.
Cratinos Panoritranos.
Andreas Ptoleatanus.
Nicollos Acrassutanus.
Ramanus Baboneu.
Prouinc. Licaoniæ.
Oncsiphorus Iconen.
Neoptolemos Gonen.
Paulus Deruen.
Plutarchus Listron.
Eugenius Canon. Rufos sides.
Tyrannos Imadinen.
Aschalias Ladandien.
Prouinc. Pysidiæ.
Pergamios Antiochenus.
Eutropius Adadonen.
Paulus Philomeden.
Longinus Apamenus.
Theoclistus Tyren.
Eorticius Metropolitanus.
Cyros Simimaden.
Libanius Pallathonen.
Alexander Seleucen.
Olympius Zizopolitanus.
Photianus Salagassitanus.
Messalinus Laodicen.
Bassones Neaspolitanus.
Florentius Adrianopolitanus.
Musonius Limenen.
Maximus Zozilonen.
Prouinc. Cæsarææ.
Cretomianus Aphrodisius.
Dionysius Antiocenus.
Ioannis Alisdonen.

Placulus Lassu.
Panias Eristodonen.
Dionysius Latomenus.
Menandros Eracleos.
Eupithius Stratonicen.
Ioannis Amizonen.
Tygchanius Appolonen.
Theodotetus Alabanden.
Ioannis Enidien.
Clandio Halicarnassen.
Per Paulianum Præsbyterum.
Prouinc. Phrigiæ Salutaris.
Marianus Sinaliden.
Eusebius Durren.
Myros Bilanden.
Mocymus Epsu.
Phylippus Lyciados.
Epiphanius Mardaien.
Eberrytius Ierasopolitanus.
Quiriacus Eucarpen.
Eustochius Docimui.
Basilius Nacholien.
Aquila Auroclenus.
Strategius Polibaten.
Prouinc. Phrigiæ Pacatianæ.
Numechius Laodiciastrimitarias.
Danihelus Cadonen.
Dotertus Sebasten.
Eulalius Sibrien.
Mathias Temesian.
Paulus Aristensis.
Charis Dyonisipolis.
Gennadius Acmonen.
Thomas Theodsiopolit.
Phylippus Ageyrassidera.
Ioannis Trapezitanus,
Euandros Diodias.
Gennandius Mosinen.
Prouinc. Ionefon.
Ioannis Rodij.
Florentius Morylenen.
Eufronrius Chiu.
Barachos Naxen.
Prouinc. Cypri.
Olympius Constantien.
Per Didymum Episcopum Labiten.
Epaphroditus Camassensis.
Eliodorus Amathuntos.
Sotheras Theodosianen.
Didymus Lapitensis.
Proechius Archenoensis,
Enyuus Gythienus.
Prouinc. Aphricæ.
Valerianus Basianen.
Valerianus Aphrus.

362.

Plora Christiane, quia omnes istos Episcopatus, cum tot animabus subditorum perdidimus &c. Paucis Armenis, & in montibus Arabiæ exceptis, qui hodiè agnoscunt Roman. pontificem & reuerentur, apud quos anno 1518. Superiori, nomine Sædis Apostolicæ fuit Ioan. Franciscus de potentia Minorita, Pallium Archiepiscopo præsentando & eos in fide confirmando. Hoc adijcere volo huic subscriptioni, in primis quòd non omnes præsentes Concilio, qui fuerunt 600. sunt hic annotati. Nam, & B. Augustinus meminit Iulianum Hipponen. Episcopum antecessotem

rem suum fuisse in Niceno Concilio, quem tamen in subscriptione non reperio, sic hic contigisse arbitror, neque enim adscripti sunt patres Libiæ, Thebaidos, Daciæ, Italiæ &c. at plures non potui reperire.

Dein ad rationem Cosmographicam videbantur mihi quædam nomina ciuitatum restituenda, at vetustatem exemplaris reuerieus, hoc facere non audebam, quare fideliter transcripsi, sicut in codice reperi, nihil immutans. Sæpe etiam Græcam earionem secutus est is, qui transtulit subscriptionem. Volui ergo consulere doctis, qui si non totam, tamen partem haberent illius subscriptionis.

Concludamus ergo Aphros, Græcos, & Orientales catholicos, fuisse semper subiectos Rom. Pont. quibus omnibus accedat quod Iustinianus scripsit Ioanni viro beatissimo,ac sanctissimo Archiepiscopo, & Patriarchæ Veteris Romæ teminiscentes huiusmodi legis prærogatiuam, non solum in accidentalibus partibus Romanæ Ecclesiæ condonamus, sed etiam in Orientalibus partibus, in quibus Ecclesiasticæ vrbis Romæ possessiones sunt. Datum 18. Kalend. Maij Capuæ Balisario Consule, scribitur in Au. vt Eccl. Rom. col.3. His omnibus eetusum arbitror diuersarij mendacium negantis illos vnquam fuisse sub Romano Pontifice. At nunc descendamus ad alios errores eius conuincendos.

CAPVT XXI.

Opponit diuersarius ex Beato Hieronymo Presbytero esse Episcopos.

Diuersarius ad hæreticam sententiam suam confirmandam, incipit offerre testimonia, quæ iuxtà Corticem verborum saltem, etiam si nihil faciant ad rem, consentire videantur suæ temerariæ assertioni, primus est ergò Hieronymus in epistola ad Euagrium, sic scribens, legimus in Isaia fatuus fatua loquitur, audio quendam in tantam prorupisse vecordiam, vt Diaconos præsbyteris anteferat. Nam cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum,& viduarum minister, vt super eos tumidus se efferat, ad quorum preces Corpus, & Sanguis Christi conficitur? quæris auctoritatem? Audi testimonium, Paulus, & Thimotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus, vis & aliud exemplum? in actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes, ità Paulus loquitur attendite vobis & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit Episcopos vt regatis Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

At ne quis contentiosè in vna Ecclesia plures esse Episcopos contendat, aliud audiat testimonium, in quo manifestissimè comprobatur, eundem esse Episcopum, atque presbyterum, propter hoc reliqui te Cretę, vt quæ deerant corrigeres, & constitueres Episcopos per ciuitates, sicut tibi mandaui, si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos, oportet enim Episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem, & ad Thimotheum noli negligere gratiam,quæ data est tibi per prophetiam, & per impositionem manuum presbyterij.

Sed & Petrus in epistola prima, presbyteros, qui in vobis sunt, precor ego compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ, quæ reuelanda est, gloriæ particeps, regite gregem Christi, & inspicite non ex necessitate, sed voluntariè iuxtà Deum, quod quidem Græcè significantiùs dicitur *Episcopyndes*. Vndè & nomen Episcopi tractum est, parua videntur tantorum testimonia virorum? Clangat tuba Euangelica, filius tonitrui, quem Iesus plurimùm amauit, qui de pectore saluatoris doctrinarum fluenta potauit, præsbyter electæ Dominę & filius eius, quos ego diligo in veritate, & alia epistola, præsbytero Gaio Charissimo, quem ego in veritate diligo.

Quod autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexandriæ Marco Euangelista, vsq; ad Esdram, & Dionysium Episcopos, presbyteri sempee ex se vnum eligebant, & in excelsiore gradu collocabant, quem Episcopum nominabant, quomodo si exercitus sibi Imperatorem faciat. Diaconi autem eligebant de se,quem industrium nouerint, & Archidiaconum nuncupent, quid enim facit Episcopus excepta ordinatione, quod presbyter non facit? nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est, & Galliæ, & Britanniæ, nam & Aphrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autem auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe, vbicumque Episcopus fuerit, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Regij, siue Alexandriæ, siue Thanis, eiusdem meritis est & eiusdem Sacerdotij, ponam diuitiarum, & humilitas paupertatis, vel sublimiorem, vel inferiorem facit,cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Hæc Hieronymus.

Nihil de mutatione temporum loquor, nihil de iure positiuo, hoc contendo, si vnus Episcopus iure diuino cęteris præfertur, manifestè hic Hieron. hæresim docet, non solum ipse (nam ei non crederem) sed Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, quos inducit irrefragabiles auctores, quis quæso hic resistet? Cur adulator negat Romanum Pont. cæteris esse Coepiscopum, cum primus Petrus se compresbyterum appellet? Si successores Petri sunt,quid erubescunt titulum sui prædecessoris? Si nomen superbissimum, sanctissimi, Summi,Maximi Pont. hæreditant ex recentibus. Cur non nomen compresbyteri, & Coepiscopi à primo?

Obsecro an Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, & omnes Apostoli ignorauerunt quid verbum Christi voluit, Tu es Petrus, & tibi dabo claues, & pasce oues meas. Si me omninò hæreticum clamant, qui omnia,quæ volunt, tribuo Pont. Romano, solum ne auctoritate Scripturæ, id est mendaciter facere cogar, parcant S. Hieronymo tantis auctoribus munito. Proclamat ille longè impudeu-

dentius, Episcopos ponam diuitiarum, & humilitate paupertatis, inuicem esse, vel sublimiores, vel inferiores.

Ego consensu fidelium,& decreti hominum id assero. Cur non hunc irreuerentem, blasphemum, seditiosum, bissepties comburunt, hæreticæ prauitatis prauissimi inquisitores? Sinant me cum Hieronymo interim sapere. Sin autem cum Petro, Paulo, Ioanne, Luca, sentire. Si hoc non est satis, age, sua comburant decreta primùm. Nam hæc epistola recitatur in decretis 93. cap. legimus, legitur,auditur, docetur, approbatur hæc ab vniuersis in Ecclesia Romana. Cur ergo vnus prohibeor dicere,& sentire,quod ipsimet omnes dicunt, sentiunt iubentque sentire?Hieronymus non modo Episcopos æquat inter se, sed & presbyteros Episcopis comparat,alterũ ætatis,alterum officij nomen esse pronunciat. Ego longè reuerentius locutus nihil peto,nisi vt contrà hanc veritatem, non cogar scripturas, & verbum Dei illudere. Sic Romanus Pontifex, quicquid voluerint, modò auctoritate Scripturæ sacræ, id non abstruant, sed & Scripturas eorum sensui aptari patiar modò, ne hunc esse Germanum, & solum sensum contendant. Sar ergò,est quòd frigidissimis decretis primarus asseritur,qui feruentissimis Dei verbis negatur, sed audiamus iterum eundem in commentario super epistolam ad Titum.

Idem est ergo presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, ego Appollo, ego autem Cephæ, Communi presbyterorum Concilio gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos,quos baptizarat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesię cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, putat aliquis non scripturam, sed nostram esse sententiam, Episcopum, & presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, & aliud officij esse nomen, relegat Apostoli ad Philippen. verba & cætera, quæ suprà in epistola ad Euagrium induxit. Et in fine. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos. Ità Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis diuinæ veritate presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere. Hæc ille.

Vide ergo an propositio mea malè, vel benè dixerit,esse contrà scripturarum textum Romanam Ecclesiam esse alijs superiorem, cum etiam sit contrà ipsa decreta. Nam & hæc Beati Hieronymi verba recitantur, dist. 95. cap. Olim, atque si ibi non approbarentur, tamen quia solidis pugnat diuinæ scripturæ armis, etiam si totus mundus, & Angelus de cœlo contradixerint, nihil dixerint. Atque ità satis puto, & probatam nostram propositionem, & dissoluta omnia argumenta, quæ vel fingi contraria possunt. Stat sententia fixa, non dispensationis diuinæ veritate, sed Ecclesiæ consuetudine, Episcopos esse maiores presbyteris. Hæc Luther in damnato, & hæretico libello.

CAPVT XXII.

Episcoporum esse ordinem vltrà Sacerdotium probatur ex Dionysio, gloss. ordin. Anacleto, Eusebio canonibus Apostolorum, qui sunt probati.

Ingreditur quàm magnificè, ac basilicè noster Thraso, & sacras temerarius corrumpit literas, vt erroneam, & damnatam, quibusuis coloribus depingat sententiam, at si rectè quis expendat Hieronymi verba, quæ tragico inducit cothurno diuersarius, quibus ambiguum illud Scholasticum tangitur, an Episcopatus sit ordo suprà Sacerdotium, quod Theologiæ interpretes controuertunt cum iuris Pontificij professoribus, quamuis non sit opus hoc in præsenti discutere, quoniam datis his omnibus, quæ diuersarius ex Hieronymo assumit, quòd olim Episcopus non differebat à Sacerdote,tamen ex hoc non reuincie propositum suum, quoniam etiam si omnes sunt æquales Sacerdotio, adhuc potest vnus omnibus alijs præesse administratione, & regimine, qui gubernacula teneat. Et Temonem fluctuantis nauiculæ, sicut modò omnes Episcopi, Archiepiscopi, & Papa, omnium indicio pares sunt ordine, tamen Romanus Pont. cunctis præfertur regimine, & potestate, quare nec Hieron. nec inducta per eum obuiant proposito nostro, & friuola est diuersarij ampullosa inductio, quod credit Petrum, Paulum, Ioan. Lucam, aduersari conclusioni nostræ primariæ.

Sed age,etiam ipsum dubium,quod tangitur, discutiamus, ne maneat aqua pluuiantibus in tenebrosis nubibus, vbi ego in eam descendo sententiam. Semper iure diuino Episcopatum fuisse superiorem sacerdotio, etiam Apostolorum tempore, principum, & fundamentorum Ecclesiæ. Moneor quòd Sacer Dionysius Apostolorum contemporarius, & discipulus, qui B. Hieronymum fermè. 300. annis præcessit, optimè nouit primitiuæ Ecclesiæ institutionem, ac traditionem Apostolorum, modò libro de Ecclesiastica Hierarchia, sacrorum ordinum mysteria tradit, & ordinationes solum tradit, præsulis, Sacerdotis, & Diaconis, itàque iure diuino in primitiua Ecclesia tres fuerunt ordines sacri, tradit ibi Dionysius,quomodo diuersa sit eorum ordinatio. Idem quoque S. Dionysius enumerat munera peculiariter Episcopo tributa iure diuino, ait enim, quò circà diuina lex Pontificalium ordinationem sanctimoniam, & diuini confessionem vnguenti, sacramque altaris consecrationem teuerentissimorum Pont. officijs, atque virtutibus,æterna sorte distribuit. Est igitur pontificalis ordo, qui consumanti virtute suffultus, perficientia quæque Hierarchiæ precipuo, & proprio peragit munere, sacramentorumque disciplinas exponendo tradit, edocetque pro ratione constantes, & sacros ipsorum ordines, atque virtutes, & inspicienti Dionysium illum antiquissimum Theologum, non potest esse dubium.

Iuri autem diuino hoc videtur consentaneum, quoniam Christus Luc.9.Matth.10.

& Matt. III. constituit Apostolos 12. quibus dedit potestatem super omnia dęmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare Regnum Dei, & sanare infirmos, post hæc autem designauit Dominus alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quo ipse erat venturus, sed sicut in Apostolis est forma Episcoporum, sic in septuaginta duobus est forma presbyterorum, ait glos. ordinar. Cuius rei testis est nobis, & alius Apostolorum discipulus, & contemporarius S. Martyr Anacletus Canone 14. dicens ipsis quoque decedentibus (Apostolis) in loco eorum surrexerunt Episcopi, quorum ordinatio, prętaxato debet fieri ordine, & infrà. Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum messis, vt mitteret operarios suos in messem suam. Vndè electi sunt septuaginta discipuli, quorum typum gerunt præsbyteri, atque in eorum loco constituti sunt in Ecclesia. Gratianus transcripsit cap. in nouo dist. 21. quare Episcopi ab initio Ecclesię, institutione Christi differebant à Sacerdotibus, sicut Apostoli à discipulis.

Et hunc diuersum ordinem Sacerdotij fortè voluit S. Paulus cum ad Romanos diceret, Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes. Vndè differentes semper fuerunt gradus in Ecclesia Dei, quod, præter superiora, colligitur ex eo quod scribitur Act. 8. Cum Philippus Hierosolyma ad Samariam descendisset, & multos prædicando ad fidem conuertisset, quos baptizauerat, Apostoli, qui erant Hierosolymis, miserunt ad Samariam Petrum, & Ioannem ad eos confirmandos, vbi glossa dicit, quod solis Episcopis licet, ideò Philippus non confirmauit.

Hoc Sanctus Eusebius Papa, & martyr, qui & ipse Beatus Hieronymus præcessit, testatur Confirmationis Sacramentum ab alijs perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus, nec à tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis scimt esse peractum, nec ab alijs quàm qui eorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet. Habes hic Candide Lector, in administratione Sacramenti Confirmationis, semper Episcopos fuisse discretos à presbyteris à tempore Apostolorum.

Hoc indicant sacratissimi Apostolorum Canones. Vbi Canon 1. disponit Episcopum à duobus, aut tribus ordinari: Canon 2. decernit presbyterum ab vno Episcopo ordinari, quòd si auctoritate Isidori (cui alioquin parum tribuit diuersarius) inquis Apochriphos esse illos Canones, ego ei respondeo, quia Isidorum auctorem appellet non grauem, & iunior est Isidorus, veterem ego Sanctum Martyrem, & Papam temporibus Apostolorum satis vicinum S. Zepherinum adferam, qui iam senio confectus anno gratiæ 208. Pontificatum inijt, is decreuit sexaginta sententias Apostoli præscripserunt cum alijs pluribus Episcopis, quas seruandas esse censuerunt. Canones etiam illi sunt recepti, & probati in 6. Synodo. Renarrat Gratianus cap. placuit 16. dist. Porrò Isidorus non ait eos esse Apochriphos, sed refert ab alijs eos sic tractari: Vndè fatetur eos Synodali auctoritate approbatos. Vndè etiam, & 6. Synodus approbata fuit, & recepta per Agathonem Papam, & Adrianum Papam.

Euidentissimum autem huius signum est, quòd degradatus, & qui Episcopatum resignauit, confert ordines, licet non ordinis executionem, quare in eo impressus est character inauferibilis cap. 1. de ordin. ab Episcopis, qui renunc. Episc. nisi enim quippiam inueniretur in illo renunciante, vel degradato indelebile, Papa posset huic auferre potestatem ordinandi, sic quod attentans, nihil ageret, & hoc apparet mihi verissimum de iure diuino Episcopum superiorem Sacerdotio etiam ordine.

CAPVT XXIII.

Respondetur ad Hierony. cur olim nomina Episcopi, & presbyteri fuerint mixta. Sed res esse mixtas sit hæresis Arrianorum.

Liquidum iam fore arbitror, etiam si Hieronymiana sententia præferatur, adhuc eam nobis non aduersari instituto nostro, quoniam si hoc etiam verum esset, quod diuersarius magna temeritate delyrat, in qualibet ciuitate debere esse Episcopum proprium iure diuino, & sic pares essent ordine omnes Sacerdotes cum Episcopis, adhuc non esset consectarium, Papam non habere, primatum inter omnes, sicut modò, quamuis ordine, omnes Episcopi sunt æquales, tamen Papam dignitate, prælatione, & regimine omnibus præsetimus, quoniam prælationis excellentia, Sacerdotalis ordinis inęqualitatem non parit. At pergamus ex ordine verba Hieronymi expendere, vt sic delucidum fiat. quod diximus, cum nobis non repugnare.

Et quantum ad causam dicendi attinet (nam hinc sumenda est dictorum intelligentia secundùm Hilarium) non fuit principale institutum ipsius explicare, quomodo Episcopus à Sacerdote differat, sed eorum refellere errorem, qui Diaconum presbytero ęquabant, hoc egreferens vir sanctus, Sacerdotes dignificat, vt sic eos Diaconis præferat, & quia diuersarius totam inducit epistolam Hieron. quasi solus nouerit ecclesiasticos Patres (ità enim se, & sui iactitant) ideò volumus ea Paulo altius digerere,

Primò ait, Apostolum perspicuè docere eosdem esse presbyteros, quos Episcopos, sed aduertat fidelis, nullibi negare Hieronymum Episcopatum fuisse ordinem vltrà Sacerdotium, sed solum voluit temeritatem quorundam superbientium Diaconorum repræhendere, qui se Sacerdotibus conferebant. Et quamuis exploratum sit Hieronymum nō omnia ex sententia scripsisse (quod in primis aduertere debet Hieronymianæ lectionis studiosus). id, quod in epistola ad Augustinum expræsse testatur. Vndè frequenter expositiones aliorum renarrat. Et ne quicquam reliquum sit, quo quis hesitet, hoc quoque non est prætereundum, semper fuisse re ipsa distinctionem Episcopi à Sacerdote, iuxtà alle-

legata, & probata prioris capitis, tamen nomina illa propter eorum interpretationem fuerunt mixta, itá vt nomen Episcopi presbytero tribueretur. Nominis enim interpretatione Episcopus dicitur superintendens in specula positus, vt ex Gręca ratione liquet. Et Beatus Augustinus testatur lib. 19. de ciuitate Dei cap. 19. ob hoc Apostolus ait, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum enim est, & indè deductum vocabulum, quod alijs præfectus superintendit, & curam gerit eorum, quibus pręficitur? Nam *Episcopyn*, Gręcè si velimus, Latinè superintendere possumus dicere, sic presbyter *presuiter*, senior dicitur, quare secundùm nominis interpretationem in adiectiua significantia, presbyteros appellabant Episcopos, Paulus, Petrus, & Lucas, quod significanter exprimit. Hieron. dicens, appellabant, quantumcunque esset in re distinctio, sed postmodum ad schismata vitanda, necessarium fuit etiam nomina distinguere, & separare, vt qui inter alios Sacerdotes esset Hierarcha, diuinissimarum functionum princeps, is dumtaxat Episcopus diceretur.

Accipe huius rei simile. Ducis vocula primò fuit communis omnibus præfectis bellorum, qui Duces dicebantur secundùm nominis interpretationem à ductandis exercitibus, & itá ab actione, tamen paulatim inualuit, vt natalibus claros significaret, proximos post regiam dignitatem, vbi pueri, necdum exercitum conspicati, duces appellantur & sunt. Vndè aliud est, cum vocula aliqua vtimur significatione, à qua est imposita, & ad quam est imposita, quod elementarius puer dialecticus nouit. & nos in parte argumentatiua scommatis quinque de centum, latè explicauimus, sic Apostoli nomine, & qui dignitatem Apostolatus habuerunt, & qui mittantur, potissimè in fide fundanda, significantur.

Iam arbitror constare diuersarium frustrà tam pomposis verbis exclamare, quasi, vel Hieronymus, Petrus, Paulus, aut Lucas, vel Ioannes negassent vnum Episcopum iure diuino alijs prælatum, eo quòd tunc morem loquendi communem imitati, secundùm adiectiuam termini significantiam, appellarunt presbyteros Episcopos.

Et ne dubites sincerissimè Lector, in istá declaratione nostra, ego addam inuictum robur, quod præmat etiam ceruicem diuersarij, quia dicere Episcopum non esse superiorem sacerdote, est damnata hæresis Arrianorum, testis est clarissimus B. Augustinus libro de hæresibus art. 53. quia Arrius, cum esset presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque addidit dogmata, dicens, Orate pro mortuis, vel offerre, non oportere, nec statuta ieiunia solemniter celebranda esse, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videamur esse sub lege, dicebat etiam Episcopum nulla differentia debere discerni à sacerdote, hic Augustinus, Epiphanij, & Philastri auctoritate, errorem Arrianorum dicit fuisse illam confusionem Sacerdotij, & Episcopatus, quare canè Luthere, sacris literis non abutaris, & damnatam hæresim Arrianorum non defendas.

CAPVT XXIV.

Non esse recens Papam sanctissimum appellari, sed & Papam Episcopos appellare sanctos.

Porrò quod admonet, Papam esse presbyterum, & Coepiscopum, fateor, nec arbitror aliquem Papam erubescere hunc titulum, qui multò humiliore iam vtitur, seruum seruorum Dei se scribens, qui & Episcopos fratres appellat. At quam turgeat diuersarius liuore, & rebellione, liquet ex eo, quod imponit Romanis Pontif. quomodo nomen superbissimum hæreditent à recentibus, vt quòd se sanctissimos, summos, maximos, scribant. Primò non memini me legisse vnquam Papam se appellasse sanctissimum, vel maximum. Dein fateor, quod patitur ab alijs se vocari sanctissimum summum &c. Istud quoque admitto, sed falsissimum est, quod diuersarius audet dicere, ista nomina fore recentia, cùm antiquitùs sancti Patres, & Martyres, multò maioribus, & pluribus titulis magnificis vsi sint, quàm modò fiat, non modo ad Rom. Pontif. sed ad quoscumque alios Episcopos, non enim me præterit, quòd nominarunt aliquando Papam, consortium, sacerdotem, compresbyterum, Patrem, Fratrem, Episcopum, Archiepiscopum, Patriarcham, Summum, Pontificem, tamen, & præstabiles sæpè dedere titulos, vt liquet legenti epistolas sanctorum, quibus appellant confratres suos, beatissimos, sanctissimos, venerabilissimos, nimiùm venerabiles, verè sanctos, & meritò venerabiles.

Hoc, quod tam frequens est in libris sanctorum, inuidia excęcatus non vidit diuersarius. Nam Sanctus Hieronymus vir inadulabilis scripsit B. Augustino, verè sanctos, & merito venerabiles.

Hoc, quod tam frequens est in libris sanctorum, inuidia excęcatus non vidit diuersarius. Nam S. Hieronymus vir inadulabilis scripsit B. Augustino, verè sancto, & beatissimo Papæ, & B. Augustinus scribens Bonifacio Papæ lib. 1. contrà duas Epistolas Pelagianorum, acceperam beatissime, ac venerande Papa Bonifaci Sanctitatis tuæ &c. Sic scripsit Aphricanum Concilium, Domino beatissimo, & honorandissimo fratri sancto Innocentio Papę. Similiter scripsit Concilium Milleuitanum. Sic ad Bonifacium scripsit Augustinus, Summum Episcoporum, itá in actis Concilij Chartaginen. frequens est sanctitatis nomen, beatitudinis, beatissimi, sanctissimi.

Orientales quamuis schismatici, qui S. Athanasium eiecerant, adhuc appellabant Iulium Papam beatissimum Dominum, & Patrem, quid si quis iam scriberet Papæ, sicut illi sancti, & inadulabiles viri. Anastasius, & Ægyptij Episcopi scripserunt Felici Romano Pontifici Domino ter beatissimo, & honorabili sancto Patri Felici, sanctæ Apostolicæ Sedis Vrbis Romæ Papæ, Athanasius,

& vniuersi Ægyptiorum Thebaidorum, & Lybiorum Episcopi in sancta Synodo Alexandrina gratia Dei congregati, vestro sancto suggerimus Apostolatui &c. Vide Candide Lector ante mille 100. annos salutatum esse Rom. Pont. ter beatissimum, à tam sancta Synodo,& calumniator audet dicere hoc esse nomen recens, ac superbum, quòd Papa beatissimus, sanctissimus dicatur, quod est tam frequens in Ecclesiasticis patribus. Eadem S.Synodus in fine appellat Papam sanctissimum Patrem patrum, Sic S. Synodus in subscriptione libelli Nicolai Papæ scripsit. Sequimur sanctam Synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus fecit, cui & ipse Domine coangelicè Summe Pontifex Adriane subscripsisti.

Sacra Synodus Chalcedonen. sępè appellat Leonem Papam sanctissimum. Vndè de Dioscoro deponendo tractantes, Paschasius legatus Leonis Papæ ad Synodum dixit, Volumus discere à sanctitate vestra, qua pœna dignus sit? Sancta Synodus dixit, iubet reuerentia vestra, vt vltione canonica contrà eum vtamur? Respondit, consentitis, an aliud placet? Sancta Synodus dixit, etiam consentimus, nullus dissentit, totius Synodi vna est voluntas. Iulianus Episcopus Hipponen. dixit ad legatos Leonis, petimus vestram sanctitatem, in eo, quod magis inter cœteros eminetis, habentes locum sanctissimi Papæ Leonis, iustam in contumacem promulgare vindictam, ac regulis insitam contrà eum ferire sententiam, omnes enim nos, & sancta Synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ, Paschasius dixit, quod placet beatitudini vestræ, vnanimiter proferatur. Maximus Antiochenus Episcopus dixit, quod videtur sanctitati vestræ censeudum, in hoc concordes efficimur. Iam vides Lector communem fuisse sanctitatis appellationem, non solùm ad Romanum Pontificem, sed & ad quoslibet Episcopos, quomodò ergò tam insolens est diuersarius, vt audeat dicere nomen illud superbum, ac recens?

In gestis quoque S. Concilij actio. 4. adduximus superiùs de modo subscribendi per patritios, vbi appellarunt Papam sanctissimum Dominum nostrum, Patriarcham, & sanctissimos Vicarios senioris Romæ, in eundem Concilio diffinitum est, ne aliquis pręsumat Patriarchas mouere à sedibus suis, pręcipuè sanctissimum Papam senioris Romæ. Renarrat Gratianus cap. diffinimus dist. 22. & actione 3. eiusdem Concilij lecta per Vicarios senioris Romæ Adriani Papæ epistola, sancta Synodus dixit. Canonica, ordinata, & plena iustitia est epistola, quæ lecta est sanctissimi Papæ Adriani.

Sic Ascanius, & vniuersi Episcopi Tarraconen. prouincię ad Honorium papam scribentes, appellarunt eum beatissimum, & Apostolica reuerentia in Christo colendum patrem.

Romanus clerus vacante Sede Apost. per Martyrium S. Fabiani scripsit Cypriano, & in fine epistolæ optamus te beatissime, ac gloriosissime Papa in Domino semper bene valere. Vndè conijcio ego titulos illos resectos ex epistolis Cypriani, ne ita in immensum cresceret liber.

Imò Romanus Pontifex Episcopis sibi subiectis sanctitatem tribuit, velut Nicolaus Papa scribit Hignaro Remensi Archiepiscopo: Excellentissimus Rex Carolus Apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his, qui communicant cum his, qui cum Engeltruda sępè damnata communicant? quapropter beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc auctoritate nostra frętus, curam de his sumere studeas, & quia docta diuinitùs sanctitas tua &c. Vide quòd meminit eius sanctitatis, & beatitudinis.

Sanctus Paulinus ad Delphinum Anastasium Papam Vrbis sanctum appellat, & sperat se ad sanctitatem, & beatitudinem Delphini venturum, inscriptio est, beatissimo, & merito venerabili fratri Delphino, & appellat eum benedictum patrem.

Et quia Luther multùm arroganter pollicetur quomodò possit pręstare inristo Theologum. Ideò si tam oscitantèr legit patrum scripta, legisset, vel Imperatorias leges, L. reddentes cap. de sum. Trin. & fidei cath. Victor, Iustinianus, Pius, Felix, inclytus triumphator semper Augustus Ioanni sanctissimo Archiepiscopo Almę Vrbis Romæ,& Patriarchæ reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & sanctitati vestræ, quod semper nobis in voto fuit, & est (vt decet patrem) vestram honorantes beatitudinem, omnia, quę ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Vide nunc Candide Lector Imperatorum ante mille fermè annos appellasse Papam sanctissimum, beatitudinem, & sanctitatem ei tribuisse. Sic Honorius August. scripsit ad Bonifacium Papam. Victor Honorius inclytus triumphator semper Augustus, sancto, ac venerabili Bonifacio Papæ Vrbis æternæ, scripta beatitudinis tuæ, debita reuerentia congratulationis suscepimus.

Vnde cuicumque, vel frontoso, aut audaculo satisfactum arbitror, non esse recens, superbum nomen sanctissimi, sicut iste calumniator contendit, sed ab antiquis temporibus hanc fuisse semper consuetudinem, licèt seipsos Papæ se non sic appellent, sed potius seruos seruorum, quem titulum primò sibi asciuerat B. Damasus S. Hieronymi familiaris, licèt eum sequentes, illo titulo vti neglexerunt vsque ad Gregorium Magnum, qui denuò vsus est illo titulo, quem omnes pontifices vsque in hanc diem secuti sunt. Vndè præsumitur illa diuersarij calumnia proficisci ex pestifera in præpositos contumacia, sicut iniquitatis magister damnatæ memoriæ, Ioan. Huss. vt Rom. Pont. mirè inuidiosum faceret, & hunc quoque posuit art. 23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium. Is autem pestilens articulus à sacratissimo Constantien. Concilio iudicatus est ad ignem, & cineres.

Cessat ergò diuersarius summum Ecclesiæ parentem in terris, Papam Romanum Pontificem calumniari, ne super eum veniat maledictio Cham reuelantis verenda patris nudata, non est nomen recens sanctissimi, vt arbitraris mi Luther, antiquum est, & frequens, neque est nomen superbum, & arrogans, quod non ei tribuitur pro sua persona, sed pro officio, quod gerit, quia est Domini

Iesu

Iesu in terris Vicarius, quòd nisi resipueris Luther, facies te suspectum Hussitici Veneni, sicut de Episcopi, & sacerdotis comparatione, ni mutaueris sententiam, Arianorum hæresi inquinaberis, nam ista tua doctrina est, non solùm totius Ecclesiastici ordinis, & hierarchiei, sed etiam totius Ecclesiæ subuersiua. Audi magnum testem S. Martyrem Cyprianum, omnium testimonio receptissimum ad Cornelium Papam scribentem. Quòd si ità res se habet frater charissimè, vt nequissimorum timeatur audacia, vt quòd mali iure, atque æquitate non possunt, temeritate, atque desperatione perficiant. Actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac diuina potestate, nec christiani vltrà, aut durare, aut esse possumus, & plura, quæ sequuntur, tibi ergo auctoritate Cypriani fultus dico, nolle te vltrà durare christianos, nisi venenatam hanc doctrinam abieceris.

CAPVT XXV.

Reliqua verba Hieronymi explicantur, Gratiani, quæ sit auctoritas, traditur, & principale rursùs probatur.

AD Hieronymum redeo, quando affirmat electum, & constiturum, factum in remedium schismatis, hoc inquam verissimum est, nam eadem ratio hoc constituendi fuit ab initio Ecclesiæ inter ipsos Apostolos, non alium voco testem, quàm ipsum Hieronymum lib. 1. contrà Iouinianum (quem locum lib. 1. quoque adduximus) vbi loquitur de S. Petro, super quem ædificata fuerat Ecclesia, subdit tamen, propterea inter duodecim vuns eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio, quæ verba altius expensa, clarè indicant, vnum talem alijs presbyteris in Episcopum præpositum in remedium schismatis, quod hoc Christus ab initio fecit, vt schismatis tolleretur occasio, quare semper illud fuit, scilicet Episcopum discretum à presbytero re, quantumuis esset vocularum mistura. Indicant verba allata ex Hieronymo, vbi excipit ordinationem, in quam non potest presbyter, in eam tamen potest Episcopus, & hoc fore de iure diuino liquet, vt suprà assumpsimus, quòd degradatus non potest arceri, quin si de facto aliquem ordinet, ille sit ordinatus, quòd si potestas ordinandi ei competeret solo iure humano, iam humano constituto posset ei auferri. Et si iure diuino presbyter est æqualis Episcopo, cur tunc presbyter, si attentat conferre sacros ordines, nihil operatur?

Porrò, quod Hierony. ait, non alteram esse Romanam Ecclesiam, & alteram totius Orbis, libentèr recipimus, quoniam vna est Columba, vna perfecta, vna sponsa Christi, vt lib. 1. ostendimus. At quod Orbis maior est vrbe, nemo in hoc ambigit, orbem esse maiorem, quo ad merita, virtutes, scientiam, & secundùm vigorem consuetudinis, non potestatis, volo dicere, consuetudo orbis præualet consuetudini Vrbis, sed non est suprà potestatem Vrbis. Et quòd illa sit intentio Hierony. de consuetudine, liquet ex eo, quia ibi loquitur de abusu consuetudinis, qua diaconi præferebant se presbyteris, alioquin si totus mundus conueniret, non posset vni homini conferre tantam potestatem, quantam habet Papa, vt superius lib. 1. ostendimus, si posset capere diuersarius, rotundè ei dicerem, maior est auctoritas orbis extensiuè, & executiuè, sed non intensiuè, non quòd in orbe, quia potestatem habeat in spiritualibus, quàm non habeat Papa, sed quam non exequitur.

Consentimus quoque Hieronymo non referre, quò ad ordinem, meritum, & sacerdotium, an sit Episcopus Romę Rhegij, Constantinopoli &c. quia æqualis est ordo omnium, ideò paupertas, vel locus insignis alium alio facit sublimiorem, sed in potestate regiminis ostendimus Romanum Pontificum alijs superiorem, quod Hierony. nullibi negat, subdit enim, omnes Apostolorum successores sunt, per hoc Episcopatum denorat esse superiorem simplici sacerdotio, quoniam sacerdotes successores sunt septuaginta discipulorum.

Frustrà hic increpat diuersarius, quasi non permittatur ei sentire cum Petro, Paulo, Ioanne, Luca, quis enim est, qui ei non permittat sentire cum sanctissimis fidei nostræ fundamentis, imò quis est, qui non maximè desideret eum cum illis sentire? Contrà, quis non molestè ferat? Quis non defleat eum torquere verissima sanctorum dicta, illa corrumpere, & lacerare, ac corruptam eis tribuere intelligentiam, secundùm desideria cordis sui? Non enim illi sunt irreuerentes, non seditiosi, non comburendi, sed qui sanctissimorum Patrum scripta in peruersas tradunt sententias, sinistras apponunt interpretationes, falsas fingunt pro arbitrio glossas, & in summa aliter factam intelligunt scripturam, quam Spiritus sanctus efflagitet, quod diuersarius, nisi ab incœpto desistat, strenuè agere videtur. Vndè hæretici omnes fermè clamarunt se sentire cum Euangelio, & sacris literis, cum remotissimè à vera intelligentia declinarent, quare non sufficit allegare Euangelium, non Petrum, non Paulum, non Ioannem. Hoc enim nobis cum hæreticis commune est, sed veram, & probatam adductorum intelligentiam.

Sed ridiculum est, quod sequitur apud diuersarium de decretis, loquitur de decreto Gratiani, quod ipse alioqnin solet irridere, iam adducit illud pro se, quia Gratianus renarrat verba illa Hieronymi in cap. legimus 99. dist. quasi plus valeret illa sententia, quia à Gratiano repetita, quàm quòd à Hieronymo dicta, miranda nostri iuris iuristo Theologi inscitia. Decretum Gratiani dicit approbatum, adhuc ignorans, qua actoritate recipienda sunt à Gratiano conscripta. Memor fuisset, vel sui propugnatoris Andreæ Bodenstain Carlstadij, cui cum obijcerem Canonem decreti, statim magno boatu obiecit, decretum non esse approbatum. Vos ergò alios expugnaturi, primò inter vos concordiam pascimini, quoniam omne regnum in se diuisum desolabitur. Concilietis ergò pugnantia. Dein vobis resistentes adgredimini. At quæ sit decreti Gratiani auctoritas,

tas, liquet ex Panor. in procemio decretalium per doctores communiter cap. 2. de rescriptis, & ibi eos renarrat Felynus, non enim plus probat mihi capitulum in Gratiano, quàm is, cuius nomine est inscriptum. Itàque canon legimus, quia est Hieronymi, mihi non plus probat, quàm Hieronymus, at quæ sit Hieronymi intelligentia, nos aperuimus.

Sic verba B. Hieronymi super epistolam Pauli ad Titum cap. 1. ex prioribus discutiuntur, nam verba Episcopi, & presbyteri aliquanto tempore fuerunt promiscua, quæ dein signatè distincta fuere, sicut res ipsæ erant differentes, quare inaniter iactat diuersarius, quasi Romanum Pontificem alijs esse superiorem, sit contrà decreta iureconsultorum, quasi capitula per Gratianum ex commentarijs patrum sumpta sint decreta, quamuis etiam si essent decreta, falsum esset illa pontificiæ dignitati repugnare. Sic Thraso iactat se solidis pugnare sacræ scripturæ armis, & nos iam diximus, omnes hæreticos sibi hoc arrogare, sed quàm benè quis pugnet ex sacris literis, hic labor, hoc opus est. Scimus ergò etiam si Angelus de cœlo contrà Euangelium dixerit, anathema esse, tamen rectè diuersario sacris literis repugnamus. Absit ergo, vt fixa stet Arianorum peruersa hæresis, Episcopum iure diuino, non præferri simplici sacerdoti.

Quod quamuis inuictissimè nostram assertionem in superioribus probauimus, tamen ne hiscere possit proteruus in contrarium, Addamus sancti Martyris Anacleti testimonium, qui plus 250. annis præcessit Hieronymum, & vicinus fuit temporibus Apostolorum, vtpotè qui ei superstitibus vixerit, is Canone 19. ait, Episcopi Apostolorum, presbyteri quoque 72. discipulorum, locum tenent, Episcopi autem non in Castellis, neque modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella, & modicas ciuitates, atque villas ab Episcopis debent ordinari, & infrà. Episcopus non ordinetur ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen Episcopi, sed ad honorabilem nominandus est. Vide Candide Lector quantùm intersit inter Episcopum, & presbyterum in ipsis, quasi initijs Ecclesiæ.

Consentit Leo magnus Canone 37. Illud sanè ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta seruari, vt non in quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, & vbi ante non fuerint, Episcopi consecrentur, cùm, vbi minores sunt plebes, minoresque conuentus præsbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula, non nisi maioribus populis, & frequentibus ciuitatibus oporteat præsidere, ne quòd sanctorum patrum diuinitùs inspirata decreta vetuerunt, viculis & possessionibus obscuris, vel solitarijs municipijs, tribuatur sacerdotale fastigium, Illum idem statuit Aphricanum Concilium ad propositionem Felicis Seleucitani Episcopi. Expende syncere Lector, & veritatis amice, S. Leonem ante 1100. annos non primùm, sed autoritate decretorum sanctorum patrum diuinitus inspiratorum, & ità à primitiua ecclesia dixisse, vt præsbyteri castellis & municipijs dati sunt, sed Episcopi solùm insignioribus locis. Stat ergo inuicta ecclesiæ sententia, Episcopum præsbytero iure diuino superiorem, à qua Hieronymus & sacra scriptura minimè dissentiunt.

CAPVT XXVI.

Obiectio Lutheri episcopum non esse suprà presbiterum, & quomodo à plebe debeat eligi.

Depositis aliquot nebulis Lutheranis, iam fidenter & aliàs eius ruinosa despiciamus fundamenta, Tertium inquit addo decretum dist. 95. cap. Episcopus. Episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur, & iterum alio loco cap. Episcopus. Episcopus in ecclesia in consessum presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam presbyterorum se esse agnoscat, hæc ibidem esse decreta Concilij Chartaginensis 4. dicuntur, quæ certa hæretica sunt, scandalosa, & seditiosa, vt vocant, si Episcopi iure diuino præsbyteris sublimiores sunt, quos esse collegas Episcoporum statuunt, multò magis, & vnus Episcopus cæteris sublimior est, deleant ergo primam sua decreta, quæ nos cogunt discere, vt quid damnant in nobis, quod ipsi nos docent? patet itàque re ipsa æquales Episcopos inter se, & præsbyteros, solo vsu & ecclesiæ causa alium alij preferendum. Ex quo vlteriùs sequitur. Si Primatus Romani Pont. vergere incipiat in ecclesiæ detrimenta, omninò tollendus est de ecclesia, quia humana iura, & consuetudines, pro ecclesia seruire debent, non contrà ecclesiam militare. Quod si non fiat, iam coram Deo traditio hominum irrita facit mandata Dei, quare vide quàm tenui pendeat filo, Romanorum adulatorum tyrannis, quæ seipsam autoritate diuina conata stabilire, seipsam pœnitus ea ratione subuertit.

Huc & Cyprianum voco, quem & B. Augustinus allegat lib. 2. cap. 2. de Baptismo dicentem. Neque enim quispiam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrranico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam ab alio iudicari non possit, quomodò nec ipse potest alterum iudicare, sed expectemus vniuersi iudicium domini nostri Iesu Christi. Hic gloriosus martyr fatetur tyrranidem esse ab vno Episcopo alios cogi ad obedientiam. At hanc tyrannidem, velut iustitiam, pænè omnes decretalium syllabæ, & statuunt & seruant, tanquam diuinam auctoritatem. Deindè mirum est, quòd B. Augustinus non redarguit Cyprianum à se allegatum, si sensit eum contrà ius diuinum loqui, sed potiùs cum eo sensit, omnes scilicet Episcopos esse æquales.

Idem Cyprianus lib. 1. epistolarum epistola 3. ad Fœlicem præsbyterum, probaturus diuinis testimonijs, quòd in potestate non Episcoporum, sed plebis, maximè sit eligere, aut recusare Episcopos, dicit, propter quod plebs obsequens dominicis præceptis, & Deum

Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quòd & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, vt sacerdos plebe præsenti sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus, publico iudicio, ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Moysi præcepit dominus dicens, appræhende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni synagoga iubet deus constitui sacerdotem, id est instruit & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata, quod postea secundùm diuina magisteria obseruantur in Actibus Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur. Surrexit inquit Petrus in medio discentium &c. Nec hoc in Episcoporum tantùm & sacerdotum, sed in dyaconorum ordinatione obseruasse Apostolos aduertimus, de quo & ipso in Actibus Apostolorum scriptum est, & conuocauerunt inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis &c. quod vtique, idcircò tam diligenter & cautè conuocata plebe tota, gerebatur, ne quid ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignos obreperet, propter quod diligenter de diuina traditione, & Apostolica obseruatione, seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè Prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ propioqui quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam pleniffimè nouit, quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentiam conuenerant, qui eo ad vos literas fecerant, iudicio Episcopatus ei deferretur & manus ei in locum basilidis imponeretur.

Hunc ritum per multas, & alias Epistolas, idem Cyprianus commemorauit, & super suffragium populi, & iudium propinquorum Episcoporum, ità allegans, vt hanc ex Deo ordinationem esse, cum fiducia pronunciet, qui ritus, quid sit ad eum, qui hodie ex vrbe petitur, io quo non modò exclusus est populus, sed nec sacerdotum electio satis est, alijs relinquo, nec referre est necesse, quanto felicius is hodie ritus diuinus seruaretur, præsertim tot sacerdotibus malis regnantibus, & inuito populo impositis. Nam videmus per Roma. curiam per gratias suas expectatiuas, passim in mundum etiam intrudi sacerdotes, transeant hæc. Hoc quæro, quòd huoc ritum sacratissimum, & vetustum, iurique diuino per omnia conformem, hi nostri hæreticum, & damnatum haberi volunt, præ ritu suo recentiore, cum certum sit omnibus S. Nicolaum, S. Martinum, S. Augustinum, S. Ambrosium, omnesque priscos patres eo modo fuisse ordinatos. Sit itaque titus hodiernus, qualis esse potest, modò Romanum Poot. non iure diuino id posse putemus, ne tot sæculorum Sanctos, & Martyres contrarios diuinum egisse damnemus. Hæc frater Luther in damnato libello &c.

CAPVT XXVII.

Ostenditur concilium chartaginen. Non resistere primatui, nec cyprianum.

Mirandus est noster protheus, qui mille figuris se ostendit, in omnem se vertit formam, in omnem velut Cameleon se transmutat colorem, iam enim sanctos doctores contemnit & reijcit, quia homines fuerint, iam omnium contradicentium ceruicem præmere laborat eorundem auctoritate, ac si ipse extrà omnem aleam positus pro libito negare posset, & acceptare sanctos patres, alij veto allegatis suis arcerentur, iam allegantem decreta quantumuis antiquissima, refutat, quia sint frigidissima, dum autem ei placenetit, omne præsidium in eis locat, & vt planè agnoscat lector res ad triarios redijsse, audee diuersarius sua, etiam glossematibus decreti tueri, qui non vult pari, vt contrà eum decreta allegentur, citat ergo pro se cap. Episcopus 95. dist. & alium similis principij eiusdem dist. qui dicantur esse decreta Concilij Chartaginen., nam his mendicimonijs abutitur diuersarius, qui Conciliorum Canones originales nunquam vidit. est autem Candide Lector 4. Concilij Chartaginen. Canon. 33. Vt Episcopus in quolibet loco sedens, stare præsbyterum non patiatur, & Canon. 34. Vt Episcopus in ecclesia in consessu præsbyterum sublimior sedeat, intrà domum verò collegam se præsbyterorum esse agnoscat Hos Canones diuersarius exclamat hæreticos & scandalosos, si Episcopi iure diuino sint sublimiores præsbyteris, sed expende Lector pudeodum errorem & crassissimam inscitiam diuersarij, nam dum Canon. Episcop. ad humilitatem hortatur, iuxtà Euangelicum præceptum, qui maior est in vobis, fiat sicut minor Luc. 22.: diuersarius lacerans Canones, interpretatur eos, ac si iure diuino decernant Episcopum non esse superiorem sacerdote, hoc facit magna diuersarij temeritas, omnia tentat interpretari pro suo libito.

Nam sensum ab eo datum, nedum extrarium esse, sed repugnantem sacro illi Concilio pluribus Canonibus liquet ibi decretis, nam Canone 2. diffiniuerunt, quæ sint necessaria ad Episcopi ordinationem, & Canone 3. quomodo Episcopus ordinetur, quare sensit Concilium Episcopum esse superiorem sacerdotio ratione ordinis suscepti, licet se debeat gerere erga præsbyteros, velut collegam, gerens formam humilitatis, sicut S. Augustinus (qui eidem Concilio interfuit (B. Hierony. compræsbyterum appellauit plurimi enim Canones statuti sunt eodem Concilio pro

pro humilitate Episcoporum. Canone enim 14. dicitur, quod Episcopi vilem deberent habere suppellectilem, mensam, ac victum pauperem.

Vndè si diuersarius tam studiosè veritatem quæsiuisset, quam proterue eam subuertere nititur, Ex Canone sequente duos allegatos, vidisset statim Concilium, per hoc quòd dixit, Episcopum esse collegam, non voluisse eum fore æqualem præsbytero, dixit enim Canon. 35. eiusdem Concilij, præsbyteri, qui per diocæsis ecclesias regunt, non à quolibet, sed à suis Episcopis omni anno ante Paschæ solemnitatem chrysma petant. intelligis iam præsbyterum minorem Episcopo, à quo chrysmata petat, & quod sit ei subiectus, quia à suo Episcopo &c. Vndè liquet error prius detectus, quando asserit in vnaquaque ciuitate de iure diuino esse Episcopum debere, qui hic habemus vniuscuiusque Episcopi diocæses, mirandum ergo, quod cum tam friuola adferat diuersarius, in his tamen ità temerè figit pedem, & quasi ista valerent ad contentionem, tam iactabundè audet illa opponere. Non ergo delenda sunt decreta, sed prauus diuersarij intellectus, ignito eloquio purgandus est.

Sed blasphema, & hæretica est diuersarij illatio, quia Ecclesiam militantem destruere vellet, perpetuum caput ministeriale auferendo, credens pro peruerso suo dogmate caput illud constitutum traditione hominum, quod à Deo esse lib. 1. manifestissimis testimonijs probauimus. Vndè non tenui filo, vt autumat & calumniatur diuersarius, sed diuina indefectibili voluntate pendet Romani Pontif. potestas, in sacris literis, & Concilij declarata.

Deiecta decreti Aphricani peruersa inductione à diuersario facta. Ad S. Cyprianum veniamus, quem citat ab Augustino inductum, sed misera inductio, & minimè sibi coherens. Cum enim intelligentia dictorum ex causis dicendi accipi debeat, ideò diuersarium ponderare oportebat, ad quod institutum August. verba illa aptauerit. Ait enim cum in Chartagine conuenissent Kalend. Septemb. Episcopi plurimi ex prouincia Aphrica, Numidia, Mauritania, cum præsbyteris, & Diaconibus, vbi Cyprianus de hæreticis baptizandis, sententiam suam exposuit in Concilio, ex humilitate sua nolens alios compelli ad sibi assentiendum, prosequitur verba per diuersarium citata, vbi quiuis rationis capax aduertit Cyprianum locutum de suis collegis, nam quamuis essent plures Primates in Aphrica, vt suprà meminimus, tamen Chartaginen. erat quasi prior inter alios, & habebat potestatem alios conuocandi, at quia alij non erant ei subiecti, iudicabatur à Concilio, sicut alius Episcopus, vt clarè indicat Canon. placuit 2. quæst. 6. ex Concilio Mileuitano, quam ordinationem etiam ante illud Concilium obseruatam, verba Cypriani docent, ergo locutus est Cyprianus de suis collegis in Aphrica, & ex illis nullus erat Episcopus Episcoporum, adde quòd totum Concilium 80. fermè Episcoporum cum Cypriano, tunc errauit, quod tamen Donatistæ postea acceptarunt, excusat tamen Augustinus Cyprianum lib. 2. cap. 8. quia subiecit dicta sua Ecclesiæ, & cuilibet melius sentienti.

At expendat euanidam, & languentem diuersarij inductionem, studiosus lector, nam magnificis verborum ampullis crepat hic diuersarius, testatur Cyprianus tyrannidem esse, si vnus ex eis in Aphrica vellet constituere Episcopum Episcoporum. Hic Luther vltra vastum mare transfert ad Romanum Pontif., detestatur Cyprianus, si vnus constituat alios, cogere ad obedientiam. Luther transfert ad eum, cui obediendum ius diuinum statuit. Vndè non opus erat Augustinum repræhendere Cyprianum vera dicentem, sed potius repræhendendus est diuersarius, quòd ita desipit, vt credat hic negari Episcopum Episcoporum à Cypriano, quia neget eum in Aphrica. Laterem ergo hic lauat.

CAPVT XXVIII.

Episcopi electio per plebem non est de iure Diuino, sed iam per Concilia prohibita, & Canonici Ecclesiarum Cathedralium defenduntur.

Prolixè admodum inducit diuersarius Cypriani Epistolam, nescio ad quam ostentationem ad Felicem, cum tamen illa Epistola non sit Cypriani, sed Concilij Chartaginen. 36. Episcoporum meminit Synodus vetusti moris eligendorum Episcoporum per suffragia plebis, & cleri, dein clerus omnis Episcoporum eligit, postremo eligendi potestas ad paucissimos venit, purà ad capitulum Cathedralis Ecclesiæ.

At quàm ignauiter verba Epistolæ ponderat, & more suo peruertit, cum ait, Cyprianum cum magna fiducia pronunciare, hanc ordinationem esse à Deo, quod nullibi in illa Epistola reperitur, benè inquit videmus hanc ordinationem à diuina auctoritate descendere. Per quod Grammaticæ Theologiæ doctor debebat facilè intelligere, epistolam explicare imitationem ad factum diuinum, non Dei super hoc facto ordinationem, alioquin inducta de Eleazaro, ipsi Epistolæ repugnarent, si diuersarij eudem voluissent intelligentiam, non enim ait Deus, plebem suis suffragijs debere eligere Sacerdotem, sed quòd coram synagoga institui deberet Sacerdos Eleazar, sicut modò consecratur Episcopus in conspectu totius populi, quare ista allegatio nihil promoueret institutum Concilij, si habuisset Lutheranam intelligentiam.

Nec debet quis existimare, de iure diuino esse, velut diuersarius prætendit, laicum repellere Episcopum, cum semper fuerit prohibitum laicis accusare Episcopos. Nam S. Clemens ait Canone 19. qualis autem condemnatio, & qualis imminet maledictio his, qui in patres peccant, docet nos diuina scriptura. Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum patrem suum, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nunciauit eam fratribus, ipse quidem Cham,

Cham, & qui ex eo nati sunt, sub maledictione facti sunt, qui autem cooperuerunt, eum benedictionem meruerunt, multò magis isti maiore, & ampliori condemnatione digni sunt, qui patribus obuiare, aut contrà eos insurgere nitantur, quoniam, qui his resistit, Deo resistit. Renarrat Gratianus I I. quæst. 7. qualis qui, idest Canone præcedente, ait sacerdotes, & reliqui sacræ Ecclesiæ ministri, omnesque plebes, Episcopos suos diligere debent. & eorum præceptis obedire, etiam si ipsi aliter, quàm debent, agant, nisi in fide errauerint Canone 20. ait Clemens, vestrum est, qui legatione Christi fungimini docere populos, eorum verò obedire vobis, vt Deo, adde totum Canon. si placet, quia benè firmat nostra. Voluit hoc Zepherinus Papa maiorum quispiam, minorum accusationibus non imputatur, refert Gratianus ea caus. & quæst. Sic Eusebius Papa ait. Oues, quæ suo pastori commissæ sunt, eum nec repræhendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare poterit. Anacleto Martyre dicente, laici in accusatione Episcoporum audiendi non sunt, quia oppido eis quidam infesti sunt, & indignum est, vt ab eis accusentur, qui eorum grauitatem nolunt imitari.

Sed quis hic non sentit diuersarij venenum maximum, quod ritum hunc eligendi à plebe Episcopum. laudat vt ritum iure diuino institutum, & sanctissimum, quid sibi hoc vult, Ecclesiarum cathedralium Canonici? nisi: quòd seditionem plebis excitare contrà nos nititur, & omnia capitula Ecclesiarum electione Episcopi priuare, an tandem sero sapitis; qui hunc subuersorum vestrum, adeò contrà Echium subleuastis, & aliqui ex vobis subuersoris vestri libellos ista continentes curatis primi: & per calcographos audetis disseminare. Ego ordinis Ecclesiastici rationem habens, & dignitatis sacerdotij, patior hanc iniuriam facilè, & cum noti sint mihi plures Canonici, boni, docti, & probi, quibus hæc displiceant, ideò ne bonos illos, & sinceros, ac candidos offendam, volo, & malis atris, biliosis, simul parcere.

Pro defensione tamen nobilissimarum Germaniæ Cathedralium Ecclesiarum, & capitulorum eorumdem, dico falsissimum esse Episcopum eligendum à plebe, esse de iure diuino, quoniam, & si olim communis fuerit iste modus eligendi Pontificem, tamen ob seditiones, tumultus, rumores, homicidia, & alia grauia facinora orta in plebe, Sancti Patres ab illo modo eligendi recesserunt. Et satis liquet ex adductis in lib. 2. ex August. Cur ipse Valerio viuenti substiturus, & rursùs ipse viuens substituit Eradium epistola 90. hoc cogebantur facere ob tumultus vitandos. Vnde vir prudens satis intelligit sanctissime ab Ecclesia electionem Episcopi à plebe translatam ad clerum, quòd si iam à plebe deberet eligi Episcopus, quanta mala essent futura, Turba enim turbulenta est, bellua multorum capitum, ipsa, nec consilium, nec rationem tenens, ait Demosthenes, plebem in tribus beluis Athenienfium connumerans, si instituto diuersarij ad ostentationem hæc scriberem, ingens cumulus se offerret, & seges scribendi contrà illam plebeam electionem, ac contrà plebis insanos tumultus.

Vnde falsissimum est hunc ritum esse à iure diuino, quia nec in Euangelijs, nec Epistolis Apostolorum illum ritum habemus probatum. Si adducit ex Veteri Testamento, non probare potest ex hoc similem esse debere electionem figuræ, & figurati. Porrò ostendimus contrarium, legimus Numeri 20. quia Eleazar non fuit institutus Sacerdos à plebe, sed à Deo, iussus Moyses in conspectu plebis, eum sacerdotalibus ornamentis vestiuit. De Petro, & Matthia diximus abundè lib. 1. Non enim plebs eum constituit, licèt in præsentia eius Matthias fuerit electus. Immò ipsi Apostoli in Primitiua Ecclesia constituerunt, & ordinarunt Episcopos, non plebs.

Et quod detegatur mendacium diuersarij, & bonæ conscientiæ Canonici in Ecclesijs cathedralibus, non scrupulos sibi pariant ex figmentis Lutheranis, probo apertissimè modum eligendi Episcopum à plebe, non esse de iure diuino, quia sacra Synodus vniuersalis octaua alioquin errasset, prohibendo & intercidendo illum modum. Canone enim primo sic scribitur cap. 11. promotiones, & consecrationes Episcoporum, collegio fieri hæc sancta, & vniuersalis Synodus diffiniuit, & statuit, atque iure promulgauit; neminem laicorum principum, vel potentum semet ingerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicèt inordinata, & in congrua hinc fiat confusio, vel contentio; præsertim cum nullam potestatem in talibus quemquam potestatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat, sed silere, & attendere vsquequo regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem futuri Pontificis electio, in fine excommunicat contrauenientes. Renarrat S. Iuo lib. 3 Panormiæ tit. de cons. Episc. & Gratianus cap. Adrianus 64. distinct. Sic testatur Gregorius IV. quomodo eligentes Adrianum Papam, Ambasiatores Ludouici Imperatoris non admiserunt, ne mos expectandi legatos principum per huiusmodi fomitem inolesceret. Renarrat Gratianus cap. cum Adrianus distinct 63. hinc, & in Concilio Parbisiensi constitutum est. Si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus illius loci Episcopis, nullatenus recipiatur. Renarrat Iuo vbi suprà, & Gratianus cap. si per ordinationem 63. dist. Idem decretum fuit in Concilio Martini Papæ. Non licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promouentur, sed in iudicio Episcoporum sit, vt Episcopi eum probent, si in sermone, & fide, & spirituali vita edoctus sit. Idem fuit decretum in Concilio Laodicensi (fuit celebratum in Laodicia Phrigiæ Pacatianę) Canone 14. quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium prouehendi, & Canone 12. diffinitur, vt Episcopi promoueantur auctoritate Metropolitani, & Episcoporum: qui circa sunt. Tot ergo sanctis Concilijs liquidem esse existimo morem eligendi à plebe, non esse de iure diuino, sicut diuersarius impudenti mendacio asserit, in iniuriam omnium Ecclesiarum cathedralium otius Germaniæ.

Sed quomodo omninò nihil veretur euomere diuersatius, ait hodie Episcopos è Roma peti, cum constet electionem esse apud clerum Ecclesiæ Cathedralis, benè electio facta suggeritur Roman. Pont. & confirmatio petitur.

Allucinatur, & in eo, quod commisceet ordinationem electioni, quæ sunt diuersissima, cum à plebe olim fuerint Episcopi electi, sed plebs non potuit electos ordinare, sed tres Episcopi secundùm Decretum Nicæni Concilij Canone 3. Vnde quantumcumque esset electus à plebe, non tamen ordinabatur sine Metropolitani iudicio, iuxtà idem sacrum Concilium, licèt posteriori tempore in Concilio Aphricano fuerit definitum, vt primatis quoque consensus interuenire. Sicut modo electio est apud capitulum, confirmatio, & Pallij datio apud Rom. Pont. Ordinatio apud tres, aut plures Episcopos conuenientes in vicinia ad consecrationem Episcopi.

Placet, & hoc adnotare, diuersarium perperam pro exemplo ponere B. Augustinum, tanquam à plebe electum. Cur Valerius Episcopus secretè literis egerit apud Primatem sedis Chartaginen. vt August. non tam sibi succederet, quàm, & consacerdos accederet. Et sic viuo Valerio in eadem Ecclesia S. Augustinus ordinatus est Episcopus, vt testatur Possidonius in vita Augustini, & Paulinus ad Romanum. Renarrat Gratianus, cap. non autem 7. quæst. 1. Nemo autem nisi Chotebo stultor existimabit iam meliùs fore Ecclesiæ, electionem fieri à plebe, quàm vt fit à clero populi. Neuter tamen modus est de iure diuino, siue fiat à clero, siue à plebe. Neuter etiam repugnat Primatui Summi Pontificis Romani. Vnde falsum dicit, reputari modum eligendi à plebe hæreticum, benè iudicatur iam seditiosus, & minus vtilis. Vnde nec modus eligendi Papam est de iure diuino, tam sæpè variata, hoc autem dicimus, quantumcumque modus eligendi sit de iure humano voluntario, tamen potestas electi est de iure diuino, quam eligentes dare non possunt, sed Deus immediatè per se confert, ob id diuersarius mirè hic sophisticatur, assignans non causam pro causa, & frustrà innocentem replendo Papyrum.

Hoc pro Corollo adiecerim, testatissimum esse in primitiua Ecclesia Episcopum maiorem fuisse præsbytero, ex S. Martyre Anacleto dicente, Canone 3. Episcopus Deo sacrificans, testes secum habeat, & plures quàm alius Sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur: sic maioris testimonij incremento indiget: testatur dein quomodo ab Apostolis, & suo prædecessore Clemente Prouinciæ partitæ sint per primates, & Episcopatus, quare nullus ambigat Episcopatum semper in Ecclesia fuisse maiorem, simplici sacerdotio.

CAP. XXIX.

Obiectio Lutheri ex Beato Gregorio, Papam non esse vniuersalem Episcopum.

POst Priora inducic diuersarius B. Greg. cum alijs, quasi deberet errorem Lutheranum tueri, renarremus. Adductus Gregorius in lib. 4. registro epistola 32. licèt per auctoritates illas, [pasce oues meas, & tu es Petrus &c.] Petro Apostolorum Principi totius Ecclesię curam, à Domino commissam dicat, tamen in hac cura nullum Episcopum ei successorem patitur. Sed nec Petrum appellari vniuersalem patitur, scribens ità Mauritio Augusto de Ioanne Constantinopolitano. Cura totius Ecclesiæ. & Principatus Petro committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non appellatur. Et vir sanctissimus consacerdos meus, vocari vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ò tempora, ò mores, & infrà. Si nomen illud in Ecclesia sibi quispiam arripit, vniuersa ergo Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit, quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen illud blasphemię: in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementèr arrogatur.

Ecce habet: quòd blasphemiæ nomen sit vniuersalis Episcopus, quid putas de nomine Summi, Maximi, sanctissimi dixisset? Sequitur certè pro Beati Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Calcedonensē Synodum Romano Pontifici oblatum est, sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit, ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito priuarentur sacerdotes vniuersi.

Perspicuum est hunc Gregorium, qui se cunctorum sacerdotum seruum potiùs quàm Dominum vocat, & seruum seruorum Dei, non credidisse solum Romanum Pontificē Petri successorem esse, vt qui abhorreat dominus sacerdotum, & Episcoporum dici, cum illum principem Apostolorum dicat.

Idem in sequenti epistola ad Constanciam eundem Ioannem Lucifero comparans dicit, quia illum videlicèt imitatur, qui spretis sociari gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus, singularitatis erumpere.

Idem epistola 36. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopos, sicut nouit veneranda sanctitas vestra per sanctam Chalcedonen. Synodum, Pontifici Sedis Apostolicæ (Cui Deo disponente deseruio) hoc nomen vniuersitatis oblatum est, sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit, quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere. Vnde fratrum suorum honorem imminuere; ex quantulaeunque parte videatur. Et infrà de eodem. Vniuersa tentant si ascribere; &

omnia

omnia, quæ soli vni capiti coherent (videlicet Christo) per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studet subiugare, obsecro, quid mereretur, qui hodie sic loqueretur. Hic Gregorius Romanus Pontifex persequitur tanquam prophanum, quod nostri statunnt, quasi sit ius diuinum.

Et epistola 38. ad ipsummet Ioannem Episcopum prædicta iterans, & copiosius explicans, dicit. Certè Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc declarationem corporis dominici, per quam membra eius alijs sc capitibus quodammodo sociabant, vehementissimè perhorescens exclamauit, & dixit. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in Pauli nomine baptizati estis? Si ergo illa membra dominici corporis, certis extrà Christum, quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter cuitauit. Tu quid Christo vniuersalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicij dicturus es examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere, & infrà. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita, & tamen sub vno capite, omnes sunt membra Ecclesiæ.

Diuersarius multa mordacitate in resolutionibus, & aliàs inducit Concilium Aphricanum, quod renarrat Gratianus 99. dist. cap. primæ Sædis, in quo dicatur, vniuersalis autem Pont. nec Romanus appellatur, hæc diuersarius.

CAP. XXX.

Rectè Papam se nuncupare vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, & cur Gregorius nomen vniuersalis Episcopi recusauerit.

Sacræ fidei aduersus putat diuersarius, si quis se vniuersalis Ecclesiæ Episcopum appellet, repulsuri fastuosas eius inductiones. Primò probabimus fidei nostræ consentaneam hanc appellationem, dein perperam esse intellecta à diuersario, quæ in diuersum inducit.

Et primò quidem, istam appellationem vniuersalis Episcopi, non fore illicitam probatur ex subscriptione Concilij sacerrimi Chalcedonensis, quod est vnum de quatuor sacratissimis approbatis, & receptis à tota Ecclesia Concilijs, & eius Apochrysarij se subscripserunt. Vicarij beatissimi viri, & Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ, velut supra, consignauimus illas subscriptiones, neque verisimile est, tàm laudabile Concilium pertulisse aliquid fieri ab Apochrysarijs, quòd iuri diuino esset contrarium, quòd aliàs in aliquibus Sedis Apostolicæ legatis contradixit. Immò acclamarunt Leoni vniuersalis Ecclesiæ Episcopo.

Quòd si tàm sancto, & erudito Papa Leone, ac sacto Concilio non es contentus. Vetustiorem adduco S. Athanasium cum suis sanctis Collegis, scribentem Marco Papæ, Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romæ, & Apost. Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi. Audis Caudide Lector Marcum vniuersalis Ecclesiæ Papam. At clabitur fortè anguilla, hunc honorem quidem S. Marco, sed non acceptatum ab eo, sicut nec à S. Leone. Oppono tibi mox de epistola eius, qua Athanasio, & Ægyptijs in hunc modum rescripsit. Marcus sanctæ Rom. Apostolicæque Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus. Sic Felix Papa eiusdem scribit. Reuerendissimis, atque dilectissimis fratribus Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum, Thebaidorum, Libiorumque Episcopis, in sancta Synodo Alexandrina congregatis, Felix Almæ Romæ Vrbis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus. Audis iam denuò vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, quòd si contra ius diuinum fuisset, certè Athanasius cum Synodo, vt inuictus veritatis assertor, Felici, & Marco restitisset, quod non modò non fecit, vt qui maximè id probaucrit, & tet beatissimum sanctissimum Patrem Patrum appellando, eius implorando auxilium, vt eos velut Pastor defendat. Scimus enim (ait in epistola) quod id semper vestræ Sedis præsules primò Apostoli, deindè successores eorum fecerunt, vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum (qui oculi Domini propter contemplationem, & speculationem vocantur) coram gerere, ac de reuelatione, & lege nostra assiduè cogitare debetis.

Ità in decretis Stephani Papæ Canone 1. legitur, Stephanus sanctæ, & Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Romanæ Episcopus. Renarrat Iuo 4. Panomiæ.

Ità, & Eleutherius Episcopis Galliæ scribit, huius rei gratia, vniuersalis nobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia.

Ità testatur Damasus in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Mauritaniæ, & vniuersos Episcopos Aphricæ incip. Lectis fraternitatis vestræ literis, in qua ait, super vniuersali Ecclesia, habet Papa ministerium Episcopale, quod & pluribus alijs Romanis Pontificibus obseruatum comperitur, recentiorca à 400. annis fastidit diuersarius, ideò non esse prolixior.

Illo sic prælocuto, auscultemus ad obiecta per diuersarium, cùm omniū primo ponit de beato Gregorio obuium est acutius iuuenti, Grammaticæ Theologicæ Doctorem, non assecutum veram dictorum à Gregorio intelligentiam: Non enim negauit sanctus Pontifex id, quod erat, nolens tamen sic nominari, ad superbiam Constantinopolitani Ioann. reprimendam, sed se seruum seruorum Dei appellauit. Noluit autem aliquem esse vniuersalem Episcopum Ecclesiæ, sic quòd aliorum euacuaretur auctoritas.

Hoc clare nobis sanctus Thomas indicat, qui in libro contra impugnantes religionem ait. Quòd autem Papa vniuersalem Pontificem se prohibet nominari, non ideò hoc est, quòd ipse non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet Ecclesia, sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ,

vt proprius, & specialis rector. Sic enim cessarent omnium aliorum Episcoporum potestates. Hoc est, quod ego rotundè dixi in disputatione Lipsica, Papam magis propriè dici vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, quàm vniuersalem Episcopum; quoniam reperti sunt, qui se scriberent vniuersalis Ecclesiæ Episcopos, at non memini, qui scriberet se vniuersalem Episcopum.

Puerile est, quod in resolutionibus obijcit diuersarius, quoniam non referat, siue dixerim: Moguntinus Episcopus, siue Episcopus Moguntiæ, ità non sint diuersa, vniuersalis Episcopus, & vniuersalis Episcopus, qui non capit hanc infantiam, cùm etsi non referat de Maguntino Episcopo, & de Episcopo Moguntiæ, quia vtrobique solùm exprimitur locus Episcopatus, in vno substantiuè, in alio adiectiuè. At plurimum interest, inter Episcopum vniuersalem, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopum. Nàm dum vocula vniuersalis, vniuersitatem designet si accommodetur Ecclesiæ, statim vniuersitas subiectorum denoratur,& quia vniuersalis cura Petro, & successoribus commissa est Ecclesiæ Dei, ideò verè dicuntur, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, at cum vocula vniuersalis adiungitur Episcopo (quòd est nomen honoris, & potestatis) statim apparet explicata vniuersitas potestatis, sic quòd nullus esset alius Episcopus, quàm Papa, non admittimus, in aliorum Episcoporum iniuriam. Hæc si dialecticæ non foret imperitus diuersarius, statim videret, at quia dialecticam differendi magistram (quàm August. lib de ordine, necessarium asserit, ad altissimarum rerum cognitionem) diuersarius solet contemnere, ideò non est mirum, quòd in hos paralogismos, sophisticos, calles, & nodos infantiliter incidit.

CAP. XXXI.

Rectè intellecta verba Gregorij probantur, & Chalcedonensis Synodus cùm eis concordatur.

PRæstat ostendere hanc fuisse verborum beati Gregorij intelligentiam, quam dedimus. Et primò quidem ex eo liquet, quòd aduersarius à veritate coactus, fatetur Petro fuisse vniuersalis Ecclesiæ curam commissam à Domino, & tamen Petrum non fuisse vniuersalem Apostolum. Vides candidè Lector: Petrum vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, & tamen non vniuersalem Pastorem: Nàm ibi loquitur de cura pastorali. Vnde si diuersarius ad Critolai trutinam expedisset verba beati Gregorij, mox reperisset illam nobis non aduersari, quia Primatum totius Ecclesiæ Petro tribuit, & tamen negat eum vniuersalem Episcopum. Sic & nos dicere possumus, etiam si Romanus Pontifex non sit vniuersalis Episcopus, tamen per hoc (sicut, nec à Petro) ab eo Primatus totius Ecclesiæ non negatur.

Præterea hoc conuincitur ex eo, quòd Gregor. ait, omnium Sacerdotum honorem adimi, si ab vno dementer sibi arrogatur, quod non fit assertione Primatus Apostolici. Vnde, & infrà ait, ne dum primatum aliquid daretur honore debito, Sacerdotes priuarentur vniuersi. Vides clarissimè, eum solum negare vniuersalem Episcopum; vti sanctus Thomas explicuit. Simile dicit ad Constantiam Augustam, tristè tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus frater, & Coepiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus. Expende Lector, quòd arguit Ioannem, qui sic volebat appellari vniuersalis Episcopus, quòd alij non essent Episcopi: Hoc non contingit in assertione Primatus Romani Pontificis. Et in epistola ad Eulogium, & Anastasium, inquit, si vous Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Et infrà. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminè, tamquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat honorem, cum alteri honorem offert indebitum, & infrà, & fauente Domino, omnibus viribus concurrendum, atq; prouidendum, ne in vnius sermonis veneno viuentia in Christo membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & cum fortasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur, quæ omnia diligenter ponderata declarant, non esse in Ecclia Dei Episcopum vniuersalem, velut sanctus Thomas exposuit, per quem omnis Episcoporum honor auferetur.

Ad ipsum, quoque Ioannem Constantinopolitanum scribit, ad hoc quandòque proproductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari, vbi illud ad sanctitatem suam rememorat de Chalcedonensi Concilio dicens. Nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temeratium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu, gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.

In his, duo pondera contra diuersarium, primò, quòd oblatū nomen à Concilio Chalcedonensi, nullus Romanus Pontifex assumpsit, quod non potest intelligi de vniuersalis Ecclesiæ Episcopo, nam superiùs allegata ignorare non potuit Gregorius, quare recusatum intelligit nomen vniuersalis Episcopi. Alterum, quod diuersarius, opponendo ex Cynica sua Theologia, euomit, si Gregor. putat nomen Episcopi vniuersalis blasphemum, quid de nomine sanctissimi, &c. Gregorium meritò reputasse illud nomen blasphemum, quo omnium Episcopatuum dignitas periisset, at nomen sanctissimi non abhorruit, quod & Episcopi sæpè ei tribuerunt, & iam in citatis epistolis: Episcoporum alloquitur sanctitatem, commmunem fuisse hunc morem in superioribus ostendimus.

Vnde etiam si priùs Chalcedonensis Synodus benè vsa est nomine vniuersalis Episcopi, adeò quòd non plus voluit per hoc denorare, nisi Summum Pontificem, tamen Gregorius habuit rationem mutandi, contra quàm Synodus Chalcedonensis sancti Leoni obtulerat, sicut fecerunt Catholici in nomine homusion contra hæreticos Arianos, sic contra Eutycheten, & alios decreuit Synodus, ne sancta Dei Genitrix diceretur Christotocos.

cos. Sic ob abusum Ioannis Constantinopolitani non rectè capientis nomen vniuersalis Episcopi ad intelligentiam Synodi Chalcedonensis. Illud nomen velut arrogans, & superbum omninò abiecit. Pro quo Theologiæ studiosis notabilem monstro regulam, qua vsus est in disputatione contra Arium coram probo Syro iudice. Ecclesiasticæ semper moris est, inquit, disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolētes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantibus naturas rerum exprimere, quæ tamen existentium causarum virtutibus congruant, & quę magis easdem antiquitus fuisse demonstrent, non ortus nouitatem mensurent, hac mirifica regula tutatus est se contra Arium in vocale Homusion nouitate, ità & de pluribus alijs dicere possem, pro scholasticæ Theologicæ defensione, in qua antiquæ rei viri boni, noua sæpè dederunt nomina, hinc attributa, proprietates personales, relationes, &c. & sexcenta huiusmodi.

Et vt verum vero semper consonet, semper sibi constat Gregorius, nàm quæ causa fuit ei, cùm Ioannis successore Ciriaco, lib. 7. Nàm ibi ad Eulogium Alexandrinum scribit epist. 30. Et ecce in præfatione epistolę, quam ad meipsum, qui prohibui, dixistis à superbæ appellationis verbum, vniuersalem Episcopum me esse dicentes, imprimere curastis, quod peto, mihi dulcissima sanctitas vestra vltrà non faciat, quia nobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur, nec honorem esse reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, & honor vniuersalis Ecclesiæ, meus est honor, fratrum meorum solidus vigor, tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum: Hic aures arrige, & Gregorianam cape intelligentiam, quid vniuersali Episcopu significetur, sicut ipse talem esse negat eum, si qui in vniuersum sit, quòd aliquin sint singuli.

Consonat huic quòd scribit epistolę 69. Eusebio Thessalonicensi, & alijs Græcis, nàm si vnus (vt putā) vniuersalis est, restat, vt vos Episcopi non sitis.

CAP. XXXII.

Roborantur superiora de Gregorio, & ostenditur error diuersarij in allegatione Concilij Africani.

EX quibus omnibus plenissimè concluditur, verissimam esse sancti Thomæ resolutionem ab initio allatam, negasse Gregorium se vniuersalem Episcopum, aut vniuersum Episcopum, sic quòd esset cuiusque Ecclesiæ proprius Rector, quoniam sic nullus alius esset Episcopus, & honor Episcopalis alijs omnibus detraheretur, quod, quia esset hierarchici ordinis totius destructiuum, meritò recusauit, & improbauit sanctus Papa. Nihilominùs tamen & Petrum, & Successores eius credidit habere Primatum supes tota Ecclesia, quòd omnes Ecclesias censuit Sedi Apostolicæ esse subiectas, etiam Constantinopolitanam, vt supra sæpè eum euocauimus, & specialiter lib. 7. registri, epistola 63. Et de sancto Petro ab initio fatetur diuersarius, Gregorium huius fuisse sententiæ, cui addas quod lib. 4. epistola 36. ait: Audiamus quid primus pastorum omnium dicit, loquitur de sancto Petro allegans eum, 1. Pet. 3.

Et dum scribit dilectissimis fratribus per Galliam Coepiscopis, super causa Aldrici Cenomanici Episcopi, si quid graue, intolerandumque ei obiectum fuerit, nostrà erit expectanda censura, vt nihil priùs de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, eiusque implorat auxilium, decernatur, quàm quod ab eius Ecclesiæ auctoritate fuerit præceptum, quæ vices suas ità alijs impartiuit Ecclesijs, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, &c. Hic habes (prætet 21. locos superiùs adductos) apertissimè explicantem Romanum Pontificem habere plenitudinem potestatis, alios verò Episcopos vocatos in partem sollicitudinis, in quam sententiam, eodem quasi verborum tenore, adduximus superiùs sanctum Leonem, & Vigilium, repetit beatus Bernard.

Præstat ergo auctores ex intentione interpretari, & non torquere sensum, & venarē vocabula, vtī diuersarius facit, qui si plus medullam, quàm corticem, plus radicem, quàm ramos, plus nucleum, quàm inuolucros, & testam quæsiuisset, istis non teneretur erroribus, sed noluit intelligere, vt benè ageret, ideò datus est in sensum reprobum.

Iam, & hoc manifestarium est, quàm crudè intulerit diuersarius, noluisse beatum Gregorium solùm Romanum Pontificem Petri successorem dici, quia Petrum dixerit Principem Apostolorum, noluerit tamen se dici principem Episcoporum, nam ab initio ostendit, quòd sicut negauit se vniuersalem Episcopum, ità Petrum vniuersalem Apostolum, quare tu diuersari habes tam dicere consequenter. Sicut Petrus fuit princeps Apostolorum, ità successor eius est princeps Episcoporum. Numquam enim negauit Gregorius se Summum Episcoporum, aut Principem Episcoporum, aut vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, sed negauit se vniuersalem Episcopum ex ratione iam sæpiùs dicta, patet ergo quibus cauillis diuersarius sophisticè transferat se, ab vniuersali Episcopo ad principem Episcoporum.

Immò quòd, non obstante recusatione superbi nominis vniuersalis Pontifex, adhuc voluerit haberi, & reputari Summus Pontifex, Platina docet, cui diuersarius plurimum tribuit in historia, ità enim scribit in vita eius. Cùm Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, habita Synodo Græcorum, seipsum Oecumenicum, idest vniuersalem Patriarcham creasset, monuissetque Gregorium Mauritius, vt Ioanni obtemperaret, respondit homo constantis ingenij, & fidei, potestatem ligandi, & soluendi Petro traditam, eiusque successoribus, non Episcopis Constantinopolitanis, proindè desineret iram Dei in se concitare, dum

dum seditiones studiosè nimium, in eius Ecclesia fecit; & infrà. At Mauritius non spontè, sed coactè pœnitentia ductus, eum Gregorio mitius agere cœpit, quòd intellexerat quemdam Monachi habitu indutum, strictum gladium in manu tenentem, in foro Constantinopolitano clamasse, Imperatorem breui gladio moriturum.

Iam prius reddita ratio, cur Ioannem Lucifero comparat in epistola ad Constantiam, & quòd nomen Oecumenici Episcopi oblatum à Concilio, non acceptarint prædecessores sui. Vnde stulta est exclamatio diuersarij, cum ait, quid meretetur hodie, &c. Hic Gregorius statuit tamquam prophanum, quod nostri statuunt tamquam ius Diuinum, &c. Audi candide Lector, primò ego hodie loquor, sicut sanctus Gregorius paratus eotam Domino, Apostolico dicere, & Cardinalibus, & nihil omninò timeo, verissima sunt beati Gregorij verba, ad verum, & rectam ipsius Gregorij intelligentiam.

Sic quod subdit, falsissimum est, nostros hoc statuere iure Diuino, quòd beatus Gregorius persecutus fuerit, vt prophanum, quoniam nemo hoc laudat, quod Gregorius reprobat, & quod nostri de iure Diuino statuunt, ostensum fuit sæpiùs beatū Gregorium hoc idem statuere, & docere. Et tota illa arenga venit ex praua intelligentia dictorum beati Gregorij, & perinde dicendum est ad Pelagij sui prædecessoris sententiam, qui primus restitit Ioann. Constantinopolitano, vt beatus Gregorius epistola illa 38. lib.4. testatur. Hoc tamen monendum esse, cum Gratianus citat.cap.nullus, distinct.99. inscribit eum Pelagio, cum tamen sit beati Gregorij, quibus liquet Gregorium sibi non contradicere, quòd primatum hic neget, quem alibi tam sæpè,& tam apertè approbat,& testatur.

Postremo ad Africanum veniamus Concilium, in quo nisi Christiana me coherceret modestia, possem diuersarium magnificè tractare. Nam, quod semper dixi, omne robur in Concilia reiecit, quæ numquam vidit,quod hic liquet, cum verbum Gratiani appositum Canoni, vsurpat, & citat pro Canone Concilij Africani, quod verissimum esse, sic commonstro. In Concilio enim tertio Chartaginensi, quod celebratum Cæsareo, & Artico cons.5. Kalend. Septemb. in Secretario Basilicæ restitutæ, cum Aurelius Episcopus vna cum Episcopis consedisset, adstantibus etiam Diaconibus, aduenientibus quoque Victore sene Puppianense, Tuto Migirpense, Euangelio Assuritano, cum ex Canonibus ibi decretis (ex Breuiario, vt suspicor Byzacenorum) Canone 6. legitur in Canonum codice, vt primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus. Reuertar Gratianus subdens. Vniuersalis autem, nec Romanus Pontifex appelletur, hoc verbum Gratiani diuersarius allegat pro verbis Concilij, nam Gratianus inducturus Canonem Gregorij, vtitur hac oratione pro continuatione capitulorum ad inuicem, qua ratione autem vniuersalis Episcopus appellari non debeat Papa, qui est vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, diximus satis, superque in prioribus.

CAP. XXXII.

Obiectio diuersarij ex Euangelio contra Primatum Petri.

A Hieronymo, Cypriano, & Gregorio, ascendit diuersarius ad scripta Euangelica improbaturus Primatum Summi Pontificis. Audiamus, inquit: iam ipsum Caput omnium, quid super huius Monarchiæ statu definierit. Nam præscius futurorum, quæstionem hanc prior omnium absoluit, & tot adhuc seculis super ea certatur, quasi verba Christi fumus sint, & inanis fabula.

Dicitur itaque Luc.22. facta est autem contentio, quis eorum videtur esse maior, dixit autem eis: [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator (vt exemplum suum subiungit,) Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Vides quod Christus apertè pronunciat, esse Reges gentium, non Pontifices, qui volunt esse maiores, & potestatem illam mundanam (sine verbo, & dilectione) prorsùs damnat. Verùm ego credo, quandoquidem Ecclesiam necesse fuit semper à gentibus opprimi, vt Ezechiel. 4. dicitur: [In medio gentium posui eam,] & Psal.109. [Dominare in medio inimicorum tuorum.] Ideò quando desunt aliæ gentes, vt Scriptura impleatur in Ecclesia, Reges gentiles fieri oportuisse, & potestate dominante, super Ecclesiam tyrannizare, diligendi, & docendi officio ad alias translato.

Item Marci 10. vbi filij Zebedæi ad potestatem aspirarunt, vt vnus ad dextram, & sinistram sederet, acceperunt sanè responsum dignum; scilicet vt calicem biberent, nec tamen certi vbi sessuri essent. Hanc ambitionis infirmitatem, quid mirum est, in Pontificibus quoque Romanis fuisse, quarumlibet Sanctis, etiam Martyribus, quando in Apostolis Christus eam pertulit? denique cum illi duo Apostoli hac arrogantia cæteris indignationem commouissent. Et iterum oritetur contentio de maioritate, Iesus conuocans eos, dixit eis: [Scitis, quia hi, qui gentibus principantur, dominantur eis, & Principes eorum habent potestatem eorum, non autem ità est in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus (verum exemplum sui addit) nam & filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & animam suam daret redemptionem pro multis.]

Item eiusdem 9. Et venerunt Capharnaum, qui cum domi essent, interrogabat eos quid in via tractabitis? at illi tacebant, siquidem in via inter se disputauerunt, quis eorum esset maior. Et residens vocauit duodecim, & ait illis: [Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister, & accipiens puerum statuit eum in medio eorum;]

rum;] quem cum complexus esset, ait illis: [Quisque vnum receperit in nomine meo, me recipit.] Eadem Lucas 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum esset maior. At Iesus videns cogitationes cordis eorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se; & ait illis: [Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit. Et quicumque me receperit, eum recepit, qui me misit, nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.]

Matth. 18. In illa hora accesserunt ad Iesum Discipuli dicentes; quis putas maior est in Regno Cœlorum? & aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum, & dixit: [Quicumque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in Regno Cœlorum.]

Nunc vide quantis verbis, quot exemplis, quanta diligentia Christus præuenerit, & prohibuerit ambitionem illam, quam tanto tumore iactant decreta, & decretales, ac ità repetunt, & inculcant, ac si hoc sit pascere populum Christi, quod est potestatem iactare, & ambire.

Vnde meo iudicio, sicut Apostoli, vsque ad finem vitæ Christi contenderunt, nec tot exemplis, & verbis Christi, ab humana ista affectione temperarunt, & tamen nullum permisit obtinere Primatum, donec omnes dispersi, eum relinquerent. Ità in Ecclesia tot iam seculis contenditur de Primatu prohibito, nec auditur Christus interim tot vocibus resistens, nec vlli obtinere permittens, donec fortè, & ipsi, adueniente Antichristo dispergantur, & Christum negent.

Nam Apostoli hæc primùm pulchrè seruabant, quando Iacobum minorem Hierosolymis Episcopum constituerunt, & Petrus, Iacobus, ac Ioannes à se suos Primatus reiecerunt, post illos autem mox, tàm Christi, quàm Apostolorum exemplo neglecto, sine fine contendunt, non pro verbo, quo plus doceant, sed, quo latiùs mandare, ligare, soluere, & lucrari quærant, sicenim, & nos infirmitates Pontificum, non sine multis scandalis ferre cogimur propter Christum. Hæc diuersarij verba fideliter recitata.

CAP. XXXIV.

Respondetur obiectioni primæ, & secundæ, ac declaratur, quæ dominatio à Christo fuerit prohibita.

PVgnat diuersarius ex quatuor locis Euangelicis, contra Primatum Petri, & Romani Pontificis, & quamuis cuilibet prudenti viro obuium sit, Christum interdixisse ambitionem, & tyrannidem in locis allegatis, quod appetant superbè alijs dominari, sicut Principes Gentium, sed prælationem non prohibuit, quam ipse constituit, & ordinauit, quæ iuuat pulchrè ordinem, & vnitatem Ecclesiæ seruare, & hæc ad allegata sufficerent.

Tamen locos singulos specialiter despiciamus. Primus est Lucæ 22. Reges gentium &c. Statim ab initio verba Christi explicat, de quo principatu loquatur, cum ait, reges gentium, quoniam illorum est ambire prima-tum, ait Chrysostomus. Prima quæque appetere, Tyrannica passio est, ait idem, Matthæi 20. vbi huic simili legitur sententia. Vnde non abstulit, nec prohibuit prælationem Dominus, sed fastum, rumorem, mentis elationem, ambitionem, & quam humilitatem Prælatus in dignitate constitutus, gerere debeat, ostendit.

Hanc esse verborum Christi intelligentiam, ex his liquet. Primò, quod Christus exemplum suum subiungit, quis autem nescie ipsum esse caput totius Ecclesiæ, omnibus Prælatum, & tamen summam docuit humilitatem alijs ministrando, licèt per hoc alijs esse superior non desierit, docens prælatum alijs dignitate, non superbire, sed humiliter alijs ministrare, quod & glosa, quæ est Basilij voluit. Non extollat præsidentem dignitas, ne ab humilitaris beatitudine corruat. Vndè cassum esset exemplum, si ad Lutheranam intelligentiam caperemus verba Domini prohibitiua prælationis, cum ipse fuerit verus Prælatus. Immò exemplum repugnaret dicto, arbitror tamen diuersarium non existimare Saluatorem nostrum tali fuisse imperitia, vt docendo, assumeret exemplum repugnans dicto. Cum in eo sint omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi. Ad Col. 2. Satiùs est ergo, vt dicamus, Dominum Iesum non prohibuisse prælationem, sed docuisse in prælatione humilitatem, & sic exemplum fuit maximè accommodum proposito.

Secundò liquet ex verborum serie, & significantia, quia ait Christus, qui maior est in vobis, fiat sicut minor, vbi expræsse affirmat aliquem esse maiorem inter eos, qui maior est inquit, quod accipiendum est, secundum prælationem, fiat sicut minor per humilitatem, & exhibitionem ministerij, & ità non destruit, sed roborat prælationem, & ei modum imponit. Consonit huic glosa, interlinearis, & qui præcessor est, scilicet gradu dignitatis, sit sicut ministrator.

Tertiò liquet ex eo, quia confestim eodem loco Luc. 22. explicat Dominus, quis sit ille maior futurus post mortem suam, qui tamen debeat esse sicut minor Petro, dicens. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, vt libro primo prolixius sumus prosecuti, non tamen nego Apostolos in cœna adhuc ignorasse, quis à Christo Princeps Apostolorum constitutus esset. Iam ergò apertissimum esse arbitror Saluatorem istis verbis non imposuisse per hoc æqualitatem Apostolis, excludentem superioritatem prælationis, sed humilitatis magister, ipsos ad humilitatem exhortans, omnem superioritatem exclusit superbæ, iniustæ, ac tyrannicæ potestatis, & ita congruit illi Euangelico dictum sapientis. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex eis. Ecclesiastici 32. & cap. 3. quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur, & hoc etiam præcepit sanctus Petrus 1. Pet. 5. Non dominantes, ait, in clerò, sed forma facti gregis. Omnia superiora ego confirmo per S. Bernar. rotundis verbis dicentem, interdicit Dominatio, inducitur ministratio, lib. 2. de con-

fe-

fecrat. ad Eugenium. Primo igitur loco discusso, & examinato: sequentes per se patefcunt, tamen narraremus eos.

Secundus locus per diuersarium inductus est Matth. 20. & Marc. 10. De quo haud aliter iudicamus, quàm de præcedenti, quoniam docuit Christus, vt Hieronymus inquit, ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate perueniri. Nam quod reges gentium violenter dominantur subditorum, eos in seruitutem redigendo, hoc Prælati Ecclesiastici facere non debent. Ait Origenes, sed subditis potius miuistrare debent, hæc est vera verborum Saluatoris nostri intelligentia, sanctis Patribus consentanea, & non illa, quam diuersarius adfert, pro suo arbitrio, præter alicuius Sancti Doctoris auctoritatem.

Vnde quando verba Euangelica sunt ambigua, pudenda est temeritas ab expositionibus Sanctorum virorum recedere, & proprio sensui, & expositioni adhærere, contra sanctos Patres, cum sapiens non doceat. Ne innitaris prudentiæ tuæ Prouerb. 3. Huiusmodi enim fictæ glossæ corrumpunt textus.

CAP. XXXV.

Christus non restitit Primatui Petri, nec Petrus Primatum deposuit, licèt non fuerit Hierosolymis Episcopus, & de Mordacitate Lutheri.

TErtius locus à diuersario adductus est Marci 9. Vbi redarguit eos super contentione, quam habuerunt in via, quis eorum esset maior, ideò sicut primus locus intelligatur. Docet enim prælationem non esse temerè vsurpandam, & ambiendam, sed quòd nullus debeat esse primus inter eos, & princeps Apostolorum, non dixit, nec alicubi inuenitur, locum illum repetit Luc. 9. Ostendens quomodo oportet Prælatum paruulos, hoc est subditos simplices suscipere, & amplecti, quibus sequitur diuersarij inualidas esse inductiones, & applicationes, quòd à Christo prohibitam ambititionem, decreta, & decretales iactent, quod est falsissimum, licèt superioritatem, & ordinem dignitatum in Ecclesia Dei esse declarent, ac asserant, cum & decreta, & decretales semper ambitionem, & iniustam dignitatum vsurpationem prohibeant, ac detestantur, & seuera aduersione corrigant.

Atque falsum est Christum resistere dignitati Pontificiæ, aut primatui Romanæ Ecclesiæ, fateor posse Romanum Pontificem peccare superbia, ambitione, temeritate, sicut multi malis artibus tantum quæsiuerunt fastigium, quos Deus indicet, si quando non per ostium intrauerunt ad ouile Christi, quibus tanto maior manet pœna, quanto altiori abusi sunt dignitate.

Et quia radices fuerunt putridæ, Putridum etiam fructum attulerunt, cum diuersarius ait, Apostolos primò hoc institutum pulchrè seruasse, quando Iacobus, Ioannes, & Petrus, à se suos primatus reiecerunt, hoc inquam falsissimum est. Nusquam enim legitur sanctus Petrus, nisi moriturus, primatum suum deposuisse, in hoc enim plus credendum Sancto Ioan. Chrysostomo, quàm Luthero, qui affirmat velut supra quoque eum induximus. Licèt Iacobus post Ascensionem, specialem illius loci curam Hierosolymis habuerit, tamen Petrus vniuersalem curam illius loci obtinuit. Vnde Iacobus successit Christo Hierosolymis, vt Vicarius particularis loci. Omnes enim Apostoli fuerunt Pastores, & Vicarij Domini nostri Iesu, sicut sancta testatur Ecclesia. Verè dignum, & iustum est, æquum & salutare. Te Domine suppliciter exorare, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos, continua protectione custodias, vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse pastores. Ecclesia hic omnes Apostolos appellat vicarios. Verùm vnus fuit Vicarius generalis sanctus Petrus, non sanctus Iacobus, vt prolixè hoc probauimus lib. 1. & 2.

At forsitan quæris, aut tacitus miraris, cur non sanctus Petrus fuit institutus Pontifex Hierosolymis? possem tibi mox dicere. Iudicia Dei sunt imperscrutabilia, & iudicia Dei abyssus multa, quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Tamen sanctus Leo exprimit hoc, ob id factum à Deo, vt ibi esset pastor Ecclesiæ suæ, vbi esset Princeps terreni regni, & vt Bernar. ait ad Eugenium. Congruebat Iacobum fieri Episcopum Hierosolymis, nam frater Domini dictus est, vt ibi positus, suscitaret semen defuncti fratris, vbi occisus est ille, & si non me fallit memoria libro primo, aliqua adduximus, puta vt regna Romano Imperio subiecta citius fidem Christi susciperent, quam dominam vidissent suscepisse, & sicut fuerat eis magistra erroris, sic fieret doctrix veritatis, congruit enim gloria loci, excellentiæ præsidentis, & alia quæ attulimus.

Sed vide Cynicum Theologum omnes Sanctos Pontifices ab Apostolis vsque in hunc diem ambitionis, & contentionis accusantem negligentiæ verbi diuini, & aliorum scelere. Possum dicere cum sancto Augustino, contra Manichæos, contra Adamantium, si quis vellet, inquit, dentes in ipsos conuertere, quam mordaciter ista reprehenderet, inculpabiles enim patres culpat, & minimè ambitiosos. Nam post sanctum Petrum mox fuerunt 32. Martyres, in Pontificali Sede Petro succedentes, post quos multi alij eruditione, & sanctitate conspicui, in eadem regnauerunt, quos omnes vna cuculla audet tam insigni nota inurere. Vt neglecto Christi, & Apostolorum exemplo, sine fine contenderit, non pro verbo, quo plus doceat, sed quo latius mandent. Non ergo egreferant Franciscani Minoritæ, non Iacobitæ prædicatores, non Episcopi, non iure consulti, non Florentissimorum Studiorum Theologi, non Episcopi. Non Reuerendissimus Cardinalis Thomas Caietanus Sedis Apostolicæ Legatus. Non Syluester de Prierio. Non Hieronymus Emser, nec Eckius ipse si impetuntur ab isto Cynico Theologo, cum triumphantibus Martyrum coronis in cœlo regnantibus non pareat, san-

anctissimis patribus gloriosè Christum verbo, & operè confitentibus detrahat, at Deus sit ei propicius, & dimittat nobis omnia peccata nostra.

CAP. XXXVI.

Obiectio Lutheri ex Actibus Apostolorum diluitur, quomodo Petrus Sententiam de Legalibus dederit, Paulus Superiorem agnouerit Petrum, & Electione Barnabæ.

Pollicetur dein diuersarius sua se probaturum ex hystorijs, & rationibus. Prima autem est ipsa Actuum Apostolorum, vbi Petrus æqualis scribitur cæteris Apostolis, denique sui sermonis confirmationem à Iacobo accepit cap. 15. Deindè nullum Apostolorum ipse ordinauit, nec vllus sub ipso fuit, quomodo ergo successor Petri, omnium Apostolorum successores sub se habere potest? quid quæso ad hæc dici ab vllo potest? Item Matthiam, nec ipse, nec omnes simul ausi sunt in Apostolum ordinare, sed ex Deo postularunt tantùm, cui & hoc addi potest, quod Actuum 13. legitur: dixit illis Spiritus sanctus segregate mihi Saulū, & Barnabā in opus ad quod assumpsi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

Quamuis non impendio, illa adducta ex superioribus possint dilui, at ut ordinem prosequamur damnati libelli, suscipiamus responsionem illorum. Et primò quidem non nego Petrum fuisse æqualem alijs in Apostolatu, non solùm potestate, sed etiam honore, vt Cypriani Martyris auctoritate probauimus ab initio, quare non conuenit, quòd diuersarius diuinatur, Petrum fuisse æqualem alijs Apostolis potestate, sed non honore, at de illa æqualitate, & inæqualitate multa diximus lib. 1.

Porrò cum assumit diuersarius sermonem Petri accepisse confirmationem à sancto Iacobo, ostendimus illud esse falsum, tum ex textu ipso, tum ex diui Hieronymi auctoritate, quoniam sanctus Petrus fuit Princeps huius sententiæ de legalibus non obseruandis, quamuis si ex humilitate detulisset sancto Iacobo, non fuisset vituperandus, sed laudandus, sicut Vicarij Papæ, & Patriarcha Alexandrinus cesserunt Nectario Constantinopolitano, in Concilio Constantinopolitano.

Porrò quod S. Petrus nullum Apostolum ordinauerit, ostendimus lib. 1. hoc esse ambiguum, quia neutra pars euidentèr duci potest ex sacris literis, quòd si etiam hoc diuini muneris fuit, quòd Christus hoc sibi reseruasset, tamen hoc est impertinens ad primatum, nec impedit, nec promouet institutum. Nam si Primatus Pontif. traditur, ob hoc tamen non fit omnipotens, quòd possit omnia facere. Vnde facere Apostolum secundum communem, est vltrà Primatum Pontificium.

At falsissimum est nullum Apostolorum fuisse sub Petro, cum omnes iuxtà Anacleti sententiam voluerunt eum esse primum. Immò Sanctus Paulus agnouit eum esse superiorem, cum ad eum ascendit Hierosolymam, vt conferret cum eo Euangelium, non quòd Sanctus Paulus dubitaret de reuelatione facta, sed quòd, & per Sanctum Petrum, & alios Apostolos, illum autenticè (vt ait, dicam) approbaretur, quo perspicuum fieret ipsum, veritatem Euangelij tenere S. Petri approbatione. Vnde magnam fuisse ascendendi causam, ex ipsius S. Pauli testimonio liquet ad Galat. 11. Deindè post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito, ascendi autem, secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Pondera, quòd iussus à Domino secundum reuelationem, ascendit conferre Euāgelium. Cur iussus conferre Euangelium, nisi quia illi erant columnæ Ecclesiæ, erant seniores, & in Ecclesia regimine superiores, licèt in fidei propagatione, & fundatione, velut omnes Apostoli, erant æquales, quare desine frater tanta temeritate definire, quasi ad hæc (quæ lenicula sunt) nihil possit dici, cum omnia facillimè sint dilutionis.

Ità de S. Matthia deligendo latè superiùs disseruimus. Ad id vero, quod de Barnaba, & Saulo adduxit, facilè respondeo, hoc plus fauere assertioni nostræ, quam Lutheranæ. Nam etsi electio in Apostolatum facta fuerit à Spiritu sancto, quia dixit, in opus ad quod assumpsi eos, tamen ordinatio videtur hoc loco à Petro facta, inquit enim, &, imponentes eis manus, dimiserunt illos, glos. in modum ordinandorum, & ità tunc describitur esse ordinati ad Apostolatum, sicut fuerunt à Spiritu Sancto assumpti, at siuè vnum sit, siue aliud, hoc nihil refert ad Primatum, siue Sanctus Petrus ordinauerit Apostolos, siue Christus sibi hoc speciali munere reseruauerit, secundùm superius controuersa.

CAP. XXXVII.

Quòd Paulus reprehendit Petrum, ex hoc Primatus Petri non improbatur, & quod Petrus reprehensus fuit Apostolus.

Secunda hystoria, quam adfert diuersarius ex Paulo ad Galat. 2. Antiochiæ Petrus à Paulo reprehendebatur, in quo patet Romanum Pontificem subesse cuilibet melius sentienti. Nec ideò verum esse, aut bonum, quia ipse sic dicit, aut facit, sed rationem reddere tenetur. Immò non semper potest rationem reddere, sed cum Petro aliquando errat.

Ad hanc historiam dicimus, vt ex superioribus liquet, quoniam hoc factum pertinuit ad fidei ædificationem, quod pertinebat ad officium Apostolatus, nam quo ad fidei defensionem erant Apostoli pares ex Apostolatu. Et sic debet intelligi B. Hieronym. super epistola ad Galath. Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret, non imparem intellige in Apostolatu.

Renarrat Gratianus 2. quæst. 7. Paulus.

Vndè si modo esset Apostolus in terris, ille in his, quæ sunt fidei, nec Summo Pontifici, nec toti Concilio esset subiectus: quantùm verò ad regimen, & potestatem attinet, sic Petrus fuit superior Paulo, quem velut Ecclesiæ caput venerabatur, ad quem primò ascendens videre eum, mansit apud eum diebus 15. Et quod illustrissimus Princeps Georgius Saxoniæ Dux &c. Ponderabat pro Petro, quòd cum Simon Magus illuderet populo, & volaret, dixit S. Paulus se oraturum, vt Petrus præciperet. Vide, imperium agnouit in Petro, & in hoc ei cessit.

Et vt doctè ponderat Hieronymus in epistola ad Augustinum, quòd & post 14. annos ascendit, quasi non securitatem habuerit prædicandi Euangelium, nisi esset Petri sententia roboratum. Vnde facilè admitto superiorem ab inferiori melius sentiente emendari, vbi imminet periculum fidei indubiratum autem est apud omnes Paulum fuisse æqualem Petro quoad fidei defensionem. Vnde, & Michael de Zezenna restititIoan. 22. prędicanti animasSanctorum non beari vsquequo reunirentur corpori.

Non eò confugio, quòd fingam alium Petrum fuisse repræhensum à Paulo, quàm Apostolum, quod aliqui dixerunt, quod verè, & doctè à Beato Gregorio super Ezechiele repræhenditur, fateor ergo Petrum repræhensibilem à Paulo repræhensum. Nam legie Pauli epistolas, & laudauit eas. 2. Petri 3. Itaq; se etiam repræhensum laudauit, insigne veritatis testimonium, Paulus scripserat in epistolis suis Petrum repræhensibilem; & ecce Petrus in epistolis suis asseritPaulum in his quæ scripserat, admirandum, quam mansuetudinem miratus Beatus Gregorius lib. 2. super Ezechiele ait, pensate Fratres charissimi in quo mentis vertice stetit, qui illas epistolas laudauit, in quibus scriptis se vituperabilem inuenit, quæ illa mansuetudo tanta esse potuit? quies animi? quæ soliditas antiquæ imperturbatio cogitationis? Ecce à minore suo repræhenditur, & repræhendi non dedignatur, non ad memoriam reuocat, quòd primus in apostolatum vocatus est, non quòd claues Regni Cœlorum acceperit, non quòd peccata quæcumque in terra soluerit, essent, & soluta in Cœlo, non quòd in mari pedibus ambulanit, non quòd Paralyticos in Iesu nomine iubendo erexerat, non quòd ægros sui corporis vmbra sanauerat, non quòd mentientes verbo occiderat, non quòd mortuos oratione suscitabat, hoc ergo loco, quia repræhensus est Petrus, non potest aduersario probari eum non fuisse vniuersalis Ecclesiæ pastorem.

CAP. XXXVIII.

Obijcit diuersarius de Hieronymo, Victore, Aniceto, & Polycarpo, ac Orientalibus, veritas aperitur, & quæ fuerit occupatio Patrum cum Paschate, & lapsus Lutheri multiplex.

Affert dein diuersarius tertio loco, tres historias. Prima est ex Ecclesiastica historia lib. 5. Victor Primus Romanus Pontifex Asiæ Episcopos voluit excommunicare, redargutus autem est non à Paulo, sed ab Hyreneo Lugdunensi, & coercitus etiam à cęteris omnibus monitus, & iussus pacem habere, & Ecclesiam non conturbare, quibus sicut decuit, cessit.

Item ibidem, Anicetus quoque cessit Polycarpo Smirneo Episcopo, nec eum cogere potuit in sua decreta.

Item, historia trip. lib. 4. Iulius Primus conatus prohibere, ne citrà suam auctoritatemConcilium cogerent Orientales Episcopi, inanitèr egit, quia nihil illi hoc curarunt, & acutissimè illi rescripserunt, hæc diuersarius in damnato libello. Cùm diuersarius historiã adducit de S. Victore, mirum est, quàm cæcutiat, cum ex illa historia apertissimè constet Romanum Pontificem esse superiorem Græcis, & Asianis, non enim Hyereneus, etiam S. Martyr, monuit Victorem, ne Asianos excommunicaret, quia non haberet potestatem super eos, nam vir tanta sanctitate erat. Victor dein Martyrio coronatus, vt non ambiret potestatem in Asiaticos, quam non haberet. Sed monuit Hyerenens, ne pro re tali, cuius non admodum magnum erat periculum, tanta fieret in Ecclesia Dei turbatio. Vt autem pleniùs cognoscatur de causa ab ouo, eam replicemus, statuerat S. Pius Pascha debere celebrari die Dominico, iuxtà reuelationem factam Hermeti ab Angelo in habitu pastoris, velut Canon 1. Pij indicat, idem decreuit S. Victor 13. à S. Petro decretali, prima, hoc Polycrates Asianus noluit acceptare, iussus etiam à Victore. Cui plures alij adhærebant, celebrantes Pascha vetusto more 14. Luna primi mensis. Ideò Victor omnes illas Ecclesias à communione indicauit separandas.

Monuit Hyereneus ne faceret, ne tot Ecclesias à communione separaret. Cui etiam S. Victor acquieuit. Expende Lector, Hyereneum non negasse Primatum Papæ Victoris, sed consuluisse ob maius malum, ne exerceret potestatem excommunicandi ob tale factum in tot Ecclesias, & ità plus suffragant Primatui, quàm resistant: non dixit, vel S. Hyereneus, vel Polycrates ad Victorem quid agis? excedis limites regiminis tui, non habes illam potestatem excommunicandi, sed solum voluerunt non debere Papam eos excommunicare ob hoc factum, maximè perpensa Ecclesiarum multitudine. Fallitur ergo diuersarius credens se hic infirmare potestatem

Papæ,

Papæ, vbi optimè robotatur, ac probatur. Nam quis est, qui nesciat inferiorem monere Papam seueriùs agere volentem? ità arbitror quotidie fieri, tàm apud Imperatorem, quàm apud Summum Pontificem, & ità factum fuit in præsenti negotio, cum varia obseruatio, vt Hieronymus super epistola ad Galath. ait. Euangelium non variet. Vnde Hyereneus non cohercuit Papam, vt assumit diuersarius, nec hoc dicit Eusebius, quoniam, & ipse dicit rectissimam esse Victoris sententiam. Pascha die Dominico celebratum, sed displicuit ei, quod ob hanc causam omnes Ecclesiæ Asiaticæ deberent à nobis secedere, & reuera longo tempore in Ecclesia, etiam vsque ad tempora Augustini, & Hieronymi, maximus erat labor de tempore Paschatis celebrandi. Vnde semper in Synodo autunnali, vel Augusti, fuit vnum de præcipuis negotijs, vt decerneretur concorditer, quo die Pascha celebrari deberet, ne ex varietate scandala nascerentur, sicut plurima nata fuerunt. Hoc tunc grauissimum Ecclesiæ negotium, nullius est nostro sæculo difficultatis, cùm iam ex tabulis, etiam ineruditi, Eruditiores, ex motibus astrorum facilè supputant, in plures centenarios, quod sit interuallum, & alia cohærentia.

Scripsimus annis ab hinc sex diortosim, super eadem re, ad Dominum Apostolicum Leonem Pontificem Maximum. Dein quod de Anicero S. Papa, & Martyre affert, corrumpit diuersarium historiam, non habet hoc Eusebius in ecclesiastica historia, nam cum videret Eusebius, ità vt crederet Anicetus Polycarpo, etiam sacerdotali ministerio perfungi, corruptor ille dicit Anicerum cessisse Polycarpo, & vbi Eusebius scripsit, nec Anicetus Polycarpo suadere poterat, inuertit diuersarius, nec eum potuit cogere in sua decreta. Vnde ità cessit ei Anicetus. Non quòd Polycarpus nollet esse ei subditus. Nam quid tunc fecisset Romæ Anicetum adiens ex Smyrnea? sed quia Victor voluit, vt pastor vniuersalis, vt per omnes Ecclesias Asiaticas, & alias, Pascha celebraretur die Dominico, venit ad eum Polycarpus, ostendens, quæ turbario futura esset in Asia super illo decreto, tamen ne fieret illa perturbario, pro conseruanda concordia obtinuit, apud Anicetum, vt morem antiquum obseruarent Ecclesiæ in Asia. Nam, & Anicetus voluit manutenere constitutionem Pij, & propter illam condescensionem Aniceti. Inducit diuersarius Papam non fuisse summum Episcoporum, aut primum, quòd quilibet facilè intelligit nullius esse roboris.

At longè impudentissimum est, quod tertio loco inducit. Aliquid probaturus ex facto hæreticorum, & schismaticorum. Nam illi Episcopi fuerunt Eusebius, Theoginus, Theodorus, & Bcrinthus, qui sanctos Dei expulerunt Athanasium, Paulum, & alios, vt hoc libro meminimus non semel, vbi etiam illos probauimus fuisse sub Iulio Pontifice, licet minarentur se recessuros ab obedientia, si Iulius communicaret Athanasio, & non confirmaret Episcopos, quos ipsi delegerant, tamen Iulius eos citauit, & excommunicauit; ac Athanasium cum reliquis restituit, licet schismatici illi, & hæretici denuò eos expulerint perfidia Imperatori Constantij Arriani. Considera candide Lector, quibus nænijs diuersarius nitatur, cum facta hæreticorum in probationem adsumat, nec sciat fundum, scopum, & id, in quo ordo rei vertitur quid Orientales Episcopi scripserint Iulio, quid Iulius responderit, inuenies in fine operum Beati Athanasij, sicut his epistolis sæpè vsi sumus hoc libro.

CAP. XXXIX.

Quod Luther obijcit de primatu Ecclesiæ Romanæ ab Imperatore Constantino IV. dato, respondetur, & quid Regum definitio in rebus fidei possit decernitur.

NE diutiùs quàm par sit, prosequamur diuersarij inductiones, & sic fastidium legentibus pariamus. Colligamus nos tres eius historias in vnum. Quarta est inquit, Romanum Pontif. esse omnibus superiorem humano decreto sancitum est. Nempè Constantini Quarti Græcorum Imperatoris, vt scribit Platina in Benedicto 2. nec sit tamen obseruatum ab alijs Episcopis, Quinta historia Numquid Cyprianum, August. aliosque Aphricæ Episcopos confirmauit Papa, qui tamen de latina Ecclesia fuerant? numquid eorum Concilia impediuit, aut conciliabula fuerunt, quia sine Romani Pontificis auctoritate gesta sunt? vt in eorum libris clarè habetur. Sexta quando Alexandrinum, Antiochenum Hierosolymitanum, & alios Ægypti, Arabiæ, Syriæ, totiusque Orientis Episcopos instituit, hi omnes ergo hæretici fuerunt? Absit.

Ista omnia facilis sunt dilutionis, nam quòd primò allegat illud factum iure humano imperatorio, tot occurrunt, vt vix sciam, quo primùm repellam tàm fragilem, & caducam obiectionem, sed hinc ordiar. Primò enim nos probauimus Primatum auctoritate Euangelij, Sanctorum Martyrum. Vbi Imperatores, nedum Ecclesiam non glorificabant, sed eius quærebant destructionem. Tum si ab Imperatoribus voluit ordiri. Cur non incæpit à Constantino Primo, sicut citatur 96. dist. Constantinus; de quo suprà plura, aut cur à Martiano, aut Theodosio, aut ab illo legum instauratore Iustiniano Primo, qui omnes constituerunt Romanã Ecclesiam fore supremam Ecclesiarum. Porrò, qua dialectica sequitur, hoc est constitutum iure humano, ergo non est de iure diuino, quasi non possit idem esse de iure diuino, naturæ, & humano, cum exploratum sit, nihil esse iustum iure fori, quod non sit iustum iure poli, vt Chrisopasso prædestinarionis ostendimus. Hoc attendentes Christianissimi Imperatores, multa constituerunt super Ecclesias, quæ prius erant iure Pontificum, aut diuino decreta, vt per ius imperiale tenerentur ius diuinum, & executioni daretur ius Pontificum, & diuinum. Non ergo fuit

fuit intentio Constantini IV. nouum sancire, aut nouum priuilegium conferre, sed ius ei competens, declarare, credere, assumere, manum tenere, exequi, iuri diuino se conformare, aut quocumque alio nomine appellem (non curo hic discutere, quando valeant leges laicorum circa res Ecclesiasticas, de quo per Doctores in Ecclesia S. Mariæ de consticu.cum concordantibus.) Et quòd hoc sit verum liquet ex epistola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem, sæpe iam citata, in qua inter alia ait. Ista ergo priuilegia huic sanctæ sedi, à Deo sunt donata, à Synodo, non sunt donata, sed solùm celebrata, & venerata, per quæ non tam honor, quàm onus nobis incumbit, & infrà. Proinde animaduertendum est, quòd non Nicœna, non denique illa Synodus, quodquam Ecclesiæ contulit priuilegium, quæ in Petro nouerat eum totius iura potestatis plenius meruisse,& cunctarum Christi ouium regimen accepisse. Vnde priuilegia Apostolicæ Sedis nullatenùs commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amouere conatus, & quod dominus statuit firmum, validumque consistit, illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat.

Priuilegia inquam huius Sedis perpetua sunt, diuinitùs radicata, atque plantata, impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, euelli non possunt, comprobat hoc Hibernicus disputans cum Armeno. Nam Armenus minùs benè sentiens de fide obiecit, quomodo Ecclesia Romana esset alijs prælata Constantini Imperatoris auctoritate. Circa annum Gratiæ 350. Similitèr per Phocam Imperatorem; qui tenacitatem Ciriaci Constantinopolitani repressit (vt supra meminimus.) Et Romanum Pontificem superiorem Constantinopolitano, & alijs declarauit. Nam sic ait Armenus, magnus Imperator Tartarorum posset Ecclesiam de Cathai constituere caput omnium Ecclesiarum, Respondet Hibernicus, hanc dignitatem Ecclesia ab aliquo Imperatore, vt prudenter obijcis, non accepit, sed à solo Christo Imperatori Cœlesti, ne tamen aliqua persona, vel Ecclesia hanc prærogatiuam sibi vsurpare præsumeret, & vt ipsa Romana Ecclesia liberiùs, & securiùs vbicumque sua exequi posset iura, emanarunt super hoc Imperatorum decreta, non institutoria, sed declaratoria, & adiuuantia. Quibus temeritas rebellantium Augustali etiam decreto reprimeretur. Vides candide Lector, per leges Imperatorias non repelli ius diuinum. Et nedum Imperator, sed & alij Reges Catholici Ecclesiastica statuta, vt seruarentur, datis legibus adiuuarunt. Sic Richaredus Rex, & Synenandus Hyspaniæ, & Galliæ Reges, fecerunt obseruare decreta Conciliorum Arelatensis, Toletani, & Taurinensis,& Carolus Mannus Rex Francorum constituit seruari Canones à Concilio à se conuocato promulgatos sub præsidentia Sancti Bonifacij Archiepiscopi Moguntini Germanorum Apostoli, Anno salutis 752. Hæc latè deduximus non propter diuersarij obiectionem, quæ nulla est. Sed quòd ex institutionibus principum lib. 2. allegatis, posset quis simile argumentum excudere. Et quòd nulla sit ratio diuersarij, patet, quia melius citasset Platinam in vita Bonifacij Tertij, vbi Imperator prætulit Romanum Constantinopolitano, Et quia circa tempora Benedicti non erat illa contentio de primatu, sed solùm de modo eligendi Pontificem, in præsentia Ambasiatorum Cæsaris, & super hoc fecit Constantinus Quartus Constitutionem, & non hinc prætulit eum alijs Ecclesijs, sed præsupponit eum omnibus prælatum, & ab omnibus venerandum, eo ipso, quod sit Romanus Pontifex. Ait enim platina.

Constantinus Imperator hominis sanctitate permotus, Sanctionem misit, vt deinceps quem clerus, populus, exercitusque Roma. in Pontificem delegisset, eumdem statim Christi verum Vicarium esse omnes crederent, nulla, aut Constantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi, expectata auctoritate, vt ante fieri consueuerat, id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gereret. Hæc Platina: vbi perspicuum est etiam Grammatico lectori, sanctionem illam præcipuè respexisse illam confirmationem electi Imperialem, non potestatem, aut dignitatem confirmati.

CAP. XL.

Errores multifariam Lutheri excutiuntur, potissimum quod existimat ad Primatum Iure Diuino attinere confirmationes Episcoporum, & Aphricana Concilia, sine consensu Papæ facta.

Conceperamus contrahere Ludderanas obiectiones, & ecce præter votum coactus sui me dilatare, ob ineptam diuersarij inductionem. Nam si Constantinum primum induxisset diuersarijs, aut Theodosium, plus apparentiæ habuisset obiectio, pergamus iam ad quotæ hystoriæ (ità appellat) dilutionem Vnde ab initio statim latere lauat; quòd ex eo quod Papa illos non confirmarit Augustinum, & Cyprianum: ideò non fuerunt ei subiecti. Nam ignorat adhuc diuersarius ab antiquo constitutum, Episcopum quemlibet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à suo Patriarcha: quod iugum, nescio quomodo Episcopi excusserunt, vt confirmationem saltem in Germania, omnes ex Roma petant, forsitan viri magni, & potentes, ac natalibus illustres dedignabantur confirmari ab humilis generis Metropolitano, hoc autem de confirmatione per Metropolitanum facienda constitutum fuit in Concilio Nicæno. Et renarrat Bonifacius Papa in quadam epistola ad Hilarium Narbonensem. Et Gratianus tenarrat dist. 64. Episcopi, potestas sanè, vel confirmatio pertinebit ad singulas Prouincias ad Metropolitanum Episcopum. Cum alijs Canonibus Innocentij, & Gelasij, à Gratiano eadem dist. enarratis. Et eadem dist. Canon. 4. Concilij Nicæni ait in fine.

Fir-

Firmitas autem eorum; quæ geruntur per vnam quamque Prouinciam, Metropolitano Episcopo tribuatur. Hæc omnia apertissimè probantur ex decreto 17. Octaui Concilij vniuersalis, post quod nullum tale habemus tanta vnanimitate plurimarum nationum collectum, cuius decreta habeamus. Dicit autem sic, sancta, & vniuersalis Synodus antiquam consuetudinem iubet seruari per Ægyptum, & Prouincias, quæ sub ipsa sunt, ità vt horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens. Qui & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos præualuit, qua causa, & hæc sancta, & magna Synodus, iam in seniori, & noua Roma, quàm in Sede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, priscam consuetudinem decreuit ab omnibus obseruari, ità vt eorum præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promouentur, siuè per manus impositionem, siue per Pallij dationem, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem videlicèt ad conuocandum eos vrgente necessitate, ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, ad corrigendum, cum fama eos suprà quibusdam delictis forsan accusauerit. Expende de acceptatione firmitatis &c. Et lib. 2. de Constantinopolitano adduximus, quos Episcopos habeat confirmare. Rectè ergo diximus diuersarium inanem messem facere, cum assumit, illos non confirmatos à Papa. Ergo non fuisse ei subiectos.

Et omninò nullum colorem habet de Cypria. & August. cum hoc lib. suprà ostenderimus Aphricam illorum temporibus fuisse Rom. Eccl. subiectam, sic Rom. Pont. Thessalonicen. Episcopo priuilegium dedit Episcopos instituendi per Achaiam. & Macedoniam. Et quòd Episcopi Aphricani fuerunt à primatibus confirmati, liquet ex Canone 13. Concilij Carthaginen. cui S. August. interfuit, Aurelius Episcopus dixit, quid ad hæc sanctitas vestra, ab vniuersis Episcopis dictum est, à nobis veterum statuta debent seruari, sicut inconsulto Primate cuiuslibet Prouinciæ, tam facilè rem præsumant multi congregati Episcopi, Episcopum ordinare. At vt diximus nullus fuit tam temerarius, qui sensisset esse de iure diuino, omnes Episcopos debere immediatè ordinari, aut confirmari à Romano Pontifice, licèt omnes iure Diuino sint ei subiecti, & eius auctoritate instituantur.

Sed magnam audiamus diuersarij inscitiam, quòd adducit Concilia Carthaginensium fuisse gesta sine auctoritate Romani Pontificis. Adhuc puer didiceram historiam esse testem temporum, lucem veritatis, magistram vitæ, nuntiam vetustatis. Et quòd prima lex historiæ esset, ne quid falsi dicere tur. Factus autem vir cogor discere à Luthero pro historijs, etiam nugas, & somnia Nam in superioribus liquidissimum fecimus, quomodo 3. & 4. Concilia Aphricana fuerint auctoritate Sedis Apostolicæ celebrata, missis ad ista Faustino Episcopo, Philippo, & Asello Præsbyteris à Zozimo Papa, & Bonifacio Papa dein continuante, qui dein sæpius missi sunt ad illa Concilia Aphricana. Et scias candide Lector, nullum Concilium Aphricanorum fuisse vniuersale Concilium; & liquet ex epistola Concilij ad Bonifacium Papam. & profectò admirandum est diuersarium non timere se turpiter deprehendi in falso, cum se remittit ad libros D. Augustini, & 90. epistola extat Concilij Carthaginensis, ad Innocentium Papam: & respondet ei epistola 91. & laudat eos, quòd sicut debuerunt, ità Sedem Apostolicam consuluerunt, sic epistola 92. est Concilij Mileuitani. Cui Sanctus Augustinus interfuit. Respondet Innocentius epistola 93. & vtriusque concilij conclusa approbat, adhuc audet diuersarius asserere, auctoritatem Romani Pontifici non interuenisse ad concilia aphricana. Similiter in operibus Cypriani lib. 1. epistola 2. est concilij Aphricani 38. Episcoporum scribentium Cornelio Papæ; quòd ipsi decreuerint de pace pænitentibus, & ad Ecclesiam redeuntibus danda &c. subdentes, quod credimus vobis quoque pænitentiæ misericordiæ contemplatione placiturum, ità Cornelium Papam fecerunt certiorem de Præsbyteris ad gremium Ecclesiæ redeuntibus lib. 3. epistola 11. & superius locupletè probauimus Aphricam vsque ad interiora Libiæ Aethiopiæ, vbi fuerunt Christiani, pertinebat ad Alexandrinum. Vnde semper constantissimum fuit, nullum Concilium ratum fuisse sine Romani Pontificis auctoritate. Nam Sanctus Marcellus Papa, & Martyr scribit Canone 2. Apostoli, eorumque successores, domino inspirante, constituerunt, vt nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis auctoritatem. Hoc tamen excipio, nisi Papa venire, vel mittere renueret, vt Talasius Episcopus Cappadociæ dixit in Synodo Ephesina. Per ista respondetur etiam ad sextam historiam diuersarij, quando in superioribus ostendimus: Orientales Episcopos, & Ægyptios Sedi Apostolicæ fuisse subiectos, ad ipsius Sedem prouocasse, & Sedis Apostolicæ beneficio restitutos, qui à scismaticis fuerant expulsi. Vnde rectè conuincitur legem historiæ non seruasse.

CAP. XLI.

Omnes fideles sunt sub Papa, conqueritur Iacturam Christianorum Auctor, tot perdita Regna, vno acquisito, Paganis prædicatio memoratur impleta, Ecclesia tamen probatur magna in comparatione ad Iudæam.

Septima porto historia, vel ratio diuersarij est. Nec hodie inquit sub Romano Pontifice sunt, qui in Perside, India, Scythia. totaque Oriente sunt. An potas nullos ibi esse Christianos, & regnum Christi in Romano coactum? cuius sunt omnes fines terræ Pars 2. & 20. an non sunt Episcopi, quia non induunt vestes, non habent palatia, equos aliasque pompas Romanas? sufficit quòd verbum Dei docent, & diligant, & pascant, quia sic nec Apostolos confiteberis fuisse Episcopos, si fratrem rerum, nos res ipsas con-

contemplari cœperis ? Immò eo meliores Episcopi, quo à laruis facierum remotiores & eo minus Episcopi, quo propiores.

Ad hanc Lutheri obiectionem fortè non est opus, vt respondeamus, quia Tartarorum nouimus multitudinem, Turcarum potentiam, Saladini Sarracenorum, in Aphrica latissima regna, in Scythia diuinatur diuersarius esse Episcopos, vbi homines, nec sunt homines. In India fortè Præstan voluit significare, vulgus Præsbyterum Ioannem appellat, & meminit Picus doctissimus comes; quia Præstan Indica vox Regem significat; Verè dolendum est Christianitatem, in has angustias deductam in centum annis, vix vnum Regnum Granati in Occidente acquisiuimus. Ec in Oriente 34. perdidimus regna & duo imperia, perdidimus Asiam, terram sanctam pedibus Saluatoris nostri calcatam, perdidimus Aphricam, Ægyptum, Thraciam, & totam fermè Grætiam, quæ aut non de Christiana, aut errat in fide, est quo olim orationem habuimus, nolumus vagari, Bohemos in fide continere non possumus, qui siti sunt in Vmbilico Germaniæ magnę. Et tamen nobis ipsis audemus arrogare robur christianitatis, cum multò plura fecerint nostra tempestate pro fide Hyspani, Lusitani & Polnni, iam enim (quod dolenter dicimus completum est, quod Bahanis famosissimus præpositus, & patririus curiæ dixit in generali concilio 8. dum Patriarchę super ordine sedium contenderent, futurum esse, vt Patriarchales sedes successiuè redigerentur ad vnum, Patriarchatum, sicut iam sola sedes Romana inter Patriarchales est christiana, at speramus etiam id futurum, quod dixit. Deum, & alias dein sedes Patriarchales iterum reuocaturum, non nego nulla fide plures nationes contineri, quàm in Christiana, sed plures esse hæreticos. & scismaticos doleo. Græci. qui adhuc sunt Christiani, fermè omnes sunt scismatici, cum Mosthobitis, Rutenis, & pluribus Tartaris, illi, qui ex nostratibus in Asia fuerunt, nescio, quæ monstra nobis retulerunt, Surianorum, Iacobitarum, Nestorianorum, Armenos commemorant, Georgianos, Abasinos, qui ex India veniunt, Maronitas, & similes hęreticos, quos nescio an sint meliores Thurcis, vt Ioan. Maioris amæni ingenij doctor autumat, sunt hi partes Arrij, Sabellij, Nestorij, Eutichetis, Macedonij; Dioscori, Apolinaris, Phocij, Maronis; Eunomij, & similium hæreticorum, pestes: & huiusmodi genimina, tales attulere fructus. At scimus extra Arcam Noe, extrà vnitatem Ecclesiæ neminem saluari, sed existimat diuersarius Regnum Christi nimis coartatum sit, ità pluribus vociferarur in psal. illo secundo. Sed respondeamus ei, non negare Christianum esse posse sub Thurca, aut Saladino, aut Succassano persarum. Sed illum verum Christianum nego, qui cum Romana Ecclesia non sentit: ei non obedit, neque est illa psalmographi intelligentia, quam adfert diuersarius: Cum sciamus omne iudicium datum filio; Ioan. V. Sciamus primò resurgentē dixisse, data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra Matth. vlt. Vbi tamen nulli fuerunt Christiani; nec in India, nec in Occidente, quare fallitur hic Grammaticæ Theologiæ Doctor infetens, dabo tibi gentes in hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ, ergo in omnibus gentibus; & terris sunt Christiani. Cum experiamur reipsa, quàm arcta sit christiana possessio, nisi velit diuersarius negare Thurcas, Agarenos, idololatras esse sub Christo. Mirum quod non; & illud allegauit Esaiæ primò, ad eum conuertentur omnes gentes, si respondes nondum hoc impletum, sed tunc quando reliquię Israel saluæ fiunt, sicut prædixit Esaię 10. & 33. Et Abacuc cum concordantibus. Sed cur etiam illud non sic accipis. Vt tunc futurum sit, vt habeat omnes fines terræ, quando erit vnum ouile, & vnus pastor in vniuerso mundo?

Quamuis non attineat hic dicere de angustia Romanæ Ecclesiæ, quam vellem esse multò maiorem, tamen habemus adhuc opulentissima Regna Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Hyspaniæ, Siciliæ, Neapolis, Castiliæ, Nauarræ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ. Scotiæ, Datiæ, Noruegiæ, Granati, Suetiæ, Cypri, Bohennam adderem, si esset incolumis. Et Bosnam: quæ si quis acutius perpendat facilè intelliget, quantò Orbis Christianus maior sit Iudæorum Regnis, quantò amplior Ecclesia, quam synagoga magnitudinem terræ Iudaicæ nobis aperit B. Hieron. in epistola ad Dardanum dicens. Vtique à Dan, vsque à Bethsabe, quæ vix centum sexaginta milium in longum spatio tenditur, neque enim Dauid, & Salomonem potentissimos Reges, exceptis his, quos victoria in amicitiam receperunt, plus tenuisse, scriptura testatur, & hoc dico, vt taceam quinque Palestinę Ciuitates, Hazam Ascalonem, Goth, Accaron, & Azotum, Idumæos quoque à meridiana plaga, vix septuaginta quinque milibus à Hierusalem separatos. Arabas, & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia vrbis Hierusalem, pudet dicere latitudinem terræ promissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur, ab Ioppe vsque ad viculum nostrum Bethleem, quadraginta sex mili sunt, cui succedit vastissima solitudo. Et infrà; Hæc est Iudea tuarum longitudo, & latitudo terrarum? in his gloriaris? super his te per diuersas Prouincias, ignorantibus iactitas? ad populum phaleras, ego te intus, & in cute noui, liquet iam diuersarium perperam calumniari Romanam Ecclesiam, & Episcopos in ea, præferendo eis quosdam Episcopos Mathematicos, qui nullibi extant in Perside, in Scythia, qui doceant, diligant, & pascant, & simul liquet, quomodo torqueat verba pars contrà S. Spiritus intentionem. Ad aliam veniamus obiectionem.

CAP.

CAP. XLII.

Diluitur obiectio, quomodò Achatius deposuit Liberium Papam, Felicem Papam Catholicum fuisse monstratur, & causa sancti Ioannis Chrysostomi latissimè examinatur.

HIeronymum deindè inducit de illustribus viris scribentem, quòd Achaius Episcopus Cæsareensis discipulus Eusebij Pamphili, Imperante Constantio, Liberium Papam deposuit.

Item, Ioannem Chrysostomum, non Romanus Pontifex, sed Theophilus Alexandrinus, & Epiphauius Cypri Episc. vt iu rripartita historia, deposuerunt. Idem Epiphanius Cypri minor Episcopo Hierosolymitano, eumdem excommunicauit. Et si historias consideres, quomodò nunc Imperatores. Item, Papa Episcopos, & Episcopi Papam mutarint, statuerint, deposuerint, credas te Italiam quemdam videre?

Ne mirum, quòd non puduerit diuersarius adducere. Primò legi debet Achatius, in tantùm inquit, Hieron. claruie sub Constantio Imperatore, vt in Liberij locum Romæ Felicem Arrianum Episcopum constitueret, sed age, si Hieronymi testimonium suscipis, cui & Eusebius consentie (vtte iuuem) quid de facto illo argutaris? vis ne quicquam probare, quòd Achatius Artianus, fauente, & adiuuante Constantio Imperatore Arriano, constituit Felicem Arianum? Non enim quod fit, sed quod iure fieri debeat spectandum est. Vndè suspicio est, diuersarium subtrauisse verba Hieronym. quia statim prodidisset, Achatium vi, & de facto, vt aiunt, non de iure processisse, & sic potentia imperatoria fretum Achatium contrà Patrum decreta, & Canones, ius omne, & phas polluisse. Et Damasus Papa, qui Felici successit, & ideò totius negotij veritatem non ignorauit, is in Cathalogo Rom. Pontif. ad B. Hieronym. locupletè testatur, Liberium, quia noluerit Arianæ perfidiæ consentire, à Constantio Imperatore in exilium pulsus. De Felice autem miratur Platina, quòd Hieronym. & Eusebius eum Arianum affirmant, cum vir fuerit Catholicus. Non enim Achatius cum ordinauit Papam, sed Synodus, fuitque Arianis infensissimus, vt elegans eius epistola ad Athanasium, & alios sanctos abundè probat; imò ab ipsis Arianis occisus est, quia quem sperabant futurum defensorem, habebant aduersarium, fortè autem Hieron. in hanc venit suspicionem, quòd Arianorum potissimè opere, ad fastigium conscenderat, qui magnam de eo conceperant spem, licèt Spiritu sancto Ecclesiam sanctam non deserente, spe sua frustrati sunt Ariani, sed vtcumque sit, manifestarium est Achatij hæretici factum, non posse conuellere Primatum Rom. Pontif.

Sed quis non demiretur diuersarij impudentiam, robur, & argumenrum haurientis ex iniustissima Ioann. Chrysost. Innocentis, eruditi, & sancti Episcopi expulsione? Cum grauissimis authoribus compertum sit vniuersam hanc Chrysostomi calamitatem, ex Eudoxiæ Imperatricis inuidia descendisse, quòd ad corruptissimos mores, sanguinariũ, & efferum animum, eam Iezabelem nuncupasset. Vndè facilè Theophilum Alexandrinum, insignis auaritiæ virum, & plusquam muliebri inuidia laborantem, ad cordis sui desideria, crudelis fœmina pertraxit, qui Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum, virum alioquin bonum, vafricijs, & dolis circumuenit, vt in eius descenderet sententiam; iam à Palladio memoriæ proditum est Theophilum tanto liuore exagitarum aduersùs sanctum, vt & Antiochum, Achatium, & Seuerianum accersiret, à Chrysost. priùs ob publica crimina à sacris officijs destitutos, quo factionem, & tumultum faciliùs concitare posset. Tres item pessimas, sed opulentas subornauit viduas, Marsam, Crastitiam, & Engraphiam, Chrysostomum de criminibus arguentes, qui fortè acerbiùs fœdam, & corruptissimam earum viram in concionibus corripuerat, hoc iniquissimum Theophili factum, impijssimæ Imperatricis crudelitatem, iniustam Sancti Chrysostomi eiectionem, contrà æquum, phas, & ius factam, Noster hic diuersarius pro iure adducit iniuriam, Summi Pontificis demoliturus auctoritatem.

Attamen, vt sic istud diuersarij telum ensis Aiacis, ostendamus ex illa Chrysostomi deiectione asseri, & probari Romani Pontificis auctoritatem. Nam Theophilus, eiecto Ioanne Euestigio, destinauit literas ad Innocentium Papam, significans illius depositionem. Innocentius autem ęgretulit Theophili temeritatem, quamuis prudens, & grauis ex eo conijciebat, quòd solus scripserat Theophilus, & seriem rei gestæ omiserat, & quòd dudum fama fuerat ei cognitus Chrysostomus, vt vir doctus, & bonæ opinionis, auxie Innocentij iudicium epistola Chrysostomi à 40. Episcopis scripta incip. Et ante literas nostras, in qua quærebatur iniurias, quibus à Theophilo afficeretur.

Vndè Innocentius Papa auditis, & diiudicatis vtriusque partis allegationibus, & iuribus, Theophili iudicium irritum, & cassum esse decreuit, & Theophilo rescripsit. Frater Theophile, nos & te fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse volumus, sicut & in prioribus literis expræssimus, & in eadem sententia etiam nunc perduramus. Itaque si conscientiæ tuæ confides, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè celebrandam, & illic iuxtà Canones Nicæni Concilij contende.

Vndè fecie commissionem Alexandro Antiocheno Patriarchæ, qui vocata Synodo, rem componeret, quod & fecit, ob id Innocentius scripsit Maximiano Episcopo, an Atticus in locum Chrysostomi substitutus, fuerit conditiones pacis prosecutus, & in eadem epistola incip. Miramur prudentiam tuam, appellat Chrysostomum beatissimum virum, & in epistola ad Alexandrum Antiocheuum incip. Apostolici fauoris gratia diligentee inquirit. Vtrum omnibus sit conditio-

tionibus satisfactum in causa beatiss. & verè Deo digni sacerdotis Ioannis. Dein vt Attico conformanti se consilijs, & actibus Antiocheni communio præstetur, & subscripserunt se 40. Episcopi Italiæ, sed tantis tandem fœderibus, & dissipatis pacis conditionibus, malignitate Eudoxiæ Imperatricis, & Theophili, Innocentius præcepit cogi denuò Concilium, ad quod destinauit quinque Episcopos, duos Presbyteros, & vnum Diaconum Romanæ Ecclesiæ, qui in itinere, Imperatricis subornatione, capti fuerunt, & demùm re infecta remissi. Miseris tunc modis diuexatus vir sanctus Chrysostomus, quod ægerrimè tulit Innocentius, admonuitque Archadium Imperatorem, vt Ioannem restitueret, quod dum facere recusaret, Imperatorem excommunicauit. Renarrat Gelasius ad Anastasium Imperatorem, transcripsit Gratianus cap. duo sunt 96. dist. Collige Lector sincere, quàm temerè induxerit Theophili iniquissimum factum diuersarius, quàm euidenter hic probetur, Græcos fuisse Romano Pontif. subditos, & quomodò hic Primatus Papæ pulchrè approbetur. Cum Alexandrinus, Theophilus Constantinopolitanus, Ioannes, recurrerint ad Romanum Pontif. Antiochenus Alexander iussu Papæ Concilium habuit. Papa Imperatorem Græcorum, & Romanorum excommunicauit, quæ si non probent Primatum Papæ apud diuersarium, nescio, quo eum cogerem.

De Epiphanio Cyprian. quem assumit diuersarius excommunicasse Ioann. Hierosolymitanum. Ex beato Hieronymo liquet Epiphanium euocasse Concilium Orientalium Episcoporum apud Antiochiam, vbi Ioann. Hierosolymitanum ob hæresis suspicionem Synodus sancta vocauit, vbi dum non comparuisset, aucta suspicione B. Hieronymus acriter aduersus eum magna libertate scripsit, miserat Ioannes Isidorum Alexandrinum ad Antiochiam, qui & Alexandriæ infamatus erat super erroribus Arianis. Si ergo Concilium separauit Ioannem à communione, & Ioannes Concilij Nicæni Canones tenens, non appellauit ad Roman. Pontif. quis intelligens, & sapiens, per hoc vellet dicere Romanum Pontificem non esse primum omnium? Et non te prætereat; fuisse priscorum morem, vt Prouinciales Synodi quotannis celebrarentur, & Episcopi, qui vel hæresi, aut insigni crimine fuissent notati, euocabantur, & rei, vel contumaces reperti, à communione omnium Episcoporum separabantur, vt præter decreta Pontificia, ex epistolis Athanasij. Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Cypriani, & aliorum liquet.

Porrò, quod adducit de diffidijs Imperatorum, & Romanorum Pontif. parum conducit proposito nostro, nam si Papa deposuit Imperar. est pro Primatu Romani Pontificis. Cum autem aliquando Imperatores nostri, vim intulerunt Sedi Apostolicæ, constat omnibus historias legentibus, quid fuerit subsecutum, nullus Antipapa cum honore transijt ad Patres, & vt omnia alia prætercam, hinc doleo nobilissimam Sueuiæ domum, sub his odijs succubuisse, quæ tum latè dominabatur per Sueuos, Francos, Orientales, Vesontios. Rhenanos, regna tenebat Siciliæ, Neapolis, Ethruriæ, Hierosolymis, & Germaniæ. Sed omnia morte cadunt, mors vltima linea rerum. Neque vmquam post Sueuos, Imperium Romanum hanc apud exteros tenuit auctoritatem, licèt potentissimi intereà rexerint Imperatores. Nam vt Daci, Poloni, & Hungari feudum ab Imperio susceperunt in sceptro, Magni Duces gladio. Florentissimæ Italiæ Ciuitates tributa pendebant solita, quæ iam sit Imperij Romani facies, si Regna, & Prouincias hæreditarias gloriosissimi Caroli V. Romanorum, & Hispaniarum Regis detraxetis, norunt hij, qui à Consilijs sunt sacri Imperij, quod ista octaua inductione in libello diuersarij aliqua oraculatè fuot impressa à calcographis, viderit ipse; nam facilè intelligo cum Hieronymum induxit, ipsum non scripsisse de odijs Papæ, & Imperatore, sed contra Ioannem Hierosolymitanum. Parce studiose Lector huic prolixiori solutioni, impulit enim me, & diuersarius historijs abutens, & Ioann. Chrysostomi, viri iuxta Sancti, & Docti calamitas.

CAP. XLIII.

Obiectio diuersarij, quomodò alij Episcopi non succedant certis Apostolis, sicut Papa Petro, exsoluitur, & quomodò Petrus differens regimen habuerit ab alijs Apostolis.

Pergamus ad vnam diuersarij rationem, quam multùm atrogancer iactitar, quasi inuictam, & illud quasi prouerbium mihi suggerit; Encomium ante Victoriam, verba sua sunt huiusmodi. Quid ad hoc dicemus? Vera ne est illa sententia, quam tota Ecclesia, omnia etiam decreta, omnes Doctores tenent, esse videlicèt Episcopos Apostolorum successores, vt dist. 21. in nouo. Si est falsa, quid iactatur tanta auctoritate? Si vera, quomodò solus Romanus Pontifex est successor vnius Apostoli Petri, & cæteri omnes Rom. Pontif. sunt subditi? Cur non, & alij Apostoli habent successores, aut fuerunt cæteri Apostoli successores vnius Petri? Cur cæteris Apostolis aufert sua gloria, & tribuitur vni Petro? Cur non quilibet Episcopi habeut, quod eorum Apostoli habuerunt, cum Romanus habeat, quod Petrus suus prędecessor habuit? Muta ergo verbum, & dic quòd Episcopi sunt Apostolorum successores (ego aliter legerem) sed vnus Episcopus Romanus est vnius Episcopi successor.

Ista ratio fateor, nisi ego sum insensatior trunco, cogit, & omnium obstruit os, esse Episcopos omnes æquales, & sicut, Romanus Pontifex à nemine ordinatur, ità quilibet per solam electionem, sicut ipse ordinari debet, iure diuino; stat ergo sententia firma nullum Apostolorum à Petro missum esse, sed omnes eadem à Christo Domino æqualia accepisse in suas fortes, ergo &. Episcopi eorum successores, æqualia habent cum Rom. Pontif. excepta honoris prerogatiua, seu dignitatis, sicut Paulus ad Corinthios clarè

scri-

scribit, quid enim minùs feci à magnis Apostolis. Hæc Luther.

Solutio. Postquam euomit historias diuersarius aggreditur alio genere certaminis castra nostra, & rationibus oppugnare nititur, profectò à longis,& irrationabilibus. Vndè forti vmbone hæc repellamus inauspicata arma. Cum enim in fronte assumit, totam Ecclesiam, omnia decreta tenere Episcopos esse successores Apostolorum; dico verissimam esse hanc sententiam, quod si diuersarius Ecclesiam audit, & ipse probabit eam, & sic cadet infœlix suus error, quo negat Episcopum iure diuino superiorem presbyteris, sicue enim semper hactenùs creditum est, Episcopos successores Apostolorum, itá & presbyteros Discipulorum septuaginta duorum, ve suprà quoque meminimus, dum has spinas diuersarij resecaremus, quis autem fidelium vnquam tanto delirio delirauit, vt diceret Discipulos æquales Apostolis? succurrit nunc mihi B. Hieronymus, super quo ædificabat diuersarius in superioribus. Verùm fundamenta minùs rectè iacta per diuersarium. Ex eodem Hieronymo audiamus, in Apologia aduersùs Ruffinum ad Pammachium, & Marcellum dicente, sciat (quis) multùm mihi esse, de Angelis, & Seraphin, & Cherubin dicere dæmones fieri, & homines, quod affirmat Origenes, & ipsos inter se Angelos diuersa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ repugnat, quomodò & inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diuersus est, cum Episcopus, & Presbyter, & omnis Ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum, & tamen omnes homines sunt. Sic & inter Angelos merita esse diuersa, & tamen in Angelica omnes persistere dignitate. Confer iam optimè Lector, & expende verba Hieronym. an sint diuersi gradus iure diuino in Sacerdotio, & Episcopatu, nisi quis extremè desipiat, & neget ordines Angelorum iure diuino esse distinctos.

Sed redeamus, vndè digressi sumus, assumat diuersarius Episcopos successores Apostolorum, quod fateor; At per hoc Rom. Pontif. Primatus non improbatur, quoniam & Apostoli cæteri Petrum agnouerunt eorum Principem esse, vt lib. 1. & 2. probauimus. Cum hoc tamen liberè confitemur, sicut omnes Apostoli fuerunt æquales Apostolatu, & ordine Episcopatus, sic etiam modo omnes Episcopi sunt æquales ordine, longè tamen differentes regimine, & potestate, tam iure diuino, quàm iure humano.

Non curemus pomposa verba diuersarij, an sit truncus, vel stips, obseruantes modestiam Theologicam, solùm diluamus obiecta, & dicamus tria sunt fundamenta in Apostolis, scilicèt, ordo Episcopalis, Apostolatus, & regimen, in duobus primis erant omnes æquales, sed non in tertio, vt in superioribus adduximus Anacletum, Cyprianum, Hieronymum, & Leonem, at in tertio Petrus plurimùm differebat à reliquis Apostolis.

Aphrorum dignitas. Nam primo ipse erat constitutus ordinarius Pastor vniuersalis totius Ecclesiæ Ioann. vltimo, sed Apostoli ex speciali gratia acceperunt eorum potestatem à Christo, quàm aliàs erant accepturi à Petro,& itá verus Dominus Iesus in conferendo præuenit suum Vicarium. Vndè alij Apostoli facti sunt in regimine, quasi legati non ordinarij, iuxtà illud Pauli 2. Corinth.5. legatione pro Christo fungimur, & ad Ephes. vlt. legatione fungor in cathena ista.

Ex quo statim eliciuntur aliæ differentiæ. Nàm licèt primò regimen Apostolorum extenderet se ad omnem locum,itá quòd vbique poterant exercere suam potestatem in quemcumque locum deuenissent, etiamsi specialiter alicuius loci curam suscepissent: tamen vnus Apostolus non habebat potestatem suprà alium, dempto Petro, qui erat Princeps omnium, vt in libro primo, & secundo ostendimus.

Sequitur secundò: cur potestas Petri est perpetua, & indefectibilis? quia est ordinaria Petro data pro se, & successoribus, ipsi soli dictum est, [pasce oues meas,] aliorum verò potestas etiam regiminis erat solùm delegata, & personalis. Vndè modò Episcopi sunt successores Apostolorum, non in Apostolatu, sed in ordine celsiori, idest Episcopali. Et in regimine sunt successores Apostolorum, non quo ad regimen illud vniuersale, quod habuerunt Apostoli, & poterant eo vti ad quemcumque locum deuenerint, sed solùm quo ad regimen certi loci, & certæ Ecclesiæ, sicue obseruatum est à temporibus Apostolorum.

Sed acutus, & ingenio valens statim obijcit: cur Episcopi non succedant Apostolis in eorum vniuersali regimine? Eijciam huuc scrupulum, quia in Apostolis gemina fuit vis regitiua, seu duplex regimen, vnum sequebatur, & erat quasi appendix Apostolatus, & sicut in vniuerso Orbe poterant docere omnes gentes, & fundare Ecclesiam Dei, sic dedit eis, & potestatem regendi easdem. Aliud autem erat regimen, quod Episcopatus ordinem comitaretur, vt sibi certo loco sedes fixerant Episcopales, & meminimus in superioribus. Regimen Apostolorum.

Iàm quisque, vel mediocriter doctus intelligit: Episcopos sicut sunt successores Apostolorum in ordine, & fastigio illo hierarchico, itá successores esse in regimine certæ Ecclesiæ, aut certi loci. Et sicut non sunt successores Apostolorum in dignitate Apostolatus; itá nec sunt successores in regimine vniuersali consequente Apostolatum, loquar rusticius, vt intelligar planiùs, non quæro phaleras verborum, non pictæ munia linguæ, præstat plùs sapere corde, quàm ore infœlix, cuius verba humano more in ore, quam in pectore nascuntur.

Consectarium est ad prædicta, quomodò Linus, qui Petro successit, velut vniuersalis Pastor, omnibus Fidelibus, tunc vitalem auram spirantibus, fuit superior regimine, & prælatione, sacra tamen illa anima Ioannis Evangelistæ (itá appellat eum Dionysius) eo tempore adhùc in vita existens, Apostolatu Linum præcedebat, in quo Apostolatu, & id continebatur, vt esset fidei propagandæ fundamentum, Ecclesiæ columna, & Christianæ Religionis propagator. Vndè etiam S.Ioanni, in his, quæ erant fidei plùs existimo esse credendum, quàm Lino, & omnibus Episcopis, non Apostolis. Nisi vererer fastidium parituram Lectori, adducerem rationes cur Comparatio Lini, & sancti Ioannis.

Vicarij particulares, ideſt Epiſcopi, inſtituuntur à Papa, aut Primatibus, quibus à Papa committitur, & tamen de Vicario generali Papa non dicitur, quòd ſuam poteſtatem ab aliquo homine accipiat, ſed immediatè à Deo, licèt ab hominibus eligatur, quòd etſi ratio vniuerſalis, & ſpecialis Vicarij benè expenſa reſolutionem indicet, tamen quia fortè plura imbiberent dubia, ideò miſſa, faciamus illa.

Applicando ergo ad propoſitum obiectionem Lutheranam, ità diluo. Succeſſor Petri habet vniuerſalem poteſtatem, & regimen, ſed ſucceſſores aliorum Apoſtolorum non habent vniuerſale regimen, etiam quale Apoſtoli habuerunt. Et ratio omnium iàm liquet, quia nec Papa, nec Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis in Apoſtolatu, ità nec in regimine connexo Apoſtolatui, ſed quia præter executionem Apoſtolatus, Petrus habuit vniuerſale regimen totius Eccleſiæ, illud habet etiam ſucceſſor ſuus Papa; alij autem Apoſtoli, præter executionem Apoſtolatus, non habuerunt niſi regimen particulare, ideò & Epiſcopi eorum ſucceſſores non ſuccedunt niſi in regimine particulari.

Hinc eſt, quod vna dicitur eſſe Cathedra in Eccleſia Dei, non duodecim ſecundùm duodecim Apoſtolos, vt verè ait poſt Cyprianum Optatus Mileuitanus libro II. contra Parmeuianum, Cathedra vna eſt, & negare non poteſt ſcire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram eſſe collatam, in quo vno Cathedræ vnitas, ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet; vt iàm ſchiſmaticus eſſet, qui vnam Cathedram, aliam collocaret. Vnde ſi iſta ratio diuerſarij haberi deberet in Eccleſijs ordinandis, numquàm Eccleſia Alexandrina fuiſſet prælata Epheſinæ, cùm in Alexandria diſcipulus Marcus, in Epheſo Ioannes Apoſtolus ſederit, modò ſemper oppoſitum fuit ſeruatum à tempore Apoſtolorum.

Quod diuerſarius aſſumit, Papam à nemine ordinati, eſt mihi numeris Platonis obſcurius, nàm vel per ordinationem intelligit electionem, ſic conſtat à vero plurimùm eſſe alienum, cùm tamen digeſtè, & maturè modus eligendi Romanum Pontificem ſit præfixus, & circumſcriptus, nec omnes Epiſcopi ſic à Papa ordinantur, aut diuerſarius per ordinationem intelligit conſecrationem, ſic iterùm in veritatem committit diuerſarius, quoniam quòd ab antiquo Epiſcopus Hoſtienſis Papam conſecrauerit, manifeſtum eſt, licèt nouiſſimis temporibus conſtitutum ſit, ſemper ſeniorem Epiſcopum Cardinalem conſecrare Papam, aut per ordinationem diuerſarius abuſiuè, & omninò impropriè intelligit confirmationem. Sic verum eſt Romanum Pontificem iàm à nemine ordinari, tamen alij Epiſcopi ordinantur ab eo; cuius ratio iàm pluries expoſita fuit.

CAP. XLIV.

Obiectiones Lutheri deluuntur, in primitiua Eccleſia ſanctos Martyres fuiſſe ſub Papa, & quomodò Romæ, non Hieroſolymis voluit Primatum Eccleſiæ reſidere.

Alia ratione hoſtis nos aggreditur, cùm vidit primam aciem fractam eſſe, reſponde inquit: [Si Romanus Pontifex præcepto Dei eſt Vicarius generalis in tota Eccleſia.] Sequitur ineuitabiliter eos peccare; immò eſſe hæreticos, qui non ſub eo fuerint. At tunc tota primitiua Eccleſia, ſaltèm vſque ad 400. annos, cùm tot Martyribus, & Sanctis hæretici erunt. Obſecto quid prodeſt, tantam blaſphemiam in Eccleſia pro fumidæ poteſtatis pōpa ſtatuere? denique etiam ſanctus Petrus erit hæreticus, qui antè Romanam Eccleſiam cum Apoſtolis fuit Hieroſolymis.

Vndecimò, ſic argutatur diuerſarius: Si vlla Eccleſia eſt prima, & mater omnium, non eſt alia, niſi Hieroſolymitana, vt dixi ſupra; quid enim faceret Roma, ſi haberet hæc pro ſe, quæ habet illa? Nempè quod Iſaia, & Michea, & omnes Prophetæ pronunciarunt, de Sion exituram legem Euangelij, & de Hieruſalem verbum Domini.

Item, quòd Dominus ibi dedit gloriam in domo ſua nouiſſima, vt Haggæus dicit, quod Chriſtus ibi Pontifex. Apoſtoli autem velut Presbyteri, quòd Chriſtus ibi oblatus, Spiritum ſanctum miſit.

Et breuiter, hinc in omnem terram exiuit verbum Dei, hinc omnes Eccleſiæ, nec eſt vllius tam impudens frons, qui poſſit negare, hanc eſſe verè matrem Eccleſiarum omnium, fontem, radicem, ac matricem etiam Romanæ Eccleſiæ. Si ergo hæc non habet Primatum. Immò vix quintum ei dederunt, quantò minùs Romana habet, quæ eſt eius diſciplina? dicat aduerſùs hæc aliquid, qui poteſt. Hæc diuerſarius.

Non recedendo à ſancta veritate ſuperiùs enucleata, & defenſa, nihil terreamur magnificis, & tragicis Lutheri verbis, nàm cùm petit ſibi reſponderi, ſi Romanus Pont. ſit Vicarius Dei, peccaſſe eos, qui non ſub eo fuerint, aſſentior omnes, qui Petro, vel ſuis ſucceſſoribus fuerint rebelles, inobedientes, fuiſſe vel hæreticos, vel ſchiſmaticos, in his, quæ ſunt fidei. Et cùm ſubſumit diuerſarius, ſanctos Martyres in primitiua Eccleſia 400. annis fuiſſe hæreticos, quia Rom. Pont. non fuerint ſubiecti, hoc inquam impium eſt, & blaſphemum, tot ſanctis Martyribus crimen rebellionis, ſchiſmatis, & inobedientiæ impingere, cùm luculentiſſimis Martyrum teſtimonijs probauerimus illum Primatum Pontificium.

Vndè conſtat diuerſarium hìc in foribus peccare, cùm exiſtimata 400. annis primitiuæ Eccleſiæ, non omnes Epiſcopos fuiſſe ſub Petro Rom. Pontif. aut eius ſucceſſoribus, quare & in alijs oportet, vt fœdè labatur.

tur. Vnde rectè agit hic diuersarius sophistam, cùm id minimè probet, in quo totius rationis pondus hæret, debebat enim fidem facere de eo, quòd sancti Martyres, & Fideles à 400. annis primitiuæ Ecclesiæ non fuissent sub Romano Pontifice. Nàm præter multa alia, meminimus nos adduxisse Nicænam Synodum, quæ fuit intrà illos 400. annos. Et tamen ex ea conuincitur Summus Pontif. Romanus tenere Primatum, audet tamen funidam ratiunculam diuersarius dicere innitam rationem, ità plùs prædicat sua arma, quàm ipsis lædat.

At ridiculum omninò est, quod sequitur, sanctum Petrum, stante illa sententia, fuisse hæreticum, cauillum enim illum libro 1. disseruimus; nàm Petrus antè fuit Pastor vniuersalis Ecclesiæ constitutus, Ioan. vlt. nondùm tamen locus erat ei à Domino Iesu designatus, nisi quòd sedem Antiochiæ posuit; & posteà septimo anno, Domino iubente, vt Marcellus Martyr testatur, transtulit sedem suam ad Romam, caput Orbis. Itàque Petrus factus est primò vniuersalis Pastor ex commissione Christi, & dein iussu eius factus Pontifex Romanus; & ità probat ratio hoc, & euincit, aliquandò fuisse Summum, & Maximum Pontificem, quandò non fuit Romanus Pontifex, sicut quandò fuit Antiochiæ: nàm tùm verum erat, Antiochenum esse Summum Pontificem; at quia illud ius primitùs, quod sanctus Petrus habuit à Deo, illud, iussu Dei, dimisit Ecclesiæ Romanæ. Ideò consecutione sedentis, ipsa habet iàm illud Diuinum, quòd sit prima omnium, & magistra, & omninò nullum colorem habet hæc ratio pretenuis.

Non dissimilis est sequens ratio, inanis videlicet, & minimè stringens: nàm cùm probare proponit, Hierosolymitanam Ecclesiam esse primam, & matrem omnium. Si de prioritate loquitur originis, & temporis, neminem habebit sententiæ suæ aduersantem, non enim solùm Hierosolymitana Ecclesia fuit prior tempore Romana, sed & Samaritana, & Antiochena. Porrò si ad prioritatem respexeris dignitatis, & excellentiæ. Roma prior omnium est, quæ omnibus auctoritatem impartitur, & influit, & ea quidem ratione Cyprianus, & Ambrosius appellant eam Matrem Ecclesiarum, cum alijs libro 1. memoratis. Vnde non refragor, allegata per diuersarium facere pro honore Ecclesiæ Hierosolymitanæ, si ipsa rerum initia, si originem, & caput inspexerimus. At contrarium eueniet, dùm fontem, & radicem principalis eminentiæ, & dignitatis attenderimus, quia hâc prærogatiuam obtinuit cælesti beneficio Ecclesia Romana, & quod inquit diuersarius, vix Hierosolymitanam Ecclesiam quintum locum obtinuisse, dico plùs eam nullum locum sedis principalis obtinuisse omnium vsque ad sextam Synodum, de quo plura in solutione decimæquartæ obiectionis.

At miraris, cùm Dominus Ecclesiam Hierosolymitanam morte, & passione sua dignatus sit honorare, ibi mortuus, sepultus, resurgens, ascendens, Spiritum sanctum mittens, &c. Quamvis nemo consiliarius Dei existat, tamen iuxtà antiquorum traditionem in superioribus fuere aliqua adducta. Cur Primatum Ecclesiæ voluerit Deus Romæ; quibus iàm illa adde, quoniam Deus elegit locum propter gentem, non gentem propter locum; ideò cùm Christus præuiderit fidem citiùs Hierosolymis defuturam, quàm Romę, ea propter noluit eam esse Ecclesiarum primam, & superiorem, in qua tam breui tempore futura esset fidei subuersio. Nàm prima hæresibus fuit deprauata, sicut aliæ Ecclesiæ Orientales, dein ab Infidelibus occupata, ideò decentiùs, & vtiliùs erat eligere primam sedem durabiliorem, qualis est Sedes Romana, quæ Deo prouidente (vt Iulius ait,) & sancto Petro ferente opem, in futurum manebit, nullis Hæreticorum latratibus succumbens.

Cur Roma electa.

Expende iàm Lector, quid sibi velit aduersarius, cùm prouocet Lectorem, vt si possit quid respondeat, quasi casses isti araneatum adamantinis vinculis fortiores essent, mihi ipsi tempero, Theologicam seruaturus modestiam, alioquin Lutherana suis coloribus depingerem fulmina, at quia petije sibi responderi, videor locupletè ei satisfecisse.

CAP. XLV.

Obiectiones duæ Lutheri ex Concilio Niceno, multa hic contra laudabilem Concilium Constantiense sacrum.

Duodecim diuersarius instruit ratione m ex auctoritate Concilij Niceni, in quo plura verba in varijs suis libris semper mordaciter prodigit, & tamquam securus de victoria, opponit illud Concilio Constantien. Vndè in præsenti libello ait, Concilium Nicænum, vt scribitur libro 10. cap. 5. historiæ Ecclesiasticæ, statuit artic. 6. in hunc modum: Et apud Alexandriam, vel in Vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt vel illi Ægypti, vel hic suburbanorum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.

Responde, hoc Concilium omnium ferme sacerrimum est, & ecce non modò, non Primatum, & Monarchiam Roma, non dat Pontifici, sed ex vetusta consuetudine, non iure Diuino tribuit sollicitudinem Italicarum, & suburbanarum Ecclesiarum, atque hæc in propositione mea tetigi quando contra frigidissima decreta, staret decretum huius Concilij. Si ergo sum hæreticus, age, tollant primum hoc Concilium, cui me ipsa quoque decreta, tamquam Euangelio cogunt obedire, non possum duobus Dominis seruire contrarijs.

Tertiodecimò loco altera vice adducit Concilium Nicænum, quod statuit non à Rom. Pontif. omnes Episcopos ordinari, sed à Prouincialibus Episcopis, dicens: [Et si forrè in ordinando Episcopo, duo, vel tres, pro aliqua contentione dissentiant, reliquorum auctoritas, & præcipuè Metropolitani, cùm cæteris firmior habeatur. Obsecro quid ampliùs facere debeo? nonnè satis est, quòd Romano Pontif. omnia, quæ sibi arrogat, libens credo, debeo insuper probare, quòd hæc

hæc decreta sunt contempta,& irritata,vnius Episcopi arbitrio.

Et in resolutionibus ad Spalatinum longè impatientibus mordet, quod si est de iure Diuino, inquit, Roman. Pontif. omnia in omnibus Ecclesijs posse, non est in eius potestate, vel Concilij statuere, aut permittere contrarium, & ità defendens Primatum Romanæ Ecclesiæ,asserat tùm sacratissimum Concilium, tùm ipsos Pontifices ius Diuinum soluisse, & infrà. Ad hoc descendit, si articuli Ioannis Hus, negantes Primatum Ecclesiæ Romanæ, sunt damnati. Mauule credere ConciliumConstantien.errasse,quàm quòd recedat à Concilijs Niceno, & Africano; nàm priùs dixerat satis clarum esse in Concilio Constantien. Inquisitores hæreticæ prauitatis, obtinuisse tyrannidem. Et in disputatione Lipsita ait: Articulos aliquos damnatos Ioannis Hus, in Concilio Constantien. esse Christianissimos, & Euangelicos, & agentibus iniquis adulatoribus esse damnatos. Ità scribit Concilium nouissimum Lateranense, contrarium statuisse Concilio Constantien. de potestate Papæ super Concilium subdens: Atque ità,scilicet inuicem sese reprobantia Concilia, interim satis nos tutos reddunt, & liberos ad contradicendum vtrique, quæ enim sibi diffident, vtì conuenient.

Et in propositionis primæ resolutionibus ait: Volo liber esse, & nullius, seu Concilij, seu Potestatis, seu Vniuersitatum, seu Pontificis auctoritate captiuus fieri; quin confidenter confitear, quicquid verum videro, siue hoc sit à Catholico, siue Hæretico assertum, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocumque Concilio.

Et infrà: Ità & in Constantien. Concilio definita contraria.

Primum determinatum illic est, Concilium esse suprà Papam,quod ego verissimum iudico; & quòd si hoc verum est, apparet Concilium Constantien. malè damnasse articulum hunc Ioannis Hus, Papa non est iure Diuino super omnes Ecclesias.

Et infrà: Atque ità patet Constantiense Concilium, aut articulum Hus malè damnasse, aut contrà ius Diuinum impiè determinasse, & egisse.

Et Infra: Id quod in Constantien. Concilio determinatum est, Papam esse infrà Concilium, & Ecclesiam, ac per Basileen. confirmatum, iàm nouissimo Romano Concilio est reprobatum, & totum Basileen. abrogatum, atque statutum Papam esse superiorem Concilio, quid hic dicemus? Necesse est, aut Romanum, aut Constantien. Concilium hæreticum esse, si non licèt à decretis Concilij recedere. Denique via iàm nobis est facta enarrandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, ac iudicandi eorum decreta. Nàm, vt dicunt, si in vno articulo errasse deprehenditur, iàm tota eius vacillat auctoritas, quis est igitur tàm audax, qui me præsumat hæreticum arguere? Etiamsi vniuersa decreta Concilij tàm Romani, quàm Constantien. negem?

Et infrà:Sed ad Constantien.Concilium reuertor, quo magis impetor, cuius damnation em in articulo illo Hussitico, Papa non est de iure Diuino super omnes Ecclesias, etiam ideò iniquam assero, quòd sit contraria Niceno Concilio, & Africano, & toti Orientali, & Africanæ Ecclesiæ. Cùm nonnisi sexta Synodo Chalcedonen. oblatus sit Primatus (non iure Diuino) sed ab Ecclesia Romanis Pontificibus, nec sit tamen ab eis assumptus, vt scribit sanctus Gregorius. Nàm si iure Diuino staret Primatus,Nicænum,cum quatuor sequentibus, esset hæreticum,omnesque in Ecclesia Orientia hæretici, hæretici Romani Pontif. qui oblatum Primatum respuerunt, quare volo auctoritati Constantien. Concilij nihil cedere.

Item,in fine resolutionum ait: Iàm quod ab initio egimus. Concilium Constantiense determinauit, Concilium esse suprà Papam, sicut & huius determinationis vsum ibidem statuit deponendo, & statuendo Papam. At si iure Diuino, Papa omnibus esset superior, Concilium hæresim, & fecit, & definiuit, quia hæreticum est diuinum ius damnare, & contrarium statuere.

Et infrà. Quòd si Papa est iure Diuino, non licet eum deponere vllo modo, siue sit malus, siue bonus, siue Hæreticus, siue Catholicus, sed est tolerandus vsque ad mortem, sicut Saulem à Deo vnctum iure Diuino Regem, Dauid tolerauit, quare iterum errant, & hæretica erunt decreta, quæ statuunt Papam pro hæresi deponendum, quia contrà ius diuinum statuunt, eum non sit superior, qui deponat, si autem est vllus superior, vt Concilium (quòd est verum) iam ipse non est superior omnium iure Diuino, sed accipit hanc superioritatem humano Concilij iure, cui rursùs eam debet mutandam eius arbitrio.

Et in molesta scriptione contrà Dominum Hieronymum Emser, Sacerdotem, prudentia, integritate, morum & eruditione iuxtà clarum, ait. Mea propositio,de Primatu Papæ, non est mea, sed Concilij Niceni, tibi ergo ista consequentia est probanda,Martinus est hæreticus in huius sententia propositionis, ergo Concilium est hæreticum. Hæc Luther in locis præallegatis.

CAP. XLVI.

Quæ mala sequerentur, si auctoritate Conciliorum errores non possent condemnari, & Heresiarcha ab Ecclesia damnati anathematizantur.

TAnta sunt, quæ ex Luthero attulimus, temeritate onerata, vt Christianus vix pijs auribus ferre, vix sine gemitu legere possit. Conciliorum sacratiss. auctoritatem, non ab vno Episcopo,sed ab vno Fratre euacuati, qui nullius Concilij auctoritate vult premi, quòd si hanc licentiam Catholico permittimus, iam actum est de fide Christiana, iam nullus fuit hæreticus. Nam omnes hæretici dixerunt, quòd videbatur eis verum esse, repugnabant Catholici ex sacris literis, quibus glossas pro libito dederunt hæretici, & alios locos sacræ Scripturæ pro se allegabant, quis

quæso

quæso optimè lector definiet, vter tectiùs teneat intelligentā Scripturæ secundum, quòd Spiritus sanctus efflagitat, nisi vel Concilium, vel Papa, alioquin miserrima esset fides nostra omnium, quòd cum ambiguum aliquid in fide credendum ponetur. In vtramque partem doctissimis existentibus assertoribus, non haberemus in tot dubitatum remedium, ad quod Catholici recurrerent pro dubietate tollenda, & ità fideles essent dubij in fide, absit, vt demus hanc ansam hæreticis blasphemandi Ecclesiam, Deus sponsam suam non relinquit, cum quā mansurus est vsque ad consummationem seculi. Vndè si hæretici Arriani hanc haberent, & licentiam, & libertatem, quam sibi fingit, & format hic diuersarius, dicturi sunt, Catholici sumus, quia non cogimur auctoritate Concilij Niceni nos damnantis, liberè volumus confiteri, quod videtur nobis verum. Si non cogit nos auctoritas Concilij, parati sumus nostra ostendere ex sacris literis, & quantumcunque plenissimè diluerentur eorum fundamenta, tamen ità semper iudicauerunt, eorum auctoritates, & rationes fore inuictas, & solutiones eorum esse bonas, & sufficientes ad obseruantia tela Catholicorum elidenda, quis iàm erit Iudex? non admittent hominem singularem, quia si pronuncient contrà eos, allegabunt & eum suspectum; & quia sic homo, possit errare, si factum fuerit Concilium, dicturi sunt, homines sunt, errare possunt; & ità in eorum peruersa hæresi sub his folijs semper latitabant, quòd de Arianis, hoc de omnium Hæreticorum generibus loquitur.

Video, candide Lector, & Catholicè, quàm ampla via strata sit per diuersarium hæresibus, & Hæreticis, quo se tueantur, vbi latitent, quo se inuictos defendant, sed dispellenda sunt Hæreticorum armamenta, efodiendæ speluncæ, euellendæ, & diruendæ munitiones denudandæ insidiæ, apparatus, sophisticus detegendus, exuendi illis operculis, vt nuditas eorum pateat, sancta Mater Ecclesia laudetur, immò magis Sponsus ipse Dominus Iesus magnificetur, quam suam Sponsam sanctam Ecclesiam numquam derelinquit malleis Hæreticorum succumbere.

Excommunicemus, & anathematizemus omnes, à sancta Ecclesia Dei excommunicatos, & anathematizatos ab ipsis Apostolis Nicolaum Basiliden, Cherintum, Marcionem, Valentinianum, Hermogenem, Manetem, Paulum Samozatenum, Arium, Nouatianum, Donatum, Iouinianum, Helmidium, Ebionem, Fotinianum, Eunomium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem, Bonifacium, Pristinum, Luciferum, Pelagium, Nestorium, Euthicen, Dioscorum, Petrum Mongium, Petrum Antiochenum, Sergium, Pyrrhum, Titum, Nicephorum, Photium, Abelatdum, Marsilium de Padua, Waldenses Pauperes de Lugduno, Ioannem Wicleff, Ioannem Hus, & quotquot à sancta Dei Ecclesia sunt condemnati.

Et si vllo loco maximè pugnandum est, cum Luthero, hic omnibus neruis in obsequium Christi, cum eo confligemus, & acerrimum ei monebimus bellum, quod tamen non præsenti libro, sed alio, Dei gratia adiuuante, præstabimus, de auctoritate sacrorum Conciliorum inscripto, vbi si Deus nos iuuerit, plura, rara, remotiora, & primitiuæ, & prouectæ Ecclesiæ gesta tractabimus, Lectoribus, & grata, & iucunda, ac quod omnium optimum, vtilia, qua de re in præsenti solùm tractemus de Concilijs, quantùm Primatum Petri, & Romani Pontificis attingunt, quæ eo indoctus, & imperitus tractat diuersarius, quo minùs illa vidit vmquam, sic Andabatarum more in tenebris pugnat, quod, vt Lectori pio, & Catholico ostendam, opus est, vt sic Christo, piè, & sobriè sapiamus pro nostra salute, & proximorum ædificatione.

CAP. XLVII.

Canon VI. Concilij Nicæni ponitur, tantùm tres fuisse Sedes Patriarchales ostenditur, Canon declaratur, declaratio roboratur ex VIII. Synodo, & lapsus Lutheri explicantur.

PVgnat ergo diuersarius primò ex Concilio Nicæno, sed quàm frustrà illud in aciem ducat, liquet ex lib. 11. vbi ostendimus potentissimè Primatum Romani Pontificis probari ex Concilio Nicæno, attamen, vt ex ordine sua purgemus. Primò ponam ipsum Canonem Concilij Nicæni, & cùm Concilium fuerit grecè fuerunt Canones scripti in Concilio Nicæno, & Chalcedonensi, licèt plures Latini interfuerint, etiam Auctores Canonum.

Canon VI. Concilij Nicæni.

Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ità vt Alexandrinus Episcopus horum omniū habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem, & apud Antiochiam, cæterasque Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs.

Synodus Carthaginensis exemplaribus attici Constantinopolitani, & Cyrilli Alexandrini paulò diuersiùs transtulit sic.

Mos antiquus perduret in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, & Alexandrinus Episcopus, horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Romano Episcopo parilis mos est. Similiter autem apud Antiochiam, & cæteras Prouincias, honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.

Huius Canonis sententiam primò aperiam, quia nec summarium, nec glossam in Gratiano eam sunt assecuti, deinde conferam ad diuersarij inductionem simul exponens nihil facere eam contrà Primatum Romani Pontificis. Nam hoc te non lateat, ab initio tantū tres fuisse Sedes Patriarchales Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, ideò solùm fit mentio hic illarum trium Sedium Patriarchalium. Vndè superiùs, cùm agebatur de Ioanne Hierosolymitano, diximus, eum à Synodo Antiochena damnatum, quia is suus fuerat Patriarcha. Na.. tota Palestina. Immò totus Oriens subiectus erat tunc Patriarcæ Antiocheno, testis est beatus Hierony-

tonymus ad Pamachium de erroribus Ioãnis Hierosolymitani dicens. Tu qui regulas quęris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, & alienos clericos, & cum suis Episcopis commorantes, tibi niteris vsurpate, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palestina, quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, vt Palestinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia; dein dicit, illum Metropolitanum, Cæsareensem, quem debuisset adijsse Ioannes, vel Antiochenum.

Et pro hoc est notabilis epistola beati Gregorij ad Eulogium, cuius suprà quoque meminimus, quomodo tres istę Sedes sint vna Cathedra, per quas omnis Ecclesia colligetur, & plura alia possent in huius rei fidem produci, sed Canon Concilij Nicæni, quem versamus, hoc satis indicat. Voluit ergo sacrum Concilium Nicænum, quòd sicut Pontifex Romanus habeat potestatem super omnes Ecclesias sui Patriarchatus, ità Alexandrinus habeat potestatem Patriarchalem super Ecclesias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis. Sic & Antiochenus super aliàs Prouincias Orientis, potestatem habeat Patriarchalem. Sed per hoc non euincitur quicquam contra Primatum Romani Pontificis. Nam & si vt Patriarcha, nullam habeat super dictas Prouincias potestatem, tamen omnium Ecclesiarum Episcopi adhuc sub eo erant, & ad ipsum appellabant, sic Athanasius Patriarcha Alexandrinus, ad Iulium, Flauianus Constantinopolitanus Patriarcha ad Leonem, Ignatius Constanti; ad Nicolaum, Romanos Pontifices appellarunt, modò appellat quis ad maiorem, & superiorem, vt supra ostendimus, eos hoc potuisse facere auctoritate Nicęni Concilij, non ergo isto Canone improbatur Romani Pontificis auctoritas, sed Patriarchalium Sedium robur affirmatur.

Et hanc esse intelligentiã canonis Nicæni Concilij, liquet, quoniam sic accepit ipsum Synodus VIII. Cuius Canonem supra adductum, hic repetamus necesse est. Eius decretum XVII. est istud. Sancta, & vniuersalis Nicæna prior Synodus antiquam consuetodinem iubet seruari per Ægyptum, & Prouincias, quæ sub ipsa sunt, ità vt horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens, qui & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos præualuit, qua pro causa hæc sancta, & Synodus tam in seniori, & noua Roma, quàm in Sede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari, ità vt eorum Præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui ab alijs promouetur, siue per manus impositionem, siue palij dationem, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad eos conuocandum vrgente necessitate ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam accusauerit forsan. Et infrà. Consueuerunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideòque sicut dicunt ad Patriarchale penitùs non posse recurrere caput. Sed sancta hæc, & vniuersalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa nouit rationabiliora esse, ac vtiliora Metropolitanorum Concilijs, quæ à Patriarchali Sede congregantur, & ideò fieri exigit. A Metropolita quippè vnius Prouincia efficitur. A Patriarcha verò sæpè totius Diœceseos causa dispensatur, ac per hoc communis vtilitas prouidetur, propter quod, & speciale, propter generale bonum despici conuenit, cum maioribus super hoc facta fuerit aduocatio, quamuis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo & Canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videatur, non currentibus eis ad communem profectum, quas leges Ecclesiæ seuerè condemnantes, omni excusatione semota, subiacere vocationibus proprij Patriarchæ, siue cum communiter, siue cum sigillatim factæ fuerint, exigunt. Habens candidissime Lector planissimam Nicæni Concilij explicationem, de quo more, & antiqua consuetudine loquatur quem velit seruari Alexandrino Patriarchæ Romano, nihil ibi de Primatu Summi Pontificis agitur, sed Patriarchali potestate. Nam hic intentio Concilij Nicæni explicatur, cum textus Concilij est insertus, ideò seruari debet, sic etiam intellexit Papa Nicolaus scribens ad Primatem Bituricensem Rudolphum, in epistola incipiente. Conquæstus est frater noster Sigodus. Renarrat Gratianus X. quæst.3. conquæstus.

Iam liquet primò diuersarium (quia non vidit Canones Concilij Nicæni, corruptè allegasse Concilij Canonem, quoniam non se habet, vt eum euocauit, sicut inspicienti est obuium, quòd si Canonum istorum copiam habere non potuit, arguendus est, qui tam temerè de ijs pronunciet, & ob hos sacro Concilio Constantiensi iniurietur, arguendus est, & indiligentiæ, quoniam si vigilanter in decreto Gratiani quæsiuisset, vti se iuristo Theologum pollicetur, reperisset Canonem Concilij Nicæni distinct. 65. Mos est.

Secundò, etiamsi verba illa attendamus, quæ posuit, non sunt Eusebij Cæsareensis, vt diuersarius autumat, quamuis ille Auctor sit Ecclesiasticæ historiæ, vt Hieronymus de illustribus viribus testatur; tamen decimus liber, & vndecimus est Ruffini, vt testatur in epistola ad Cromatium Episcopum. Vndè liberiùs declinare possumus Ruffini narrationem, quàm aliquod Concilium sacrorum negare. Habito autem fonte, non oportet recurrere ad riuulos, potissimùm si à dulcore natiuo fontalis originis degenerent.

Tertiò, etiamsi riuus iste etiam non sit amarus, tamen interpretatione diuersarij amarescit. Sit ità quòd Alexandrinus habeat curam Patriarchalem Ægypti, & Romanus curam Patriarchalem Italicarum, & suburbanarum Ecclesiarum. Non per hoc negauit Primatum vnius Patriarchæ super alium, sed vniuscuiusque potestatem in subiectas Ecclesias asseruit, quam nemo vir bonus vnquam negauit.

Quartò, liquet quàm infœliciter dicat Concilium Nicænum non dare Primatum Romano Pontifici, quoniam lib. 11. ostendimus fore in eo constitutum, vt Episcopi in vniuerso Orbe constituti, possent prouocare Ro. Pont. modò appellatio sit ad maiorẽ. Pa-

rum

rum etiam fœliciter tradit, quod ait, tribui Romano Pontifici Italicarum Vrbium Primatum, non de iure Diuino, sed antiqua Consuetudine. Nam plus arbitror valere apud Catholicum, expositionem Concilij octaui, quàm Lutheri, modò Concilium VIII. interpretatur antiquam consuetudinem, de qua loquitur Canon Nicænus, de euocatione Episcoporum, correctione eorum, ac confirmatione. Nihil agitur hic de Primatu Summo totius Ecclesiæ, & in his tribus voluit Synodus conseruari antiquam consuetudinem.

Potrò, ieiuna est consequentia, illud est de consuetudine, itaque non est de iure Diuino, Sacerdotes ordinari est moris, negabis ne hoc esse iuris Diuini? matrimonia sunt quotidiana, præscindes ne ista à iure Diuino? quid dicis, mi frater Luther in Christo dilecte? negas ne consuetum esse iure Dinino? & quid aliud magis optare debemus ambo, qui Theologicum nomen fatemur, quàm vt ius Diuinum esset consuetissimum, quo vitia & peccata essent minùs assueta. Noli ergo inferre frater, Canon Nicæni Concilij sanxiuit hoc esse consuetudinis, vel moris, itaque non est de iure Diuino; quamuis parum referat ad præsens institutum. Desine ergo diuersari exclamare, vt hoc Concilium sacerrimum collatur, noli dicere, seruire Primatui contrariari Concilio Nicæno, oon sunt hæc contraria, vt opinaris, ooli dicere Concilium Nicænum te legisse, quod numquam vidisti, saltem cum hæc scribens, placet ergo, & perplacet, vt Nicæno Concilio inseruias, sicut adduximus, non velut tu sinistrè interpretaris.

Consuetum de iure Diuino.

CAP. XLVIII.

Reliqua pars Canonis VI. Concilij Nicæni explicatur, variatio ordinationis Episcoporum aperitur, omissio Synodorum Prouincialium deploratur. Et quòd solus Romanus Patriarcha habeat sub se Primates.

INduxit dein Luther alium articulum Concilij Nicæni, & quia ex originalibus eum non accepit, non mirùm si claudicet. Ego autem optime Lector, curabo ne te ità famelicum dimittam? sperans pro amore Christiano, & fraterno, vt præces apud Deum O. M. fundas pro me misero peccatore, ideò tibi præscribam, reliquam partem Canonis sexti, quam ille videtur denotasse. Nam & in Ruffino, vndè emendicauit, mox sequitur.

Canonis VI. Nicæni pars vltima.

Illud autem generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus. Hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regulam Ecclesiasticam comprobato, duo, aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum.

Alia translatio legit.

Per omnia autem manifestum est, quòd si quis præter conscientiam, & voluntatem Metropolitani Episcopi, fuerit ordinatus, hoc Concilium sanctum, & magnum censuit oon debere esse Episcopum; sanè si communi omnium consensu rationabiliter probato, secundùm Ecclesiasticam regulam, duo, vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum Sacerdotum sententia.

Addidi illam secundam translationem, vt videat frater meus Luther, quàm liberè eum eo agam, quippè in communi, in te Christiana, quæ omnibus nobis cordi esse debet, gloriam ergo quæramus Dei, nolo enim fratrem perdere, sed lucrari, si fieri potest, quod vt commodiùs fiat, addam Canonem quartum huius æmulum.

Canon IV. Nicæni Concilij.

Episcopum conuenit, maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Prouincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem. Tribus tamen omnimodis in id ipsum conuertentibus, & absentibus quoque pati modo decernentibus, & præscripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur, firmitas autem eorum, quæ geruntur, per vnamquamque Prouinciam Metropolitano Episcopo tribuatur, assumit ergo diuersarius, Concilium Nicænum statuisse non Rom. Pontif. sed Prouinciales Episcopos ordinare Episcopum, patior iam amphibolum illud sæpius, quid sibi velit diuersarius noster per ordinationem, cum tria concurrunt in Episcopo, electio, confirmatio, & consecratio. Electio fuit aliquando plebis, aliquando Episcoporum in vicinia, aliquando cleri, non Diœcesis, sed eiusdem Ecclesiæ cap. 1. Confirmatio pertinebat; aliquando ad Metropolitanos, aliquando ad Primates, aliquando ad Patriarchas, quæ iam est apud potestatem Patrum Roman. Pontif. Consecratio semper fuit apud tres Episcopos, licèt qui debeant esse illi Episcopi, pro temporum varietate quoque mutatum sit.

Sed vides candide Lector, hoc nihil officere Pom. Pontif. à quocumque quis fuerit ordinatus secundùm Canonicas sanctiones, non erit ei molestum, modò sit ei subiectus, ordinantur Abbates Sacerdotes ab Episcopis, quis autem hanc ferret temeritatem, si quis ob hoc negaret Abbates, & Sacerdotes Rom. Pontif. fore subiectos? puerili clamitant, si vinco vincentem te, &c. Et quantùm ad istas ordinationes, & modum eligendi attinet, neminem arbitror tam obtusum, aut hebetem, qui nesciat illas mutandas pro temporum, locorum, & personarum qualitate.

Non officit, quod frigidè opponit Luther, sacrum illud Concilium per decreta Pontificia, & Canones subsequentium Conciliorum, Euangelio æquiparatam, ideòque immutabile fore. Nam in his, quæ sunt fidei stat

ftat facri illius Concilij ordinatio, verùm plura alia funt, quæ abfque fidei iactura mores hominum refpiciunt,& Ecclefiafticum ordinem, abfque perfidia plerique Canones mutati funt, quòd vt verum fatear infpice Canonem V. vbi indicitur fingulis annis per Prouincias bis in anno Concilia celebrari, quam in diffuetudinem abijffe, dolenter referimus. Nam totius Ecclefiafticæ difformitatis inordinationem hinc defluxiffe fufpicor.

Corrigebantur in Synodis Prouincialibus Epifcoporum exceffus, & defectus Prælatorum, rebellium, aut oppreflorum caufæ examinabantur, fic Epifcopus quifque in Diœcefi, dein Synodum celebrans, excedentes puniebat, fiue excedens puniebatur, fic optimè mores Ecclefiaftici conferuabantur, vnitas, & conformitas Ecclefiarum erat, at cum defierunt illa Concilia. Videmus quanta confufio in Ecclefijs facta fit, quàm deformati mores, quàm corrupti abufus. Si enim caput ęgrotare cœperit, omnia in deteriorem partem vergunt, poffem hìc depingere calamitatem Ecclefiæ, at non eft præfentis inftituti, de abufibus aliàs plura.

Lectorem tamen admonere hìc volui, Ruffinum, vbi recenfet conftituta facri Concilij, nec ordinem obferuaffe Concilij, & aliqua omififfe, aliqua verò addidiffe, quæ in Concilio non leguntur. Exemplum adferam vnicum, refert Ruffinus fub facto XIV. Ne Diaconi fedeant inter Presbyteros, & ne diuidant Euchariftiam præfentibus Epifcopis, fi verò Presbyter nullus fit in præfentia, tunc liceat ei diuidere Euchariftiam, hic primò intuere in Canone XIV. nullus fit fermo de Diaconibus, fed cathecuminis, deinde in Canone XVIII. vbi agitur de Diaconibus huiufmodi licentia Diaconis minimè attribuitur. Habes quod petis Candide Lector, non officere Primatui Romani Pontificis fi Epifcopus à Coepifcopis, vel Metropolitano, vel Primate ordinetur.

Hoc iterum te admonere volui, Alexandrinum, Antiochenum, Conftantinopolitanum, &c. fub fe habuiffe Metropolitanos, fed non Primates, folus Romanus Patriarcha habuit fub fe Primates, vices Patriarchæ tenentes. Vnde etiam ipfi aliquando nominati funt, velut primas Venetiarum, Aquileienfis, Arelatenfis per Prouinciam, & Lugdunenfis; vt arbitror per Galliam, Bituricenfis, per Narbonenfem Magdeburgenfis, per Germaniam, non mihi occurrunt iam legitimi termini, & fines horum Primatuum, fat fit Lector fincere, Eckium te admonuiffe, fic in Aphrica, Sicilia Primates aliquando Patriarchæ appellentur, textus eft fingularis in cap. conquæftus 9.quæft.3. vbi de Primate Bituricenfi, ait Nicolaus, quafi iure Patriarchatus tui, &c. Et infrà ad te quafi ad Patriarcham fuum prouocauerit, quòd tenę memoriæ, quia eft fingulare.

CAP. XLIX.

Defenditur Conftantien. Concilium, Iudices Examinatores Articulorum Hus narrantur, & de decreto Conftan. Concilium effe fuprà Papam, controuerfia fit.

Dirutis fundamentis, facilè euacuantur, quæ paffim ædificauit frater Luther fuper illis, nam quod ad Spalatinum fcripfit, velut nix liquefcit, non enim Concilium Nicænum, aut Summi Pontifices foluerunt ius diuinum, quia ad nullum tempus recedendum determinarunt à iure diuino, quod nihil in illo Concilio ftatutum fit contra primatum Romanę Ecclefię, velut duobus capitibus iam expofuimus.

Quàm vellem autem, confratrem meum non calumniari factum Conftantien. Concilium, non enim aduerfatur Concilijs Nicæno, & Aphricano, ficut falsè exiftimauit ipfe, ideò affentiatur potiùs facro Concilio, & reputet illos articulos damnatos Ioan. Hufs. fubeffe fidei, potiùs quàm quòd dicat Concilium facrum erraffe, ità omnes fecerunt hæretici, proprio innitentes capiti, Concilia, & refponfa prudentum funt afpernati, fic plures facerrimum illud Concilium Nicænum recipere afpernabantur. Nam decretis Concilij ad Conftantinum magnum perlatis, ille proteftatur tentantem obniti huic facerdotali fententiæ, velut contra diuina ftatuta venientem, in exilium fe acturum. Vnde fex cum Arrio in exilium pufi funt, aliquibus 11. fortè, fe fubdolè, & fimulatè fubfcribentibus. Ex quibus reperti funt, vbi fimulatio in veritatem defluerer, vt in Eufebio Cęfarenfi, alij in fimulatione perfeuerantes, nacti opportunitatē temporis, quales fuiffent oftendebant, velut Eufebius Nicomedien. cum complicibus. Non ergo iniurietur tam facro Concilio Conftantien.

Et profectò mirandum eft de fratre illo, nam dum iudex curiæ Romanæ contra eum vellet procedere iuffu Summi Pont., ifte prouocauit ad futurum Concilium, fi ergo non vult coherceri auctoritate Concilij, quid illud appellat? fruftra legis implorat auxilium, qui in eam committit.

Falfum autem imponit Concilio facro, quod inquifitores obtinuerint tyrannidem in eo Concilio, & agentibus iniquiffimis adulatoribus, articuli Huffitici condemnati funt. Nam primò certum eft, tantam fuiffe in hoc Concilio libertatem, qualem non legimus pluribus annis, neque hoc fecerunt adulatores Sum. Pont. dum agebatur, vt tres fe pro Papa gerentibus, vel fponte renuntiarent, aut iure cogerentur renuntiare. Ec vt omnis prorfus fufpitio abeat, condemnatio, & examinatio per nationes facta fuit, vbi viri optimi ex omnibus regnis deligebantur, quare nec adulatoribus Papæ, nec Inquifitoribus imputari debet huiufmodi articulorum condemnatio.

Vndè in actis eiufdem Concilij fefs. 6. fic

sic legitur. In nostra fidei contra Ioannem Huss. auctoritate huius sacri Concilij procedent Archiepiscopus Rhagusinus, pro natione Italica, pro natione Germanica Episcopos Flebien. magister Vrsinus Taluenda, pro natione Gallicana, Magister Wilhelmus Comes, pro natione Anglicana in sacra pagina Magistri, causam dicti Ioann. Huss. & suorum sequacium examinando, & in illo procedendo vsque ad diffinitiuam sententiam diffinitiuè inclusiuè. Item, quòd prædicti commissarij recipiant relationem Dominorum Cardinalium Cameracen (is fuit Petrus de Aliaco) Sancti Marci, & Florentini (illi enim tres Cardinales plus manutenebant negocia Concilij alijs). De processu facto super condemnatione librorum, & articulorum tam 65. in Parhisien. & Pragen. quàm etiam ducentorum sexaginta, in Oxonien. studijs facta, nec non super condemnatione memoriæ Ioaun. Wickleff, ac confirmanda sententia lata in Concilio Romano super condemnatione, & combustione librorum prædicti Ioan. Wickleff, & relationem super præmissis faciant nationibus, & huic sacro Concilio, quàm citius commodè illam facere poterunt. Vides quomodo non inquisitores, non adulatores Sum. Ponr. sed deputati per nationes, articulos Hussiticos examinarunt, vt prorsus omnis cesset suspitio. Ita in condematione Ioannis Huss. fuerunt deputati Antonius Cordien. pro natione Italica, Stephanus Dolen. pro Gallicana, Patricius Chathaginen. pro Anglicana, Nicolaus Mersebnrgen. pro Germanica. Et Ioannes Hostien. præsidens nomine Collegij fuit. Desinat ergo frater meus iocusare sacrum Concilium Constantien. & hæreticis Bohemis præbere ansam excusationis, in eorum schismatibus, & hæresibus. Non dicat Christianus articulos illos à Concilio sacro damnatos esse Christianissimos, & Euangelicos.

Quod dein assumit, Concilium Lateranen. constituisse contrarium Concilio Constantien. de potestate Papæ super Concilium, in primis non liquet mihi de illo decreto nouissimi Concilij. Vidi enim aliquas, non omnes diffinitiones illius Concilij, dein dato eo, quòd ita sit diffinitum in Concilio Lateranen. quod me prætetit, diluitur sua obiectio facillimè, & quia in manibus est solutio D. Thomæ de Vio Caietani, quæ mihi apparet bona esse, & valida, ideò eam renarrabo, duæ responsiones inquit dantur ad Concilium Constan. Prima negans illa esse authentica auctoritate veri Concilij, facta fuit tempore schismatis, quo erant tres Papæ in Ecclesia Dei, ab vna sola obedientia S. Ioannis 23. absente etiam illo suo Papa, quod constat ex eo, quod illa promulgata sunt Anno Domini 1415. die 6. Aprilis in sessione 5. & obedientia Gregorij 12. coniuncta est illi die 4. Mensis Iulij eiusdem Mensis, & obedientia Benedicti 13. iungi cœpit Anno Domini 1416. die 13. Octobris in sessione 22. Vnde dicere quòd illa obedientia constitueret Concilium generale Catholicam Ecclesiam repræsentans, nihil aliud est, quàm reuocare antiquum schisma, & damnare, vt schismaticas duas obedientias, & quod semper fuit, & est dubium facere certum.

Et si dicatur, Martinum 5. approbasse illa decreta, & illam Synodum, decreta quidem sessione vltima, vbi legitur dixisse. Omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruare se velle, & numquam contraire quoquo modo, ipsaque sic cnnciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.

Constat autem Concilium esse supra Papam, vel Papam super illud, esse materiam fidei, quare decreta illa sessione 5. facta de superioritate Concilij supra Papam sunt approbata. Synodum vero in bulla condemnationis articulorum Ioannis Wickleff, sacro approbante Concilio, vbi interrogatoria ponens dicit. Vtrum credat, quod condemnationes Ioanois Wickleff, Ioan. Huss. & Hieronymi de Praga factæ de personis eorum, libris, & documentis per sacrum generale Constantien. Concilium, sint ritè, & iustè factæ, & à quolibet catholico pro talibus tenendæ, & asserendæ? Et cum constet, quòd contra Ioannem Wickleff, in sessione octaua. Contra Ioannem Huss. in sessione 15. & contra Hieronymum de Praga in sessione 21. lata fuerit sententia, consequens est, quòd tunc ante vnionem obedientiarum omnium Concilium generale fuerit. Si Martinus verum dicit in Bulla.

Respondendum est, quòd tractari aliquid in materia fidei contingit bifariam, aut de forma illius, aut solùm, vt materia est. Tunc enim agitur de forma fidei, quando tractatur, vt credendum, vel condemnandum à fideli, sed solùm materialiter tractatur, quando res quidem pertinet ad fidem, sed non pertractatur, vt credenda, vel condemnanda, sed alia quadam ratione, extrà formale enim contingit infinita esse. Et quia nisi sermo intellgatur formaliter, perit certitudo, ideò verba Martini 5. in illa vltima sessione formaliter sunt intelligenda, in Concilio quidem illo fuerat in materia fidei tractatum, & decisum formaliter contra illos tres hæresiarchas, vt patet in dictis sessionibus, & etiam sessione 19. & fuerant multa alia tractata, sed non vt materia fidei, inter quæ sunt illa sessioois 4. & 5. in cuius signum nulli fuerunt deputati ad tractata illa in fide examinandum, nulla etiam fit ibi mentio de credendo, vel non credendo. Martinus autem 5. approbauit decreta in materia fidei formaliter tantùm, & non illa alia. Et hoc euidenter etiam patet, quia illa verba dicit, ostendens requisitioni Oratorum Regis Poloniæ exigentium, quòd acta per Concilium contra illos prænominatos hæreticos firma essent, vt patet in sessione vltima, & propterea bulla illa condemnationis subsecuta est.

Ad instantiam vero de Synodi approbatione dicunt, quòd per illud, & alia interrogatoria ibidem de Concilio Constantien. posita, totum à nobiliori parte Martinus nominauit, quia licèt Concilium inceperit sub sola obedientia Ioannis 23. tamen fuit consumatum vnitis tribus obedientijs, & electo Martino ab eo auctorizata.

Fundat hanc solutionem, quod non est rationi consentaneum, Martinum voluisse de-

clarare alias obedientias fuisse extrà Ecclesiam. Postea dat aliam solutionem,quę imbibit plura dubia, ob id breuitati studentes remittimus ad tractatum de auctoritate Conciliorum.

Infero tamen liquere ex dictis inanem esse quorumdam excusationem palliatam, pro Hussitis schismaticis, quia condemnatio Ioan. Huss. facta sit à Concilio Acephalo, & quod etiam dubitauerit se esse Concilium, quia licet vna tantùm fuerit obedientia, Hussitas, & Wicleffistas condemnamus. Tamen Martinus Papa electus in caput Ecclesię illud ratificauit, & approbauit, quare non potest quis eos tutari: Vnde Bulla condemnationis emanauit 23. Februarij, & Concilium fuit absolutum 22. Aprilis, quare hoc colore errorem excusare non potuerunt. Non ergo verum est, quod assumit frater Luther, Concilia legitimè congregata, se mutuo reprobare.

CAP. L.

Concilium Constantien. non decidit contraria, quæ sit VI. Synodus, nesciuit Luther de ordine Conciliorum, Concilium potest Papam dubium deponere, similiter Hæreticum.

Liberis verbis loquuntur Philosophi ait Augustinus, nobis autem ad certam regulam loqui fas est. Ideò miror fratrem meum tanta frui libertate, vt nec auctoritatem Summi Pont. nec Conciliorum velit aduertere, nisi resipuerit, quis non videt hanc esse occasionem? Immò causam ruinæ, sic singularitas omnes hæreticos dementauit, vt suæ prudentiæ initentes, in casum, & perditionem dati sunt, & reprobum sensum, veneretur potius mecum, & cum vniuersa, Ecclesia, sacratissima Concilia. Summum obseruet Pont. studia Florentissima suscipiat, & non credat se toto mundo sapientiorem, sic se humilianti, Deus dabit gratiam, superbienti verò resistet.

Sic quod addit, Concilium Constantien. determinasse contraria, & pugnantia. Vide Lector quàm iniurius est, & sacro Concilio, & patribus, qui illi interfuerunt, quasi homines fuerint insensati, non aduertentes quid statuerent. Nam etiam si Concilium sub obedientia Ioannis 23. statuit Concilium esse supra Papam, tamen hoc ei, non repugnat, Papam de iure diuino esse super omnes Ecclesias. Nam dum iure diuino Papa præfertur omnibus Ecclesijs singularibus, per hoc non præfertur omnibus Ecclesijs vnitim, & coniunctim, sicut vniuersale Concilium totam repræsentat Ecclesiam, ita senserunt omnes, qui arbitrati sunt Concilium esse suprà Papam, vt etiam Gulielmus Anglicus, qui Concilium dixit esse supra Papam, adhuc reputauerit sententiam illam forè hæreticam, Petrum iure diuino non fuisse supremum pastorem, non ergo illa sunt contraria, sicut autumat diuersarius, sic etiam perperam arguitur, alterum Conciliorum esse hæreticum Constantien, aut Romanum, velut iam aperuimus, quare non dicat sibi viam factam liberè contradicendi Concilijs, quoniam illam viam nullus ingreditur, nisi schismaticus, hæreticus, vir belial, qui Concilio legitimè congregato contradicit.

Parciùs ergo sentiat, & religiosus loquatur de Concilio illo sacro Constantien. Quis enim purgaris, & castis auribus ferre possit, quod affirmat condemnationem articuli Hussitici esse iniquam, & peius est quod causam assignat falsam, scilicet, quod sit contraria Concilio Nicæno, & Aphricano, cum satis superque exposuimus in superioribus hoc esse falsum? Vnde tantos patres, tam sacrum Concilium, non debuit iniquitatis arguere, ex Concilijs, quæ numquam vidit, & quę vidit non intellexit.

Pari laborat ignorantia, cum ait de Synodo sexta Chalcedonen. &c. Nam primò aberrat in limine, cum sexta Synodus dicatur illa Constantinopolitana sub Agathone Papa, & Iustiniano II. celebrata, vt liquet ex epistolis, quas scripserunt ad vtrosque, ad Imperatorem incipit. Quoniam Sanctæ, & vniuersalis Synodi quintę &c. Porrò si sextam Synodum voluit ex omnibus, plurimùm aberrabat, cum plura præcesserunt, quàm quinque, sicut Amiranum, Neocetiense, Cæsatiense, Gangrense, & Antiochenum, quæ Nicænum Concilium præcesserunt. Vbi deinde Sardicen. & Laodicense, ac Constantinopolitanum fuerunt celebrata, cum pluribus Aphricanis, quę omnia ante Concilium Chalcedonen. fuerunt, Si autem ad auctoritatem respicit, iam quarta Synodus est, non sexta, vt Gregorius testatur in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum, Eulogium, Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, Ioanni Hierosolymitano, &c. Nam Nicænum locum primum, Constantinopolitanum secundum. Ephesinum tertium, Chalcedonen. quartum locum obtinet. Si autem ad ciuitatem referas, fuit primum Concilium in Chalcedone habitum.

Porrò, & id, quod inducit, falsum est. Oblatum fuisse primatum Romano Pontifici quem noluerit acceptare, nec Gregorius vmquam meminit primatus in illa oblatione, sed dicit nomen oblatum vniuersalis Pontificis, sicut sæpè legitur libro quarto, & septimo registri. Eodem marte fracto, si & debili currit illud, quod addit, Nicænum Concilium cum quatuor sequentibus contrarium definiuisse, cum fugiat eum, quæ fuerint quatuor sequentia illa, aut quid decreuerint, cum nullum illorum viderit, dum talia temerè nimis effunderet, Compescat orò, ob Dominum Iesum hæc omnia audientem, linguam diuersarius, & non calumnietur Concilia esse hæretica, non Patres Orientis, cum Ecclesia Romana consentientes, non Romanos Pontifices Maximè veteres. Numquam enim docere poterit eos respuisse primatum, quod cum sit falsissimum, ipse pro constanti assumit. Sed nimis præceps fuit frater meus in iudicando re nondum expensa, & iudicata, non visis originalibus, non lectis actis ex fontibus, sed præpropere ob quædam malè intellecta, ansam arripuit contra lunam la-

trau-

trandi, & caput Pontificium, pastorem Ecclesiæ calumniandi.

Ex quibus facilè elicitur responsio ad sequentia. Nam quod ait, Concilium Constantien. determinasse Concilium esse supra Papam, iam ampliter discussimus, sed quòd robur addit, Concilium vsu approbasse prædictum decretum, deponendo, & statuendo Papam. Dico quando Papa esset indubitatus, & non subesset hæresis, aut alia causa, ob quā posset deponi, tunc nec Concilium, nec aliquis, qui viuit, posset alteri tantam potestatem dare, quantam habet Papa. At in Concilio Constantien. nullus erat indubitatus Papa, cum vnusquisque suam haberet obedientiam, & quisque reputauit se verum Papam, ob hanc ambiguitatem, non temerè egit sacrum Concilium, ad vnionem faciendam, & concordiam in sancta Ecclesia Dei tres adigendo ad cessionem, & quartum eligendo. Nam non deerant, qui nullum istorum reuerebantur, sed se profitebantur neutrales.

Sic liquet, quomodo diuersarij obiectio de hæretico, quòd non deberet deponi, nullum omninò fucum habet, quomodo fide carens, quæ est fundamentum omnis spiritualis ædificij, non esset deponendus? Vndè secus est de Saule, quem Dominus proiecerat à facie sua, quoniam adhuc fidem non deseruerat. Pro quo est notabilis textus sancti Bonifacij Episcopi Moguntini, & Martyris, ac Germanorum, quasi Apostoli, quem renarrat Gratianus, dist. 40. Si Papa, Si Papa ait, suæ & fraternæ salutis negligens depræhendatur inutilis, & remissius in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quòd magis officit sibi, & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catteruatim secum ducit in ancipio gehennæ, cum ipsis plagis multis in æternum vapulaturus, huius culpas istic redarguere præsumit motalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi depræhendatur à fide deuius, pro cuius perpetuo statu, vniuersitas fidelium tantò instantius orat, quantò illius salutem post Deum ex illius incolumitate, aduertit propensius pendere, spontè iam cadunt, quæ sequuntur, Papam esse superiorem alijs auctoritate Concilij & ita iure humano, quod euicimus non semel esse falsum. Sic & de improba consequentia, quam audet inferre. Si propositio mea est hæretica. Concilium Nicænum est hæreticum. Nam Concilium Nicænum omni ætate habitum est sanctum, & catholicum: Propositio autem tua Frater Luthere habita est semper falsa, & hæretica, quare hoc collyrio oculum tuum non sanabis, nisi resipiscas, & Summum pastorem Christi in terris vicarium agnoscas.

CAP. LI.

Obiectio diuersarij euacuatur, & quòd Concilium Nicænum non solùm primatum non tribuit Hierosolymitano, sed & eum Metropolitano subiecit:

Fvimus prolixiores in diluenda periculosa diuersarij obiectione, quòd omnium maximè videbatur hic à syncera fidei professione recedere, dum sacrorum Conciliorum auctoritatem niteretur eneruare, prosequamur, & despiciamus reliqua munimenta diuersarij, quartadecima, vel ratio, vel auctoritas est iterum ex Nicæno Concilio desumpta, quod honoris primatum, non Romano Pontifici tribuat, sed Hierosolymitano, quia Concilium dicat. Et vt Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita, honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominus, & Metropolitani ipsius Prouinciæ dignitate.

Doce me Lector inquit diuersarius, quid faciendum sit? quando non satis est, me hodierno tempore confiteri Romanum Pontificem esse primum, nisi mentiar quoque, & negem alium antiquitùs fuisse primum, & tanti Concilij auctoritati resistam?

Dilutio. Noo miraris Lector toties Concilium illud à diuersario produci, qui illud numquam videris, tu iudicato, an iure, vel iniuria dixerim cum Andabatarum more in tenebris pugnare. Ponamus primò Canonem, prout in Concilio verè habetur, nam verba, quæ frater noster Luther adducit esse verba Concilij, non sunt verba Concilij, sed Ruffini, dein veritatem istius Canonis explicemus.

Canon 7. Concilij Nicæni.

QVia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Helię Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salua Metropoli dignitate. Inspice Lector, quantum enariet pura, & Germana Concilij lectio, ab illa diuersarij, tamen obuium est lectori, Concilium voluisse honorem deferendum Episcopo Hierosolymitano, tamen sine præiudicio Metropolitani, nescio profectò vnde venerit diuersario in mentem, vt ausus fuerit sensum, & sententiam Canonis corrumpere, pronuncians Concilium tribuere primatum honoris, de quo disceptamus, Episcopo Hierosolymitano, cùm tantùm absit, vt primatum illi non tribuat, sed & Metropolitani eius dignitatem corroboret.

Audiuimus autem ex Hieronymo ad Pamachium contra errores Ioannis Hierosolymitani, Cæsaream esse Metropolim Palestinæ, quare voluit Hieronymus; Ioannem oportuisse pro sui excusatione, adire Cæsarien. proprium Metropolitanum, vel Antiochenum Patriarcham suum, non Alexandrinum. Honorari ergo voluit Concilium Hierosolymitanum Episcopum, sed incolumem voluit esse Metropolitani sui Cæsarien. dignitatem. Vbi

est ergo ei primatus totius Ecclesiæ ei delatus, qui Metropolitano suo, & Patriarchæ decernitur esse subiectus? Ideò Synodus Antiochena Ioannem excommunicauit Hierosolymitanum, quare honor iste, non fuit primatus, sed specialis cuiusdam reuerentiæ exhibitio, Et ob id In Concilijs Episcopus Hierosolymitanus habebat superiorem locum suo Metropolitano, vt in Concilio Niceno Macharius Hierosolymitan, præcessit Gaium Cęsarien. Et in Concilio Chalcedonen. Iuuenalis Hierosolymitanus præcessit Ethiconem Cęsarien. aliud ergo quærat patrocinium, quoniam hoc non releuabit eum, sed potiùs deijciet.

CAP. LII.

Quæ ad Apostolos dicta sint, quomodo pertineant ad successores, & quomodo non.

Obiectio Lutheri. DEcimaquinta diuersarij ratio est. Si Romana Ecclesia est prima propter primum Apostolum Petrum, eadem necessitate confitebimur, & Compostellanam Ecclesiam esse secundam propter Apostolum S. Iacobum, & Ephesinam tertiam propter Apostolum tertium Ioannem, & sic per ordinem Apostolorum, At iste ordo numquid seruatur? quo iure ergo, solus Petrus primam facit Ecclesiam, nisi humano? Cur ergo Constantinopolitana, quæ nullum habet Apostolum, præfertur secundo loco Compostellanæ? Cur Alexandrina, quæ & ipsa nullum habet Apostolum, præfertur Ephesinæ? Cur Antiochena sine Apostolo præfertur Edissenæ, quæ Apostolum Thomam habet? Cur Hierosolymitana, his omnibus quinto loco postponitur, quæ Christum, Petrum, Iacobum, Ioannem, item Iacobum columnas (vt Paulus ad Galat. 2. scribit) habuit & vniuersos discipulos? Vides, quàm sit nulla ratio? quàm Christus studiosè huius primatus ambitionem præuenit, & causas eiusdem penitùs confudit.

Alia Obiectio. Simia illius est 16. quæ sequitur. Si ad solos Petri successores pertinet verbum Christi. [Tu es Petrus, & pasce oues meas.] Pari sequela concludetur, solius Ioannis successores esse filios Mariæ in Cruce commendatos, solos plus cęteris dilectos, quia hunc solum in Cruce allocutus Matri commendauit, ergo ab Ephesinis Episcopis accipiunt alij, vt sint filij Ecclesiæ, & Mariæ, Item soli successores Iacobi, & Ioannis essent filij tonitrui, & soli successores Iacobi minoris sint fratres Domini, Et omninò omnium, ad quos Christus semel locutus est, successores haberent eadem iure diuino, quo quid vanius dici potest? Hæc frater Luther.

Solutio. Prouidus autem Lector, & qui vigilanti iudicio superiora expendit, videt facilè, quàm nihil ista primatum impugnent Rom. Pontif. Nam cùm argumentatur ex ordine Apostolorum, ostendimus in superioribus dignitatem Ecclesiarum, non sic dinosci oportere, nec aliquem successisse in Apostolatu, nec Papa successit Petro in Apostolatu, sed in regimine, & quia ei soli commisit Deus vniuersale regimen, ideò solus successor Petri hoc habet, & quoad specialia regimina aliorum Apostolorum, non attinet dignitas Ecclesiæ ad Apostolatum, sed quòd locus erat insignior. Testis est sanctus Clemens, auctoritate Petri hanc factam discretionem, & renarrat Gratianus 80. dist. in illis. Hinc euenit, vt aucta dignitate Vrbis Constantinopolitanæ, sacrum Concilium Chalcedonen. Episcopum eius Alexandrinæ, Antiochenæ præposuit, sed obliuiosus est frater noster Luther, quòd negat Antiochiam habuisse Apostolum, quasi sanctus Petrus non septem annis ibi Sedem tenuerit, & citauimus in superioribus Gregorium, quomodo sit vna Cathedra, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ, ità liquet, & de Hierosolymitana Ecclesia, cur non sit prior alijs, quæ tunc secundùm seculi dignitatem, longè deciderat à fastigio, in quo fuerat Dauidis, & Salomonis temporibus. Vnde volebat Christus sacerdotio translato, etiam Cathedram transferre, quia Petrus, iubente Domino, Sedem ad Romam transtulit. Cur autem noluerit Hierosolymam esse primam, superiùs non obticuimus. Taceat ergo frater noster, & desinat asserere Christum præuenisse hunc primatum, & causas eius confudisse, quanquam ambitionem Deo displicere nemo ambiget.

Sic sequens diuersarij ratiuncula, est sopertùs diluta, vbi assumit. Cur dicta ad alios Apostolos non pertineant ad successores, nam luculenter in superioribus monstrauimus, triplicia esse amabilis Domini Saluatoris nostri dicta ad Apostolos, aliqua enim fuerunt merè personam respicientia, quale fuit & illud, vt Petrus enim in martyrio sequeretur non Ioannes, quòd hamo piscem prenderet, &c. Aliqua fuerunt merè communia, omnibus hominibus opportuna, ideò ait Marci 13. quod vni dico, omnibus dico. Tertiò sunt aliqua dicta, quæ non merè respiciunt personam, nec communitatem, sed dignitatem, quia quod dicitur Prælato, dicitur suis successoribus, talia sunt, vt ostendimus verba affirmantia primatum in Petro, ideò ad successores distenduntur, sed quòd Ioannes plus alijs fuit dilectus, hoc personale fuit, in successores non deriuatur. Et ità cùm frater noster, non possit hoc capere, necessariò euenit, vt in casses errorum inexsuperabiliter impingat, nisi antiquioribus credere velit, & cedere suo sensui. Adduximus superiùs Augustinum in epistola ad Esirium, vbi ex sacris literis abundè probat, quæ diximus.

CAP. LIII.

Obiectiones Lutheri aliæ contra Primatum Petri.

IN fine dico, Inquit Luther, me nescire, an fides Christiana pati possit, quòd in terris aliud caput Ecclesiæ statuitur, præter Christum. Sunt qui Christum in Ecclesiam triumphantem reijciunt, vt Romanus Pontifex militantis Ecclesiæ caput existat, contra expressum Euangelium Matth. vlt. Ecce ego vobiscum

cum sum vsque ad consummationem sæculi, & illud Actuum 9. Saule Saule quid me persequeris? Ideò enim regnum fidei, Ecclesia vocatur, quòd rex noster non videtur, sed creditur 1. ad Corinth. 15. [dicit oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedem suorum.] Et nunc tradet regnum Deo, & patri, at hi, regnum rerum præsentium faciunt, dum visibile caput erigunt, nam & mortuo Pontifice, Ecclesia non est sine capite. Cur ergo viuo Pont. Christus non pro capite solus habetur? An viuo Pontifici cedit, & mortuo succedit, velut quidam alternus Pontifex? Si autem, & viuo Pontifice caput est, vt quid duo capita in Ecclesia statuimus? quod in disputatione Lipsica inter monstra computabat, duo adijcens robora, primò quòd Augustinus lib. 1. de Trinit exponit verbum Apostoli de regno Christi præsentis temporis, addens illud Apostoli. Vnus Dominus vna Fides, ad Ephes. 4. addens, & illud quod sequitur, Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuiusque membri, augumentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Cõfirmatio.

Secundò addidit illud 1 Corinth. 3. quid est Apollo, quid Cephe, quid Paulus diuisus est Christus? vbi prohibet manifestè aliud caput, quàm Christum, ideò subdit, Deus personam hominis non accipit, iuxtà expositionem Hieronymi, ideò ibidem dixit, fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, & 1. Pet. 2. Christum vocat lapidem viuum, super quo ædificari debemus, iuxta illud Psalmi 117. Ecce ponam in Syon lapidem summum angularem probatum, electum, prætiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur.

In eadem disputatione lipsica, improbauit locum Bernard. lib. 2. allegatum, quoniam Christus Ioaun. 5. non potest filius facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, neque loquitur de Ecclesia militante, nec triumphante, omnium doctorum sententia, sed de æqualitate sui cum patre. Sic quod nihil possit facere pater, quin idem possit, & filius, nam ex textu præcedenti colligatur ista intelligentia, vbi Euangelista ait propterea ergo magis querebant eum iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.

Postremò concludit librum suum de potestate Papæ. Concludo. Omnis sacerdos in atticulo mortis, & necessitatis est Episcopus, est Papa, habens plenissimam plenitudinem potestatis super confitentem, vt tenet sententia communis totius Ecclesię, & ex beati Cypriani epistolis euidenter conuincitur. Ergo nec Papa est Episcopis, nec Episcopus est superior Presbyteris iure diuino, tenet consequentia, quia ius diuinum est immutabile tam in morte, quàm in vita.

CAP. LIV.

Quomodo Christus sit Caput Ecclesiæ, & Papa, & quod Paulus ad Corinth. non prohibuerit Primatum Petri.

SI Frater noster ex falsò infert, nemo miretur, tale principium talem debet habere caudam, falsa fuere adducta, & præmissa, non mirum, si & falsè concludat, tamen euoluamus, pro quanto sententiæ catholicæ aduersantur allata in conclusione. Nam primò omnium, nemo, nisi Antichristus negat Christum esse caput Ecclesiæ, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra Matth. vlt. & hoc probant inducta. Hoc pulchrè declarat beatus Augustinus ad Dardanum, pertractans illud, in ipso sunt omnes thesauri &c. quia ille caput est, & in eo sunt omnes sensus diuinitatis, sensit hoc glossa, super illo Cant. 5. Caput eius aurum optimum, glossa, id est Christus, qui est caput corporis Ecclesiæ, sapientiæ plenum. At licet D. Iesus caput sit indubitatum, & principale suæ sanctæ Ecclesiæ, tamen quia est translatus in gloriam suam, & vtile est, & ferme necessarium, communitatem habere vnum caput, quod visibiliter cum ea conuersetur, exercendo ministerium veri capitis, circa personas illius regiminis, pro varietate locorum, temporum, & personarum. Nam recursus ad Deum haberi non potest, nisi per preces deuotas, gemitus, suspiria &c. Ideò posuit caput ministeriale, quod est caput secundarium, Papam dico, qui est vicarius Christi. Sicut autem Christus nobis subtraxit præsentiam corporalem, ità & ministerium illis præsentiæ, quod suo vicario commisit, viderit ipse, vt tanti officij munera, dignè exequatur, tamen vt verum caput adhuc solus influit omnem sensum, gratiæ, virtutum, & donorum, sacerdotibus dumtaxat ministerium exhibentibus. Ideò sanctus Paulus Thimoteo inquit, ministerium tuum imple, & passim officium sacerdotale, & Apostolicum appellat ministerium, quod & ego vellem cum diuersario. Episcopos nostros plus expendere, quàm odiosium dominationis verbum. Solutio dictorum.

Quare verum est, Christum nobiscum esse vsque ad consummationem sæculi, & ità verbum illud Apostolis dictum, ad successores quoque transit, sicut Petrus moriturus Clementi cathedram, & Ecclesiam commendauit (scio epistolam illam non ab omnibus recipi) dicens. Eamdem ego potestatem ligandi, & absoluendi tibi trado, quam mihi Christus reliquit, spretis, ac contemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunę, tum oratione autem, & prædicatione saluti hominum, vt bonum pastorem decet consule. Verum est, quòd sanctus Clemens cessit officio humilitatis causa, ne alijs daretur exemplum substituendi successores in prælatione. Et ita impletum est illud Psalmistæ. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, gloss. id est pro Apostolis Episcopi, quos Ecclesia genuit, & in fide pa-

patrum constituit. Explicuit hoc B. Vrbanus auctoritate beati Augustini, cap. quorum vices dist. 68. subdens. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, non vides Paulum, quia non vides, per quos nata es, de prole tua crenit tibi parernitas.

Stante ergo capite supremo Christo, agnoscat fidelis Romanum Pontificem eius vicarium, & ità omnium aliorum fidelium caput ministeriale, & secundarium. Et sic liquet quomodo D. Iesus non reijcitur extra Ecclesiam militantem, sed vtriusque Ecclesię caput est. Papa verò tantùm est caput ministeriale Ecclesiæ militantis. Mortuo ergò Pontifice, Ecclesia est sine capite ministeriali, licèt non sit absque capite Primario Christo. Sic est regnum fidei, quo ad nos, licèt sit regnum gratiæ quo ad Christum fidelibus gratiam suam communicantem. Hîc enim credimus, quod alibi videbimus, hîc habemus in spe, quod habituri sumus in re, hic est regnum gratiæ, alibi erit regnum gloriæ, quare regnum fidei non destruit primatum Roman. Pont. quoniam nisi esset fides, iam non suspiceremus Papam, nec veneraremur eum, velut Christi vicarium in terris, cui etiam Imperat. & Reges genua flectunt. Est ergo hic regnum militare, alibi erit regnum triumphale.

Quod verò nequit frater meus Luther intelligere. Si viuo Pont. Christus sit caput, quomodò non sit mostrum duorū capitum? Dico nescit tractare symbola, & mysteria, nam vnius corporis naturalis non monstruosi, non sunt plura capita, & tamen corporis mystici sunt plura capita, licèt subordinata, & in hoc deficit ratio corporis mystici, à ratione copotis naturalis. Vides Parochianum esse caput suæ Ecclesiæ, Episcopum Diœcesis: Archiepiscopum Prouinciæ. Primatem Regni, &c. sunt capita subordinata eiusdem corporis mystici.

Obuium ergo iam est, quomodò Paulus persequebatur Christum, qui persequebatur membra eius, nam cum iam diximus fidelium omnium esse caput. Ità ergo est vnus Dominus, vna fides. Ità est Corpus Ecclesiæ compactum, cuius caput Primarium, & verum est in Cœlo. Et placet mihi illos non audiri, qui Dominum dumtaxat constituunt Principem, & caput Ecclesiæ triumphantis, cum æque sit caput Ecclesiæ militantis.

Et quòd prædicta sint vera, ostendo ex eo, quia & si Apostolus dicat, fundamentum aliud neminem posse ponere, quàm Christus, vt diuersarius adducit, tamen sacra illa anima Ioannis, [quando Angelus sustulit eum in spiritum in montem magnum, & altum, & ostendit ei Ciuiuitatem sanctam Hierusalem descendentem de Cœlo, à Deo habentem claritatem Dei,] dicit. [Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & ipsis duodecim nomina Apostolorum, & agni.] An putas Ioann. raptus spiritu, duodecim fundamenta ponens, contradicat S. Paulo affirmanti, nullam aliud posse poni, quàm Christum, absit hoc veris sanctis Ecclesiæ columnis, sacrarum literarum scriptoribus. Itaque iuxtà B. August. doctrinam vnicuique dicto, vera est attribuenda intelligentia, & constabit hos locos minime esse pugnantes. Loquitur enim Paulus de fundamento Primario, quòd est vnum solum, at Ioann. loquitur de fudamento secundario, & illorum sunt plura, parilis ratio est de capitibus.

Porrò, quòd adducit Paulum ad Corin. [quid est Apollo, &c.] Respondeo, ab initio capitis Paulus non meminit Petri, sed in fine quòd omnia sint Christi. Vnde non fuit intentio Pauli, increpare eos, qui essent secuti Petrum per obedientiam, sicut à Christo Principem, & Vicarium constitutum, sed quia singularitatem aspiciebant personarum, quasi ad Baptismum plus valeret persona vnius, quàm alteriùs, quasi non esset idem Sacramentum Baptismi, ab vno Christo efficaciam habens, & hanc esse diui Pauli intentionem, clare indicant verba diuisionis, & schismatis. Priùs enim dixerat cap. 1. Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Vnde diuersarius meliùs debeat allegare caput primum, at vt beatus Athanasius ibi meminit. Pius enumerat se Paulus, quàm Petrum, non quòd ipse sit maior, sed quòd potiùs Petrum anteponat, cum gradatim ascendat, primò nominando Apollo, qui minor eo erat, dein se, tertiò Petrum velut maiorem, postremò Christum velut supremum, hic vir Dei Athanasius pulchrè explicat S. Paulum voluisse etiam hic S. Petrum esse maiorem, solùm ergo Paulus docuit schismata vitanda, quòd adeò Primatum non infringit, vt eum potissimè probet; quoniam schismata meliùs tolli non possunt, quàm omnibus vni capiti obedientibus, ideò B. Hieronym. ait, vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Tota ergo Pauli intentio est, diffidentes fratres ad vnionem reducere, Sacramenta non ex ministris, sed ex Christo iudicare, quòd Primatui Rom. Pontif. omninò nihil demit, vel aufert. Sic & de lapide libenter concedimus, Dominum esse illum, at hæc nostra non infirmant.

De Bernardo, vide quid feceris frater, si eàm Sanctum virum carpseris, velut abutentem sacris literis. Porrò, omnes fatemur eo loco probari æqualitatem Dei, at ex hoc non incongruè inducit Bernard. filium non facere aliud, quàm quòd viderit patrem facientem. instituta est ergo Ecclesia militans ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis, licèt nemo nesciat, opera Trinitatis ad extrà esse indiuisa. Vnde apparet adhuc diui Bernardi ratio vera, quam etiam Gregorius Nazianzenus assumpsit, & nos libro 2. meminimus.

Ad conclusionem suam, quales fuerunt literæ, tale habent sigillum, cum assumit in articulo mortis Episcopum esse Papam, & plenissimam plenitudinem habens, dico illud esse falsum, nec est communis sententia Ecclesiæ, sed oppositum obseruat Ecclesia, nec hoc, quod assumit, probabit ex Cypriani epistolis. Hoc tenet Ecclesia, quemlibet Sacerdotem in articulo mortis, vbi alterius copia desit, posse absoluere à culpa omnium peccatorum, quia in illo casu, nec Papa, nec Episcopus reseruat sibi casus, & ità quo ad absolutionem à culpa, quilibet Sacerdos habet illam potestatem, quam Papa, at non in sola absolutione à culpa consistit plenissima plenitudo potestatis, cum supersit absolutio à pœ-

à pœna, at hoc oon est instituti nostri, quoniam io futuram consłauimus materiam pœniteotię quotidianæ, absolutiouis à pœna, initij pœniteotiæ,& indulgentiarum, si quando per otium licuerit, reporgabimus illam,& ad mundum rescribemus ad emendationem, & informationem multorum.

CAP. LV.

Obiectio Lutheri in resolutionibus contra Primatum Petri.

EXaminatis diuina ope sententijs à fratre Luthero positis in libello, quem iosćripsit de potestate Papæ,addeoda videtur ratio, quam posuit in resolutionibus propositionis 13. vbi tria supponit.

Primum,quamlibet Ciuitatem habere debere Episcopum proprium iure diuino, probat ex Paulo ad Tit. 1. huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt, corrigas, & constituas Presbyteros per Ciuitates, sicut ego disposui tibi. Hos autem Presbyteros esse Episcopos, testatur Hieronym. & textus sequens ostendit. Oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem, &c. Et Augustious epistola 29. ad Hierooymum Episcopum describturus rationem addit, & dicit. Erat enim Ciuitas, quasi diceret, non erat simplex Presbiter, sed Episcopus, de quo loquor, quia erat Ciuitas, cui præerat.

Secundò, supponit Christum habere, aut aliquando habuisse Christianos in omni termino terræ,vt extrema parte Indiæ,& Æthiopiæ,& alijs fioibus, iuxtà Psalm. 2. [possessionem tuam terminos terræ,] & 71. [dominabatur à mari, vsque ad mare, & à flumioe, vsque ad terminos Orbis terrarum.]

Tertiò, supponit fideles Christiaoos posse esse perfectos, & pauperes, relictis omnibus suis rebus, ità vt nihil proprij habeant.]

Tunc arguo, dentur hi fideles in extremo aliquo termino terræ, perfecti, & pauperes. Credis ne, Christum, qui legem suam voluit esse suauem, voluisse, vt per taotum iter, tantis sumptibus fideles sui, Episcopum è Roma palliatum, & confirmatum aeciperent? Nàm hinc verè plus imposuisset oneris Ecclesię suę,quàm vnquam imposuisset Synagogæ. Cùm coegisset eos paupertati Euangelicæ renunciare, & contempto præcepto eius, sollicitos esse, quomodò diuitias, & sumptus coaceruarent, quo pallia, & confirmationes impetrare possent. Nam si est ius diuinum Episcopos omnes è Roma accipere. Non licèt hoc vllo, vel loci, vel rerum casu infringere, ac per hoc infringere, oportet aliud ius diuinum, scilicèt ne solliciti sint de crastino, vt Matt. 6. docet. Inpossibile enim est à tot finibus terræ, tautum iter conficere ab ijs, qui iuxtà Euangelium solliciti non sunt de crastioo, non enim habebuut sumptus.

Si dices,potest Romaous Pontifex committere vicinis Episcopis potestatem suam. Respondeo,tunc non erit ius diuinum ex Vrbe Roma Episcopos petere, quia ius diuinum non potest mutari, aut transferri in alium, ab eo cuius est. Et cur non hodie quoque Primatibus, non confert hanc potestatem? Quid enim hic obstat, nisi detrimentum lucri,& gloria, adfert dein de Episcopo capto ab hostibus, quia si est ius diuinum, captiuitas non excusat, & si votum sufficiat, & in alijs sufficere deberet, qui iam exhausti sunt, & tam longè à Roma positi, vt magno suo detrimento (contra charitatem) Episcopum emere cogantur?

Confirmat,quia sequetur ex verbo Pauli quo cuilibet Ciuitati Episcopum tribuit(qui ouoc Plebaoi dicuntur) Episcopos, Patriarchas, Primates, qui hodie sunt, esse iutis humaoi taotùm, quod & decreta iudicant, quibus Rom. Pontif. sibi tribuuot Ecclesiarum omnium,& dignitatum constitutionem. Atq; ità iure diuino Papa nulli est superior omnioò, aut solis plebanis superior est, cæteris medijs, ac maioribus suo iure, & vsu superior est, quo & Cardinalibus, atque vt plebanus alteri oon præfertur iure diuino, ità nec vllus Episcopus, vlli Episcopo, omnia enim hæc per Ecclesiam ordinata sunt.

Ex quo vlterius sequitur, quòd cum vnos Rom. Pontif. noo possit omnium Parochiarum curam habere (quibus solis superior est iure diuino,si superior est vt dixit)uoo esse credendum, quòd Christus ad impossibile voluerit eū iure diuino astringi, ac per hoc nec iure diuino superiorem esse omnibus, quòd si omnibus pari ratione nulli particulariter, ac si omnes omoium Ciuitatum Episcopi, æquales sunt iure diuino.

CAP. LVI.

Non in qualibet Ciuitate esse Episcopum iure diuino ostenditur, similiter nec Episcopi omnes iure diuino à Papa confirmantur.

PAralogismos, sophismata, cauillos, captiunculos diuersarij, quis noo cootemnat, explodat, maximè cum his innixus audeat Ecclesiam Dei, sacra Concilia, Summos Pontif. maximis afficere iniurijs; vnde miseret me confratet, quòd his nugis vincitur, & irretitur diuersarius, & in tantas incidit erroneas doctrinas, oolo tamen ob hoc in eum iouehi, & acerbiùs scribere, quòd iure tamen facere possem, si eius maledicentiam imitari mallem, quàm Christianam seruare modestiam, nolo ergo eum remordere in præsentiam, sed malò compati.

Quamuis omnia facillimè dilui possint per superiora, tamen quibus non est otium superiora omnia perlegendi, hic sudabo, non quòd difficilia sint,quæ objiciuntur,sed quòd ole negotijs alijs obrutum,& festinantem occupatiorem faciunt. Curramus ergo per omnes diuersarij locos, & quid verum, quid falsum in eis sit despiciamus. Solut. priora.

Prima ergo suppositio Fratris Lutheris falsa est, & aliena à fide, aut si rigorem obseruare velimus, dicamus eam contrariam fidei, nam non in qualibet Ciuitate est Episcopus iure diuioo, quia nullus est Wittembergæ,

gæ,nisi diuersarius pronunciet se Episcopum. Cùm probae, quia Paulus iusserit constitui Presbyteros, hoc quidem verum, at dum contendis Presbyteros esse Episcopos. Primò nos ostendimus hoc lib. 3. assumptum illud esse falsum, & quæ fuerit sententia Hieronym. exposuimus, dein & ipse confrater noster sibi repugnat dum deducendo Augustinum ait, non erat simplex Presbiter, sed Episcopus, vbi facit differentiam inter Presbiterum, & Episcopum. Tertiò, si per Episcopum intelligit plebanum, iam non coangustabit ad Ciuitatem, quoniam & in suburbijs, villis, pagis, sunt plebani. Immò aliquando oppidani Parochialem Ecclesiam habent in rure. Quartò, non refragor Paulum per Prisbyteros denocasse Episcopos, sicut suprà diximus, & glos. interlinearis hic subscribit, quòd & alius interpres fecit vir sanctus. Noluit enim vniuersam hanc insulam, quæ maximis Ciuitatibus extructa est, vni Episcopo demandari, iussit ergo per Ciuitates Episcopos constitui, sicut disposuerat, non dicit in singulas Ciuitates, sed ad Ciuitates sicut disposuerat, de illa materia, satis superque superiùs diximus.

Altera suppositio in superioribus hoc lib. 3. fuit confutata, & ibidem respondimus ad Psalmistam, nam dominium Christi non infert necessariò omnes illos credere, quibus dominatur, cum resurgens mox dixerit: [Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.] Vnde miror quomodò confrater meus hoc moueat, cum satis nouerit maximorum, & grauissimorum virorum auctoritate, tot esse regna, in quibus nulli sunt omninò Christiani, & cum terra sit amplissima, tota Christianitas coacta est in angulum Europæ, cum Europa vix sit septima, vel octaua pars terræ.

Tertia suppositio, vel falsa est, vel impertinens, nam non video, quomodò totus populus Prouinciæ, vel etiam Diœceseos, posset obseruare statum illum perfectionis Euangelicæ paupertatis.

Nunc ad futilem, & pudendam diuersarij rationem. Cùm proponit perfectos illos, & pauperes non accepturos Episcopum à Roma, &c. Dico primo, viros perfectos primitiuę Ecclesiæ, & pauperes ex Asia sæpè visitasse Rom. Pontif. sicut Senex Polycarpus Smyrneus Anicetum. Dico secundo, neminem vnquam dixisse, quod diuersarius falsò assertoribus veritatis imponit. Si quod sit de iure diuino, vt omnes Episcopi confirmentur è Roma, cùm Patriarcha Alexandrinus, Arabes, Ægyptios, & Æthiopes confirmauerit. Antiochenus, Asiaticos, & Ponticos, Primates in Aphrica alios Episcopos vicinos, vt suprà meminimus. Et adeò quidem Sedes Rom. consuluit Episcopis, ne longitudine itineris frangerentur, vt remotioribus Græcis Vicarium constitueret, ad quem omnes loco Papæ recurrerent, addo quòd paupertas Euangelica non impediret iter longinquum, vt in cordigeris nostris bonis viris, & consimatis liquet. Dico quartò, inferere hic diuersarium alium errorem, quòd consilia Euangelica sint præcepta, de quo aliàs plura. Dico quintò, Papam malè facere, si ab istis pauperibus acciperet, vel exigeret pecuniam pro pallio, secundùm constitutionem beati Gregorij in Synodo. Dico sextò, errare, & fingere nouum errorem diuersarium, quòd credit aliquem esse istius opinionis, vt iure diuino constitutum sit Episcopos omnes è Roma pallium accipere, nam tanto delyrio nullus vnquam delyrauit. Septimò, seipsum inuoluit frater noster, quòd credit illud Matth. 6. de sollicitudine in crastinum non habenda esse præceptum Euangelicę paupertatis, cùm illa cura non possimus esse liberi, vt Hieronymus ait, sed quòd vitij est, prohibuit Saluator.

Obijciens autem, benè dicit, quia potest Papa committere vices suas, vt diximus, & responsio fratris est nulla, quia non est ius diuinum petere confirmationem ex vrbe, cum Patriarchæ hoc potuerint, Primates, & aliquando Archiepiscopi ex commissione Papæ, sicut Treueten. Archiepiscopus, teste Bebeburgio, confirmauit Episcopos Regni Austratiæ, de Primatibus hodiernis diximus hoc tertio. Treueten. dedit Pallium.

Sed prorsus puerile est, quod assumit de existentibus in captiuitate, quasi non excusarentur, cum de iure Diuino sit hominem in extremis confiteri, & ob captiuitatem impiorum excusantur, neminem prudentem habebit hic assertorem. Dauid in necessitate comedit propositionis panes sanctos, quos ei non licebat edere, 1. Reg. 20. & tamen Christus eum excusauit, Matth. 12.

Infantilis est alia ratio secunda, & lib. 1. soluta. Nam primò falsum est, & erroneum quemlibet Plebanum esse Episcopum. Immò sibi ipsi dissonat, quia tunc Presbyteri non fuissent in solis Ciuitatibus, dein falsum est Episcopos esse solùm à iure humano, nam Episcopalis ordo est à Christo institutus, sed non nouit frater noster Luther singula singulis tribuere, nam quod Ecclesia Moguntina, Constantiensis, Augustensis, aut Bambergensis sit Episcopalis, hoc est iure humano, & voluntate Pontificis Romani, qui sæpè vnit diuisas, & diuidit vnitas, tamen Episcopi electi dignitas, ratione ordinis, est de iure Diuino, accipe Symbolum in vicinia, modus eligendi Summ. Pontificem sit iure humano, tamen potestas electi est de iure Diuino, ità dico de Episcopis, nam iure Diuino fruuntur, licèt modò iure humano eligantur, & in illa, vel alia Ecclesia constituantur, sicut Sedes Episcopalis, quæ iam est in Eychstetten. auctoritate Romani Pontificis posset transferri ad Ingoldstatten. quòd latinè auri ciuitas sonat, sicut olim dicitur fuisse, hinc & hodie Episcopi Eychstetten. dicuntur Aureatensis Ecclesiæ Episcopi. Quamuis noster Auentinus rerum Bariaticarum, & in communi Germanarum impensissimè doctus, existimat Aureatum in medio itinere situm fuisse, inter Ingoldstatten. & Eychstetten. propè Castrum Nassenfels. Vnde liquet lapsus crudus diuersarij. Sic libro 1. de pastura Petri diximus. Quomodò Papa possit omnium Ecclesiarum curam habere. Non enim est solùm pascere, & docere, sed & cohercere. Ideò baculum gestat Pastoralem, quo & segnes oues impellat, vt progrediantur, & vagos contineat, & ad gregem reliquum coherceat, quæ omnia libro 1. locupletissimè tradidimus. Vnde ob tam fragilia fundamenta, & falsos scripturæ intellectus, non debuit Luther cornua erigere,


re, contra Summum Pontificem, contra sacra Concilia, contra tot probatissimos Patres, & Doctores, sed eis humiliter consentire.

AVCTORIS Peroratio,

Ad beatissimum Apostolici culminis Patrem D. Leonem X. Pontificem Maximum, ac Augustissimum D. Carolum V. Romanorum, & Hispaniarum Regem Potentissimum, ac ad omnes Episcopos, Catholicos, & Principes Christianos per vniuersum Orbem Terrarum.

POst longam illam nauigationem, vela tandem dimitramus, & nauem subducamus in portum, quod fœlix, faustumque fiet. Non frustrà arbitror me totis lacertis, in confratris Marcini Lutheri erroribus, Pontificiam potestatem, ac auctoritatem Conciliorum tangentibus, desudasse, visus enim est mihi error iste perniciosissimus, & qui totam, velut tabifica lues, & pestilens, inficeret Ecclesiam. Si enim abijcit Romani Pontificis auctoritatem, & Conciliorum, vt quæ humano sint firmata præsidio, positiuo subnixa iure, quod modò tutum erit in Christiana Religione, siue contemplemur definitiones fidei, & declarationes, siue Sanctorum Canonizationes, siue Hæreticorum condemnationes. Nam omnia ista, iuxta Lutheranam sententiam erunt dubia, suspecta, & ambigua, vt parùm constanter Sanctum quis venerari audeat, quem formidat per errorem à Papa Canonizatum. Parùm firmiter quis Hæreticos, & Schismaticos anathematizet, quos suspicatur. Parùm propitijs iudicibus, aut errantibus fuisse condemnatos. Expendat quisque Catholicus, quæ licentia hic probetur, quanta via præsumptioni sternitur, dum quisque pro captu suo sacram Scripturam intelligeret, exponeret. Immò laceraret, & in hoc suo innitens capiti, nec Romanus Pontifex, nec sacra Concilia, nec sanctos Patres, aut præclara studia audire vellet, aut iudicare permitteret, an non ista omnem fidei vim mox eneruarent, ac nostram sacram Religionem Christianam teterrimis næuis commacularent,

Agite ergo Christiani Orbis Præsides. Tu sanctissime Leo Papa, Christi Vicarius in terris, Ecclesiæ Pastor, Fidelium Director. Tu Carole Augustissime Fidei Catholicæ Reipublicæ Christianæ assertor, tutor, & propugnator, vos alij Christiani Proceres, quibus Rex Regum, & Dominus Dominantium, Saluator noster Iesus Christus sui Imperij habenas commisit. Vigilate super Gregem commisso, Fidem, & Religionem tueamini, errores prohibite, schismata tollite. Alioquin ante tremendum, & iustum Iudicem, exactam commissæ potestatis dabitis rationem. Quod ad me attinet, pro Theologica, & Christiana professione, ex sacris literis, & sanctis Patribus, conatus sum hos errores expungere, tela eorum frangere, falsè intellecta ad verum germanum sensum reducere, vobisque ostendere, vos hortari, vos monere, sicut his præsentibus hortor, & moneo, vestrum erit Augustali auctoritate, ea, quæ rectæ fidei conueniunt, defendere & tueri. Quòd si & ipse lapsus essem, subijcio Sedi Apostolicæ, & in ea sedenti Pontifici Maximo, corrigenda, ac expurganda. Quandoquidem videor satis meo functus officio. Vos nunc vestro fungamini, & curate impensiùs, tali vos vigilantia in his, quæ sunt fidei laborate: vt præmia accipiatis æternæ beatitudinis Domino Iesu paterno lumine auctore, qui est benedictus in secula, Amen.





IOANNIS FABRI

EPISCOPI CONSTANTIENSIS in ſpiritualibus Vicarij.

OPVS

ADVERSVS NOVA QVAEDAM, & à Chriſtiana Religione prorsùs aliena Dogmata Martini Lutheri.

Ioannes Faber Leukirchenſis Algouius, vir acerrimi ingenij,Philoſophiæ,& Theologiæ non mediocrem operam nauauit; vnde Theologus inſignis, & Lutheranorum malleus eſt dictus. Canonicus Conſtantienſis eſt electus, in quo gradu multa edidit, & egit contra Lutheranos. Accidit die 29. Auguſti anno 1526. grauiſſima iactura exercitus Chriſtiani in Hungaria, interemptis decem millibus equitum, & duodecim millibus peditum, ipſoque Ludouico Rege pereunte, cum cænoſum riuum inter Mohacium, & Chelliam vicum traijcere niteretur. Ea clades poterat conciliare animos Catholicorum, præcipuè abſcedente Solimano ob domeſticos motus, & tempus erat recuperandi Hungariam; ſed ij, qui id poterant, Ferdinandus ſcilicet Auſtriacus, & Ioannes Princeps Tranſyluanus Matthiæ olim Regis nothus filius de partiendis inter ſe Hungariæ reliquijs, & regio nomine decertabant, ob quam rem accenſum eſt inter eos horridum bellum. Dum verò hoc bellum parabat Ferdinandus, vt narrat Raynaldus; miſit Ioannem Fabrum inſignem Theologum, cuius conſilio, & doctrina ad diſſoluendos Lutheranæ ſectæ dolos plurimum vſus erat, Oratorem ad Henricum Regem Angliæ, vt ab eo auxilia contra Turcam Hungariæ inuaſorem eliceret. Habita eſt ab eodem Ioanne Fabro coram Rege, & proceribus Anglis ad eos ad ſacram in Turcas expeditionem conficiendam concitandos, elegans oratio, in qua de Turcarum origine, ſuperſtitione, progreſſibus præfatus, multa accumulat de eorum ſæuitia, quod Archiepiſcopum Strigonienſem in minutiſſimas partes fecerint ſcindi, cunctis Magnatibus Seruiæ oculos erui,& innumerum populum palis affigi denique exaggerat ſuperbiam,qua Dux alter veluti Nabucdonoſor totum Orbem ſuo vult ſubiugare imperio. Facta eſt eodem anno celeberrima diſputatio Badenſis, de qua ſupra egimus in Ioanne Echio, in qua adegit in ea deſperatione Oecolampadium, vt palàm librorum ſuorum partem damnaret, dicens vehementer ſe cupere plures libros combuſtos fore. Ex quo idem Faber occaſionem deſumpſit in omnium oculis practicè defigere inſtabilitatem doctrinæ nouorum Euangeliſtarum. Recenſuit item vt narrat Ioannes Coclæus ſupra centum quinquaginta quinque mendacia ex ſcriptis Oecolampadij, quibus ille popu-

populum fallaciter decipiebat, asserens antiquos Doctores Ecclesiæ idem sensisse de Eucharistiæ Sacramento, quod ipse sentiebat. Memorat etiam Celæus libros, quos iste pugil strenuissimus edidit contra Zuinglium, & Oecolampadium gentis Helueticæ seductores. Dominus, inquit, Ioannes Faber, cum per absentiam, & contumaciam Zuinglij disputare cum eo non posset verbis, scriptis protulit multa, quæ illi obiecturus fuerat, si comparuisset, ingentem enim antilogiarum illius numerum coaceruauit in volumen vnum, quibus ille fœdissimè, & sibi ipsi contradixit, & suam, Lutherique doctrinam destruxit. Sed nimis longum foret omnia commemorare, quæ vir ille doctissimus multiuagæ lectionis, & inexhausti labris ex libris Zuinglij recitauit, atque redarguit partim tamquam sibi ipsis contraria, partim tamquam fidei Catholicæ aduersa, & secundùm se impia, absurda, & à vero aliena. Captus in Austria fuerat Balthassar hæresiarcha, cùm populum seduceret, atque in Vennensi carcere diù detentus, cum iam in se se ferendam mortis sententiam nosset, interprete Ferdinandi Regis quæstore obtinuerat, vt in alicuius viri docti, congressum, colloquiumque veniret, professus nolle se in impio quouis errore perire. Exciuis itaque Strigonio Ioannes Faber Ferdinandi Regis iussu prolixam cum eo disputationem habuit, in qua omnes hæreses eo tempore grassantes confutauit, atque acta diuulgaturus ea Georgio Saxoniæ Duci inscripsit, in qua hæreseos Lutheranæ retexuit originem, deque Anabaptistis, & Balthassare Pacimontano ad longum loquitur, & refert disputationem; factam animo quieto, & placido, præsentibus Doctore Saltzero, & Marco Regij ærarij Præfecto, vbi Balthassar erroris conuictus est; eamque ad longum enarrat Raynaldus anno 1528. num. 34. & sequent. Quamuis autem conspicuis argumentis conuictus esset Balthassar ipsum spiritu erroris agi, non verò Ecclesiam, cui Christus Spiritum veritatis spoponderat, tamen more hæresiarcharum, quos ab errore difficillimum est eripere, anceps, & inconstans in fide fluctuauit, atque ob ingentia scelera, concitatasque in Principes populorum seditiones Ferdinandi iussu Viennæ combustus est, ob cuius summam inconstantiam, & instabilitatem populus penè ad Atheismum redactus est, nesciens quid certò crederet, ob quam rem meritò Faber carpit Lutherum. Accepta deinde indictionis Concilij Oecumenici Tridentini fama Faber è Canonico Constantiensi electus Episcopus Viennensis, vt erat, inquit Raynaldus fortissimus fidei Catholicæ Athletes, & sacra eruditione excultissimus, prudentiaque ornatissimus Commentarium edidit, in quo præsentium temporum calamitates, ac statum exposuit, & quæ pro celebrando cum fructu Concilio apparanda necessaria viderentur, descripsit, quem libellum Madrutij Cardinalis Tridentini opera ad Paulum Pontificem transmisit, grates de pijs, & salubribus monitis egit, stimulosque addidit, vt eximijs cœptis insisteret. Cui rescripsit Paulus eum summoperè laudans, prædicans cognitum per quamplurimas virtutes à se, suisque Prædecessoribus; memorem se scire fatetur tanti laboris, alia ab ipso desiderat, suumque Nuntium onerat, vt cum eo de Concilio agat. Fuerunt autem 72. Capita, ad quæ singula iussu Pontificio responsum est; remittendo se plerumque ad prudens consilium Fabri, eiusque operam. Accepto eo responso Faber, vt flagrantissimo studio propagationem Fidei Catholicæ, hæresisque extinctionem respiciebat, scriptis ad Ioannem Moronum Episcopum Mutinensem Pontificium in Germania Internuntium, exposuit extremam necessitatem celebrandi quantòcius Concilij, exposuitque hæresis initia, progressus, & Catholicæ Religionis arma; & interim ipse iussus à Pontifice cum Ekio, & Nausea eximijs Doctoribus, dogmata hæreticorum ex illorum libris excerpit. Cum autem summè necessarius esset ad perfectam celebrationem Concilij, vt idem Romanus Pontifex prudenter aduerterat saluus conductus pro Hæreticis, ideò Nuntius habito prius colloquio cum D. Cardinali Tridentino, & Fabri cum eo tractauit cum Regia Maiestate, & Imperatore de eodem saluoconductu. Intereà indefessus Faber orthodoxæ Fidei Athleta, qui apud Ferdinandum Regem Bohemiæ, Hungariæque maxima florebat auctoritate pro Bohemis Hæreticis in concordiam cum Catholicis adducendis operam nauabat, quam rem vt cœptam perficeret Pontifex hortatus est, scripsitque breue, quo nullum pulchrius elogium, dicens se nihil aliud expectasse, quàm vt semper esset, qui fuerat, se subleuandum ab ipso, Imperatorem ipsum, & Regem eum in summa veneratione habere, &c. Agebatur anno 1540. Conuentus Spirensis, ad quem Pontifex Principes Ecclesiasticos Germaniæ, Hæreticorum hostes Fideique Catho-

Catholicæ Duces hortatus est accedere, vt Fidei Catholicæ dignitatem ab Impiorum vesanis conatibus vindicarent. Scripsit autem tertium breue ad Fabrum, ad quem insignia dirigit laudis monumenta. Fatetur amorem suum, & singulare indicium de illius virtute augeri numquam posse, pietatem illius antea exploratissimam, se gratissimum illi fore; & pro certo, & explorato habere se neruos omnes in eum Spirensem Conuentum ad optimum finem perducendum insumpturum. Translato eo Conuentu Spira Staganoam, quòd pestis in designata priùs Vrbe sæuiret, conuentui præfuit Ferdinandus Rex Romanorum, cùm Carolus Quintus alijs negotijs implicitus teneretur, suumque duxerat. Fabrum, qui de Lutheranis ad priorem cum Ecclesia Romana, coniunctionem sollicitandis hoc consilium dedit, vt exponeretur ijs, Germaniam Fide Catholica susceptа, diuitijs, amplitudiue imperij, gloria, ciuili concordia, Vrbium conditarum numero, honorumque omnium effluentia effloruisse, cùm antea inculta syluis horreret, ex quo verò eam hæresis infecit orta bella discordias, omnemque malorum colluuiem, nec Lutheranos vmquam vllo consilio potuisse conuenire, ex quo pateat Sacramentorum mutationem à Deo ortam non esse, vnde consulendi sunt ad Fidem Catholicam reuerti, & si quæ ortæ fuerint corruptelæ eæ castigentur à Concilio Generali. Monuit etiam de oppressione Ecclesiastici ordinis, & de aperitione Scholarum pro erudienda iuuentute. Cum in colloquium descensum esset nulla concordiæ ratio explicari potuit cùm Bucerus, Brentius, & Osiander in hæresi essent pertinacissimi, prædamnatosque Augustæ errores tamquam canes reuersi ad vomitum assererent; exeusantes se, Augustæ nihil certò pronuntiatum. Cùm igitur post longam disputationem cum ipsis nihil concludi posset, maximè propter Saxonis, & Lantgrauij absentiam, quæ duæ Protestantium columnæ erant, ab eorum namque placitis Nouatores pendebant Ferdinandus postridie Idus Iulij conuentum de conciliandis dogmatibus controuersis Vvormatiam transtulit ad diem 6. Kalendas Nouembris, ità tamen vt Romano Pontifici ius suum relinquatur. Si Legatos Vvormatiam mittere velit. Cæsar hoc colloquium ad 28. Octobris indixit, in quo deputati articulos Religionis amicè, non conclusiuè tractarent. Ne autem solitis dolis Catholicos Hæretici irretirent Ioannes Faber in propugnanda fide oculatissimus dedit monita super futuro Conuentu Vvormatiensi in causa Fidei, & Religionis, verè aurea. Interim tot laboribus functus Faber 25. *Maij* Viennæ è viuis excessit anno 1541. de cuius morte ait Claudius Internuntius datis Ratisbonæ literis 11. Iunij 1541. Catholicam Religionem grauissimum damnum passum ex obitu Episcopi Viennensis, idest Ioannis Fabri. Habuit hic Auctor Panegyristas eximios sui temporis Doctores, Reges, Cardinales, Nuntios, & sæpissimè Summos Pontifices, quorum gratitudinem, vt ipsimet fatebantur, tot meritis extorserat. Successorem nactus est in Episcopatu Federicum Nauseam in repottandis de hæresi victorijs socium. Scripsit quamplures libros vbique notissimos; & quorum seriem texunt Simlerus, Calidius, Posseuinus, Bellarminus, Miræus, & alij. Sunt autem Malleus Hæreticorum libri sex; Orthodoxæ Fidei Catholicæ defensio aduersùs Balthassarem Pacimontanum; Librum de Potestate Summi Pontificis contra Lutherum; Homiliarum de Sanctissima Eucharistia, & aliorum argumentorum ingens numerus; quæ opera vt benè notat Bellarminus omnibus nota sunt, & admirationi.

AD

AD LECTOREM.



EDITVS est à Martino Luthero libellus de potestate Papæ inscriptus, in quo non modò potestatem Papæ vellicare, ac miris modis confutare nititur, sed & probare conatur ad Primatum Petri minimè pertinere illud Matthæi 16. quo respondens Iesu dixit. [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligata & in Cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Nec per id Ioannis vltimo. [Pasce oues meas,] inter Apostolos potestatis præfecturam, quam Theophilus Alexandrinus, *prostasian tis oicoymenis ton probaton* vocat, Petro quæsitam esse ait. Proin Rom. Ecclesiam reliquis immerito dici, & haberi superiorem iudicat. Sunt & alia sexcenta à Luthero tradita, quæ Euangelicæ veritati, ac religioni Christianæ aduersari compertissimum est. Quæ omnia cum optimo iure conuinci posse putarem, ac vt cum Moabitide illa muliere spicas colligerem post terga metentium, hanc disputationis Prouinciam suscepi. Et ne quid inuertisse videar, Martini verba semper ex ordine præmitto, ac pro veritate tuenda, quid pro meo tenui iudicio in aduersum Luthero dicendum esse putem, pio lectori ostendam, non aliqua titillatione gloriæ inductus, sed veritate, ac solius Christi mei honore, totiusque Orbis Christiani pace communi persuasus. Boni ergo consulat quisquis hæc legerit, & liberè semoto affectu iudicet. Monieusque meliora sequatur.

CAPVT PRIMVM.

Obiectio Lutheri. Quòd Iuristæ ipsi negent datum Petro Primatum, Matth. 16. & Responsio Iuristas non negare.



PRIMVM quidem, quòd ipsimet Iuristæ Primatus huius assertores recedunt ab hoc sensu, & negant hoc verbo Matthæi 16. Petro datam primitatem, consequenter, & Romano Pontifici. Sicut Glos. cap. Considerandum dist. 10. Panor. de elect. cap. Significasti. Vnde dicunt non hoc verbo, sed illo verbo: [Pasce oues meas:] Petro esse collatum Pontificatum Ecclesiæ. Si ergo Iuristis licet negare tot textus expressos decretorum, & dissentitur omnibus, quæ dist. 17. 18. 19. 21. 22. tam copiosè, & pertinaciter ex hoc verbo Matth. statuuntur. Cur mihi non liceat frigidissima decreta appellare Theologo, cum ea negare, & annihilare liceat Iuristis? Persequantur primò seipsos maioris criminis reos. Aut, si veniam merentur decretorũ negatores, & grassatores sine peccato erit, qui inefficaces asserit, & frigidas decretorum probationes. Neque enim ego ea negaui, sicut illi, sed frigere tantùm ad probandum dixi, sicut te vera frigent: Nisi quòd ad locupletandum locum valeant exempla eorum, quæ per vim dicuntur, & in alienam sententiam trahuntur. Nihil ergo hoc textu probatur, à quo ipsimet discedunt; nihil istis decretis probatur, quæ ipsimet neutrisque confidunt.

FABER.

Sta Balach, & ausculta, audi fili Sephor, non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, & ità non mentitur, vt etiam fit illum impossibile mentiri, Proin necesse est, Esaia testante, vt stet verbum illius in æternum. Hæc à capite rei, & quasi primo congressu tibi Luthere, in Christo charissime commemorare placuit, vt sine ambagibus, & mox disceres, quid hæc Domini verba sibi velint, quibus Petro dicitur, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claues Regni Cęlorum.] Quæ, & si mille modis torquere, ac retorquere conatus fueris, vltimo tamen negare non poteris hæc dicta promissionis alicuius esse verba. Iam tu, qui Paulinus es totus responde, an non ex Paulo didicerimus, ad Rom. 4. Quæcumque promiserit Deus, potens sit facere, cum non sit apud eum impossibile omne verbũ? Apoc. 19. An in insula Pathmo Petri stipulator non visus fuerit sedere, super equum album, & vocabatur fidelis, & verax, qui in alio loco habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Apocalyp. 3. Proin sanctus, & verus dicitur, quia Deus erat, qui non mentitur. Ad Titum 1. Ne *Dober sekarim* ab aliquo diceretur, aut dici posset veritatis rationem vbiq; habuit. Quare, & se viam, ac veritatem professus est, noluit censeri similis Iudæis mendax, testimonium perhibuit veritati.

Quæ omnia cum Doctores illi iurisperiti inter canones versati, ac primò omnium sacrarum literarum interpretes considerarent, proptee rei certitudinem promissionem hanc de futuro, quasi præsentem existimarunt. Quod hic ergo ex Matthæo, ac Ioanne doctores Ecclesiæ tradiderunt, id canonistæ secuti sunt. At ne iureconsultis hæc macula possit inuri, quasi inter se dissentirent, ac asseueranter contraria non è lacunis frigidis, sed calido fonte theologorum ostendam canonistas cum theologis primarijs conuenire optimè, Ex Hireneo, itaque, Turtulliano, Origene, Cypriano, Theophilo, Theophilacto, Hilario, Cyrillo, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Leone, Gregorio Magno, Fulgentio, Maxentio, Beda, ac alijs propemodum infinitis auctoribus osten-

ostendam primatum Petri ex Euangelio Ioannis. ac Matthæi fundatum esse. Et iam cum Hieronymus, Augustinus, ac alij testantur Euangelium Ioannis græcè scriptum, cumque non parum referat, à fonte bibatur, qui fluit, an pigro quem stupet vnda lacu. Vnde Græcum auctorem doctissimum Theophilum Alexandrinum induco. Is in Ioannem scribens sic ait. *Epeidi telos eichen autois ta toy aristoy to Petro tin prostasian ton tis ocoymenis probaton egchirizi oyc allo de alla toyto taytin didosi. Proton men oti panton ceritos, cai stoma toy choroy mantos 'epeita deicnys ayto oti chri tharrein, os tis arniseos ezilemenis, cal tin men arnisin oyproeberei, oydè oneidizei · legei dè oti ci phileis me, proistaso ton adelphon, cal tin thermin agapin in eleges cchin prosme os tc, cal yper atrothniscein moy, no deixon · erota dè aytòn tritoy, ama mendeicnyon osin trieitai phrontida ton pisteyonton, cal oti tosoyton agapa tà orobata os te, cal tiscis ayton agapit toyco trieitai tecmirion tò ton probaton proisasthai.* hoc est: Postquam finita est illis cœna, Petro præposituram ouium orbis tradidit, non alij, sed isti ipsam dedit, primùm quidem, quia omnium electus, & os chori totius. Posteà ostendens ipsi, quòd oporteret confidere, vt negatione deleta, & negationem non profert, neque exprobrat. Dicit autem. Quòd si amas me, præsis fratribus, & feruentem amorem, quem dicebas habere erga me, vt & mori mei causa velles, animo ostende. Interrogat autem ipsum tertiò, simul ostendens quantam habeat curam credentium, & quòd tantùm diligit oues, vt hoc est signum amoris erga eum præesse ouibus. Dein iterum idem Theophilus in Matthæum 16. sic ait. *Macarizei ton Petron os ecthcias charicos labonta gnosin · apodecbomenos dè aytòn, deicnysi loipon tàs ton allon anthropon ypolipseis oseydeis.* Beatificat Petrum, vt ex diuina gratia accipientem cognitionem. Recipiens autem ipsum, ostẽdit reliquum, scilicet aliorum hominum cogitationes esse mẽdaces. Ac iterũ idẽ. *Ameibetai tònPetron o cyrios misthon ayto didoys megan, to ep' ayto oicodomithinai tin Ecclisian.* Retribuit Petro Dominus mercedem, ipsi dans magnam, super ipsum ædificando Ecclesiam. Vides iam quomodo non abs re totus reuicat Orbis Petrum in pastorem supremum esse positum. Vnde, & meritò vocabulo græco, *archipomenos* dicitur.

Non ergo tanto impetu etant damnandi canones, quos, vt obiter tueamur, ad tuam sermonem verto. Dicis Glosellam, ac Panormitanum dilucire omnibus, quæ scripta sunt in 17.18.19.21.22.dist. Certè ni malè viderim in 17.ac 18.dist. nullum verbum super Matth. vel Ioannem deprehendirur. At in 19.dist. textus est, quem fortè contrà te pugnantem vides.

Et aurem Leonis illius, à quo me tam facilè auelli non sinam. Siquidem præter illius sacrosanctas scripturas in totum diffusas orbem de eo testantur historiæ, quomodo citcitèr annum Domini 444. propter vitę sanctimoniam, ac sacrarum literarum eruditionem a sexcentis, ac trigiuta Episcopis in Calcedonensi Concilio, ter sanctus fuerit acclamatus. Vnde quòd illi sancti Patres, & interim a mille annis tota credit Ecclesia, temerè non dānabo. Caput canonis est. Ità Dominus noster. Quem locum si benè pensemus, non tàm non aduersatur, quàm omninò rectè conuenit assertioni nostræ. Siquidem in dist. 21. Gratianus quid alienum dixit à veritate? quando testatur Petrum in summum sacerdotem electum, dum ei præ omnibus, & pro omnibus claues Regni Cœlorum tribuit, & à se petra. Petri nomen imposuit. Hec verba electionem habent, quam, & asseuerant canonistæ. Reliqua nec iota à Theologorum sententia recedunt. Quòd si in eadem dist. sub cap. In nouo Anacletum errasse contendas, hic videas, quàm temerè tam sancto viro repugnes, cuius tamen partes infrà tuebimur. Consultius itaque fuerit iuta iuribus, scripturam scripturis, ità conferre, vt in his verbis, [Tu es Petrus, & super hanc petram Christus Petro primatum dederit per electionem, seu destinationem. Per hæc Ioan vlt. scripta. Pasce oues meas, primatum valida confirmatione firmarit, ità vt id, quod verè promissum erat, verè firmaretur à Domino, qui est veritas ipsa verissima, quæ, & sola de se dicere poterat, Ego sum via, veritas, & vita. Hæc concordia non est contra theologos, sed stat firma veluti Marpesia cautes. Quare in te alioquin acris indicij viro non admodum probo, quod non verearis tàm leuitèr accusare, damnareque iuristas, ac dicere illos inter se contrariari, proptereàque eorum decreta appellare frigidissima. Sunt æquidem in sacra theologia quædam, quæ inter se aduersari videntur. Prudentis autem viri est, pro veritate eruenda scripturas illas in vnum referre, ita vt semper abyssus abyssum inuocet, & sicut vnus est Deus, ità vna sit fides. Et quis non videret Hieronymum, ac Augustinum (non hic dico de Thoma, de Scoto, illorumque cutitatibus, quidditatibus, conceptibus, relationibus) reliquos etiam theologos inter se digladiari, immò inter se quandoque nullatenus conuenire?

Sed propterea frigidissimas illorum sententias, nemo vmquam dicere ausus est. Quòd si penitius Augustini, ac Cypriani scripta consideres, quid in materia baptismi, & maximè de baptismo hæreticorum non iterando statuerunt, ac scripserunt, eos omninò dissentire dices. Credit Cyprianus vna cum sanctissimo cœtu Episcoporum ex Aphrica, Numidia, Mauritania omnem hominem ab hæresi venientem esse rebaptizandum, firmarunt hanc sententiam pulcherrimis scripturæ locis, validis rationibus, ac persuasionibus efficacissimis, Sed contra illorum sententiam manibus, ac p[illegible]dibus diuus Augustinus non in vno loco dumtaxar, sed quibusdam libris, vtporè de baptismo, contrà Donatistas, contrà Crestonium Grammaricum, ac in plerisque alijs locis acerrimè pugnauit.

Sed neminem hueusque depræhendi, qui vel Cypriani, vel Augustini decreta circà baptismum frigida proclamarit. Quamquam, ab indoctis, & æmulis Lactantius Firmianus testetur Cyprianum Caprianum esse dic[illegible] Sed demus, iura frigida sint veluti ebri[illegible] tamen in hoc loco, quia cum [illegible] solidis sacri testamenti [illegible]

conueniunt, reijci non debebant. Et tu mihi responde, nonne Christus sæpè sua dicta per verbum veritatis amen firmauit?

At credis eum, qui fuit, & est æterna sapientia Patris, qui non solius Esaiæ, sed omnium Scripturarum mysteria nouit, ignorasse apud Hebræos *Emed*, hoc est veritatem scribi per literas hebraici alphabeti primam, mediã, ac vltimam, quæ si sculpantur, aut fundantur in ære, veluti tetragonus in plano semper erectæ se habent, ad designandum, quòd veritas semper, & vbique sibi optimè constet *Saker*, verò hoc est mendacium tres literas habere, etiamb in planum proiectæ fuerint, numquam erectæ se habent, & sint vltimæ alphaberi literæ, ac denique inuerso modo non fine mysterio, quo labio mendacij nihil virtutis, ac recti possit, ac debeat adscribi. Itaque vt ad nostra veniam, veritatem æternam nihil promittere conueniebat, nisi quod seruare vellet. Quod & reuera fecit eam obrem, & os veritatis ait, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et itâ non transibunt, vt hic verè Hieronym. Matth.16. loquens de Christi promissione, sic scripserit. Et ego dico tibi sermone non casso, & nullum habenti opus. Sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est. Hæc Hieronym. Sed vt valids ista firmentur, videamus an id saluari possit, quòd hic Petro datæ sint claues. Nosti moris esse sacræ Scripturæ imperatiuum modum pro optatiuo ponere. Itâ Orig. in homil. 1. in cantica canticorum, interprete Diuo Hieronymo, vt ibi: [Pater noster, qui es in Cœlis sanctificetur nomen tuum, pro vtinam sanctificetur, & osculetur me osculo oris sui, pro eo quod est vtinam.] Et sicut modus sumitur pro modo, itâ tempus pro tempore ponitur. Quare Hieron. Ezech.31.testatur, quòd quæcumque dicuntur de Rege Assyriorum futuro tempore, in septuaginta qusi transacta memorantur. Et idem Hieronym. Daniel. 11. testatur pulchrè hunc morem Scripturæ sanctæ, vt futurorum veritatem præmittat in typis. Quare omnia, quæ dicta sunt in psalm.71. de Salomone, de Domino Saluatore rectè intelliguntur. Nam non permansit Salomon, cum Sole & ante Lunam in generatione, & generationem, neque dominatus est ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum, nec omnes gentes seruierunt ei, nec benè dictæ sunt in ipso omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificauerunt eum. Sed & idem paulò apertiùs in epistola ad Ephes. cap. 2. nostro proposito quadrat, vbi sic ait: [Quæritur quomodò Deus, qui nos saluos fecit, & suscitauit simul, fecerit sedere cùm Christo?] Et quidem, qui simplicius est responsurus, hoc asserit iuxta præscientiam Dei, id, quod futurum est, & quasi factum esse iam dixerit. Et quia mos sit Scripturarum, vt interdum futura tempore præterito declinentur, verbi causa de Cruce Domini. [Foderunt manus meas, & pedes.] Et alibi de passione eius. Quasi ouis ad victimam ductus est. Et adhuc de iniurijs flagellorum. Liuore eius non sanati sumus. Et alibi; Ab iniquitatibus populi mei ductus est in mortem. Hoc autem ideò ne, quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet, & vacillet, ea, quæ Deus futura cognouit, apud quem nihil ambiguum est, quasi iam facta memorantur. Hæc Hieronym. Vides hìc Martine charissime, quomodo modus pro modo, tempus pro tempore ponatur. Itâ in hoc quale crimen commiserimus, asserentes hoc futurum fuisse præsens? Et sæpè fit, teste August. 20. de ciuitae. Dei cap. 14. vt quod priùs est factum, videtur aliquando posterius esse factum. Moris est etiam Scripturæ diuinæ futura præteritis dicere; nisi mentiatur Ambros. lib. 3. de fide cap. 4. Et sacri Doctores circa hoc verbum, [Tu es Petrus, &c.] aliquando versati itâ loquuntur, quasi iam Petrus claues acceperit. Sicut forsan si quis asseueraret, non erraret, immò non esset periculosum, cum tam sanctis Patribus, virisque doctissimis ertate, dum esset citra iacturam æternæ salutis. Concludo ergo canonistas in nullo alio variasse, quàm quòd ante multa sæcula Theologos totius Ecclesiæ lucernas fecisse videntur. Dicere ergo iustæ possum, quòd Atticus Hieronymi dicit in libro aduersùs Pelagianos, cum testimonia scripturarum alijs comparanetis testimonis, ne sibi Spiritus sanctus pro qualitate locorum, & temporum videatur esse contrarius secundùm illud, quod scriptum est: Abissus abissum inuocat in voce cataractarum tuarum, tunc veritas appatebit. Itâ mi Luthere si Scripturarũ Scripturæ, professorem professori contuleris, non est quòd accuses, calumnietis, ac damnes. Sed pergamus ad alia.

CAP. II.

Obijcit Lutherus. Quòd Christus Matthæi 16. non dat, sed promittit Primatum, cui respondet Faber.

LVTHERVS.

ET mouetur ad hoc satis forti ratione, quę aduersarios reddat inuictos, scilicèt hac quòd Christus, vt etiam beatus Hieronymus eodem loco exponit, non tradit Petro claues, promittit dumtaxat, ideò currendum esse ad locum, in quo tradit claues, & tunc inuenitur illud Ioãnis vltimo, quòd non ad Petrum, sed ad omnes dicit: [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Ex quibus verbis liquet non solùm quibus in Petro claues promiserit, nempè toti Ecclesiæ sed etiam quòd per claues promissas intelligi velit, nempe remissionem, & retentionem peccatorum.

FABER.

Hic non ignoro Diuum Hieronymum testari verba Matth. 16. verba promissionis esse, etiam de futuro, non de præsenti. Si etenim statim benedictionem, beatitudinem, & ædificationem ei dedisset, numquam in Petro prauæ confessionis error inuenisset locum, sed hic non negat hanc promissionem olim esse completam, immò dicit illi sermone non casso, & nullum habenti opus. Nec in Hieron. deprehenditur in hoc solo verbo

Ioann.

Ioann. penult. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata. &c. quoad Petrum promissionem esse compleeam. Nempè quod hic in præsenti dabat de verbo, in verbum factæ promissioni minimè respondet. Quamquam & illud nihil, vel parum referat, quòd si omnes Apostoli cum Petro pares Pastores facti, redditique sunt, si hic Pastor supremus æque omnibus oues crediderat, cur in sequenti capite Petro inter oues pascendas commisit? Sicut igitur mysterio non caret teste Origen. in Matth. quod Christus apud Matth. Petro potestatem dedit, siue dare promisit non vnius Cœli, sed multorum Cœlorum, Et post duo capita reliquis Apostolis potestatem dedit ligandi, atque soluendi non in Cœlis, sed in vno Cœlo dumtaxat. Ità mysterio non caret, quòd à Christo. vt est Ioannis penultimo, omnibus Apostolis datus est Spiritus sanctus, & dein cura gregis data fuit soli Petro. Adde ad hæc, quòd ex alijs Hieronymi locis quampluribus tibi ostendam Matth. 16. [Petro claues esse datas, atque concessas. Illud, & Theologiæ reliquorum cohors sancta rursus confirmat, & sic illi inter se dissentire viderentur, quòd tamen modis omnibus cauendum erit. Quare si ità libuerit canonistas calumniari, nisi rectè intelligas, eadem ratio erit calumniandi Theologos, Hieron. nempè dicit hic claues non esse datas, cuius contrarium testatur Origenes, ac in multis locis ipse contrarium dixisse videtur. Sed suprà ostendi tantam esse summæ veritatis fidem, ac eminentiam, vt promissionem de futuro propter certitudinem rectè dixeris esse præsentem.

CAP. III.

Obijcit Lutherus. Quod apud SS. Patres Christus hoc dixit ad Ecclesiam, & omnes Apostolos, & respondens Faber primo datas Petro, & per eum Ecclesiæ transfusas.

LVTHERVS.

Secundò, quòd idem verbum Christi malè decreta aptant soli Petro, & Romano Pontifici. Nam apud sanctos Patres Christus hoc vnum dixisse ad Ecclesiam, & omnes Apostolos in persona Petri asseritur, quorum primus D. Hieronym. qui hoc loco interpretatus verbum Petri, dicit, Petrus ex persona omnium Apostolorum confitetur dicens: [Tu es Christus filius Dei viui;] & in hoc sequitur suum, vt solet, Origenem, qui idem eodem loco sentit.

FABER.

Hic negare non possum, nec volo, quòd toties apud August. repertum inuenio, maximè, quòd Petrus figuram portauerit sanctæ Ecclesiæ. Nec id abnegare similiter possum, cum Iesus ait: [Numquid, & vos vultis ire? quòd tunc Petrus respondit pro omnibus dicens, & ad quem sumus ituri? verbum vitæ habes, & dimittimus te, vbi mutatum etiam est nomen illius, & Christus fecit de Simone Petrum, Petrus verò dicebatur à petra: Petra est Ecclesia. Vnde, vt est apud Augustinum in Euangelio Ioannis tractatu 7. In Petri nomine figurata est Ecclesia.

Et apertissima est illius Augustini sententia in eodem libro tract. 104. quòd Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, idest potestatem ligandi, soluendique peccata. Ait enim: [Hoc agit Ecclesia spe beata in vita ærumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figuratam personam.] Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus abundantiore gratia, vnus, & idem primus Apostolus.

Sed quando est dictum: [Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis;] vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, vndè & Petrus nomen accepit.

Sed per hoc non tollitur contra Sanctorum fide digna testimonia, Petrum non esse caput, & Principem Apostolorum; nec id repugnat veritati, quòd Ecclesiæ sunt traditæ claues; quòd iterùm sic dicens confirmat Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. cap. 18. sic ait: [Quòd Christus dederit has claues Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent & in Cælo, scilicet, vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur. Quisquis autem crederet se quoque ab alijs correctum, auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide, atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit sibi dimitti peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius. quàm malum esse remaneat, vbi de fructu suæ conuersionis infidus est. Sed adhùc stabit claues, Petro traditas. Nàm etsi Petrus typum gerebat Ecclesiæ, tamen Petro traditæ sunt claues tamquam capiti, & principaliter, iuxtà verbum Leonis, & per Petrum in reliqua membra diffusæ; nec patior ordinem inuerti, itàut dicamus claues primò Ecclesiæ traditas, & per Ecclesiam Petro: immò constanter affirmo Petro primò, ac deindè per Petrum in Ecclesiam transfusas: quòd si probauerimus, sicut probabimus, annuente Domino, Petrum fuisse caput, certè nemo negabit illi tamquam capiti claues esse concessas; quòd si nuda verba textus Euangelici vndique pensemus, certè de Petro testimonium habent expressum.

Sed ne pro meo nutu loqui videar, quorumdam Doctorum testimonijs vtar, Ambrosius libro de Isaac, & anima cap. 3. Petro dicenti, Quò vadis: respondit verbum Dei: Non potes me sequi modò, sequeris autem posteà, claues autem commiserat Regni Cælorum, & sequendo imparem iudicauit. Ex hisce verbis Ambros. Quis dubitabit Petro non esse traditas claues, cùm omninò de Petro debeant intelligi. Nàm si quid ad claues

ues attinet, in Ecclesiam retulerimus. Itidem, quod dicitur, non potes me sequi modò, sequeris autem postea, ad Ecclesiam referretur, quod dùm locum habere non poterit, totum de persona Petri intelligere oportet.

Huic simile est, quod habet Augustinus in lib. 2. contra 2. Gaudentij epistolam c. 23. vbi sic ait: Nunquid melior Rasias, quàm Petrus Apostolus, qui vbi dixit: [Tu es Christus Filius Dei viui:] tam beatus à Domino appellatus est, vt claues Regni Cœlorum accipere mereretur. Nec tamen creditur imitandus, vbi mox eodem momento reprehensus audiuit: Vade post me sathana, non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Quis non videt hanc Augustini collationem de persona Petri factam, ac intelligendam? Quòd si Ambrosius in Euang. relectus fuerit Lucæ lib. 7. cap. 9. &c. idem inuenietur: Stabit itaque inconcussè, quod supra memoratum est Petro traditas claues, tamquàm Patrifamilias domus Ecclesiæ, quibus ipse portas aperiret, ac clauderet, & in Ecclesia ab eo reliqui acciperent. Sed ad Hieronymum, qui scribit Petrum ex omnium Apostolorum persona confessum nescio quid dicam, hoc scio sanctissimum Pictauorum antistitem Hilarium apertè testari hoc in Petro considerandum esse, fide eum cæteris anteijsse, & quòd ignorantibus cæteris primus responderit: [Tu es Filius Dei viui,] quos locos concordes fieri necesse est, nisi tantos viros inter se dissentire dicere velimus. Et certè si iuxta Pictauien. Episcopi verba ignorabant Apostoli quid responderent, Petrus iam ex se, & reuelatione Patris hoc magnum dictum respondit.

Sed quid aufertur Petro, si ex persona omnium Apostolorum respondisse conceditur? Simile est, quod habet Hilarius in psalmo 118. dicens, quòd prophera ibi ex persona omnium loquebatur, ne à Deo tradatur orat. Et restatur Origenes in Matthæum, Dauidem ex persona omnium nascentium ex carne, & sanguine dixisse: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sed Dauid non erat hic omnis natus ex carne, & sanguine, quamquam locutus fuerit ex persona omnium nascentium. Ità de Petro, an etiam hic Hieronymus sit secutus suum Origenem, certum non habeo. Siquidem Origenes ingenuè fatetur, quòd oportuerit aliquid maius habere Petrum præ illis, qui ter arguerint, idcò illi dixerit: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in Cælis, &c.

CAP. IV.

Prosequitur idem argumentum, quod ea verba dicta sint omnibus ex Chrysostomo, & respondet Faber ex eodem Chrysostomo datas claues soli Petro.

LVTHERVS.

Chrysostomus autem, & si hunc locũ totum in Petri laudem trahat, dicens eum Caput, & Pastorem constitutum Ecclesiæ futurum, & toti Orbi præpositum: tamen & ipse vocat eum os Apostolorum, quòd vice omnium responderit dicens: Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortij totius, cum omnes interrogati essent, ipse solus respondit. Ergo non ad solum Petrum iste locus pertinet, sed ad omnes, etiamsi primus, & Princeps inter Apostolos fuerit.

FABER.

Vera sunt, quæ hic de Chrysostomo dicis, maximè dum hunc locum totum in Petri laudem trahat. Sed adde, quòd eum Pastorem, & Caput vocat, summum Orbis Doctorem, Apostolorum Principem, Ecclesiæ columnam, ac turrim, atque fundamentum fidei, Ecclesiæ Præsulem, Caput Apostolorum: & quòd illi Christus totius Orbis terrarum curam demandarit. Quæ certè vocabula, seu epithera sunt, & honoris, & potestatis maioris, vti suis in locis, aspirante Domino, monstrabimus. Nec abest, Petrus dicitur os Apostolorum: & ex August. Paulo antè probauimus Petrum respondisse pro omnibus, dum omnes essent interrogati. [Numquid vos vultis ire?] scio denique ex Euangelio Simonem Petrum ad Iesum dixisse: [Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Circa quæ verba Chrysost. in homil. 39. quæ inscribitur de commemoratione sancti Pauli, apertè restatur hic Petrum interrogasse ex persona Apostolorum cæterorumque fidelium Iudæorum; vndè & meritò os Apostolorum dici poterat. Sed Luthere quamquam hæc verba pulchrè inserueris, cur, quæso, reliquam sententiæ partem omittis? Hæc enim sunt Chrysost. verba super Matth. homil. 55. Quid igitur, inquit, Petrus omnium Apostolorum os, vertex totius, cum omnes interrogati essent, ipse solus respondit. Et sequitur, quid tu forsan, dara opera, omiseras. Quandoquidem de sententia vulgi perebar, omnes responderunt. Cùm verò de sua eos rogaret, Petrus confestim præsiliuit, ac præueniens ait: [Tu es Christus filius Dei viui.] Quid igitur Christus? [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi:] hæc Chrysostomus. Ex quibus verbis nemo est, qui non intelligat in hoc responso Petrum præsilijsse, ac cæteros præuenisse. Nullam enim interlocutionem inter se de responso habebant, quod respondit, hoc non caro, & sanguis reuelauit, sed

pater, qui in Cœlis est. Et non parum est, quod hic Chrysostomus pensat, maximè quòd primò responderint omnes Apostoli, dum essent interrogati de sententia vulgi: & Petrus responderit interrogatus de sententia proptia, hoc testatur Euangelicus ordo. Ità namque scriptum est Matth. 16. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos dicens: [Quem dicunt homines esse filium hominis?] At illi dixegunt, alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: [Vos autem, quem me esse dicitis?] Respondens Simon Petrus dixit: [Tu es Christus filius Dei vini.] Respondens autem Iesus dixit ei; [Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qoi in Cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram &c.] Ex his Euangelij verbis liquet manifestè Discipulos in primis, ac deindè Petrum respondisse. Nec constat respondisse Petrum responso deliberato, immò quòd ad Iesum præ cæteris iuxtà Origenes in Matth. homil. 5. præsilierit. Et Leo beatissimus in 11. sermone de Passione Domini ait: Petrus omnium celerrimè ora præueniens, inquit: [Tu es Christus filius Dei viui.] Si ergo præuenit iuxtà Chrysost. ac Leonis sententiam, ac cæteri ignorarunt, iuxtà Hilarij Pictauiensis Episcopi assertionem, stabit hic Petrum fuisse locutum ex reuelatione Spiritus sancti: & quòd ipse pro sua persona meruit audire, [Beatus es Simon Bariona,] quòd si totum id à Domino dictum fuerat etiam reliquis, fuerunt & ipsi, & quilibet eorum Simon Bariona: & hoc historiæ veritas pati non potest. Quamquam & hæc verba, [Beatus es tu &c.] iuxtà Chrysost. mentem satis congrue cuique fidelium Christum filium Dei viui profitenti, possent aptari: sicut & probabimus ex Origene, Crysost. August. ac alijs quemlibet Christianum esse, dicique posse petram. Alio tamen sensu, ac ordine hæc audiuit Petrus, quàm quilibet Christianus audire meretur. Sed ad tua veniens, dico non ita oportere Chrysost. intelligi, quasi Petrus sic fuerit os Apostolorum, vt quid illi commiserint, fuerit locutus Simon: Alioquin non Pater in Cœlis sibi reuelasset: sed potius caro, & sanguis, & ita Christus non verè dixisset eidem: [Caro, & sanguis non reuelauit tibi. Discas itaque mutare sententiam: ne contra dictum sapientis, tuæ videaris inuiti prudentiæ.

C A P. V.

Obijcit eadem verba dicta omnibus, & Ecclesiæ ex Augustino, & Luthero respondet Faber ex eodem Augustino.

L V T H E R V S.

Beatus Aug. Psal. 108. sicut quædã dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur: nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam. Cuius noscitur in figura gessisse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit, sicut est: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] etsi qua huiusmodi. Ita Iudas personam sustinet, quodammodò inimicorum Christi &c. Vides quòd claues Ecclesiæ in persona Petri datas asserit. Idem lib. 1. de Doctrina. Christ. cap. 17. Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæcumque solueret in terra, soluta essent & in Cœlis.

F A B E R.

Admitto, quàm libens hanc primam August. sententiam: adde, si placet, quod idem August. habet in Euangelio Ioannis tract. 50. vbi sic ait: [Iudas malus, corpus malorum significat:] quomodò Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ sed in bonis Nam si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quæcumque solueris in terra, soluta erunt & in Cœlis, & quæcumque liganeris in terra, ligata erunt & in Cœlo.] Si hoc Perto tantùm dictum est, non facit hæc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur: & quæ soluuntur in terra, soluantur in Cœlo. Quia cum excommunicat Ecclesia, ligatur excommunicatus in Cœlo: cum reconciliatur ab Ecclesia, in Cœlo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali. Ipsis dictum est, [Me antem non semper habebitis.] Quid enim est, non semper: & quid semper? si bonus es, si ad Corpus Christi pertines, quod significat Petrus habens Christum, & in præsenti, & in futuro. Hæc August. Sed quid hæc contra primatum Petri, quem ego defendo? Primò omnium fatebor, & ego Petrum gessisse typum, vel figuram Ecclesiæ. Sed ea propter Petri historiam non negabimus: Abel tamen primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur Saluatoris: virgo, & caput, & sacerdos, & martyr esse videtur. Vt eiusdem Aug. verbis vtar in 1. lib. de morib. Sacræ Scripturæ cap. 3. Sed numquid non Abel verè fuit Abel Pastor ouium? qui & obtulit de primogenitis gregis sui, de quo scriptum: Respexit Dominus ad Abel, & munera eius. Numquid non figura petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura, & Moses dubitans, quando lignum accessit ad petram, vbi dubitauerunt Discipuli, quando viderunt Dominum crucifixum. Horum figuram gerebat Moses. Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitauit, quia lignum Petro appropinquauit. Mare rubrum baptismus erat, sed in nube. Et vt ad Paulum veniamus, quamquam vt est apud Apostolum, Syna, & Sion fuerunt figuræ, & de Sarra, & Agar typicè quædam dicta sunt. Neque autem Sina est mons, & non est Sion: non fuit Sarra, & non fuit Agar, vt pulchrè probat Hieronym. in Oseæ cap. 11. Isaac in typo Christi fuit, qui futuræ mortis ligna sibi ipsi portauerit. Et Iacob, quia Liam dolentem oculos, & Ra-

chel

chel pulchram habuit vxorem. In Lia, quæ maior erat, cœcitatem synagogæ: in Rachel pulchritudinem Ecclesiæ intelligimus, quæ licet typice capiatur, tamen hæc omnia verè fuerunt, & re ipsa: & quæ illis dicta sunt, quæ & in figuram trahimus, verè & re illis dicta sunt. Vndè si quis illa impugnarit, errat. Et sicut iustè August. in 13. lib. de Ciuit. Dei cap. 21. reprehendit eos, qui totum Paradisum ad intelligibilia tantum referunt, quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis; quia potest etiam spiritualis intelligi, ita vt capiamus per Paradisum, vitam bonorum, quatuor flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam; & ligna eius, omnes vtiles Disciplinas, & lignorum fructus, mores piorum, & lignum vitæ, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam, & lignum scientiæ boni, & mali, transgressi mandati experimentum. Eapropter quoque Hieronym. Daniel. 10. Eorum deliramenta, inquit, conticescant, qui vmbras, & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur auertere veritatem: vt flumina, & arbores, & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere. Ita & de Petro. Etsi figuram gessit Ecclesiæ: sicut & Rachel, sit quasi typus, & ad spiritalem possit traduci intelligentiam. Quis tamen prohibebit, & de illo, & ad illum verè pro sua persona quædam dicta & facta esse? Addo quod est in Hieronym. commentarijs in Oseæ nempè hic, vbi multas de Christo figuras retulisset, demum infert, ac probat quòd hi, qui ex parte typi fuerint, scilicet, Abel, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses &c. non omnia, quæ fecisse narrantur in typo eius credenda sunt. Typus enim partem indicat, quòd si totum præcedat in typo, iam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est. Vndè Sanson, & si typum Saluatoris gesserit, quòd meretricem ex gentibus adamauit, Ecclesiam, & multò plures hostium moriens, quàm viuus occiderit, tamen in alijs plerisque ad Christum non videtur gessisse typum, vti pulchrè tradit Hieronym. 1. lib. aduersus Iouin. Quod si hoc in patribus antiquis admiserimus, cur reieceri mus in Petro? stet ergo Petrum fuisse typum Ecclesiæ: sed non per omnia typus erat, imò remansit, & erat Petrus. Quid si pro te Augustinum obieceris, non est quo moueat: siquidem in huius Euangelici verbi interpretatione sæpè Diuus Aurelius variasse reperitur, & nemo non nouit hanc de Petro interpretationem ab August. dubiè relictam. Nè verò tam sancto viro, quid falsi impingam, accipe quid super ista scripserit in 1. lib. retract. cap. 21. postquam enim meminit illic se scripsisse librum contra Epistolam Donati, sic ait: In hoc libro, in quo dixi quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambros. vbi de gallo gallinaceo ait; Hæc ipsa petra Ecclesia canente culpam diluit: sed scio me posteà sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] vt super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: [Tu es Christus filius Dei viui:] ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super petram ædificatur, & accepit claues Regni Cœlorum. Non enim dictum est illi, tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus, quem confessus est Simon, sicut eum tota Ecclesia profitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector. Hæc August. Quod vt breui tabella paulò apertius habeas, en ex Psalmorum libro tua retundam, itàque dicta firmabo in Psalmo 30. sic habet August. O Ecclesia, hoc est petra, quia super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, macta, & manduca, deindè Psal. 33. ac Psal. 39. Euangelij verbum refertur ad Petrum, quod in epistolarum libris non semel, sed iterum, ac iterum apud Augustinum (vt in libro de grammatica in 2. libro de diuersis quæstionibus ad Simplicianum quæst. 1.) deprehenditur. Cum itaque sanctus ille vir Euangelici verbi interpretationem relinquit: ambiguam, nec hanc, nec illam tuetur. Quid opus igitur erat ex Euangelio tantam mouere tragœdiam, quòd si tu pugnaris alteram interpretationem amplectendam esse? Quis prohibebit, vt non ego in alteram partem declinem, cum vtrumque ex August. reiectis, vel omissis alijs sanctis patribus, fieri possit? Dabis ergo hunc scripturæ locum etiam in August. esse ambiguum, alioquin inter retractationum locos vix positus esset: & quid in re dubia faciemus? debemus iuxta verbum Hieron. in Amos cap. 4. Scripturam sanctam primò secundùm literam intelligere, facientes in ethica quæcumque præcepta sunt, secundò iuxtà allegoriam, & intelligentiam spiritualem, tertiò secundùm futurorum beatitudinem; aut si mauis id faciemus, quod suadet, ac docet August. lib. 3. de Doct. Christ. c. 2. cum verba, inquit, faciunt ambiguam Scripturam, primò prouidendum est ne malè distinxerimus, aut pronunciauerimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse prouiderit, quomodò distinguendum, aut quomodò pronunciandum sit, consulat regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit: quòd si ambæ, vel etiam omnes, si plures fuerint partes, ambiguitatis secundùm fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus, & sequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medium posuerunt, restat consulendus, vt videamus cuinam sententiæ de pluribus, quæ se ostendant, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur: Hæc August. hisce consilijs, quasi Apollinis oraculo innixi, si primò literam ipsam præ oculis statuerimus: deindè & præcedentia, & sequentia conferamus, planissimum erit hæc verba in Petri personam esse referenda. Quod si hoc verbo ambiguo dixerimus in Petro claues Ecclesiæ datas, & Petro principaliter datas, & nos sacerdotes in beato Petro Apostolo suscepisse claues, in quem peccauimus? stabunt hæc omnia, nec transuerso digito à veritate recedent, & consona sunt his, quæ scripserunt Orig. Hieronym. Leo. Ambros. August. & reliqua sanctorum Patrum sanctissima cohors. Hunc etiam ordinem vt saluemus, non erit admodum difficile; quamquam enim sacræ Scripturæ in plerisque locis difficiles sint, ità etiam vt Oseæ dubitarit dicens:

[Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens & sciet hæc?] licèt etiam nos lipientibus oculis, & peccatorum sordibus obscurati, clarissimum iubar solis non possimus intueri: vt Hieronym. in Oseæ verbis vtar, tamen in hoc dicto, quo toties nobis antiquorum Patrum testimonia suffragantur, vt soluamus hunc gordij nodum, quem nonnulli huic Euangelico verbo inesse putant, facillimum erit: nec illa sensus ambiguitas, si qua inest, oberit. Nam si August. credimus in 11. lib. de Ciuit. Dei: Diuini sermonis obscuritas, & in lucem notitiæ producit, dum alius sic, alius sic intelligit: ità tamen vt quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestatum, vel alijs locis minimè dubijs asseratur; siue cum multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod sensit ille, qui scripsit, siue id lateat. Sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis, alia quædam vera dicantur. Hæc August. Sed quid opus est multis? Scis in Christo charissimè hæc nonnullis visa fuisse contraria apud Ezechiel. cap. 1. vbi animalia currebant, & reuertebantur, cum supradictum erat, non reuertebantur animalia cum incederent. Scis & à Salomone prouerb. 26. scriptum esse. Ne respondeas stulto secundùm stultitiam suam, ne similis ei fias, & rursum respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, quæ sunt merè contraria. Et forsan dialecticus aliquis ea contradictoria diceret; tamen inuenti sunt, qui vtrique contrarietati modum dederunt. Inter hos Hieronym. vnus est, & non solùm veterum, sed & noui instrumenti præcepta apparent sibi contraria. An non quæso videntur inter se Christus, & Paulus contrariati circa mandatum dilectionis? Christus enim ait omnem legem, & Prophetas in duobus pendere mandatis, dilectione scilicèt Dei, & proximi. Paulus verò in dilectione proximi dumtaxat legem pendere testatur. Contigit, & ferè idem de orandi loco, quem Christus, & Paulus præscripserunt, cuius rei meminit Athanas. in Epistola priori ad Timoth. cap. 2. Etsi non rectè Paulus intelligatur, in plerisque sibi contrarius esse videtur; sicut in eo quòd iubet nos proximis placere; cum alibi dixerit: Ego si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Tamen Origenes in Epistolam ad Romanos lib. 10. cap. 15. Rectum, ac sanum dedit intellectum. Et vt plenius ista corroborem, numquid non Euangelium sibi contrariari videtur in eo, quod apud Matthæum legitur: In viam gentium ne abieritis, & iterum apud eumdem, [Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti;] nisi intellexeris iuxtà mentem Hieron. illud prius, hoc verò ante resurrectionem esse præceptum: & multa sunt illius genera, quæ inter se diffidere putantur, quæ tamen simul subsistere possunt: sicut est de virga in via portanda, de pera, calciamentis, duabus tunicis, gladijs, ac hisce similibus; quæquidem omnia præbuerunt argumentum Diuo Aurelio Augustino scribendi libros de consensu Euangelistarum. Tamen qui cum Mose minat gregem ad interiora deserti mox Pascua inuenit, & apparet illi Dominus, quòd si fieri potest, vt contraria seu contradictoria vtriusque testamenti contrà dialecticorum certissimam regulam simul stare possint. Non desperabimus ergo hoc Euangelij verbum, etsi referatur ad Petri personam Ecclesiam, ac sacerdotes Christi in veritate saluare, ità vt Ecclesiasticus ordo minimè turbetur. Et ne ex patribus illis antiquis Cretenses semper mendaces faciamus, quod certè summoperè cauendum est: ipsi enim sunt iuxtà Magni Basilij verbum quasi certa sacræ Scripturæ amussis.

CAP. VI.

Obiectio ex Hieronymo Petrum respondere, vt organum commune omnium Apostolorum, & responsio, ex eodem Hieronymo.

LVTHERVS.

Dicit itaque, Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit discipulos suos. Quem dicunt homines esse filium hominis &c. vbi significanter beatus Hieronymus dictum obseruat, aliter Christum interrogasse de se quando hominum, aliter quando Apostolorum sententiam quæsiuit, illos vocat homines, hos autem Deos esse significat, deinde de hominibus quærens, filium hominis se appellat, veluti vago nomine. At Apostolos quærens, me inquit certam, & singularem personam monstrans, at vbi de hominibus quærit, nullus designatus discipulus respondet, ad significandum, quòd sine nomine sunt, qui indigna de filio Dei sentiunt, quibus adde, & hoc quòd opiniones inconstantes sunt hominum de Christo. At vbi Apostolos de se interrogat, ibi signatus vnus certè respondet, & constantem absoluit, & pronunciat fidei confessionem, vt veram Christi cognitionem in vnitatem, & firmitatem consistere, non multorum opinionibus velut arundinem agitari doceret: Vides ergo adhuc nihil ad Petrum propriè pertinere, nisi quòd commune organum est omnium Apostolorum.

FABER

Videris hic nonnihil torquere Hieronymum, huius verba sunt hæc, prudens lector attende, quòd ex consequentibus, textuque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur, cum enim dixisset. Quem dicunt homines esse filium hominis? subiecit: Vos autem, quem me esse dicitis? illis, quia homines sunt humana, humana opinantibus: vos, qui estis dij, quem me esse existimatis? Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur, tu es Christus filius Dei viui. Deum viuum appellat ad distinctionem eorum Deorum, qui putantur dij, sed mortui sunt, Saturnum, Iouem, Cererem, Liberum, Herculem, & cætera idolorum portenta significans. Hæc sunt Hieronymi verba: quæ tamen cum alijs scripturis etiam ipsius Hieronymi,

mi,

mi, si conferantur ad personam Petri, Christum hæc verba dixisse fatebimur: Et quia tu hic Hieronymum citas, vndè vt commodè tibi respondeam, in hac parte potissimùm hic eiusdem Hieronymi testimonio vtemur. Is in cap. secundò Esaiæ ità scribit. Hæc domus ædificata est super fundamentum Apostolorum, Prophetarum, qui & ipsi montes sunt quasi imitatores Christi. De hac domo & Hierusalem psalmista conclamat dicens. Qui confidunt in domino sicut mons Syon, non commouebitur in æternum, qui habitat Hierusalem. Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui. Vnde & super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum, [Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Vides hìc reliquos Apostolos etiam dici montes. Vides, & super vnum montium videlicèt Petrum, quomodo Christus fundauit Ecclesiam, hunc montem scilicèt Petrum. Idem Hieronymus non abs re Esaiœ sexagesimo tertio confidentissimum & in fidei veritate firmissimum appellat. Etiam in epistola quadam ad Marcellam aduersùs Montanum apertè testatur super Petrum dominum fundasse Ecclesiam, Sed audi quid idem in primo libro aduersùs Iouinianum scribat, huius siquidem verba sunt hæc, Si obnixè contenderit Ioannem Virginem non fuisse, & nos amoris præcipui causa Virginem eum diximus, exponat ille, si virgo non fuit, cur cæteris Apostolis plus amatus sit? At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni cœlorum accipiant, & ex quo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Et idem Hieronymus in Hieremiam cap. sextodecimo sic ait. Non solum Christus petra, sed & Apostolo Petro donauit; vt vocaretur petra, sed non est alicubi vocatus petra, nisi hìc Matthæi sextodecimo. Restat ergo vt hæc verba dicta fuerint ad Petrum. Vnde Origenes in epistolam ad Romanos sexto, Petro ait, cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas eligitur. Cum itaque super vnum montium, super Petrum confidentissimum, & in veritate fidei firmissimum Christus fundarit Ecclesiam, & ab eo cepta sit vnitas, vt tollatur schismatis occasio, super ipsumque tanquam super terram fundata fuerit Ecclesia. Demum quoque ipsi Petro ex hoc Euangelij verbo sit, quæsitum commune nomen cum Christo, cur non dicerem hæc verba ad Petrum referenda? Sed quæ hìc ad Hieronymum dicenda sint, paulò antè dictum est. Vnde laconismo studere volens, ea hìc repetita esse volo.

CAP. VII.

Obijcit Luther, quòd didicit à Laicis, verbum Christi non posse ad solum Petrum referri, etenim si Apostoli non respondissent per Petrum, Discipuli non fuissent, & respondet Faber spiritum Laicorum esse mobilem, & sæpè discipulos interrogatos, nihil respondisse.

LVTHRVS

IAm illud vide, quod & à Laicis obseruatum ipse didici, est enim etiam in laicis spiritus Christi? Verbum hoc Christi non posse ad solum Petrum dictum intelligi, quia Christus non solum Petrum, sed omnes Apostolorum requisiuit dicens. Vos autem quem me esse dicitis? non dixit, tu Petre. Quem me esse dicis? Nisi ergo per Petrum omnes discipuli respondissent, certè discipuli non fuissent, nec magistrum audissent, nec satis fecissent interroganti, quod & impium de Apostolis est sentire. Relinquitur ergo, quod Christus responsum Petri acceptarit non pro solo Petro, sed pro toto collegio Apostolorum, & discipulorum alioqui, & alios quoque denuò interrogasset.

FABER

In explanatione sacræ Scripturæ semper sancti spiritus inspiratione egemus, vt cuius instinctu scripta sunt, illius reuelatione pandantur, teste Hieronymo in prohœmio Oseæ. Et in Esaia signatum librum legimus, quem scribæ, & pharisæi, qui legis literas nosse se iactant, non possunt legere, quia signatus est, nullusque inueniri potuit, nisi Leo de tribu Iuda, quem signauit Deus pater; qui eius posset reuelare mysteria. Quare laici si scripturarũ secretiora è spiritu diuino rimari voluerint, necesse est, vt sit illis spiritus sapientiæ. spiritus intellectus. Quare non parum timere necessè est de scripturis hæreticorum, & doctrinis nouis. ac peregrinis, vt rectè iudicent, sit rara auis in terris, nigroque simillima cigno. Dum enim mixtum fuerit æramentum argento, quis facilè poterit, rudis cum sit, hoc probare? Et hìc summoperè curandum est, quòd Ioannes in canonica hortatur dicens, dilectissimi nolite omni spiritu credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Sed demus sapientiæ spiritum in laicis esse, tamen, & id verum est, quòd in Ecclesia dogmata secretiora sunt, quæ adire nec ipsis sacerdoribus liceat, teste Origene super leuiticum homilia 5. Sunt quædam, ait ille, ad quæ possunt accedere filij Israel, hoc est laici. Et magnus ille sacerdos alia vtitur stola, cum est iturus inter perfectos, & alia vtitur, cum exit ad populum, quod & Christum fecisse legimus. Vndè omnis turba stabat in littore, non enim in naui merebantur audire. Et locutus est eis multa in

pa-

parabolis. Quare & dimissa turba, Apostoli accedebant, & secretè interrogabant, quæ, iuxtà verbum Hieronymi, nec populus merebatur audire. Et hæc Paulum obseruasse legimus, qui sapientiam inter perfectos loquendam putauit, immò alios lacte putat, vt paruulos, alios oleribus nutrit, vt infirmos, alijs fortes præparat cibos, his qui pro possibilitate sumendi excitatos habent sensus ad destructionem boni vel mali. Hic non dicam de Gazophilatijs sanctis apud Ezechielem, de decoratione holocausti in leuitico, per quæ datur intelligi secretiora scripturarum à laicis vt plurimùm indignè tractari, quod & Gregorius, Nazianzenus totis viribus cauendum putat. Et hoc est, quòd in genesi Abraam patriarcha angelos suscepit hospitio. Similiter autem & Loth. Sed Abraam, qui meritis præcellebat, panes ex simila apposuisse describitur, quos & *egryphias* occultas, ac reconditas nominauit. Loth verò, eo, quòd non habuit similam, ex farina panes hospitibus apposuit, non quòd ità pauper esset, inquit Origenes super leui. homilia. 13. & non haberet similam, qui in diuitijs non inferior patruo scribitur. Sed vtriusque meritorum differentia per hæc designantur indicia, quòd is quidem, cui erant à domino mysteria reuelanda, & ad quem dicebatur. Non celabo à puero meo Abraam, quod facturus sum, qui imbuendus erat. & edocendus de occultis. & secretis Dei. Ille panes ex simila scribitur habuisse. Ille verò ad quem nihil sacramenti deferebatur. Sed ratio præsentis salutis, & vitæ panes communes ex similæ farina scribitur habuisse confectos. Ità siquis habeat scientiam secretorum, si de fide Dei, si de mysterio Christi, de sancti spiritu vnitate potest scienter, cautèque differere, vt panes ex simila offerat domino. Si verò ad populum illi dicendum fuerit, communibus vtatur monitis atque doctrinis. quasi panibus communibus. Hunc etiam religionis modum, non solum sanctum, & electum Dei populum, immò, & gentes diligenter ob seruasse compertum est. Proin laudatur, non immeritò, Octauius Augustus, qui vt Suetonius habet, peregrinarum cerimoniarum sicut veteres, ac præceptas reuerentissimè coluit ità cæteras contemptui habuit, & Athenis initiatus; cum postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso Concilio, & corona, circumstantium solus erudijt disceptantes. Quæ omnia ea propter enumerare placuit, vt demum agnosceres, quàm indignum fuerit te multis adinnentionibus, quod tua pace dixerim, cum grandi iactura sacerdotum Christi popularem aucupari fauorem, quod & in hoc loco fecisse videris, qui spiritum laicorum ità extollis, vt & veritatem ex illo probandam existimes. Sed certè; & si turba, quæ tecum sit; quæ denique in tua verba iurarit: propè modum infinita sit, non tamen est, quo moueat. Mi Martine cogitare debes quòd Hieronymus in Matth. 21. cap. scriba, Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque in morem fluctnum, diuersorumque ventorum huc, illucque trahitur. Quem nunc quasi Prophetam venerantur & colunt, postea contrà eum clamant, crucifige, crucifige eum. Immò hoc addo, periculosum sit iudicio laicorum inniti. Nam qui ad populum scribit, vel loquitor, vti Cyrenensis ille Sinesius inquit, Necessè est illum in opinione populorum esse, & ea fingere, & de his differere, quę populo sunt grata. Indocti quoque solent absurdarum opinionum esse fautores. Quamobrem sanctissimè Chrisostomus ait, Maxima pars Ecclesiarum imperita semper turba est, nec sapie eo vsque, vt de dictis possit habere iudicium, & vix vnus, aut alter reperitur, qui dictorum discernat merita. Quare idem Chrisost. 2. homilia super 1. cap. Ioan. eum reprehendit: qui hominibus rudibus, & indoctis placet, & qui multitudinem sequi non veretur, & dicit. Si quis eum percunctaretur, quid tu multitudinem esse arbitraris? procul dubio, & desidem, nulli bonæ rei deditam: respondet; Quid autem an ex illius numero fieri optares? siquis eundem iterum interrogaret, non vtique assensurum persuadeo? Nonne igitur maximum ridiculum est eorum gloriam aucupari, quorum ne similis quidem esse velis? Si autem multos diceris etiam constantes viros huius esse sententiæ, idcirco longè magis contemnendos dicimus. Nam si sponte sua contemnibiles sunt, cum multi fuerint, maiorem in modum digni sunt, qui contemnantur; singulorum enim amentia simul collata multitudine ipsa fit auctior. Et Hieronymus in apologia aduersùs Ruffinum hoc Pythagoræ symbolum: Per viam publicam ne ambules, citans, exponit in hunc modum, ne multorum sequeris errores. Et idem Hieronym. lib. aduersùs Iouinianum: Ne glorieris, quia multos Discipulos habeas: filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim tantum Apostoli sequebantur eum: Torcular inquit calcaui solus, & de gentibus vir non est mecū, ille in passione solus remansit, & Petri quoque erga eum trepidauit constauria, pharisæorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat dicens: Crucifige, Crucifice talem. Ea propter, & Basilius Magnus ad nepotes sic ait: Nihil magis sapientis vitaudum est, quàm gloriæ studere, & ea quærere, quæ multitudini placeant. Quis enim beatus esse possit, inquit, in Axiocho Plato ille diuinus vulgi viuēs arbitrio, tametsi faueatur ei, plaudaturque. Vbi namque Axioche tu, qui in republica versaris? vbi Melciades, vbi Themistocles, vbi Ephrolites, abijt? Vbi hi item, qui nuper in republica fuerunt? quando ego quidem in eam non sum adductus sententiam, neque enim mihi honestum mihi videbatur, vt insanienti populo damnationis particeps fierem; hæc Plato. Proin & rectè cecinit musa Maronis hoc hemistichio dicens: Sæuitque animis ignobile vulgus; & iterum 2. Aene. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Et Cicero in officijs: Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Lactantius quoque 2. diuinarum institutionum libro credit veritatem à vulgo varijs dissipatam esse sermonibus. Et verissimè visus est mihi dixisse Franciscus Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ dicens: Quidquid vulgus laudat, penè vituperio dignum est: quicquid prædicat, vel esse cogitat

tat, vanum est: quicquid loquitur falsum est: quicquid improbat, bonum est: quicquid approbat, malum. Et iterum idem Petrarcha; Ne mouearis, si vulgo sapiens dicaris; vulgus enim insanos sapientes dicere, & sapientes insanos iure suo didicit, quod est, vt falsa pro veris, & vera pro falsis habeat: & in summa nihil est à veritate remotius, quàm vulgaris opinio. Et pulchrè de hac re Epictetus stoicus in Enchi. cap. 16. disseruit: quem veluti plerosque alios hac de re disertè loquentes prætereo: satis superque ni fallor, monstratum esse crediderim, non admodum tutum esse sequi iudicia vulgi. Illud enim instabile est, & potissimùm orta seditione, vt est apud Curtium, tunc enim in diuersissima Concilia trahitur. Sed hæc missa faciam, & ad laicorum spiritum venio: ipse ex Paulo diffiteri non possum, spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt, sed vt de his rectè iudicare possint, quæ tam ambigua, & obscura sunt, & de quorum intellectu à mille annis totus Mundus certauerit, certè vix credo. Sed demus, vt Spiritus sanctus illorum omnia scrutetur, sicut est apud Paulum ad Corinthios: Non sint animales, immò spirituales, percipientes ea, quæ fuerint spiritus Dei. Et stet illud horatianum, quòd interdum vulgus rectum videat: tamen hoc argumentum eorum prorsus non valet. Quale enim est hoc argumentum, nisi per Petrum omnes Discipuli respondissent, certè Discipuli non fuissent, &c. Verum est quod Ioannes vlt. Dixit Iesu: [Pueri nunquid pulmentarium habetis?] responderunt ei: [non.] At Lucæ vltimo interrogans: Habetis hic aliquid quod manducetur? illi certè nullum verbum responderunt: sed dices pro responso: Obtulerunt partem piscis assi, & fauum mellis, hoc ego non nego, sed verbo nihil responderunt, at denique Discipuli erant. Ioann. 6. scriptum est, quòd interrogati Discipuli responderunt per Petrum. Et interrogati iterum [: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnum diabolus est?] nihil responderunt: nec iterum interrogabantur. Marci 9. in Capharnaum, cum domi esset, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? sequitur in Euangelista, illi tacebant: siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum esset maior? habes hic interrogatos Discipulos tacuisse: ergo non ampliùs iuxta laicorum opinionem poterant dici Discipuli? absit: ergo quia interrogati, quid in via tractarint, cum tacuerint Apostoli, eos impios esse dicemus? minimè gentium.

Sed vt clarius ostendamus hoc verbum cæteris omissis, quod est Lucæ vlt. scriptum audiamus: Duo ex Discipulis ibant ipsa die in Castellum, quod erat in spacio stadiorum 60. ab Hierusalem nomine Emaus, & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent: [& Iesus appropinquans ibat cum illis:] oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, & ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? & respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei, [Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?] Habes hic expræsse Euangelium, quòd Christus duos Discipulos interrogauerit, ac tantùm responderit vnus, scilicet Cleophas, quem in dictionibus hebraicis Hieronymus natum asserit in Emaus Palestinæ, quæ iam Nicopolis dicitur. Nec ob non responsionem alter (quem Orig. Simonem, & Ambrosius in Lucam vocat Amonem) vel nomen, vel ius discipulatus amisit. Vnde hoc laicorum argumentum prorsus nihil probabit, nisi sint quouis cæco cæciores.

CAP. VIII.

Obijcitur ex eo, quòd sicut Petrus Personam, pro omnibus respondentis acceptat, sic pro omnibus præmiatur, & respondetur posse intelligi Scripturam pluribus sensibus, & Patrum non semper pro omnibus respondere.

LVTHERVS.

EX Quibus vlterius sequitur, quòd sicut Christus personam respondentis Petri pro omnibus acceperat: ità sequenter quoque non ad solum Petrum, sed ad omnes, quorum persona Petrus loquitur, dicat: [Tu es Petrus, tibi dabo claues, &c.] Alioquin scriptura non rectè intelligitur, nisi præcedentia, & sequentia rectè conserantur: atque vt eo fit rectius, non soli Petro à Christo aliquid dictum esse, exponit seipsum Christus, cui loquatur, & cui tradat claues dicens: [Beatus Simon Bariona, caro & sanguis non non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis.]

FABER.

Ostendi superiùs verba Christi principaliter ad Petrum ex beati Timi Leonis, ac aliorum sententia referenda, quod si postea ad alios coutulerimus, modò Caput, & Principem Apostolorum non negemus, quis probibebit? immò si non modò vnum, sed & plures sensus expiscati fuerimus, nihil peccamus. Quomodò diuina Scriptura iuxtà Originem Adamantium in vlt. homil. super Genesim, non solùm Sacramentorum debet sententiam continere, verum etiam mores, gestaque informare discentium. Sic enim, & sapientia per Salomonem dicit: Describe tamen hæc dupliciter, & tripliciter in corde tuo. Et Arca quæ construebatur à Noe bicamerata, & tricamerata fieri iubetur, hac licentia vsi sunt in hoc Euangelij loco Orig. Hieronym. Ambros. August. plerique alij ab hac libertare indignum fuerit, si nos retrahere velis, quòd si antecedentia, & consequentia conferenda puras, quia hæc conducant plurimùm, pro veritate tuenda, & ipse concedam: Tunc Euangelium Euangelio, historiam historiæ, & caput capiti, vt conferamus necessè esse, & quid fiet? certè depræhendes Christum potestatem ligandi, & soluendi primò dedisse Petro, dein Discipulis omnibus, & hoc apud Maetheum inuenies: [Dein Dominus dedisse Spiritum sanctum Discipulis omnibus.] Ac, quod

quod maximè pensandum est, post hæc Petro, præsentibus alijs Apostolis, in Ioanne, oues non semel, sed ter commendauit, quæ certè Primatum Petri non parum firmant. Sed ad id venientes, quo Petrum Apostolorum os post Chrysost. appellas, si Petrum os Apostolorum propterea dixeris, quia ex omnium Apostolorum persona, vbique vel respondetit, aut pro Apostolis vbique interrogauerit, cur ergo Lucæ 18. Christus cum quæreret: [Quis est, qui me tetigit?] Matthæi 14. dicente Domino: [Date illis vos manducare.] cur non Petrus respondit, quomodò respondetunt dicentes: [Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.] Matth. 15. Clamante muliere Cananea, non Petrus solus, sed Discipuli eius rogabant eum dicentes: [Dimitte eam, quia clamat post nos.] Matth. 17. Cùm assumpsisset Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, cur interrogauerunt eum Discipuli, non Petrus de Helia? Matth. 26. cur non Petrus solus, immò Discipuli accesserunt ad Iesum dicentes: [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Marci 10. [Duodecim erant, at non Petrus solus, sed duodecim eum interrogabant.] Marc. 8. Discipuli quæsiti de cophinis, Discipuli respoudetunt, quod & apud eundem Euangelistam cap. 9. bis esse factum legimus. In domo iterum existent, ipsi interrogabant, vt est Marci 10. Et in eodem Euangelista cap. 13. Primò vnus ex Discipulis interrogabat, deindè separatim Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas, nec mysterio caret, quòd Simon solus dixerit ad Dominum, Lucæ. 5. [Præceptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus, in verbo autem tuo laxabo rethe, vbi laborem præteritum sibi, ac alijs, laxationem rhetis sibi soli adscribit. Lucæ 9. dum de panibus, ac piscibus sermo fieret, ipsi responderunt. Ioann. 13. Dicunt Discipuli eius: [Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.] Ex his & alijs Euangelij locis oportet, vt asseramus Petrum non ità os fuisse Apostolorum, ve ad omnia interrogata nomine Discipulorum, & quasi interpres post collocutionem mutuam responderit, aut quæsitenda interrogarit. Sed dum respondit, & maximè hic 16. cap. Matthæi, quandam specialem à Patre reuelationem habuit, & proin benedictionem obtinuit. Quid si hanc beatitudinis promissionem ad singulos Apostolos æqualiter conferre volueris, dices & Iudam [, qui & iam inter duodecim receptus, & annumeratus, immò & cum reliquis ad prædicandum missus fuerat:] vt est apud Matth. cap. 10. fuisse beatum: quod tamen nemo Christianus asserit, nisi damnatissimam Petiliani hæresim quis imitari velit. Certum est, quòd cum finali impœnitentia decessit. Nec vnquam illi Christi verba conueniunt, aut conuenire possunt: Quanquam & huic argumento, tam validè insistere non velim, potiora etenim, si gratiam dabit Dominus, adducam, atiereque fortiori hunc murum quatere statui. Quod itaque iuxtà tuam assertionem omnibus dixerit: [Beatus es Simon Bariona, &c.] Hoc tuum non alterius est dictum. Totum itaque iustè negare possum.

CAP. IX.

Obijcitur ex eo quod dicatur; non est caro, neque sanguis, sed is, cui reuelat Pater, omninò poni extrà hominem, & sic esse Ecclesiam, & responsio est esse Petrum, cui reuelatio facta est, & hoc optimè congruere Hierarchiæ Ecclesiæ, cuius regimen est Monarchicum, & fusè de Ecclesia.

LVTHERVS.

Obsecro quid hic potest contra vel fingi, vel quid apertiùs dici, quàm quòd Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro, neque sanguis, sed & is, cui reuelat Pater, omninò extrà hominem ponitur, & non est iam vlla persona per se, sed reuelantis Patris auditor. Non Simon Bariona hæc respondit, non caro, & sanguis sed reuelationis paternæ auditor. Potest ne hìc calumniator vllus verbum Christi ad Petrum hominem torquere? Quid ergo? Is qui auditor est paternæ reuelationis, huic dantur claues, non Petro, non filio Ioannis, non carni, non sanguini, quod si ità est, proindè iam sequitur, quòd de nullo priuato homine certi sumus, habeat necne reuelationem Patris? Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet, cum sit vna caro eodem spiritu viuens, quæ Christus ipsa est, Petrus ille auditor reuelationis, & acceptor clauium, quia hic symbolum stat similiter: [Credo Ecclesiam sanctam, communionem Sanctorum:] non ve nunc aliqui somniant: Credo Ecclesiam esse Prælatum, vel aliud, quod fingunt, totus Mundus confitetur sese credere Ecclesiam sanctam Catholicā aliud nihil esse, quàm communionē Sanctorum. Vnde, & antiquitùs articulus ille, Sanctorum communionem, non orabatur, vt ex Ruffini symbolo exposito videre licet. Sed glossa aliqua parte Ecclesiam sanctam Catholicam exposuit, communionem Sanctorum, quòd successu temporis in textum relatum nunc similiter oratur. Sed necessarium, & optabilissimum factum propter eos, qui Ecclesiam quiduis potiùs vocant, quàm communionem Sanctorum.

FABER.

Obsecro mi Luthere quid hoc sibi vult, quòd hic Petrum non finis esse Petrum? Nemo negat Petrum non esse hunc, cui Pater reuelauerit. Mansit autem, & erat Petrus. Habuit Ezechiel suas reuelationes. Habuit Ioannes Euang. in Insula Pathmos. Habuerunt, & cæteri Prophetæ. Sed manebant hi, qui priùs erant. Et hic textus ipse Euangelicus monstrat Petrum non esse à carne, & sanguine exutum. Tamen id, quod confessus est, non habebat à carne, & sanguine, sed reuelatione Patris. Hæc autem reuelatio non tollebat à Petro, quod erat. Quòd autem hic Petri persona fuerit & sit, quodque de illius persona,

na. quod dictum est, sit intelligendum, primò auctoritate Hieronym probando, cui tu tantum, & non immeritò inniteris. Quanquam contra te iterum, atque iterum Hieronym. pugnantem inueniam. Et ne verba inuertisse me dicas, ità Inuenitur scriptum Matth. 16. Multi putant, quòd non Petrus correptus sit, sed aduersarius spiritus, qui hæc dicere Apostolum suggerebat. Sed mihi hic error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli videbitur. Vade retro me Sathan, Diabolo dicitur, vade retro: Petrus audit, vade retro me, hoc est sequere sententiam meam, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Meæ voluntatis est & Patris, cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum salute moriar. Tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat. Prudens lector inquirat, quomodò post tantam beatitudinem: [Beatus es Simon Bariona: & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues Regni Cœlorum: & quod ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum, vel solutum in Cœlo.] Nunc audiat, vade retro me Sathana, scandalum mihi es. Vides hìc ex Hieronym. totum caput Matthæi 16. sonare de Petro, immò quod maiùs in Petrum refert, hanc benedictionem, beatitudinem, potestatem, & ædificationem. Quòd si fortè exigas antiquiorem, en Hireneum hunc Sanctum Lugdunensem habes Episcopum, qui antè annos mille, ac trecentos, ità scripsit: [Quomodò Petrus ignorare potuit, cui Dominus testimonium dedit: quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater, qui in Cœlis est, &c.] Tu autem quomodò Petrum fingis, nescio quem Mathematicum? Sit ergo verum, quòd in Petro significata fuit Ecclesia, quod supra admisimus. Et iam ex Aug. in Euangelium Ioann. tract. 50. non negamus, Ecclesiæ quoque claues dedit.

Sed certè iuxta sententiam Cypriani ad Iulianum: Petro primù Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde humanitatis originem instituit, & respondit, potestatem istam dedit, vt solueretur id in terris, quod ille soluisset. Et Hieronymus in Ezechielem capit. 41. Apostolus Petrus, super quem Dominus fundamenta Ecclesiæ solidauit, transcendit cœnaculum. Leoque beatissimus in 3. sermone de passione sic ait. De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus proponatur: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus, magnum, & mirabile huic vero dilectissimum consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio. Et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat, & tam diù respondentium communis est sermo, quamdiù humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum, exigitur: primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica potestate, seu dignitate: qui cum dixisset. Tu es Christus filius Dei viui, respondit ei Iesus, beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est: ideò beatus es, quia pater meus te docuit: nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis te instruxit, & non caro, & non sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus filius, indicauit, & inquit, dico tibi, hoc est sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ità & ego tibi notam facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus, idest cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam, & portę inferi non præualebunt aduersùs eam.] Super hanc inquit fortitudinem, æternum construam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget, hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista, vox vitæ est. Et sicut cõfessores suos in cœlestia prouehit, ità negatores ad inferna demergit, propter quod dicit beatissimo Petro. [Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, solutum erit, & in cœlis.]

Transiuit quędam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed frustra vni commendauit, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur: manet ergo Petri priuilegiũ vbicumq; ex ipsius fertur æquitate iudicium. Et expressè Ambros. de Petri persona loquens in Euangelium Lucæ scribit, illi claues regni cœlorum esse contraditas. Et idem in libro de Isaac, & anima cap. 3. ait, Petro dicenti. Quò vadis? respondit verbum Dei, Non potes me sequi modò, sequeris autem postea, claues ei commiserat regni cœlorum. Et sequendo se imparem iudicauit. Et supra ostendimus Ambr. sententiam ex lib. de dignitate sacerdot. quomodo claues in B. Petro Apostolo cuncti suscepimus sacerdotes? Sed vt iterum probemus, hæc verba Petro dicta fuisse, placet in medium citare, quod est apud Origenem homil. 2. in diuersos, quæ est super Euangelium Ioan. In principio erat verbum, vbi sic scriptum habes: Dic quæso, cui talis, ac tanta donata est gratia? fortassis quis dicet, summo vertici Apostolorum, Petro dico, qui Deo interroganti, quem se æstimarent esse, respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Et subsequitur: Ambo currunt ad monumentum Christi, & est diuina scriptura, in qua diuinitatis, & humanitatis eius mysteria densitate literę veluti quadam minuuntur petra. Sed Ioannes præcurrit citiùs Petro, acuriùs namque, atque velociùs intima diuinorum apicum penetrat secreta virtus contemplationis penitùs purificatæ, quam actionis purificandæ.

Verumtamen primò intrat Petrus in monumentum, deinde Ioannes: & sic ambo currunt, ambo intrant, Petrus siquidem fidei est symbolum, Ioannes signat intellectum: ac per hoc cum scriptum est: Nisi credideritis non intelligetis, necessariò præcedit fides in monumentum sanctæ scripturæ. Deinde sequens intrat intellectus, cui per fidem præparatur aditus: Petrus quidem Deum, & hominem iam factum in temporibus cognoscens, & dicens: [Tu es Christus filius Dei viui,] altissimè volauit. Sed Ioannes altius illo, qui eum verum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit dicens: In principio erat verbum. Nemo nos existimet Petro Ioannem præferre: quis hoc fecerit, quis esset altior Apostolorum illo, qui est & dicitur vertex Apostolorum? Non præferimus Petro Ioannem, sed conferimus actioni contemplationem, purgandum adhuc omnium perfectè purgato, ascendenti adhuc virtuti, ad innumerabilem habitum peruenientem iam virtutem. Non enim nunc consideramus Apostolicarum personarum dignitatem, sed inuestigamus pulcherrimam diuinorum differentiam: Ex quibus Origenis verbis duo habes, primum quòd illa professio Christi in personam Petri referenda est, secundò quòd bonus ille vir non audet, nec vult Ioannem Petro præferre. Vnde hæc verba Christi proculdubio in personam Petri referenda sunt, & erunt. Quod, & Cyrillus in Ioannem testatur dicens: Quomodo Christus in Petro tamquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam? Idem quoque in duodecimo libro thesaurorum sic habet. Respondens Iesus dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelabit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis.

Animaduerte, credeque quod ipse pater reuelauit Petro. Non igitur ab alio Petrus, quàm ab ipso patre didicit Christum esse filium Dei viui: neque dixit ipsum vnum esse de filijs Dei, ne per adoptionem, & gratiam filius putaretur, sed tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Et quia vnicus naturaliter filius patris est, hac professione Petrus à Christo laudatur, quia maiora discere diuinitus potuit, quomodo igitur creatura erit, quem ipse Pater per Petrum Apostolum credentibus filium suum reuelauit? Vides hic ex Cyrillo Euangelij, immò verba Christi in personam Petri referri: quod & idem Cyrillus in tredecimo pariter thesaurorum libro ità confirmat: Quod Spiritus sanctus Deus sit, ab apice quoque Apostolorum Petro, cui hæc mysteria, vt Saluator ait, non caro nec sanguis, sed pater ipse cœlestis reuelauit, discere possumus. Quòd si obieceris passim legi Petrum respondisse pro omnibus, sicut est Ioannis 6. Id, licèt ex Augustino priùs ostensum sit, tamē & idem Cyrillus habet in Euangelio Ioannis, vbi sic ait: Respondit Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, per vnum, qui præerat, omnes respondent. Sanctam profectò, sanctisque congruentem disciplinam optimè conseruantes, & posterioribus prudentiæ, atque modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec prosilientes imprudenter quasi rapta vel oratione, sed credere his, qui & consilio, & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoque ait: Prophetæ duo, aut tres, & vicissim loquentur. Opus igitur erat diuinitus comprobatæ prudentiæ soli responsionem committere illi, qui ordine maior erat. Ex his verbis patet Petrum præfuisse reliquis, hunc, & ordine maiorem fuisse, & quòd pro omnibus responderit. Etiam alibi, teste Chrysostomo, interrogauit pro omnibus dicens: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. In cœna quoque nouissima per Petrum, qui præerat omnibus, interrogarunt. Nec tamen Petrus, vt Cyrilli verbis vtar, id per seipsum peragit, sed per Ioannem, in Euangelij tamen loco, de quo nobis præsens est sermo: ità respondet pro omnibus, vt reuelatio patris illi, & non reliquis possit adscribi: alioqui dicendum fuisset à Domino, Beati estis, & caro, & sanguis non reuelauit vobis. Quare hæc omnia verba in Petri personam primò tamquam in principem, & caput Apostolorum referenda sunt. Hierarchiæ huic denique, quam ordinare volebat Christus rediturus ad patrem, optimè congruebat, vt esset caput, & Princeps. Nempè in apibus, vt est apud Hieronymum ad Rusticum Monachum, vnus est rex. Et idem habet alibi Cecilius Cyprianus, ac sequitur: Grues vnam sequuntur ordine literato, Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul habere reges non potuit: & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau, & Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus Gubernator, in domo vnus Dominus, in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur: & ne plura replicando &c. Postquam eos, quos quiuis baptizauerat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de pluribus electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et vt ea de re profusius dicamus, verum est, quod ait Basilius Magnus in Gordium martyrem: Naturæ lex apibus innata fratres dilectissimi, nisi rex prius agmen præcedat, ab aluearibus numquam discendant. Et idem Basilius auctor re vera grauis, & sanctus, de præceptis religiosorum: Planetæ interiores subsunt superioribus, & animalia, brutaque ducem sequuntur: auis item vna cunctas ducit, Apes in ministerio regi obediunt. In corporibus quoque animantium caput cætera tuentur, & venerantur membra. Et in partibus animæ rationi appetitus subijcitur, quod si ab eo desciscat, in præceps non solum animum sed corpus tradit. Et Cyprianus de idolorum vanitate: Quando inquam, inquit, regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens, regibus diffidentibus, etiam in morte discordia: & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cæpit hospitium. Pompeius, & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Et Homerus in secundo Iliados:

Oyc

Oye agathòn polycoiranij, eis coiranos esto, eis Basileys.

Non bonum multorum dominatio, vnus Dominus sit, vnus rex. Quintus quoque Curtius de gestis Alexandri magni: Imperium, quod sub vno stare potest, dum à pluribus sustinetur, ruit, & insociabile regnum. Proin Lucanus cecinit:

Nulla fides regni socijs omnisque potestas Impatiens consortis erit. Quod, & rerum experientia docet. Nam secundum Iustinum historicum in octauo: Græciæ ciuitates dum imperare singulæ cuperent, imperium omnes perdiderunt. Et natura nos iterum commonet in Ecclesiastica hierarchia, vnum reliquis præponi debere. Nam elephanti Luna nitescente gregatim amnes petunt, referente Solino de mirabilibus mundi, flumen transituri, minimos ante mittunt, ne maiorum ingressu alueum atterant, & profundos depressis vndis gurgites faciant, natuque maximus agminatim decurrentibus ducit agmen. Et Auicenna pulchrè in octauo de animalibus libro ostendit, quomodo grues Principes habeant, aut reges: qui cum reliqui caput alis cooperiant, quando dormiunt, reges dormiant capite discooperto, vt en citius tumultus audiant, ac reliquos expergefacere possint. Et vt semel finiam, ita omnis politia regem, ac Principem exigit, vt verè cecinerit musa Nasonis:

Amisso dubiæ rege vagantur apes.

Totus itaque ordo naturæ, immò recta ratio inducit, quo entia benè regantur, vt imperia, & regna, politiæ quoque subsistant vnum esse principem. Sic & decuit à Christo in cœtu Apostolorum aliquem pro capite præficiendum, qui & claues haberet, & Pontifex esset, qualis fuit Petrus, quem & Eusebius ante multa secula Christianorum Pontificem primum esse scripsit, ac ingenuè fassus est, quod certè tu numquam admiseris. De his satis, superque. Sed iam cùm hic de Ecclesia Catholica nonnulla inculcare videtis, cùmque res sit non parui momenti, quàmdum rectè absolueto, in plerisque tua erat opinio, necesse est. Vnde quid mihi videatur, silentio præterire non possum. Recensebo itaque quantum ex alto conceditur. Quid tamen per Ecclesiam intelligi possit, dico itaque ego cum Lactantio in quarto libro diuinarum institutionum cap. vltimo, solam eam esse Catholicam Ecclesiam, quæ verum cultum retineat, immò in qua sit religio, confessio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curet.

Hæc est vna, quam maiores nostri (vt Augustini verbis vtar) Catholicam nominarunt, vt ex ipsius nomine ostenditur, quia per totum est, secundum totum *cath olon* Græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia Corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: Pro corpore eius, quod est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est, eum, qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per vnitatis charitatem sibi copulantur, & per eamdem capiti adhærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput, & corpus est. Caput est ipse vnigenitus Iesus Christus filius Dei viui: ipse Saluator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Corpus eius Ecclesia, de qua dicitur, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Inter nos autem & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia? Hæc Augustinus in libro contra Petiliani epistolam. Et quia tempore Augustini multa dubitatio fuit, in quibus verbis esset Ecclesia quærenda, qui essent in Ecclesia, & qui non, vbi esset Ecclesia: quid denique vocaretur Ecclesia Catholica: & successu temporis, etiam Ioannes Hus materiam Ecclesiæ disputauit, in qua fuit non parua dissensio. Et iam tu mi Luthere in tuis libellis sparsim de Ecclesia disputans, nonnulla respondes ambigua, & hic quasi dogma nouum asserre videris. Cùm autem Christiano pectori sit vtilissimum scire, quid per Ecclesiam possit intelligi, an denique de Ecclesia sint boni, ac mali: quare statui nonnihil circa materiam Ecclesiæ expatiari, vt vbertate sermonis, quod dubium est, certiùs intelligi possit.

Primò tamen hic me non intromittam de loco, quò congregatur Ecclesia, vt verbis Diui Augustini vtar in tertio libro super Leuit. quæst. 58. Sed ad alia tendo, quæ nonnullis difficultatem peperere non mediocrem. Nosti & dilecti non potes Martine dilectissime Doctorum variam fuisse opinionem, quid per Ecclesiam significetur, huius etiam vocabuli diuersa interpretatio, varias induxit opiniones. Testatur hoc liber ipse, quem Ioanni Hus nonulli adscribunt: testantur itidem multa multorum scripta. Veritatem illius rei faciliùs deprehendi posse puto, si per comparationem, ac alia quædam non obsoleta ostenderimus Ecclesię dignitatem non è summis, aut summarum summis, sed ex otto dentiarum, hoc est sacra Biblia, vbi sunt poma vetera, & noua. Comparatur itaque, vt progrediamur, Ecclesia malogranatis, quod Ambrosius habet lib. 3. exam. cap. 13. Nam plerumque tota florent malogranata, & fructum afferre non possunt, nisi congruis petitorum remedijs excolantur, plerumque vanescit interior, & foris species eius pulchra ostenditur. Ità & Ecclesia bonum fidei fulgorem, confessionisque ostendit tot Martyrum sanguine speciosa. Et quod est amplius Christi cruore dotata, simul plurimos intra se fructus vsu istius pomi sub vna munitione conseruans, & virtutum multa negotia complectens. Comparatur & vineæ, de qua Propheta: Vineam ex Ægypto transtulisti, & plantasti radices, & arbusta eius, & repleuisti terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendisti palmites eius vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Et per Esaiam: Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi, & macerie circumdedi, & circumfodi vineam Sureth.

Dicitur & meridies, sicut & Ambrosius habet sermone 2. in Psalm. 118. Idem Ambrosius de eadem sic inquit: Sancta Ecclesia, quæ in primordijs Mundi desponsata, in Paradiso præfigurata, in diluuio annunciata, per legem vo-

vocata, per Prophetas dicitur redemptionem hominum, & Euangelij decorem dilecti expectasse aduentum, impatiens amoris in oscula rult dicens: Osculetur me osculo oris sui, & dilecta osculis adiecit, quoniam optima vbera tua super vino.

Dicitur & Luna teste Hieron. in 4. cap. Amos Hebraicè *iareath*, Græcè *mini* iuxta vtramque linguam ex suo nomine mensibus nomen dedit. Et Solis illustratur radijs ab ea parte, qua ei vicina est, vel plus, vel minùs pro varietate temporum lumen accipiens. Sic & Ecclesia veri Solis splendore decorata, duodecim implet Apostolorum numerum: vel ideò per Lunam intelligitur Ecclesia propter ipsam mutabilitatem. Sic intelligit August. in 5. lib. inquisit. Ianuarij cap. 6. Priùs enim quàm fiet illud, quod dicit Apostolus, cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria obscura. Videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ inter multas iniquitates gemens: & tunc sunt timendæ insidiæ fallacium seductorum, quos nomine sagittariorum intelligi voluit. Vnde alio loco per Nuncios fidelissimos veritatis, quos vbique parit Ecclesia, dicitur Luna testis in Cœlo fidelis. Et cùm de Regno Dei Psalmista cantaret: Orietur, inquit, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec interficiatur Luna, idest abundantia pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat: tunc nouissima inimica destruetur mors. Et quicquid nobis resistit ex infirmitate carnis, vnde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omninò, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Ambros. in 4. libr. Hexam. cap. 8. sic ait: Meritò speciosa sicut Luna Ecclesia, quæ toto Mundo refulsit, & tenebras seculi huius illuminans dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquabit, pulchrè ait prospiciens, quasi suos de superiore prospectans, sicut habes: Dominus de Cœlo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo Ecclesia, sicut Luna defectus habet, & ortus frequentes. Sed in defectibus suis creuit, & his meruit ampliari: dum persecutionibus minuitur, & confessorum martyrijs coronatur. Hæc est vera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen immortalitatis, & gratiæ sibi mutuatur. Fulget enim Ecclesia non sui, sed Christi lumine, & splendorem sibi accersit de Sole iustitiæ. Hæc Ambrosius.

Audi quædam sacra Ecclesiæ enigmata. Illa quidem Mater, & Virgo est immaculata coitu. Declarat Ambrosius hoc sacrum enigma lib. 1. de virg. dicens: Virgo est castitate, Mater est prole, parturit itaque nos Virgo non viro plena, sed spiritu, parit nos Virgo non cum dolore membrorum, sed cum gaudijs Angelorum, nutrit nos Virgo non corporis lacte, sed Apostoli, quo infirmam adhuc crescentis populi ætatem lactauit: quæ igitur nupta plures habet liberos, quàm sancta Ecclesia? quæ Virgo est sacris, Mater est populis. Cuius fœcunditatem etiam Scriptura testatur dicens: Quamplures filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Firmauit hoc idem Diuus August. in lib. de sancta Virgine cap. 2. Ecclesia Virgo, & Mater est inquit, cuius prolem alloquimur, si Mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritalia membra illius capitis parit. In vtraque virginitas fœcunditatem non impedit: in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde cùm Ecclesia vniuersa sit sancta & corpore, & spiritu, nec tamen vniuersa sit corpore Virgo, sed spiritu, quantò sanctior est in his membris, vbi Virgo est & corpore, & spiritu. Et Hieron. 2. lib. aduersùs Iouinianum sic ait: Sponsa, soror, mater, & quæcumque alia putaueris vocabula vnius Ecclesiæ congregatio est, quæ numquam est sine sponso, fratre, filio, vnam habet fidem, nec constupratur dogmatum varietate, nec heresibus scinditur, Virgo permanet, quocumque vadit, Agnus sequitur illam, sola nouit canticum Christi. Vides iam quomodo Ecclesia sit non modò Sponsa, immò & Mater.

Aliud, si lubet, audi ænigma. Ecclesia & Virgo est, quæ aliquando meretrix erat, vt Ambros. in 19. lib. Epistolarum verbis vtar: Non potest dubitare quisquam, quòd Ecclesia virgo sit, quàm etiam in Corinthijs respondit Apostolus Paulus, Virginem castam assignare Christo. Sed & illa meretricis vocabulo etiam olim appellata est. Ea de re idem Ambrosius in lib. de Salomone cap. 5. sic scribit: Meretrix ista Ecclesia & typus est aliquando in Gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum Deorum adulteram fecerat multitudo, lasciuosque, ac turpes incompositis motibus saltus nemorum, & lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ Gentilium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit, & nominis per gratiam fidei, post meretricem fit Virgo, quia vni se destinauit sponso. Sed apertiùs hoc ænigma soluit Hieronymus in epistola ad Ruffinum, loquens de indicio Salomonis, cuius ista sunt verba: Mulier illa meretrix in Euangelio, quæ pedes Iesu lacrymis lauat, crine detergit: & cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de Gentibus congregatam, hoc idcircò in prima fronte replicaui, ne cui videatur incongruum, si Synagoga, & Ecclesia meretrices dicantur, quarum vna Salomonis indicio filij possessione donata est.

Prudens quærat auditor, quomodo meretrix sit Ecclesia, quæ non habet maculam neque rugam? Non dicimus Ecclesiam permansisse meretricem, sed fuisse. Nam & in Simonis Leprosi domo Saluator scribitur inijsse conuiuium, vtique non quia leprosus erat eo tempore, quo habebat hospitem Saluatorem, sed quia leprosus fuerat ante. Matthæus quoque in Cathalogo Apostolorum Publicanus dicitur, non quod Publicanus permanserit post Apostolicam dignitatem, sed quia priùs fuerit Publicanus, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Simulque considera, quid dicat Ecclesia contra synagogam calumniatricem: Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, post Resurrectionem enim Saluatoris vna de vtroque populo Ecclesia congregata est, & quàm eleganter peperi, inquit, apud eam in cubiculo.

Eccle-

Ecclesia enim de gentibus, quæ non habebant priùs legem, & Prophetas, peperit in domo synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa; vnde dicit in Cantico Canticorum: Introduxit me Rex in cubiculum suum. Et iterùm: Et quidem non spernam te, assumens introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum eius, quæ me genuit. Hæc Hieron. Et iterum idem: Quod adulteræ, & meretrices synagoga, & Ecclesia dicantur in scripturis, nulla dubitatio est, & hoc prima fronte videtur esse blasphemum.

Cęterùm si recurramus ad Prophetas, Osee scilicet, qui accipit vxorem fornicariam, & generat filias fornicationis, & deinde adulteram. Et ad Ezechielem in Hierusalem, qui meretricem arguit, quòd secuta sit amatores suos, & diuaricauerit omni transeunti pedes, lupanarque in cœlibatu extruxerit. Animaduertamus Christum idcircò venisse, vt meretrices donaret matrimonio, & duobus gregibus vnum ouile faceret, medioque pariete destructo, in easdem caulas oues priùs morbidas congregaret. Hæ sunt duæ virgæ, quæ iunguntur in Ezechiele; & de quibus per Zachariam Dominus refert: Et assumpsi mihi duas virgas, ait, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, pauique gregem. Mulier quoque illa meretrix in Euangelio, quæ pedes Iesu lacrymis lauat, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de gentibus congregatam. Hęc idcircò in prima fronte replicaui, ne cui videatur incongruum, si synagoga, & Ecclesia meretrices dicantur, quarum vna Salomonis iudidio filij possessione donata est.

Sed superest, vt tertium dissoluamus ænigma, & est illud. In plerisque sacræ Scripturæ locis Ecclesia sterilis esse perhibetur, ac legitur: in alijs verò fertilissima omnium laudatur, atque extollitur. Sed qualiter hoc sphyngos ænigma soluatur aduerte. Sterilis ciuitas legitur apud Apostolum ad Galat. 4. vbi dicitur: Lętare sterilis, quæ non paris; erumpe, & exclama, quæ non parturis. Ergo Ecclesia est illa sterilis ciuitas, quæ ante Aduentum Christi, à quorum vitio, hoc est sacrilegio Gentilium populorum sterilitatem sustinens, de se filios procreare non potuit. At vbi venit Christus, velut vas fictile assumens corpus humanum, sanauit aquarum vitia, hoc est resecauit vitia populorum, & statim Ecclesia, quæ erat sterilis, cœpit esse fœcunda. Vnde & Apostolus dicit: Lętare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis; quia multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, plures enim filios ex ea Ecclesia, quæ erat sterilis, procreauit, quàm synagoga, quæ erat fœcunda susceperit. Sed hæc, quæ sterilis olim dicebatur, quo pacto fertilis facta, ac reddita sit, Hieronym. testimonio probatur in epistola ad Galat. cap. 4. Vnde habuit synagoga legem. Et iuxtà Annæ prophetiam, fœtosa quondam in liberis fuit: sterilis verò Ecclesia sine viro Christo, sine vllo sponsi sermonis alloquio diù iacuit in deserto. Sed postquam accepit illa librum repudij in manus suas, & omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum; tunc maritus priore cingulo putrescente, alium lumbis suis baltheum, aliud de gentibus lumbare contexuit, quæ statim vt est viro iuncta, concepit & peperit. Et in Esaia exclamat Dominus per Prophetam: Si est gens nata simul, quando vna die in actibus Apostolorum tria millia, & quinque millia hominum crediderunt, Nec puto necesse, vt de multitudine Christiana, & de Iudęorum paucitate dicamus, cùm in toto Mundo Crucis vexilla resplendeant, & vix rarus, atque notabilis in Vrbibus Iudęus appareat. Hæc Hieronymus.

Ambrosius lib. 2. de Abraam Patriarcha cap. 10. vtriusque rationem reddit in comparatione Agar, & Sara. Saram enim dicit se docuisse Ecclesiam sterilem significare. Ecclesia enim sterilis videtur in hoc sæculo, quæ non sæcularia parturit, nec præsentia, sed futura, hoc est non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur. Huius Ancilla est in Synagoga, quæ omnes hæreses, quæ seruos non liberos creat, ideòque Agar dicitur habitatio etenim temporalem spem fouet, non perpetuæ possessionis gratiam tenet. Cyprianus in 2. lib. aduersùs Iudæos: Iacob accepit vxores duas, maiorem Lyam oculis infirmioribus in typum Synagogæ, minorem speciosam Rachel in typum Ecclesiæ, quæ, & sterilis diu mansit, & postea peperit Ioseph, qui & ipse fuit typus Christi. Et in Regum 1. legitur Helcana vxores duas habuisse, Phenennam, cum filijs, Annam sterilem, ex qua nascitur Samuel non secundùm ordinem generandi, sed secundùm Dei miserationem, & promissionem, cum illa orasset in templo; & natus Samuel typus fuit Christi. Hieronymus ca. 12. in Osee: Non etrabit, qui supplantatorem Iacob Israel videntem Deum, in typo Domini dixerit præcessisse; & Rachel primùm sterilem, atque formosam quamplurimum dilexit Iacob, significare Ecclesiam; Lyam autem lippientibus oculis, fętosæ Synagogæ formam monstrare. Ambrosius lib. 3. de virginibus: Est Ecclesiæ ager diuersis fœcundus copijs, hic cernas germina virginitatis flore vernantia: illic tamquam in campis siluæ viduitatem grauitate pollentem, alibi tamquam vberi fruge coniugij Ecclesiæ segetem repleotem mundi horrea, ac velut maritatæ vineæ fœtibus torcularia Iesu Domini redundantia, in quibus fidelis coniugij fructus exuberat. Vnde in tropo iuxtà Hieronymi sententiam in Hierem. cap. 11. Terram lacte, & melle manantem, Christi Ecclesiam intelligere possumus, in qua patuuli atque lactantes educantur per fidem, vt possimus solidum cibum capere.

Habes itaque Ecclesiam olim sterilem, nunc verò fertilem dici. Quod si quandoque sterilitas in Ecclesijs fit, venit hoc, vt Hieronymus inquit in Hierem. cap. 23. Propter adulteria, & mendacia, siue periuria virtutum, ac donationum Dei, dicit enim Propheta: Quia adulterijs repleta est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti. Sed an in Ecclesia tantùm boni, & per Ecclesiam prædestinati dumtaxat intelligantur, multi dubitarunt. Hanc dubitationem auellemus, quàm facilè si typum Ecclesiæ rectè intellexerimus, Hieronymus aduersus Luciferianos sic ait: Arca Noe typus fuit, dicente Petro Apostolo: in Arca Noe typus

typus fuit, dicente Petro Apostolo: In Arca Noe paucæ, ideft octo animæ faluę factæ funt per aquam, quæ, & nos nunc fimilis formæ per baptifmum faluos fecit, vt in illa omnium animalium genera, ità & in hac vniuerfarum gentium, & morum homines funt, vt ibi Pardus, & Hædi, Lupus, & Agnil ita, & hic iufti, & peccatores, ideft vafa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus commorantur. Habuit Arca nidos fuos: habet Ecclefia multas manfiones: octo animæ hominum in Arca Noe feruatæ funt. Et nobis Ecclefiaftes iubet dare partes feptem, dare partes octo, ideft credere vtrique teftamento. Ideò quidam Pfalmi pro octauo infcribuntur, & per octauos verfus, quæ fingulis literis fubiecti funt in 118. Pfalmo, iuftus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus in monte pronuncians, Ecclefiam deftinauit, octo funt. Et Ezechiel in ædificatione templi octonarium numerum affumit. Multaque alia in hunc modum per fcripturam fignificata reperies. Emittitur itàque de arca coruus, & non redijt, & poftea pacem terræ columba denunciat: ità, & in baptifmate Ecclefiæ teterrimo alite expulfo, ideft diabolo, pacem terræ noftræ columba Spiritus Sancti nunciat à triginta cubitis incipiẽs, & vfque ad vnum cubitum paulatim decrefcens Arca conftruitur. Similiter, & Ecclefia multis gradibus confiftens, ad extremum diaconis, presbyteris, epifcopifque finitur. Periclitata eft Arca in diluuio: periclitatur Ecclefia in mundo. Egreffus Noe vineam plantauit, & bibens de ea inebriatus eft: natus quoque in carne Chriftus Ecclefiam plantauit, & paffus eft. Nudatum patrem irrifit maior filius, & minor texit, & Deum crucifixum illuferunt Iudæi, & honorauerunt gentiles. Dies me deficiet, fi omnia Arcæ facramenta cùm Ecclefia componens differam, qui fint inter nos Aquilæ, qui Columbæ, qui Leones, qui Cerui, qui vermiculi, qui ferpentes, quòd ad præfens negotium pertinet, breuiter expediam. Non folum in Ecclefia morantur oues, nec mundę tantum aues volitant: fed frumentum in agro feritur, & & inter nitentia culta, lappæque, & tribuli, & fteriles dominantur auenæ. Et idem Hieron. ad Gerontiam de monog. In Arca Noe non folùm munda, fed, & immunda fuerunt animalia: habuit homines, habuit, & ferpentes. In domo quoque magna vafa funt, alia in honorem, alia in contumeliam. Eft crater ad bibendum, eft & matula ad fecretiora naturæ: ità & in Ecclefia funt boni, & mali.

Sed audiamus ad hæc Aug. verba in lib. de fide ad Petrum cap. 43. Firmiffimè tene, & nullatenùs dubites, Arcam Dei effe Catholicam Ecclefiam, & intrà eam vfque in finem fæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc eft bonos, & malos facramentorum communione mifceri, & in omnium profeffione, fiue monachorum, fiue laicorum bonos effe fimul, & malos: nec pro malis bonos difcernendos, fed pro bonis malos, inquantùm exigit fidei, & charitatis ratio, tolerandos: ideft fi, vel in Ecclefia nullius perfidiæ femina fpargunt, vel partes ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt. Sanctus ille vir Hieronym. 1. libro aduersùs Iouinianum fic ait; Arca illa iuxtà Apoftolum Petrum typus Ecclefiæ fuit, in qua octo animæ faluatæ funt. Quando in eam ingreditur Noe, tàm ipfe, quàm filij eius ab vxoribus feparantur. Quando vero egreditur in terram iunguntur paria; Et quod in Arca, ideft Ecclefia fuerat feparatum, in mundi conuerfatione fociatur. Simulque fi Arca plures habuit manfiones, & nidulos, & bicamerata, & tricamerata, & diuerfas beftias, & pro qualitate animalium habitationes quoque maiores, & minores, exiftimo quòd diuerfitas illa manfionum præfigurauerit Ecclefiæ veritatem. Et iterum idem Hieron. 2. lib. aduersùs Iouinianum fic loquitur: Quarta propofitio, quæ, & extrema eft, duos effe ordines ouium, & hircorum, alterum iuftorum, alterum peccatorum, alios ftare à dextris, alios à finiftris, & audire iuftos: Venite benedicti Pattes mei, poffidete paratum vobis regnum à conftitutione mundi, peccatoribus verò dici: Difcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eft Diabolo, & Angelis eius. Arborem bonã non poffe malos fructus facere, nec malam bonos. Vnde, & Saluator loquitur ad Iudæos: Vos de Patre Diabolo eftis, & concupifcentias Patris veftri facere vultis. Decem virgines proponit, ftultas quinque, & quinque fapientes, & quinque, quæ oleum non habuerunt, remanferunt extrinfecùs, aliæ verò quinque, quæ fibi lumen bonorum operum præparauerunt, thalamum intraffe, cum Chrifto, hæc iterum Hieronym. Et Auguftin. lib. 2. contra Crefcon. grammaticum fic ait: In fcriptura fancta, quæ neminem fallit, area dicta eft Ecclefia Dei, dominumque ipfum cum ventilabro effe venturum, & mundaturum aream fuam, vt frumenta recondat in horreo, paleam verò comburat igne inextinguibili. Quòdque per aream iftam, ac fagenam miffam in mari de omni genere pifcium congregantem, etiam apud Donatiftas Ecclefia intelligatur, apertè probat Auguftinus in libro contrà Donariftas poft collationem cap. 10. Origenes fuper Iefum Nauæ homil. 2. in Hierufalem, ideft Ecclefia, funt quidam, Iebufæi ifti, qui ignobilem, & degenerem vitam ducunt, qui, & fide, & actibus, & omni conuerfatione fua peruerfi funt. Neque enim poffibile eft ad liquidum purgari Ecclefiam, dum in terris eft: ità vt neque impius in ea quifquam, neque peccator refidere videatur, fed fint in ea omnes Sancti, & beati, & in quibus nulla prorfus peccati macula non deprehendatur.

Tamen, & fi videatur in Ecclefia effe zizania, non tamen impediri debet fides, & charitas noftra, vt quoniam zizania effe in Ecclefia cernimus, ipfi de Ecclefia recedamus. Nobis enim, vt Auguftinus poft Cyprianum habet in 2. libro contra Crefcon. cap. 34. tantummodo laborandum eft frumentum effe, poffimus: vt cùm cœperit importari frumentũ Dominicis Horreis, tandem fructum pro opere noftro, & labore capiamus. Apoftolus in epiftola fua dicit. In domo autem magna non folùm vafa funt aurea, & argentea, fed, & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam inhonorata, nos operam demus quantùm poffumus laboremus, vt vaa aureum, & argenteum fimus, tamen, & fi in

ſi in Eccleſia cum bonis mali degant: at nec mali, qui ſunt in Eccleſia, parti bonorum præiudicare poſſunt, aut debent. Apocalypſis 3. ſcribit Apoſtolus, quod habeat pauca nomina in ſardis eorum, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua. Nec tamen ab eis, qui in Eccleſia mundi fuerunt, illorum paucorum veſtimenta polluta ſunt. Similitudinibus etiã euangelicis pulchrè probatur, zizania non præiudicare tritico: quamuis in eodem gradu, eadem pluuia ſimul creſcunt, vſque ad meſſem. Nec palea præiudicat frumento, quamuis in eadem area ſimul triturentur, donec nouiſſima ventilatio fiat. Hedi non leguntur ouibus præiudicare, quamuis communibus paſcuis, vtraque pecora permixta ſeruentur, donec à paſture ſummo in iudicio nouiſſimo, alij ad ſiniſtrã ad dextrã ſegregabentur. Nec piſces mali bonis præiudicant, quamquam intrà eadem retia teneantur, olim in extremo litote hoc eſt in fine maris, vel fine ſæculi ſeparandi. Hieronymus etiam aduerſus Vigilantium ſcribens, ſic habet: Error in culpa iuuenum viliſſimarum mulierum, quæ per noctem ſæpè depræhenduntur, non eſt religioſis hominibus imputandus, quoniam, & in vigilijs paſcæ tale quid fieri plerumque conuincitur, vt tamen paucorum culpa non præiudicat religioni, qui abſque vigilijs poſſunt errare, vel in ſuis, vel in alienis domibus. Et noſtras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non deſtruunt. His itaque parabolis, vt ait Auguſtinus in libro contrà Donatiſtas poſt collationem capitul. quarto: Eccleſia prænunciata eſt vſque in finem ſæculi bonos, & malos ſimul habitura. Quòd ſi quiſquam objciat hoc malè conuenire cum ſponſa, quæ nec maculam, nec rugam habere legitur. Huiuſmodi dicti verum intellectum ex diuo Auguſtino accipiat: illius ſiquidem verba in libro de nuptijs, & coniugio ad Valentinum capitulo trigeſimo quarto ſunt hæc: Ac per hoc, non ſolùm omnia peccata, inquit, ſed omnia prorſus hominum mala Chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur: quo mundat Eccleſiam ſuam Chriſtus, vt exhibeat eam ſibi non in iſto ſæculo, ſed in futuro non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Nam qui non eam talem eſſe dicunt, & tamen in ea ſunt, quoniam & ipſi fatentur ſe habere peccata, ſi verum dicatur, profectò quoniã mundi non ſunt à peccatis, habet in eis Eccleſia rugam. Si autem falſum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Eccleſia rugam. Si autem ſe dicunt habere iſta non ipſam, ergo ſe non membra eius, nec ſe ad corpus eius pertinere fateantur, vt eſſet ſua confeſſione damnentur. Gregorius in moral. lib. 3. cap. 3. Rugæ ſunt ſanctæ Eccleſiæ, omnes qui in ea duplicitèr viuunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant: hi nimirum pacis tempore, quia huius mundi poteſtatibus eandẽ fidem honori eſſe conſpicuunt, fideles ſe eſſe mentiuntur. Sed cum ſanctam Eccleſiam ſubita aduerſitatis procella turbauerit, illico oſtendunt, quòd in perfida mente moliuntur. Has autem rugas in electis ſuis ſancta Eccleſia non habet: quia videlicèt neſciunt aliud de ſe foris oſtendere, & intus aliud habere: Vnde egregius prædicator dicit, vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam. Maculam quippè, aut rugam non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate ſermonis caret. Eo etiam fit, vt Auguſtinus in lib. contrà Donatiſtas poſt collationem cap. 9. probat. Quòd licet vna ſit Chriſti Eccleſia, tamen eius ſunt tempora diſtinguenda. Nam poſt reſurrectionem, non erit irà malis permixta, ſicut, & hodie hunc locum ipſe videas, quibus teſtimonijs probat ea, quæ dixi.

Magna eſt Eccleſiæ familia: ſiquidem, vt eſt apud Hieron. in Ezechielem cap. 9. Senes ſunt in Eccleſia, de quibus dicitur: Cani hominis prudentia eius; iuuenes, qui ſunt ad fidei bella promptiſſimi; virgines, quæ pudicitiam tota mente conſeruant; paruuli, qui lacte potantur infantiæ, & nec dum percipiunt ſolidum cibum; mulieres, quæ fragilitate ſexus animæ imbecillitatem teſtantur: ſunt & in ea ſerui, qui habent ſpiritum timoris in ſeruitute, & ſpiritualia magis deſiderant, quàm teneant; ſunt & ancillæ animæ, quæ adhùc corpori, terræque deditæ ſunt; ſunt vernaculi nec dum libertate donati, nec nobilitati à Domino; ſunt & alij de hac familia ad inſtar boum, & ouium propter opera, & ſimplicitatem, qui, vt eſt apud eundem Hieronymum in Eccleſiaſt. cap. 2. abſque ratione, & ſcientia ſcripturarum laborant. laborant quidem in Eccleſia, ſed nec dum ad id peruenere, vt homines eſſe mereantur. & redeant ad imaginem conditoris. Eccleſiaſtes, cùm ibi de ſeruis, & ancillis, & vernaculis loquitur, multitudinis non meminit. De bobus verò, & ouibus loquens, multitudinem exprimit. Rationem reddit Hieronymus, quia plura in Eccleſia armenta, quàm homines ſint, plures oues, quam ſerui, ancillæ, atque vernaculi.

Eccleſia licet nauis inſtar, vt eſt apud Ambroſium in libro de Salomone capit. 4. crebris ventorum fluctibus, ideſt tentationum, plagis, & verberibus fatigetur, quam turbidi fluctus, ideſt huius ſeculi poteſtas conatur ad ſaxa perducere: quæ etſi vndarum fluctibus, aut procellis ſæpè vexatur, tamen numquam poteſt ſuſtinere naufragium: quia in àrbore eius, ideſt in Cruce, Chriſtus erigitur: in puppi reſidet Pater, reſidet gubernator: protam Paracletus ſeruat Spiritus: hanc per anguſta huius Mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, ideſt duodecim Apoſtoli, & ſimilis numerus Prophetarum. Et eamdem Hieron. in lib. de 42. manſionibus ad Fabiolam, ardenti rubo, & non comburenti comparat. Inflammatur enim perſecutionibus, ſed loquente Domino non perit.

Et Chryſoſtomus in ſermone de Penteconſte Petram vocauit Eccleſiam ſuſcipientem fluctus, & non titubantem. Etenim Eccleſia ſuſcipit tot tentationes, non taman vincitur: tempeſtates ſuſcipit Eccleſia, ſed non demergitur: iacula in eam mittuntur, ſed non perforatur: machinamenta præparantur, ſed turris non eliditur. Et quid dico Eccleſiam? vnum ſermonem locutus eſt Paſtor. Et ſicut turris immobilis perſeuerat. Quanti tyranni verbum hoc delere conati ſunt, ſed non potuerunt. Suprà petram enim fundatum erat.

Con-

Considera tyrannos, gladios acutos, bestiarum dentes, mortem minantes, caminos, sartagines, manus ferreas, vncos, & omnia machinamenta parata, & pharetram suam euacuauit Diabolus, sed nihil læsit Ecclesiam. Vbi nunc Claudius, vbi Augustus, vbi Nero, vbi Tyberius? nomina sunt nuda: horum autem nemo, nec vlla mentio. Et quia Ecclesiam impugnauerunt, ideò & memoriam perdiderunt. Ecclesia autem clarior splendet, vbicunque ieris ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, vsque ad vltimum finem terrarum inuenies: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.

Ciuitas etiam appellatur Ecclesia; vndè: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei; quæ licèt parua sit, vt est apud Hieronymum in Ecclesiast. cap. 9. in ea pauci ad comparationem Mundi totius, aduersùs quam sæpè consurgit Rex magnus Diabolus, non quòd magnus sit, sed quòd se magnum iactitet, & circumdet eam obsidione, siue persecutione, siue alio angustiarum genere, tamen firma est.

Quod & idem Hieronymus probat in Esaiam cap. 57. citans illud in Cantico Canticorum: Fili matris meæ pugnauerunt aduersùs me; & loquitur: Ego Ciuitas firma, Ciuitas, quæ oppugnatur. Nempè Ciuitas non super arenam, sed super petram firmissimam fundata est.

Testimonium huius rei diuus ille Hieronymus habet in proœmio super Matthæum, vbi sic ait: Ecclesia, quæ supra petram Domini fundata est, quam introduxit Rex in cubiculum suum. Et ad quam per foramen descensionis occultè misit manum suam similis damulæ, hinnuloque ceruorum, quatuor flumina Paradisi instar eructans quatuor, & angulos. Et annullos habet, per quos quasi arca testamenti, & custos legis Domini lignis mobilibus vehitur. Nec mirùm id fuerit, si Christus seruet Ecclesiam, ne ruat, ne periclitetur, ne arca mergatur. Si propter eam dixerimus post Hieronymum in Ionam hunc reliquisse patrem, & matrem. Patrem inquam in Cælis, vt gentium populus iungeretur Ecclesiæ cælestem Hierusalem, quæ est mater Sanctorum. Deinde verum est, quòd Mater multis nominibus amorem indicantibus, vocatur Ecclesia, licèt etiam ipsa dicatur coniunx Christi. Nàm de latere eius, de fide passionis, & baptismi formatur, secundùm Augustinum de gene. contra Manichæum lib. 2. cap. 24. Hæc & Soror denique eius est ex parte, secundùm Augustinum contra Faustum lib. 22. cap. 39. Sic itaque Mater, Coniunx, & Soror est Christi.

De hac ferè totum epithalamium libri Cantici Canticorum sonat, & illud maximè: Veni à Lybano Sponsa, veni, coronaberis. Et alia multa, quæ in encomion illius scripta sunt, licet videre apud Hieronym. lib. 1. aduersùs Iouinianum: Hæc est vna illa Columba: vna enim est vniuersalis Ecclesia, extrà quam nullus omninò saluatur, vt est in cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Cathol.

De huius vnitate Cyprianus in tract. de simplicitate Prælatorum, sic ait: Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodò Solis radij multi, sed lumen vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini, luce perfusa, per Orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur, adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit: hæc nos Deo seruat, hæc filios Regno, quos generarit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à premissis Ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi præmia. Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est, habere iàm non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit euadere, qui extrà arcam Noe fuit, & qui extrà Ecclesiam foris fuerit, euadit. Monuit Dominus, & dicit: Qui non est mecum, aduersùs me est; & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi, & concordiam rumpit, aduersùs Christum facit. Qui alibi, præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus: Ego, & Pater vnum sumus. Et iterùm, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Hi tres vnum sunt. Et quisquis credit hanc vnitatem de Diuina firmitate venientem, sacramentis cælestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatem collidentium diuortio separari. Hanc vnitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris, & Filij fidem, & vitam non tenet, & salutem. Hæc Cyprianus.

Possem hìc in colophonem adijcere duplicem Ecclesiæ acceptionem, quæ est apud Hieron. cap. 1. epistolæ ad Galatas. Possem etiam hìc post eumdem Hieronym. in cap. 3. epistolæ ad Ephes. ac alios discutere, an, in, ac de Ecclesia essent Hæretici, nec indigna forent, quæ Cyprianus, aut saltèm Ruffinus in Symbolum Apostolorum exposuit.

Sed iàm finem rei facturus, ad te charissime Luthere redeo, ad te quoque sermonem verto: habes comparationes, habes ænigmata, intellexisti, qui sint in, & de Ecclesia, quid per Ecclesiam Catholicam post August. ac alios intelligere possimus.

Iàm tuæ partes erunt, in posterum longè aliter de Ecclesia sentire, quàm senserit vel Ioannes ille Hus, vel Hieronymus de Praga, ac alij huius farinæ homines, quorum nomina hìc commemorare nolim, ne crabrones irritare voluisse videar. Et tu fortasse hucusque illorum scripturas imitatus, circa materiam Ecclesiæ quædam non admodùm probara

bata liberè, ac inconsideratè scripsisti.

Disce ergo quæso saltim ob salutem animæ tuæ, errantem immutare sententiam, maximè cùm sis totidem scripturæ locis monitus; quòd si feceris, habebis benedictionem à Domino, & dabitur videre pacem in Israel.

Iàm ad ea redeuntes vndè digressi sumus, super Euangelico verbo quemcumque sensum Ecclesiæ dederis, dabis Ecclesiam sic accepisse claues, vt hisce membra vtantur. Et quæ sunt illius membra? Episcopi, & Sacerdotes, quantùm ad vsum clauium attinet, illa denique membra sunt homines viuentes. Vt igitur inter ea, quæ ad vsum clauium pertinent, Petrus caput esset, numquid res non tam digna, quàm & necessaria fuit? In hac ni fallar hierarchia, qua per claues Diuinorum dispensatio fit, certè & naturæ, & rationi, immò & stabilitati perpetuæ fuit vtilis ista prælatio, qua sic aliquis præficeretur secundùm Cyprianum, vt præesset omnibus, censeretur idem maior secundùm Cyrillum, & reliquorum Princeps secundùm Chrysost. Hieron. & alios.

Talis erat Petrus, qui post multos vitæ labores coronam accepit à Domino, & post se in Vrbe, quæ caput est Orbis, successorem reliquit, quem nunc totus Orbis, Romanum quidem vocat Pontificem. Non erit itaque absurdum illi hanc tradere potestatem, immò illi quo ad claues ea adscribere, quæ habuit is, cui successit. Et ità tu ipse fateri cogeris hæc multis seculis communi omnium ferè Christi-fidelium assensu firmata, isthæc omnia non modò turbare, sed & dituere velle non video Christianæ reipublicæ profuturum. Quòd si Romanam Sedem forsan abusiones aliquæ deprauarint, vitæ non desunt, quibus absque tumultu, absque cœde rebus Christianorum consuli possit.

CAP. X.

Ex ijs verbis, super hanc Petram, *obijcitur non posse intelligi potestatem Papæ, sed benè fidem Ecclesiæ, & responsio etiam quod optimè Petrus intelligatur per Petram.*

LVTHERVS.

Sequitur antem: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si per hanc petram intelligimus potestatem Papæ, vide quid facimus. Primum sequitur, quòd Ecclesia primitiua Apostolorum non fuit Ecclesia: quia Petrus, vt solidis probem argumentis, anno decimooctauo adhuc fuit Hierosolymis, nec dùm viderat Romam. Quòd ex Paulo ad Galatas clarum fit, qui scribit se post conuersionem sui abiisse primum Arabiam, deindè post annos tres venisse Hierosolymam videre Petrum, ac posteà post quatuordecim annos ascendisse, & contulisse cùm Petro, Iacobo, & Ioanne Euangelium præputij. Quis tamen ità insaniret quæso, vel Orestes, dicens Ecclesiam Hierosolymitanam, & Catholicam non fuisse Ecclesiam? quia potestas Romanæ Ecclesiæ nondùm fuit, nec fortè fides eius. Non ergo supra petram, idest potestatem Romanæ Ecclesiæ, sicut decreta quædam exponant, sed supra fidem à Petro totius Ecclesiæ persona confessam ædificata est: cùm & vniuersalis, & Catholica Ecclesia tanto tempore antè Romanam Ecclesiam fuerit.

FABER.

Cogis me hic Luthere, vt nonnihil præludam de petra, quo veritatem demùm inueniamus; & ne diutiùs hæream, primo omnium Origenem cito. Is in Matthæum homilia 1. sic scribit: Petra est omnis, qui imitator est Christi, ex quo bibebant de spiritali consequenti petra. Et super omni huiusmodi petra ædificatur Ecclesia Dei. In singulis enim quibusque perfectis, qui habent in se congregationem verborum, & operum, & sensuum omnium, qui huiusmodi beatitudinem operantur, consistit Ecclesia, cui portæ non præualent inferorum.

Et Ambrosius in Lucam libro 6. cap. 9. Petra tua actus est, petra tua mens est. Supra hanc petram ædificetur Domus tua, vt nullis possit nequitiæ spiritalis euerberari procellis: Petra tua fides est: fundamentum Ecclesiæ fides est. Si petra fueris, in Ecclesia eris, quia Ecclesia super petram est. Si in Ecclesia fueris, portæ inferi non præualebunt tibi. Portæ inferi, portæ mortis sunt; portæ autem mortis, portæ Ecclesiæ esse non possunt.

Et iterùm Origenes in Matth. hom. 35. Probamus autem scissas tunc petras esse Prophetas: primùm ex eo, quod Christus dicitur petra spiritalis: & rationis est, omnes imitatores Christi dici similiter petras esse. Sicut & lux Mundi dicuntur ex eo, quòd Petrus ipse à Domino est Petra appellatus; cùm dicitur ei: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei.

Maximè enim hoc demonstratur ex eo; quòd omnes, quibus non præualent portæ inferorum, qui opus nominis habent in se Petræ, idest Apostoli, & Prophetæ Petræ sunt & ipsi. Et sunt fundamenta eorum, qui super eis ædificantur, secundùm quod ait Apostol. ad Ephes. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu Domino nostro, superædificantur autem Apostolis, & Prophetis, maximè, qui sunt de Ecclesia immaculata, & Apostolos Christi imitantur, & Prophetas non spernunt; sed scrutantur etiam eorum scripturas. Hæc Origenus.

Et Cyrillus in Ioannem libro 7. cap. 20. Christus sibi subiectos, vt gratiæ, & donorum, ità quoque nominum suorum reddit participes. Siquidem cùm ipse sit lux, discipulis etiam suis lucis nuncupationem tradit, cùm ait: Vos estis lux Mundi. Ità cùm primus sit, & præcipuus Pastor, suis membris eiusdem nominis participium, & communicationem præstat. Hæc Cyrillus.

Sic itaque habes tam ex Origene, quàm Cyrillo non tam absurdum nomina conuenientia Christo, etiam conuenire Discipulis;

Quòd, vt pleniùs, immò manifestiùs probem, en Hieron. in epist. ad Galatas cap. 2. Pulchrè tradit à Christiana veritate non esse alienum tam Apostolos, quàm credentes omnes, ipsam quoque Ecclesiam in scripturis appellari columnam, & nihil interesse de corpore, quid dicatur an membris.

Et supradictis alludit Hieron. dictum in Hierem.; quo asserit etiam Apostolis esse donatum, vt ipsi quoque Petræ vocentur. Illius verba in Amos Prophetam cap. 6. sunt hæc: Petra Christus est, qui & donauit Apostolis suis, vt ipsi quoque vocentur Petræ.

Et antè mille annos Zeno sanctus Veronensis olim Episcopus, hanc nostram videtur probasse sententiam, (illius copiam ex Pistoriensi Bibliotheca mihi fecit D. Antonius de Puccijs eiusdem Ciuitatis Episcopus, omnium literatorum Mecœnas, optimus, atque doctissimus, &c. In sermone enim de Circumcisione sic ait: Iesus Naue Christi imaginem præferebat, qui verus omnium Saluator esse cognoscitur & factis, & nomine. Hic enim, quia ipse dictus est Petra, rectè cultellos petrinos fecit. Vndè non sine ratione inquit. Et Simoni, super quem ædificauit Ecclesiam, Petrus nomen imposuit, idest sua doctrina formatus, Spiritus sancti lima acuminatur veros Apostolos, omnesque Discipulos, quorum salutaria monita canentibus linguis quasi quibusdam spiritalibus cultris credentium populorum, secundùm Moysi dictum non in damnum hominis præputium carnis, sed in augmentum hominis præputium facinorosi cordis incidit. Gregor. in Iob lib. 13. cap. 4. ait: in sacro eloquio cum singulari numero Petra nuncupatur, quis alius, quàm Christus accipitur? Paulo attestante Cor. 8. qui ait: Petra autem erat Christus. Cùm verò Petræ pluraliter appellantur, membra eius, videlicèt, sancti Viri, qui illius robore solidati sunt, exprimuntur. Quos nimirùm Petrus Apostolus lapides vocat, dicens: Vos tamquam lapides viui coædificamini domus spiritales. Ista itàque Aquila, quæ ad veri Soli radios cordis oculos erexit, in petris manere dicitur, quia in dictis antiquorum, & fortium Patrum mentis statione collocatur.

Veram Petram nobis monstrauit Apostolus priori ad Corinth. epistola capite 10. Hæc est illa Petra vera, supra quàm Dominus fundauit Ecclesiam suam. Et ab hac Petra Apostolus Petrus sortitus est nomen. Super huiusmodi Petram, putà Christum, vt Hieronym. habet in Matth. cap. 7. non inueniuntur Serpentis vestigia.

De hac & Propheta Psalm. 39. loquitur confidenter: Statuit supra petram pedes meos: Et in alio loco Psalm. 103. Petra refugium leporibus, siue erinaceis. Timidum enim animal in petræ cauernas se recipit; & cutis aspera, & tota armata iaculis tali se protectione tutatur. Vndè & Moysi dicitur eo tempore, quo de Ægypto fugeret, & lepusculus Domini erat: Sta in foramine petræ, & posteriora mea videbis.

Augustinus in annotationibus in Iob: Petra etiam tota Ecclesia dicitur. Et benè intelligitur propter etiam Simonem, qui ob hoc à Domino Petrus appellatus est, summitas petræ est caput Ecclesiæ.

Idem Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 17. Sicut percussa petra manauit aqua sitientibus, sic plaga dominicæ passionis effecta est vita credentibus. Habemus enim de hac re præclarissimam, ac fidelissimam vocem Apostoli, cum inde loqueretur, dicentis: [Petra autem erat Christus.] Hanc ergo carnalem de Christi diuinitate desperationem in ipsius Christi altitudine Deus mori iubet, cum mortem carnis Moysi in monte imperat fieri. Sicut enim petra Christus ità & mons Christus, petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo. Quia sicut Apostolus ait; Petra erat Christus, Ambrosius in libro de Salomone cap. 3. Nunc videamus quis sit ille serpens: aut quæ petra, in qua serpentis vestigium non apparet. Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus.

Sic enim Apostolus ait: Bibebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus. Et psalmographus. In petra inquit exaltasti me. Et Moyses in cantico Deuteronomij. Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra, idest quòd dulcem datutus esset Euangelij suauitatem, aut Spiritum sanctum per chrismatis vnctionem. Et alibi ait: Beatus qui tenet, & allidet infantes suos ad petram. Quod vtique in religiosis parricidium erat, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere est, qui infantes suo allidit ad petram: Sed ideò beatus est, quòd illos coniungit ad petram. Dixi ergo petram Dominum, & Saluatorem nostrum in Scripturis omnibus inueniri.

Sed quomodo Petro conueniat hoc petræ nomen, iterum audiamus, Ambros. in serm. de fide Petri Apostoli serm. 47. sic ait: Petrus denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut Dominus: [Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Petra enim dicitur eo, quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani cõpagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur. Sic ait Apost. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Rectè meretur consortiũ nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, Petrus plantat, Dñus incrementũ dat, Dominus irriguum subministrat, Petrus cum suis tentationibus proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic namque in mari, dum super vndas temerarius victor ingreditur, natat incessu, sed conualescit affectu, periclitatur corpore, sed deuotione non labitur, mergitur pedibus, sed Christi dextra sustentatur, sustentat fides quem vnda emergebat, & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus. Idem de natali Petri, & Pauli diximus frequenter, ipsum Petrum à Domino nuncupatum. Sicut ait: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat, vt si-

vt ſicut in Eccleſia fidei fundameota cootinet, ità & in homine membrorum fundamenta confirmet.

Quòd ſi abhorreas petræ nomen conuenite Petro, cogitare debes, ſicuti Saluator ipſe lumen verum, quod illuminat Orbem, Apoſtolis donauit, vt lumen Mundi item ipſi appellarentur, ac cætera ex Domiuo ſortiti ſunt vocabula. Ita & Simoni, qui credebat in petram, Chriſtum ſcilicèt, petræ largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram petræ rectè dicitur ei:] Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.] Nec mirum fuerit, Petrum vocari petram, cum etiam ſancti, & iuſti per gratiam, & participationem Dei *Dij* appellentur, de quibus, & alibi Scriptura dicit: [Ego dixi *Dij* eſtis.] Et iterum: Stetit Deus in congregatione Deorum. Tamen hic non nego, quamuis capaces ſunt Dei, & hoc oomen donari per gratiam videantur, oullus tamen Deo ſimilis inuenitur, vel in potentia, vel in natura.

Et licèt Ioannes dicat Apoſtolus: Filioli nondum ſcimus, quid futuri ſimus. Si autem reuelatum nobis *fuerit* de Domino, ſcilicèt, dicens, ſimiles illi erimus, ſimilitudo tamen hæc non ad naturam, ſed ad gratiam reuocatur. Ità & de petra quantùm ad Petrum dicendum erit. Vndè Hiron. in Abdiam cap.1. Quomodo lumen Dominus lucem appellat Apoſtolos ſuos, & dicit: [Vos eſtis lux Mundi, & ipſe petra Petro donauit, vt petra ſit: Paſtor quoque bonus illis Paſtorum largitus eſt nomina.] Et quodcumque ipſe dicitur, ſeruis tribuit, vt dicantur. Sic Saluator Apoſtolos ſuos Mundi eſſe voluit Saluatores. Hæc *Hieronym.* Fateor itaque ingenuè iuxta verbum Pauli Chriſtum eſſe petram immò Chriſtum eſſe petram limpidiſſimam, vt Hieron. in Ezechielem habet cap.24. Quæ & ſequebatur in ſollitudine populum Iſrael.

Tamen etiam Petrus hoc nomen commune habet cum Chriſto. Sed quid ſit allidere paruulos ad Petram, ac ſugere mel de petra. Declarat beatiſs. Papa Gregorius in quartum pſalmum pœnitentialem ſic ſcribens; Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Ad petram quidem paruulos noſtros allidimus, cum Orientes motus illicitos imitationis Chriſti intentione mortificamus. Scriptum eſt enim: Petra erat Chriſtus. Ipſe ergo eſt petra, ad quam cogitationes noſtras tenemus, ipſe altare, cuius clementiæ peccatorum victimas imponere præſumimus. Et alibi idem Gregorius hom.26. per Moyſem dicitur: Suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra. Neque enim quicquam tale iuxta hiſtoriam legitur. Si tota teſtamenti veteris ſeries recenſeatur, nuſquam de petra mel, numquam oleum populus ille ſuxit.

Sed quia iuxta Pauli vocem petra erat Chriſtus, mel de petra ſuxerunt, qui eiuſdem Redemptoris noſtri facta, & miracula viderunt. Oleum verò de firma petra ſuxerunt, quia effuſione ſancti Spiritus poſt Reſurrectionem eius vngi meruerunt. Quaſi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum ſuorum dulcedinem diſcipulis oſtendit.

Sed firma petra oleum fudit: quia poſt Reſurrectionem ſuam factus iam impaſſibilis per afflationem Spiritus donum ſanctæ vnctionis emanauit.

Iam quid ante mille annos Leo de hac re tradiderit, lubet adducere. Is nempè Flauiano ſcribens Conſtantinopolitano Epiſcopo, ſic ait; cùm ipſe Dominus noſter, atque Saluator fidem diſcipulorum ſuorum ſuis interrogationibus erudiret: Quem inquiens dicunt homines eſſe filium hominis? Cumque illi diuerſas aliorum opiniones retexuiſſent: Vos autem ait, quem me eſſe dicitis? [Me vtique qui ſum Filius hominis, & quem in forma ſerui, atque in veritate carnis aſpicitis:] Quem me eſſe dicitis? Vbi beatus Petrus Diuinitùs inſpiratus, & confeſſione ſua omnibus gentibus profuturus: [Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui.] Nec immeritò beatus eſt pronunciatus à Domino, & à principali petra ſoliditatem, & virtutis traxit & nominis, qui per reuelationem Patris eumdem, & Chriſtum, & Filium Dei eſt confeſſus, quia vnum horum, ſine alio receptum non proderat ad ſalutem.

Quòd ſiquis Leonem iam quia Romanus Pontifex fuerit, in hac cauſa ſuſpectum iudicet, ſaltem Ambroſ. credat, qui in Luc. ſcribens eamdem ſententiam firmat. Sic enim inquit, petra eſt Chriſtus. Bibebant enim de ſpiritali ſequenti petra, petra autem erat Chriſtus. Etiam diſcipulo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, quod de petra habeat ſoliditatem conſtantię, & fidei firmitatem.

Sed apertius audi eumdem Ambroſ. in lib. 2. de vocat. omnium gen. cap. 9. vbi de Petri pugna cum varia diſſeruiſſet, in hæc verba ſcribit: Quis ambigat, quis ignorat, hanc firmiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur? Numquid non hi pulchrè de nomine conueniunt? Hoc eſt quòd Diuus Hieronymus cap.7. in Amos prophetam, Petrum vocat fortiſſimum adamantem, quodque viris ſit, qui ſteterit ſupra murum adamantinum, & in manu eius adamas. Iam ex his ſanctis Patribus Chriſtum, animam Chriſti fidelem, Eccleſiam, immò & ipſum Petrum petram eſſe, vocarique poſſe conſtanter affirmo, & id me facere quis prohibebitur? Non dico hìc Romanum Pontificem in Euangelio petram vocatum, cum nondum eſſet, cò tamen tendo, vt mihi non neges, ſed meæ immò ſanctorum Patrum ſententiæ accedas, Petrum petram vocari.

Quod ſi conceſſeris, certè dabis ad Petrum Chriſti verba potiſſimùm dirigi, dabis & ſuper hanc petram tamquam caput, & Principem fundatam Eccleſiam. Iam te ridere ſcio, qui aſſeram ſuper Petrum fundari Eccleſiam, cum Petrus homo fuerit mortalis, quare id dici minimè conueniat. Sed ſi ità volueris, indignè dicentur Apoſtoli columnæ Eccleſiæ, cum ſolus Chriſtus vera ſit baſis, atque columna fidei noſtræ. At Hilarius libro 6. de Trinitate Petrum, & Ioannē etiam Iacobum columnas Eccleſiæ vocat. Poſt Paulum. Sicut ergo dicuntur Apoſtoli columnæ fidei, ſic & Petrus petra dicetur. [Quod ſi

iterum indignum iudicaris super eum fundatam Ecclesiam, qui ad vocis ostiariæ vocem negarit Dominum.]

Dein quòd hic sit petra, cui immediatè dixerit Dominus: Vade retro post me sathana, mutabis animum, meliora inueniens. Audi itaque bonis auribus doctissimi simul, ac sanctissimi Pictauiensis Episcopi Hilarij verba. His in psalmo 141. sic habet: Omnium Apostolorum fides vsque ad Resurrectionis tempus fuit trepida, quam in Domino contuentes expectationis suæ securitate firmati sunt. Et hinc illud est à Domino dictum: Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Non enim ait propter mortem, quia licèt se passioni daret, non tamen virtus æterna dolorem passionis exciperet, sed quia Apostolorum metus per humilitatem passionis exortus, adeò vt & firma illa superædificandæ Ecclesiæ petra trepidaret, post mortem & Resurrectionem Domini in eadem trepidatione esse desineret.

Idcirco vsque ad mortem tristis est, postquam trepidirantis fidei essent securitate firmandi. Et idem Hilarius psalm. 52. Conscios Dominus infirmitatis humanæ cum Apostolis dixisset: Omnes vos scandalum patiemini in nocte hac, & beato Petro ter non ad denunciationem damnatæ negationis, sed quia per timorem carnis demutabilis homo, id quòd negaturus esset, amonito neganti quidem, claues tamen Cælorum non ademit; quia cum per trepidationem obrepsisset negatio, voluntati tamen vsque ad martyrium confitenda fides firma non deerat. Vis iam vt ad alterum idem iterum Hilarius tibi respondeat? ecce psalm. 131. sic ait: Nescio an vnigenitus iurauerit. Certè ita gessit, & locutus est omnia, vt sacramento religionis satisfacere videretur. Namque cum quædam de passione locutus ad discipulos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei Filio detestatus esset, Petro, cui superius claues Regni Cælorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, aduersùs quam portæ inferi nihil valerent, quæque in terris vel soluisset, vel ligasset, ea in Cælis, vel soluta, vel ligata persisterent. Huuc itaque tali conuitio detestantem, hoc sacramentum passionis excepit.

Vade post me sathana, scandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, Cælestis Regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem Cæli, sathanæ conuitio nuncuparet, quin etiam in tumultu eo, quo se dedendum passioni præbuerat, cum idem Petrus seruo Sacerdoris gladio aurem abscidisset, ait: Reconde gladium tuum in tecam, calicem, quem mihi dedit Pater, non bibam illum, impium, & prophanum docens esse, si non omnia, quæ erga humanam salutem Patri voluisset, expleret.

Eamdem ferè sententiam habes apud August. in lib. 2. contra secunda Parmeniani epistolam cap. 23. Sed in suo loco profusius ex Cyril. Ambros. & alijs respondere statui, ac monstrare discipulos ante Resurrectionem non fuisse perfectos. Itàque hic repetitum habere volo Petrum sat commodo vocabulo petram esse vocatum.

Nempè in eo tamquam in petra, lapideque firmissimo suam Christum ædificauit Ecclesiam. Et Chrysost. in homil. quæ est de diuite, & paupere, Petrum vocat Principem Apostolorum, super quem Christus fundauerit Ecclesiam, verè petram immobilem. In fine quoque subiungit, quòd is pro hamo piscatorio acceperit claues Regni Cœlestis. Quòd si August. mihi obieceris, repeto quod supra citauimus ex eiusdem.

Sed vt reliquam tuæ obiectionis partem discutiamus, lib. terract. 2. iam de aduentu Pauli in Hierusalem nonnulla præludam. Paulus ad Galath. cap. 1. testatur se post annos tres venisse Hierosolymam. Causam primi aduentus dicit esse, vt videret Petrum, vbi Hieron. dicit eum illuc venisse, non vt oculos, genas, vultumque aspiceret, vtrum macilentus an pinguis, adduco oaso esset, an recto, & vtrum frontem vestiret coma, an, vt Clemens in periodis eius refert, caluitiem haberet in capite?

Nec puto, inquit vltra Hieron. Apostolicæ fuisse grauitatis, vt post tanta triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere, sed his oculis aspexit eum, quibus, & modò in epistolis suis videtur. His oculis vidit Paulus Cepham, quibus nunc à prudentibus quibusque ipse conspicitur. Quòd si cui non videtur cum superiori sensu, inogat hæc omnia, quòd nihil sibi Apostoli contulerint, nam & quòd visus ire Hierosolymam, ad hoc isse, vt videret Apostolum, non discendi studio, qui & ipse eumdem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi. Diuus ille Athanasius Alexandri. Dicit, Paulum honoris gratia vt Petrum spectaret accessisse, & vltra, quòd viserit Petrum, delatum prætendit honorem, quòd secum manserit, charitatis est summæ, & amicitiæ argumentum. Et iterum idem Athan. Petrum spectandi cupiditate Paulus Hierosolymam iuit, adeò illum venerabatur, & coluit.

Sed iam adde, quod est apud D. Ambros. in eadem epistolam, qui hanc rationem reddit: Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum: non vtique, vt ab eo aliquid disceret, qui iàm ab Auctore didicerat, à quo ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum Apostolatus. Et vt sciret Petrus, hanc illi datam licentiam, quam & ipse acceperat. Veniens ergo ad eum, hospitio receptus est; & apud eum mansit diebus quindecim, quasi vnanimus Coapostolus.

Hoc ideò manifestat, vt ostendat concordiam se cum Apostolis habuisse, nec in aliquo dissensisse: sicut susurrabant de eo Pseudo-apostoli, vt eum apud Ecclesias gentium deformarent, & sua mala simplicioribus insererent: dicentes ea conuenire cum doctrina Apostolorum maiorum. Sed quòd post annos 14. rursùs Hierosolymam ascendit. In causa fuit, vt hic sententiam maiorum præstolaretur, non quòd per decem & septem annos falsum in gentibus Euangelium prædicasset, sed vt ostenderet præcelloribus

ribus suis non se in vacuum currere, aut cucurrisse, sicut putauerant ignorantes, secundùm Hieronymum, & Ambrosium.

Habes iàm cur ad Petrum Paulus venerit, & quòd ea sint in laudem Petri non parū: Sed iàm videamus cur tamdiù Petrus sit in Iudæa remoratus, rationem ipse reddit in Actibus Apostolorum cap. 10. Nempè cùm esset in Ioppe, & ascendisset in superiora, vt oraret, circa horam sextam vidit visam visionem satis mirabilem, ex qua aperiens os suū, dixit; In veritate comperi, quoniàm non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, &c. & reuelationem accepit iàm non modò Iudæis, sed & gentibus esse prædicandum,

Paulus etiam, & Barnabas, dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniàm repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. Erat itaque illis primò prędicandum in Iudæa. Huius prædicationis dux primus erat Petrus. Vnde legimus: Surgens Petrus in medio fratrum dixit; Viri fratres, &c. Actorum 1. Et Petrus stans cum vndecim eleuauit vocem, & locutus est illis, Act. 2. Dehinc respondet ad populum, dicens: Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc, Actuum 3. Erat itaque prædicandum primò in Iudæa, à qua si discessisset, & aliquid dubij incidisset, ad neminem alium, quàm Principem Apostolorum id fortè referendum erat: nihilominùs, quis dubitaret eum intereà non potuisse verè dici Principem, & caput Apostolorum?

Hunc Principatum nec Antiochia, nec Roma dedit, sed eumdem habebat à Domino, & super, vel in eo tam firmus erat, ac certus, vt etiamsi Petrus Romam numquàm venisset, supremus denique Pastor post Christum, qui verus est *Archipoimenos*, fuisset & caput Apostolorum: immò hæc Petra, super quam Christus fundauit Ecclesiam: nec per illam absentiam diuturnam hac prærogatiua priuatur,

Siquidem veluti Constantinus diù imperauit, vniuersum Orbem Romanum vnus Augustus rexit, & desedit. Vt August. verbis vtar in libro 5. de Ciuitate Dei cap. 15.

Hic etiam quamquam secundum Orosium, & Eutropium Imperator fuerit annis 31. tamen Romæ non continuò mansit, immò in Bizantio Ciuitate, quàm à se Constantinopolim vocauit, diutissimè sedit, nihilominùs Imperatoris nomen obtinuit.

Ità & de Petro dicere posse.

Vides iàm locum nihil minuere de potestate, gradu, vel honore,

Satis ergo fuerit Petrum esse hanc Petram, super quam Christus fundauit Ecclesiam, & eo veniente Romam, illic principalem fundasse Ecclesiam.

CAP. XI.

Obijcitur eum locum interpretandum ab alijs locis, si Ecclesiam non audierit, &c. *Amen dico vobis*, quæcumq; ligaueritis super terram; *& responsio est datam in primo loco specialem auctoritatem*.

LVTHERVS,

VLterius 18. in plurali nu. dicit non ad Petrum non ad Apostolos, sed ad Ecclesiam dicens. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. [Amen dico vobis quæcumque ligaueritis super terram, ligata erunt, & in cælo.] Accede nunc qui nolles, & hunc cum illo conferre. Ille sonat soli Petro datas claues, hic negat, & non soli datas asserit, quomodo vtrunque stabit? Concordandum est vtique vtrunque verbum, quod idem dixit Christus, Si soli Petro collatæ sunt, mendacium est, quòd hic dicit omnibus collatas. Quis autem non videat hunc posteriorem locum esse interpretem prioris: & in hoc rem non satis esse expositam, illic verò in Petro vnitatem multorum in Ecclesia commendatam? Quin vide quoddam mirabile, illic incipit ab omnibus dicens, Quæ vos me esse dicitis, & finit in vno Petro. Tu es, & tibi. Hìc contra, incipit ab vno dicens, Si peccauerit in te frater tuus &c. & desinit in omnibus, dicens. Quæcumque ligaueritis &c. Nonne clarum est Petrum illic idem voluisse, quod hìc per vniuersos, & claues non esse vnius hominis singularis, sed Ecclesiæ, & vt communitatis firmum sit sacerdotem non suo iure, sed ministerio (quia Ecclesiæ minister est) Ecclesiæ clauibus vti, nec tamquam suis, aut sibi; sed Ecclesiæ traditis, Credo iam hæc fermè fidem factura hanc Matth. auctoritatem neque ad Petrum, neque ad successorem, nec ad vnam aliquam Ecclesiam. sed ad omnes Ecclesias pertinere, quia quis poterit negare illi esse claues traditas, qui, reuelante patre, Christum confitetur, quo posito necesse est, vt vbi sit reuelatio patris & confessio Christi, illic & claues. At hæc in qualitate Ecclesia est, non autem in vllo vno singulari. & incerto homine,

FABER,

Mira hic ex te [speculatis, ea rei minimè conueniunt. Nempè quòd Matt. 18. in plurali numero dictum est; Quæcumque ligaueritis. Hoc propterea factum puto, quia tunc reliquis Apostolis (antea tamen Petro in caput constituto) etiam ligandi, ac soluendi potestatem dare voluit. Vnde ad illos in plurali loquitur. Sed quid sibi vult, quòd Petro Matthæi 16. in singulari, certè crediderim hoc ego non graodi mysterio carere, subestque mysterium aliud, cuius etiam Auctor est Origenes, qui non parum interesse dicit, quòd Petro datæ sint claues in cælis. Hic ve-

rò scilicèt Matt. 18. discipulis datæ sint in cælo tantum. Quod si contenderis, Matth. 16. nulla prærogatiua Petro claues esse concessas, sed quòd ibi sint datę, vel Ecclesiæ, vel reliquis Apostolis. Quid igitur opus erat denuò dare potestatem ligandi, ac soluendi his, quibus re auctore antea dedit? proin frustrà id fiebat, quin & superuacaneum erat. Quare ego non paruifacio, quod me sanctus Euangelicus ordo docet, maximè, quòd potestas ligandi, & soluendi bis data fuit ante resurrectionem, eandem quoque bis post resurrectionem firmatam legimus, quòd vt ista legentes intelligant. En semel ante resurrectionem Petro, & semel discipulis omnibus, primum Petro, vt esset is caput, & Princeps ordinis illius Ecclesiastici, dein discipulis. Alioqui si non illud admiseris, alterum locum dices esse superfluum. Aut enim accipiebant omnes cum Petro, & non erat opus post duo eiusdem Euangelistæ capita potestatem priùs datam renouare potissimum, si non aliquid singulare Petro conferre voluit. Et Ioan. penult. Cum id firmauit per insufflationem, & Spiritussancti acceptionem, si nihil Petrum præ cæteris habere voluit, cur in alio, & maximè sequenti capite sic Euangelium sonat? Dixit Simoni Petro Iesus. [Pasce oues meas.] Dicit ei iterum Simon Ioannis diligis me. At ille: Etiam domine tu scis, quia amo te. Dicit ei iterum, [Pasce agnos meos.] Dicit ei tertiò. Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me: & dicit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei: [Pasce oues meas.] Certè quisquis hæc legerit, & cogitarit, quo ordine, qua ratione præteritis alijs discipulis dominus dixerit, [Pasce oues meas,] nisi sit quouis hebete stupidior, prærogatiuam aliquam in recompensam præcipui amoris Petro quæsitam ac datam esse, intelliget. Tu ergo crede, vel assere quicquid volueris. Chrysostomus Auctor, & sanctus & multorum annorum (vixit namque circiter annum domini quadringentesimum, sicut & ipse testatur homil. 9. epist. ad Hebræos) mea non sine maiestate confirmat. Nempè is in hom. 48. super Matth. Petrum cæteris præpositum restatur. Et in homil. 22. vocat eum Ecclesiæ præsulem. In homelia verò 87. in Ioannem dicit: illi Orbis terrarum curam demandatam esse. Et beatissimus Leo scribens Maximo Antiocheno Episcopo, Petrum vocat præcipuum Apostolorum, omniumque beatissimum, & non in vno loco summum eum vocat pastorem. Diuus etiam, ac magnus Gregorius, quem verè sanctum virum nemo negabit, in secunda parte curæ pastora, eum primum pastorem vocat, nec hunc facilè reiiciendum puto. quem tot sæculis approbauit Ecclesia. Iam enim nongenti. & plures elapsi sunt anni, quando mortuus est. Anno enim quingentesimo, ac nonagesimo Cathedram Apostolicæ Sedis possedit, & secundo anno Phocę Imperatoris, qui erat à natiuitate Domini sexcentesimus quintus, mortuus est. Cum ergo Petrus cæteris præpositus sit, meruetitque dici Ecclesię præsul, & in aperto sit hunc habuisse totius Orbis terrarum curam demandatam non ab homine aliquo, qui dumtaxat ore fuerit liberalis, aut in aere natus, sed ab eo, qui solus, & verè dicere potuit. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. Sic denique præcipuus, ac summus Apostolorum, primusque pastor. Hæc quoque epitheta, nec de Ioanne Iacobo, aut quouis alio dicantur Apostolo, immò exploratissimum est, quod hæc de nullo alio Apostolorum dici potuerint, non aliud mihi facilè persuadebis, quod credam, quàm quod patres illi, qui meditati sunt in lege domini die, ac nocte solo afflati Spiritu sancto hæc magna epitheta ex Christi verbo, quod est Matth. 16. ac Ioannis vltim. suxerint, atque posteritati scripta reliquerint. Sed vt mea validiùs firmem, Cyprianum in duobus locis in medium citabo. En in epistola, quam scribit ad Iubaianum de hereticis baptizati ità scriptum legimus; Petro primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde humanitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit. vt id solueretur in terris, quod ille soluisset. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, hoc cum dixisset inspirauit, & ait illis, Accipite spiritum sanctum, si cuius remiseritis peccata, remituntur illi, si cuius tenueritis, tenebuntur. [Vnde intelligimus non nisi in Ecclesia præpositos, & in euangelica lege, ac dominica ordinatione fundatos licere baptizare, & remissam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid, nec solui. vbi non sit, qui aut ligare possit aliquid, aut soluere, hęc Cyprianus Quis non videret hic, nisi talpeus esset Cypr. inter Petrum. & Apostolos fecisse discrimen? quòd certè facere potuit euangelicæ historiæ ordine pensato, Sed vt adhuc veritas clarior appareat, eumdem audi Cyprianum ad Quintinum ità scribentem. Nec Petrus inquit, quem dominus primum elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis. & posteris sibi potiùs oportere. Hæc Cyprianus. Ex his verbis constat Petro primatum esse dandum, quem & negare veritati absonum esse duxerim. Sed quod imaginatis, Ecclesiæ claues esse datas, id facilè credam, & quod idem ipse asserem, iamdudum intellexisti. Tamen eo adiecto quòd Petro tanquam capiti datę sunt claues. propterea sexto libro de trinitate dicit Hilarius. Post sacramenti confessionem, beatus Simon ędificationi Ecclesiæ subiacens, & claues Regni cælorum accipiens &c. Stabit ergo quòd Ecclesia, & nos sacerdotes, iuxtà verbum Ambrosij toties citatum in Petro, claues suscepimus omnes. Sed cum sacerdotem non suo iure, sed ministerio Ecclesiæ clauibus vti asseris. Et rectè, præterire non possum, vt non pro intellectu clauium hic quædam contrà tuarum conclusionum resolutiones interseram, Hieron. in Esaiam cap. 4. Non idem est, inquit, solui peccata, atque dimitti, cui enim dimittuntur: solutione non indiget, audiens in Euangelio. Confide filia: dimittuntur tibi peccata tua. Cui autē soluuntur, properea soluūtur quia purgata sunt, & soluta per

pænas

nas,ex quibos habeo dimittere peccaea solius Dei esse. Quod & Euangelium Marci 2. me docuit. Sed quid, & quomodo soluat sacerdos, an suo, vel alieno iure, & quid potestacis habeat? iam audiamus Aug. in Euang. Ioannis tract. 49. qui sic ait. Cum processisset mortuus adhuc ligarus coufitens, & adhue reus, vt soluerentue peccara eius ministris hoc dixit Dominus. Soluite illum, & finite abire. Quid est Soluite: & finite abire? Quæ solueritis in terra, soluta erunt, & in cælo. Et Basilius de remissione peccatorum sic ait. Proprium Dei est peccata dimittere, cum ipse dicat. Ego sum, qui deleo peccata tua, Et si fueriut peccata vestra. vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. & si fuerine rubra quasi vermiculus, ve lana alba erunt. Propterea Deus Dei filius Iesus paralitico peccata dimisit diceus. Fili dimittuntur tibi peccata tua, qua in re à Iudæis, qui Deum ipsum esse nesciebant, blaphemare putabatur, dicentibus, ipse blasphemat. nullius enim est dimittere peccata, nisi solius Dei. Dominus autem sanctis Apostolis insufflatus iuquit. Accipite Spiritum sanctum, quorumcumque dimirteris peccata, dimittentur eis. Si ergo nullius est peccata dimittere, sicue certè nullius est, uisi solius Dei. dimittie autem per Apostolos. Declarat illud idem Ambr. in 3. de fide cap. 6. sic dicens. Quomodo potest non in potestate habere, quod douat, dicens. Tibi dabo claues Regni cælorum? Et vide distantiam, seruus aperit, Dominus largitue, ille per se, iste per Christum famulus claues accepit. Dominus ordinar potestates, aliud ius donantis, aliud dispensanris obsequium est. In libro denique de apologia Dauid cap. 13. Idem Ambro. pulchrè tradit: peccata aut donari: aut deleti, aut regi. Donatur inquit peccatum per graciam, deletur per sanguinem crucis, tegirur per charitatem. Idem Ambr. in 2. epist. ad Cor. c. 2. Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi hoc dicto grauae illos, quia si magister, petentibus discipulis, donauit, cui voluerint, peccatum, quantò magis obaudire debent discipuli magistro? Et vt ratum ei, cui donauit, ostenderet apud Deum, ait in persona Christi se donasse, quod donauit, hoc est accepto tulisse Christum, cuius legatione fungebatur, vt factum Apostoli, factum sit Christi: sicut dixit. Quæcunque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo.

Ferè simile circa potestatem curandi ægrotos Hieron. habet Matth. cap. 10. dicens Benignus, ac clemeus Dominus, ac magister non iuuidit seruis, atque discipulis virtutes suas, & sicut ipse curauerat omnem languorem, & omnem infirmitatem, Apostolis quoque suis tribuit potestatem, vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Sed multa distantia est iuter habere, & tribuere; donare, & accipere, iste quodcumq; agie; potestate Domini agit, illi siquid faciunt, imbecillitatem suam. & virtutem Domini confitentur diceutes, In nomine Iesu surge, & ambula. Sed ad priora redeuntes, accedit & his omnibus verbum Chrysostomi asserentis, quia ea, quę operati fuerint sacerdotes deorsum: Deus confirmet in cælis; sententiamq; seruorum Dominus ipse corroboret Cum ergo sacerdotes potestatem ligandi, soluendique habeant, idque in persona Christi faciant, debebas in alio quodam opere tuo sacerdotes digniori tractare præconio, quàm feceris, immò non adeò laicis, qui nobis alioquin oppido infesti sunt, facere exosos: & quod ad rem huc minimè pertinebat, non debebas in libro, quem ad Germaniæ nobiles scripsisti, omnes Christianos absque omni discrimine facere sacerdotes, eosque propterea laicis facere subiectos. Videamus obiter itaque hoc tuum dictum quomodo subsistere possit, tuam opinionem firmasti ex epistola priori, quam scripsit Petrus, cap. 2. sed huc non pertinebat, quod probas. Numquid non Exod. 19. dixit Dominus ad Mosem, & populum Israel: *Vèatem tiheu lo mamlecbet behanim vegoi Kados* idest: Vos eritis mibi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Si hìc de omni tribu sacerdotes facti fuerunt, quid oportebat certum ordinem habere leuitarum, & sacerdotum? Erat igitur Domini verbum in alio sensu capiendum. Nempè laici sacerdotes non erant, neque secundùm literam sacerdotij nomen merebantur. Irà, & in noua lege aliud est, dum Christianum hominem sacerdotem dicis, in allegoria, seu sensu spiritali. Er aliud dum secundùm ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ quempiam sacerdotem asseris. Possem hìc addere, quod est in l. 1. ff. de insti. & iure, vbi & iureconsulti sacerdotes appellantur. Sed ne tua prorsus damnem, interim ramen, & veritatem monstrem, scio quòd Arhanasius 2. epistola ad Corinth. Leo quoque beatissimus in sermone 3. de anniuersario Pontificiæ suæ assumptionis die. Ex hoc Petri dicto nos omnes sacerdotes esse, & vocati dicunt. Sed quale sacerdotium est illud, certè allegoricum, & spiritale. Vis ad hæc audire sententiam Ambrosij? Ecce sanctus ille vir in 4. libro de Sacramentis declarat: Populus, inquit, ipse, quid est, nisi gens sacerdotalis, quibus dictum est: Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, geus sancta: Vt ait Apostolus Petrus: Vnusquisque vngitur in sacerdotium, vngirur in regem: sed spiritale regnum est, & sacerdotium spiritale. Illud idem Origenes habet in homilia 4. super leuit. vbi sic ait: Igneas tibi quoque, idest omnium Ecclesiæ Dei, & credentium populo sacerdotium datum. Audi quomodo Petrus dicie de fidelibus: Genus inquit electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem. Et Cyrillus in Leuit. lib. 4. Tu si vis esse sacerdos Dei, sicut scriptum est: Omnes vos sacerdotes Domini eritis. Et ad te dicitur, gens sancta, sacerdotium, populus in acquisitionem. Si ergo sacerdotium vis agere animæ tuæ, numquam recedat iguis de altari tuo. Et idem in eodem leuitico lib. tamen 9. Omnes quicumque vnguento sacri chrismatis deliburi sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut Petrus ad omnem dicit Ecclesiam: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Estis ergo genus sacerdotale, & ideò accederis ad sancta. Sed, & vnusquisque vestrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat, Hieronym. ad Euagrium: Ipse rex,

atque

atque facerdos nobis donauit, vt fimus genus regale, & facerdotale, & quafi angularis lapis parietem vtrumque coniunxit. Et idem in Efaiam 6. Nos fumus, & tribus, & gens Domini regale, & facerdotale; qualis fuit, & Abraam, qui rex appellatus eft, & cæteri fancti, de quibus fcriptum eft: Nolite tangere Chriftos meos. Sed hoc quomodo intelligi oportet? certè, vt fit allegoricè dictum; non vt baptifmus omnes pares reddat, aut faciat. Quare, vt & apertius oftendam quale fit hoc facerdotium, en vno verbo totum habes, fcilicet, quòd baptifma non fit fimpliciter (vt aiunt) fed laicale, feu laici facerdotium. Ita Hieronym. aduersùs Luciferianos, ac alibi hoc facerdotium vocat. Quod fi nullum difcrimen eft facerdotij noftri in comparationem illius, quo tu tua corroboras, dic quæfo mi Luthere, quare Hieronym. baptifma facerdotium laicale toties vocat? An non tibi obijcere poffem, quod & alibi Hieron. habet: Si baptifma facit æquales omnes, quid inter fcortum, ac Virginem, inter iuftum, & impium demum intererit? Habes, & deinde Orig. qui tradit quo pacto in hoc facerdotio viuendum fit, dicens: Quia gens facerdotalis es, & ideò offerre debes Deo hoftiam laudis, hoftiam orationum, hoftiam mifericordiæ, hoftiam pudicitiæ, hoftiam iuftitiæ, hoftiam fanctitatis. Quis poft hæc dubitatit ità hoc Petri intelligi dictum, vt non fit hoc facerdotium fpiritale, non fitvnctio fpiritalis, & non fit allegorica, vel tropica locutio? Allegoria enim quid aliud eft iuxta verbum Auguft. 15. de trinit. cap. 9. nifi tropus, vbi ex alio aliud intelligitur. Licèt etiam fit, vt Ambrof. de Abraam lib. 1. cap. 4. ait, cum aliud geritur, aliud figuratur. Sed quis nefcit iuxta dictum Aug. 3. lib. de doct. Chrift. cap. 5. in principio cauendum effe, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apoftolus: Litera occidit, fpiritus autem viuificat. Cum enim figurate dictum fic accipitur, tamquam propriè dictum fit, carnaliter fapitur, neque vlla mors animæ congruentius appellatur, quàm cum id etiam, quòd in ea beftias antecellit, hoc eft, intelligentia carni fubijcitur, fequendo literam. Qui enim fequitur literam, translata verba ficut propria tenet, neque illud, quod proprio verbo fignificatur, refert ad aliam fignificationem.

Cum itaque in hoc Petri verbo fit intelligentia fpiritalis, fic enim, tefte Hieronymo, allegoria dicitur, immeritò fubinfers ea propter facerdotes laicis fubijci debere, immò in totius cleri odium etiam fi ad literam accipias Petri verba, nihil aliud ipfe fubinferre poteris, quàm quòd baptifmus omnes in poteftate pares faciat. Et iam quomodo ftabit hoc verbum Domini? Date Cæfari, quæ Cæfaris funt, & omnis anima poteftatibus fubdita, obedite præpofitis veftris, & cætera id genus præcepta. Te itaque fufpectum reddis omnibus, quafi turbæ adblandiri velis, modò Chrifti Domini ruant, & è folijs præcipitentur, ità vt impleas, quod alibi teftaris, tem ceptam ex inuidia. Sit itaque neceffe hanc per inuidiam terminari, quod quàm Theologicum profefforem fpiret, iudicent alij. Hæc non eft fapientia defurfum defcendens à patre luminum. Siquidem illa eft pudica primum, deindè pacifica, modefta &c.

CAP. XII.

Obijcitur ex eo, quod Petro poft commendationem dictum eft: Vade poft me Sathana, non enim fapis, quæ Dei funt, fi ergò hæc non pertinent ad Romanum Pontificem, nec alia, & refpondetur ibi ex Patribus.

LVTHERVS.

Qvod, vt Chriftus nobis commendaret, ftatim poft gloriofam iftam Petri commendationem Petrus prohibuit, ne moreretur audiuit: Vade poft me Sathana, non enim fapis ea, quæ Dei funt. Quid hoc eft, non fapit Petrus, quæ Dei funt, nonne pater reuelauit ei? Si hæc ante commendationem Petri facta fuiffent, aliquid momenti haberet Petrum pro fua, & fucefforum, aut vnius Ecclefiæ perfona fuiffe commendatum. At nunc cum poft commendationem vituperetur, vt ignarus Dei, clarum fit illum fuperiorem Petrum, qui claues accepit, non fuiffe Petrum filium Bariona, fed Ecclefiam filiam, quæ verbo Dei genita verbum Dei audit, & confitetur perfeuerantet in finem, non aliquando non fapiens, quæ Dei funt, & retro abire iuffa, ficut Petrus. Aut fi hoc ad Romanum Pontificem, & Ecclefiam pertinet, quod ad Petrum dicitur: Tibi dabo, iam irrefragabili fequela etiam ad eamdem, & illud pertinebit: Vade poft me Sathana, non enim fapis, quæ Dei funt, quia & hoc ad Petrum Romanæ Ecclefiæ futurum Epifcopum dicta funt. Aut fi hæc non ad fe pertinere putant, iam nulla ratione conuenire poffunt ea, quæ fuperiùs dicta funt, ad fe pertinere.

FABER.

Si mi Luthere hic fanctorum patrum fententias penitius intueamur, facilè veritatem eruemus. Quare vt ea melius diluam, hic non obfcuros, fed magni nominis auctores citabo, inter quos primus fit Origenes. Is fiquidem in homilia 3. in Matth. ita fcribit: Qui putant Petrum, vel cæteros Apoftolos ante paffionem Chrifti fuiffe perfectos, & liberos ab omni fpiritu alieno, dicant quomodo eos eripuit à maligno, vel vnde eos redemit præciofo fanguine fuo? aut dicant in tempore transfigurationis Chrifti, vnde erant grauati fomno, ficut exponit Lucas, aut certè (vt ad præfentem expofitionem præterita reuocemus) putas, eft, vt aliquis fcandalizetur in Chrifto, fine operatione diaboli fcandalizantis? Et poteft aliquis denegare Chriftum, & hoc in confpectu ancillulæ oftiatiæ, & in confpectu abiectorum, nifi fuerit inimicus, & denegatur fpiritus eum fpiritu, & fapientia, quæ datur eis, qui adiuuantur à Deo

fecun-

secundùm æquam animæ dignitatem ad contendum. Si ergo ita est, ne forte ille spiritus, qui voluit quantum ad se Christum scandalizare, vt recederet à passione omnibus hominibus salutari. Ipse etiam operans hic seductoriè vult auellere Christum sub colore boni, vt non condescendat hominibus, nec veniat ad eos, nec suscipiat mortem pro eis, sed remaneat in monte excelso cum Mose, & Elia, hæc Origenes. Et Hilarius Pictauiensis: Vt Dei munus est Christum in spiritu Deum nosse, ita zaboli opus est Christum in homine nescire, atque eiusdem periculi res est, vel corpus dicere sine Deo, vel Deum sine corpore, corpus autem carnis huius in æternitate spiritus Dei nullum est. Verùm humanæ salutis causa Christus in corpore est, quod assumpsit ex homine. Igitur post prædicationem passionis accipiens Diabolus fa- facultatem (vsque ad tempus enim ab eo secesserat) quia incredibile satis Apostolis videretur, eum in quo Deus erat passibilem, sumens hanc humanæ infidelitatis occasionem opinionis istius, Petro infirmauit affectum. Denique ita passionem detestatus est, vt dixerit, absit, quo verbo rerum detestandarum execratio continetur. Sed sciens Dominus zabolicæ artis instinctum, Petro ait: Vade retro post me, idest vt exemplo passionis se sequatur, in eum verò, per quem opinio hæc suggerebatur, conuersus adiecit: Sathana scandalum mihi es. Non enim conuenit existimare Petro Sathanæ nomen, & offensionem scandali deputari post illa indultæ, & beatitudinis, & potestatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis Diaboli opus est, Petri responsione, Dominus offensus cum opprobrio nominis infidelitatis istius est detestatus auctorem, hæc Hilarius.

Hieronymus in Matthæum, c. 4. Non, vt plerique putant, eadem Sathanas, & Apostolus Petrus sententia condemnantur. Petro enim dicitur: Vade retro me Sathana, idest sequere me, qui contrarius es voluntati meæ. Hic verò audit: Vade Sathana, & non ei dicitur retro me, vt subaudiatur, vade in ignem æternum, qui præparatus est tibi, & Angelis tuis. Et Origenes in homilia prima super Matthæum ait in hæc verba: Simul autem considera differentiam verbi, quoniam ad Petrum quidem dixit: Vade post me Sathana. Ad Diabolum autem dicentem sibi: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: Dixit: Vade Sathana, sine additamento post me. Nam ire post Iesum bonum est, propterea secundum Marcum sic dicit: Vidit Simonem, & Andream fratrem eius, & dixit eis: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Tale est etiam illud, quod dicit: Siquis non tollit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et vt breuiter dicam, considera vbicumque dicitur verbum post me in bono dicitur. Bonum est enim quando quis post Dominum vadit. Contrarium autem quando aliquis reijcit sermones Domini post se, vel qui transgreditur illud mandatum, post concupiscentias tuas ne vadas. Item Elias in tertio regnorum libro ad populum dicit: Vsquequo claudicatis vos vtrisque pedibus vestris? si Dominus est, ite post eum: si autem Baal Dominus est, ite post illum. Hæc autem dicens propter quod diuertebantur ad Diabolum, quia ipse est Sathanas: & non vade ante me Sathana ad Petrum ait, sed vade post me Sathana, & hoc dicit Petro Iesus conuersus ad eum. Nam & hoc prodificans ei fecit. Et beatus is fuerit, ad quem conuertitur Christus, etiam si corripiendi causa conuertitur, sicut conuersus est ad Petrum. Et Hieronymus in Esaiam, cap. 53. Non necessitate Crucem, sed voluntate sustinuit dicens in Euangelio: Calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum? Et ad Petrum, qui scandalizabatur à crucis nomine, qui non nouit mysterium, & humano pauore trepidabat: Vade retro me &c.

Vides hic ergo mi Luthere nihil subesse periculi vtrumque locum referri ad Petrum, quod certè faciunt hi, quos proximè citauimus. Facit & id Aug. 22. lib. contra Faustum cap. 68. Sed & Chrysostomo in hac parte plurimùm tribuo, qui vtrumque locum in Petri personam refert. Non enim, inquit idem intelligentibus Discipulis, passionem, atque Resurrectionem Christi timebant eum interrogare. Petrus autem iterum ex feruore solus audet ea de re quicquam dicere, neque id palàm, sed sigillatim, atque seorsum alijs remotis Discipulis propitius inquit: Tibi esto, nec fiat tibi hoc. Quid nam ò Petre hoc est, tu qui reuelationem desuper habuisti, qui beatificationem consecutus es, cui claues Cœlorum traditæ, tàm citò adeò grauiter lapsus cecidisti, vt passionem pertimueris? Cur mirum tibi videtur, inquit, si ea te id passus sum, de qua nil reuelatum est? Hunc certè clarè videmus non à se ipso, sed ex reuelatione illa dixisse: quia in his, quæ reuelata non sunt, turbari, & turbare, & centies audiendo non sentit, quod dicitur, dicit certè, quia filius Dei est. Quid autem mysterium Crucis, & Resurrectionis sibi velit, nondum didicit, erat, ait, occultus ab eis hic sermo, perspicis, quia iure mandauit, ne in publicùm hæc efferrentur. Vbi enim isti turbantur, quibus hæc necessariò committuntur, quid non paterentur cæteri.

Ipse verò, vt ostenderet spontè se ad passionem venire, increpauit Petrum, & Sathanam appellauit. Audiant quicumque passionis Christi Crucem verecundantur. Nam si Apostolorum vertex etiam antequam Crucis mysterium disceret, Sathanas vocatus est, quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prædicatam Christi Crucem negare audent? Nam siquis à Deo beatificatus fuerat, Petrus, qui & ex reuelatione fuit veritatem confessus, sic acriter increpatur, quo supplicio cruciabuntur, qui Crucis mysterium non suscipiunt? Nec dixit, quia Sathanas per te locutus est, sed vade post me Sathana. Hæc enim illius oppositi cupiditas erat, ne Christus è morte resurgeret, idcircò sic vehementer increpauit, quia sciebat tam ipsum, quàm cæteros valdè id formidare, nec facilè posse audire: quocircà & mentis eius arcana reuelat dicens: Quia non sapis ea, quæ Dei sunt, &c. Et iterùm Hilarius decimo de Trinitate. Ob ignorantiæ errorem, inquit, & Sathanas Petrus, & scandalum est, & ille quidem per charitatem Christi, quam ei nec caro, nec sanguis, sed Pater, qui in Cœlis est, reuelauerat,

rat, detestatus passionis sacramentum tali seueritatis sententia confirmatus ad fidem est. Iam mi Luthere ex Origene, Hilario, Chrysostomo,& Hieronymo vides vtrumque Euangelij locum de Petro debere, & posse intelligi. Et cur post reuelationem factam Petro dictum sit: Vade post me Sathana, mihi scandalum es. Nempe nondum nec ipse, nec reliqui erant Apostoli perfecti, immò, vt Origenes inquit, Petrus adhuc plumbeus erat, & fieri potuit, vt reuelationem haberet Petrus à Patre, qua profiteretur Christum esse filium Dei viui, attamen lateret eum hoc magnum mysterium, quo Christus voluit pro salute Generis humani crucifigi, & tertia die resurgere.

Quod vt ista legentes intelligant, numquid non Patriarchæ Isaac apparuit primò Dominus in Geraris, & locutus est, ac benedixit illi in Bersabee multa promittens? tamen post hæc non nouit venientem Iacob dans illi pro Esau benedictionem. Et Samuel Propheta; numquid non primo Regum sexto decimo pro Dauid voluit vngere Heliab filium Isai? Aut mentitur Helisæus 4. Reg. 4. dicens: Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. His sacris historijs hoc inest, quòd sit possibile sanctum aliquem vnam à Deo visionem, aut reuelationem habere, & hanc etiam perfectè intelligat, aliam verò non habeat. Ità Isaac, Samueli, ac Helisæo contigisse vides. Quod itaque de illis, hoc & de Petro dicere possumus, qui reuelationem professionis habuit à Patre, vt profiteretur Christum filium Dei viui; tamen ab eo passionis mysterium celauit Dominus. Accedit ad hoc, si Apostoli errare potterant, & labi circa incommodum Euangelij, & iacturam fidei,etiam post Christi in Cœlum ascensionem. Vt post omnes ille noster Erasmus in annotatione in Matth. capit. 2. pulchrè ostendit. Nimirùm si Petrus ante vltimam Spiritus sancti missionem ex humano affectu quædam non probanda dixerit ad Christum, potissimùm quando ex pietatis affectu prodierant. Nihil ergo curandum est, quod hic times;hebraicè tibi obijcio, *Sam pachadu pachad lo haiah pachad.*

CAP. XIII.

Arguit Lutherus. Si ad solum Petrum dictum est: Tu es Petrus, *ergo non pertinet ad Successores. Respondet Faber, esse argumentum nullius prorsùs roboris.*

LVTHERVS.

Sed age latiùs, si omninò ad rigorem illum grammaticum se recipiunt, quòd soli Petro dictum est: [Tu es Petrus, tibi dabo claues, &c.] Quomodo resistemus hæreticis, siqui hoc nostro rigore verborum sic nos vrgeant, & dicant: Esto ad solum Petrum hæc dicta sint, ad successores ergo Ecclesiæ claues non venerunt, sed cum Petro abierunt. Vbique ergo nunc Ecclesia. Non enim ad plures pertinere potest, quod ad vnum dicitur, sicut illud: Cùm iunior esses cingebas te, &c. quod ad solum Petrum irà dictum est, vt cum Petro completum, & functum ad nullum successorem eius pertinens. Si autem ad successores, & aliquam Ecclesiam dictum est, Iam nulla ratione probari potest, quin ad omnes dictum sit, immò necessaria ratione ad Apostolos omnes, qui præsentes erant, magis quàm vnius Petri successores, qui nondum erant, dictum acciperetur. Quod si ad omnes Apostolos, Iam etiam ad omnium Apostolorum,& non vnius Apostoli successores dictum intelligitur.

FABER.

Nullum hæreticorum tam bardum, & stupidum esse crediderim, qui hoc argumento vtatur. Nam vt Hieronymus in Osee habet capitulo decimo. Hæretici plerùmque sunt homines acuti, & eorum terra fœcunda est, qui adeò acumen sensus, & ingenij percipientes, vt bona naturæ in Dei cultum vertetent, fecerunt sibi ex ijs idola. Nullus etiam potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenij est: & habet dona naturæ, quæ à Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus: talis Bardesanes, cuius etiam Philosophi admirantur ingenium. Isti ergo terræ suæ bona vertetunt in titulos mortuorum, quia omnis doctrina eorum non ad viuentes refertur, sed ad mortuos, tam eos, quos colunt, quàm illos, quos decipiunt. Vnde & Hieron. in Esaiam 65. dicente: in falsitate dogmatum suorum omnis hæreticus offert immunda sacrificia, nequaquam firma, & mansura perpetuo, sed instar hortorum virentia, & hæretici ingentia pollicentur; sicut est apud eumdem Hieronymum in Hieremiam capitulo decimo. Et simulacrum vani cultus de suo corde confingunt, iactant grandia, & ad decipiendos singulos, quosque quasi aureis sensibus, & eloquij splendore fulgentibus imperitorum obstringunt aciem, & à suis inuentoribus sublimantur, in quibus nulla est vtilitas, & quorum cultura propriè gentium est, & eorum, qui ignorant Deum.

De his etiam quasi verbum Dei adulterantibus Irenęus in primo libro cap. trigesimo sic ait: Et ij, qui quomodo adulterant veritatem, & præconium Ecclesiæ lędunt, Simonis Samaritani Magi discipuli, & successores sunt, quamuis non confiteantur nomen magistri sui ad seductionem reliquorum: attamen illius sententiam docent Christi quidem Iesu nomen tamquam irritamentum proferentes. Simonis autem impietatem variè introducentes mortificant, multos per nomen bonum sententiam suam malè disperdentes, & per dulcedinem, & decorem nominis amarum, & malignum principis apostasiæ serpentis venenum porrigentes. Cum ergo hæretici tam ingeniosi, & acuti sint, quomodo hoc argumento tam futili, & ptorsus vmbratili vti auderent? Illis etenim pari argumento obijcere possemus: Apostolis datæ sunt claues, & Apostoli mortui sunt, ergo successores claues non habent. Stabit ergo, quòd Hieronymus in Hieremiam habet: hæ-

tc-

retiorum vmbræ ad tempus præualent, sed longo tempore corrumpuntur. Cùm itaque hoc tuum argumentum nullo robore fulciatur, hoc vnum tibi totum elisum, atque responsum esse velim, quod contra te aperto marte pugnat Diuus, ac Barbatus ille Pater Hieronymus in Prophetam Abdiam capitulo primo, cuius verba, vt laconissimo studeam, omittere placuit, hunc ad manum habes.

CAP. XIV.

Ex eo, quod remanet potestas, moriente Papa, arguit Lutherus, remanere in Ecclesia, non in Papa, & respondet Faber, accipere, vt Successorem Petri.

LVTHERVS.

Sed respondeat mihi, qui potest. Quisnam credendus sit habere claues etiam in Romana Ecclesia, an ipsa Ecclesia, vel Papa? & attende, quod dico, quando Papa eligitur, an secum adfert claues, vel non. Si adfert, ergo erat Papa, antequam eligeretur: si non adfert, à quo accipit, numquid ab Angelo de Cœlo, nonne ab Ecclesia aufert eas secum? Si non aufert, cui relinquit nisi Ecclesiæ, à qua accepit? Quid igitur potest dici contra hanc enidentissimam experientiã optimam Euangelij interpretationem? claues nec Petro, nec successori, sed soli Ecclesiæ datas, à qua tamquam minister accipit, vsurus eis Sacerdos. Vbi nunc est, quòd soli Petro dictum esse putatur: (Tibi dabo claues?) Immò vbi nunc est, quòd soli Ecclesiæ Romanæ claues datæ sunt? necesse est, vt in qualibet Ecclesia claues sint, vt dixi supra.

FABER.

Dic mihi Luthere, vnde Petrus, vnde, Ecclesia, vnde Apostoli, & omnes Discipuli claues acceperint? numquid non à Domino? certè à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ità hîc forsan absque periculo dicere possum, quamprimùm Pontifex ritè fuerit electus in prima institutione Christi, ac ordine Ecclesiæ. Iam vt successor Petri claues accipit: & hinc quod donat donat in persona Christi, quod & supra ostensum est. Itidem de quouis Episcopo dici potest, ac debet ità à Domino, & in Ecclesia claues, cuiuis Ecclesiæ traduntur? Sed vt tibi ostendam ità fieri posse, ac oportere, assumam historiam, quæ est in Actis Apostolorum cap. 1. vbi exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius: & hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius, & notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, itaut appellaretur ager ille lingua eorum acheldemach, hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alter.

Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem, quo assumptus est à nobis testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum huius ministerij, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. Numquid non hic Matthias Episcopatum accepit, & cum vndecim annumeratus est, illique traditæ sunt claues? A quo ergo accepit, dicito quæso? certè à Domino. Hanc itaque clauis receptionem, quam in Matthiæ electione concedimus, Pontifici Romano, tamquam successori Petri auferre non possumus, neque debemus: sicuti nec reliquis ministris Ecclesiæ successoribus, teste Cyrillo in Ioannem lib. 7. auferre possumus. Ea de causa, & idem Cyrill. in 2. lib. thesaurorum: Petrus inquit, pascite gregem Dei, qui in vobis est sapienter à Domino, Petrus filium Dei Deum esse asserit. Qui cùm audisset à Saluatore nostro Iesu Christo Simon Ioannis diligis me? pasce agnos meos. Et rursùm: Pasce oues meas, similia successoribus suis scripsit præcepta, & gregem Dei Saluatoris fideles appellauit: nec per carnem, aut sanguinem, sed desuper ab ipso Petro Dei ministerium, &c. Hæc Cyrillus.

Vides modo, quo pacto Pontifex Rom. claues obtineat. Sed lubet tecum commentari profusius, vt parergis quibusdam vtar. Doleo vices tuas non parum, qui non verearis sacramentum ordinationis dicere figmentum, quòdque sacerdotes sint idola quædam vncta. Hæc tua assertio sacerdotum, & gradui, & honori nonnihil detrahit. Vndè quid in hac te ego sentiam, breuissimè dicam. In tua captiuitate sacramentum esse dicis, vbi sit gratiæ promissio, age videamus in ordinatione, an gratia detur, respondeat ad id nobis testis reuera fidelis Diuus Aurelius Augustinus, qui certè contra te primò pugnare videtur in libro q. ve. & no. test. q. 93. vbi sic ait: Quid insufflasse in Discipulos Dominum legitur, post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse: Accipite Spiritum sanctum; Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse, quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum regnntur. Idcircò cum regula, & forma eis traditur huius Disciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum sanctum. Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit dicens: Cuius tenueritis peccata, tenebuntur, cuius remiseritis, remittuntur ei.

Inspiratio hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam

quam commendatiores habeantur. Vndè Apostolus dicit 2. ad Timoth.1. Noli inquit negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri. Semel ergo fieri opportuit, vt de cætero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data est visibiliter, vt post baptismum Spiritus sanctus credentibus de cætero inuisibiliter dari non ambigeretur, ita & in supradicta causa forma data est in principio, vt ex eo traditioni ecclesiasticæ Spiritus sancti infusus credatur. Hæc August. Ex quibus verbis, ego concludo in hac ordinatione dari gratiam, ac deindè ordinationem esse sacramentum. Taceo hîc de charactere, quem tu negandum esse putas. Scholastici videriuc simul, ac Canonistæ hîc quomodò sua tueantur. Ego firmiter id credo, ex ordinatione plurimum discriminis accedere inter laicum, & presbyterum ritè ordinatum, nec te temè fecisse iusta immortalitate dignam puto, vbi passim in Dei Sacerdotes, tàm acerbè inueheris, qui & quibusuis canibus iam inter Germanos (heu te auctore) sunt redditi viliores. Dic mihi an non; & Paulus tradiderit quemadmodum Melchisedech Abraam ipsum præstater? Et nonne perspicuum est potiores hos, & honoratiores extitisse, qui decimas in veteri lege accepetant? Qua enim alia de causa fieret, vt populus operi, & labori intenderet, & sæpè calamitatibus multis afflictaretur (sacerdotibus ipsis orantibus, nec terram colentibus) ex omni, vel fructuum, vel animantium genere dependeret decimas, nisi quia & sanctiores sunt, & operi maiori intenduut. Tanti est præcellens sacerdotij dignitas, & adeò sunt, qui eo funguntur fratribus suis sublimiores, quòd si hoc sub nube, & quando Patres sub velamine fuerunt, ordinabat Dominus: quare noo & Euangelico sacerdotio longè eminentiori sanctiora, ac honorariora tradita esse existimemus? Sed alio in loco tecum locupletiùs ea de re forsan agemus: interim nolito tangere Christos Domini Dei tui.

CAP. XV.

Obijcitur ex eo, quod Petrus quando claues accepit, non erat Episcopus Romanus, & sic accepit vt Apostolus; Respondetur autem quod fuit Episcopus, & Princeps Episcoporum.

LVTHERVS.

Adhuc vnum dicam, vt vtar Apostoli argumento ad Rom.4. vbi probat ex circumstantia temporis, & sancti Abraam, noo ex circumcisione, sed ex fide iustificatum, oulla alia ratione vsus, quàm quod Abraam antè circumcisionem fuerit iustus apud Deū per fidem, si hoc eius argumentum valet: sicut necesse est valere, necesse erit, & hoc valere qnod nunc produco in huoe modum. Petrus quando claues accepit à Christo (si omninò personam eius solam contendis accipere) nondum erat Episcopus Vrbis Romæ, immò propriè numquam fuit Episcopus vllius Ciuitatis, sed Apostolus Episcoporum institutor maior omnibus Episcopis, sed vnus inter Apostolos. Ergo claues non sunt ei datæ secundùm quod posteà, vel factus, vel mutatus est, vel loco, vel officio, sicut Abraæ non est iustitia reputata qualiscumque post fidem factus est. Sed prout fuit Apostolus tantùm, & præsertim habens Patris reuelationem. Quare prorsùs nihil hæc auctoritas ad Rom. Pontificem pertinet, etiamsi soli Petro dicta fuisset, quanto ounc minùs pertinet, quando nec soli Petri personæ dicta conuincitur.

FABER.

Apud Augustinum in lib. 2. de Baptis. contra Donat. cap.1. sic legitur: Puto, quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad martyrij coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed & si distat Cathedrarum gratia, vna est tamen martyrij gloria. Et si fortè se io aliquo iouicem præceduot corda coufitentium, ac pro vera fide in vnitate charitatis morientium Dominus nouerit, cuius occulta, & mirabili dispensatione gratiarum latro in cruce pendens, semel eum confitetur, & die ipso io Paradisum mittitur. Petrus Domiooum sequens, ter negat eum, & corona differtur, nobis hinc iudicare temerarium est. Verumtamen si quisquam nunc cogat circumcidi aliquem more iudaicæ legis, & sic baptizari, multò ampliùs detestatur hoc genus humanum, quàm cogatur rebaptizari. Quapropter cum Petrus illud faciens, à Paulo posteriore corrigitur, & pacis atque vnitatis vinculo custoditus, ad martyrium prouehitur. Quantò faciliùs, & fortiùs quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio præferendum est. Cum idem Cyprianus ità dixerit, quid ei videretur, vt cum in pace vnitatis esse voluerit: etiam cum eis, qui diuersa de hac re sentirent, quod indicat ipsius primus sermo in eiusdem Concilij, quod ab isto profertur exordio. Hæc ex Augustino adferre placuit, quo Petri eminentiam, ac celsitudinem quasi digito moostrarem. Vtcumque tamen censeatur, Petrus apud te Episcopus, aut uon, hoc cum Augustioo sentio Petri Principatum cuilibet Episcopatui præferendum. Quare, & nec mysterio caret, quod idem August. in lib. 22. contra Faustum cap. 70. vocat eumdem Pastorem Ecclesiæ, sicut eum Chrysostom. vocat Præsulem Ecclesiæ, cui, & Christus totius Orbis curam demandauit. Sed numqnid mentitur Eusebius dicens: Petrus eodem aono ab Herode capitur, & ab Angelo liberatur. Anno trigesimo octauo Aotiochenam fundauit Ecclesiam, & sequitur: Petrus Apostolus natione Galilæus Christianorum Pontifex Primus, cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans, vigintiquinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat. Hæc Eusebius.

Et

Et Origen. homelia 6. in Lucam eleganter inquit, in cuiusdam martyris Epistola reperi Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ peruenit ad bestias &c. Tu ergo mi Martine vide quid dicas, vbi contendis Petrum nullius Ciuitatis fuisse Episcopum: cum iam in comperto sit hunc Antiochenæ primùm dein Romanæ Ecclesiæ fuisse Episcopum. Quod si reliqui successores dicti fuerunt Episcopi, vt est apud Cyprianum in epistola ad Pompeium: Si & alios coapostolos, immò suorum temporum Discipulos Episcopos fuisse asserimus, cur Episcopatus nomen, ac titulum Petro denegare vellemus? Sed iam de illius Cathedra, de qua est apud Cyprianum in quadam epistola ad Antonianum, nihil dicam. Id addo, quia si, vt est in Ambrosio in Euangelio Lucæ lib. 7. cap. 13. Petrus omnem habuit fidem, ac Regni Cœlorum claues, vt & alijs referaret, accepit, forte non tam inconueniens erit hunc dicere Episcopum, vel si nomen, vel Ciuitatem, consideres. Sed forsan Eusebio non credes. Audi Augustinum ità dicentem in lib. quæst. ver. & no. test. q. 97. Nemo ignorat Episcopos Saluatorem Ecclesijs instituisse. Ipse enim priusquam in Cœlos ascenderet, & imponens manum Apostolis ordinauit eos Episcopos. Hoc Apostolus Spiritui sancto deputat, cum dicit: Attendite vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Domini Iesu. Et inter cætera dicit Petrus ad Ananiam. Anania cur impleuit Sathanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto? Hæc Augustinus. Tu ergo si Eusebio credere nolueris, credas saltem Augustino tuæ professionis auctori. Aut si nec illi credendum putas, audi quid Hieronymus scribat in Epistolam ad Galatas cap. 2. vbi inter cætera Petrum vocat Principem Apostolorum; postea sic infert: Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit. Hæc Hier. Hunc in tuis commentarijs meritò videre potuisses, sed forte tua studia, quæ certè non parua sunt, hoc & pleraque alia te videre non sinunt, & nemo sapit omnibus horis. Sed adhuc aliud ex Hieronym. testimonium audi, in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum sic ait: Simon Petrus filius Ioannis Prouinciæ Gallileæ vico Bethsaida frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia, Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis idest 14. à quo affixus Cruci martyrio coronatus est capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus. Hæc Hieronymus. In his itaque locis omnibus habes Petrum verè, & propriè fuisse Episcopum, & Antiochenæ, ac Romanæ præfuisse Ecclesijs. Sed ad Romanum Pontificem hæc verba quomodò referri possint, plus semel ostendi. Quod si mortuo Petro, interijt in hac Hierarchia primatus Petro donatus, optarim ergo vixisse sub Solonis, aut Lycurgi legibus. Sed de his aliàs tecum vberius commentari proposui.

CAP. XVI.

Obiicit Lutherus, ex eo quod claues dantur confitenti, & habenti reuelationem, quod non potest conuenire, nisi Ecclesiæ; Respondet Faber à nemine tolli claues ob peccata.

LVTHERVS.

Addo & aliud similis formæ argumentum, quo Paulus ad Romanos 4. & Galatas 4. vtitur dicens: Quod sicut Abraam ex fide reputata est iustitia, ità & omnibus, qui credunt reputabitur iustitia. Quare & his sicut Petro habenti reuelationem Patris, & Christum confitenti claues dantur, ità necesse omni similiter confitenti, & reuelationem claues donatas esse, quod nulli nisi Ecclesiæ, idest communioni Sanctorum conuenire potest, cum nullus fidelis constanter, & certè, ac perseueranter habere possit hanc confessionem: cum nec Petrus ipse in eadem perseuerauit, quin non modò aliquando, sed mox post acceptas claues errauit, & tamen non sunt claues ei rursus ablatæ: quia non in sua, sed Ecclesiæ persona eas accepit. Quòd si hæc argumenta non concludunt, nec illa Apostoli Pauli, quæ allegata sunt.

FABER.

Fortè non es oblitus eorum, quæ scribit Orig. Quemlibet hominem Christum filium Dei profitentem posse dici petram, ab alia sententia, nec transuerso digito discedam. At quo pacto Petrus errarit, ac qua excusatione hunc tueri possimus, ex Origene, Hilario, Chrysostomo, & Augustino docuimus, ad quos me totum refero, id vnum adijciens: Nunquid non ex Paulo Dominus, quosdam dedit Apostolos, quosdam verò Euangelistas. Quod si illi etiam lapsi fuissent, sicut Hieron. Euangelistas, citrà tamen fidei iacturam, errasse dicit: putas propterea opus Euangelistę amiserint? Et iam grande periculum esset nescientibus nobis, an Sacerdos baptizans, vel consecrans, sit amore, vel odio dignus, si omninò ab illo confessionem, vel charitatem exigas, quis demum tutus esset de salute? Non ergo refert Petrum errasse, sicut nec refert quantùm ad ministerium Sacerdotem peccasse, modò faciat, quòd Christus fecit, & Ecclesia approbat. Proin Apostolus de se ait: Siquid donaui, in persona quidem Christi, &c. Sed quo iterum tua conuincam, locum vnum tibi ex August. objicio, quem scriptum inuenio in lib. quæst. veter. & noui Testam. quæst. 75. vbi sic ait: Dicunt exactores didrachmæ ad Petrum Apostolorum (: Magister vester non soluit didrachma, &c.) Quo dicto, Magistrum, vt pro omnibus solueret Discipulis, conuenerunt. Saluator autem cum pro

se,

se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur, Quia sicut iu Saluatore erant omnes causæ magisterij, itá & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici. Nam inter cætera dicit Discipulis: [Vigilate, & orare ne intretis in tentationem.] Et Petro dicit: [Ecce Sathanas expostulauit, vt vos ventilet sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuersus confirma fratres tuos.] Quis ambigit, pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? Vt cæteros taceam, manifestum est, in Petro omnes contineri, quia & in alio loco dicit: [Ego pro ijs rogo, quos mihi dedisti, sicut & volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.] Et aperta sunt Doctorum testimonia, quibus etiam cuilibet Christi fideli promittitur, immò vt itá fateatur omnibus præceptum, scilicèt: [Tu es Christus filius Dei viui, &c.] hæc August.

Vides hic in Petro fuisse omnes magisterij causa, sicut & in Christo erant, itá vt esset caput Apostolorum, & gregis Dominici Pastor. Quod ad Abraam attinet, facilè soluitur, si gratiæ, & liberi arbierij ordinem, & iura debitè consideres, super qua re in alio quodam libello tecum agere statui. Sed hic miror cum á Petri persona propter errorem velles auferre claues. Quare & non ab illo coneris auferre nomen Cephæ, quòd interpretatur Petrus?

CAP. XVII.

Obijcit Lutherus, Claues non esse eius, qui non sit sicut Petrus, nec Petrum fuisse, aduersùs quem portæ inferi non praualuerint, cum praualuerit ancilla. Respondetur retorquendo illud argumentum, & Petrum post negationem adhuc fuisse Petram.

LVTHERVS.

VErùm vt opinionem contrariam penitùs ingulemus, age si ista verba. [Tibi dabo claues, &c.] Et ad Petrum, & successorem eius pertinent, necessè erit, vt & præcedentia, & sequentia hac vi sententiæ cohærentia ad eosdem pertineant. Non enim sacris Euangelij verbis admittendi sunt, qui pro arbitrio sensus sui partem huc, partem illhuc torquent, & rapiunt, sed ex consequentia, & verborum, & circumstantrijs intelligentia referenda est iuxtà Hilarij documentum. Cùm itaque Christus noluerit claues tradere, nisi priùs omnibus Discipulis de sui confessione exploraris, deindè non nisi accepto, & & approbato responso Petri ex reuelatione Patris loquentis, clarum est claues non esse, nisi eius qui talis est, qualis tunc Petrus fuit, quo sequitur absurdissima absurditas, quòd malus Papa, vel Episcopus, non esse Papa, vel Episcopus, quia non haberet fidem, quæ constituit acceptorem clauium. Deindè sequitur contra textum, & sensum eorum, quòd nec Petrus claues accepit, aut retinuerit. Quia Christus dicit: [quòd portæ inferi non præualeant aduersùs, vel Ecclesiam, vel fidem, quam tunc Petrus tenuit. At contra Petrum præualuit ancilla ostiaria. Si itaque eorum sententia staret, necessaria omninò sequela sequitur, aut Romanum, & omnes Pontifices oportere esse sanctos, & habere Patris reuelationem, nec esse carnem, & sanguinem, aut eos non esse Pontifices, nec habere claues. Nec video, quidquid contra hæc dici possit, cum stat tam clarus textus, quòd claues sunt datæ, non nisi ei, qui carnem, & sanguinem non audit, sed Patrem Cœlestem, hoc est sanctum, & iustum in spiritu. Alioqui omnis Pontifex est Sathanas non sapiens, quæ Dei sunt.

At si hoc dicimus, iam hæreticorum nouorum, & antiquorum Donatistarum errorem renouamus, qui malum Episcopū non esse Episcopū asseuerant, quod absit à nobis, qui sanctę & iustæ Ecclesiæ ministrum impium, & malum esse posse confitemur. Itá fit, dum per hæc verba volunt ex Romano Pontifice solum, & omnem, & vniuersalem Pontificem facere, nullum Pontificem nobis relinquant, vt videant suo stipendio scripturas nobis violenter adulatores, & ambitiosi. Reliquum ergo est Euangelium hoc loco, nec ad Petrum, nec ad successorem eius, nec ad vllum Episcopum, aut vllum hominem singularem pertinere, sed ad communionem Sanctorum, quę est Ecclesia. Hæc deinceps potest claues committere tum digno, tum indigno; indigno inquam coram Deo, quia nescit verùm dignus sit Deo: Alioqui non nisi digno coram hominibus committere debet, &c.

FABER.

Quo facis, primò quòd patrim hìc, & paulò post inferre videris, claues non esse nisi eius, qui talis est, qualis tunc Petrus fuit, quòd est Lugdunensium pauperū, & Waldensium; secundò quòd indignum reputas aduersùs Petrum ancillam ostiariam præualuisse.

De primò satis mirari non possum. Quis vnquam verè doctus, & sanæ doctrinæ fuit illius opinionis? Cur non addidisti, nullius esse claues, nisi talis sit, qualis fuerit Christus, apud quem claues principales sunt? Sicut & satis pulchre Scotus habet in quarto distinctione decimanona (quem tamen ex condicto citare vix audeo) Et quanquam non opus fuerit hæc paradoxa ex aliqua conuincere scriptura, tamen audi quid Augustinus scripserit in Euangelio Ioannis tract. quadragesimoprimo: Prima libertas est carere criminibus.

Ideò & Apostolus Paulus quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos: Et quicunque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait: si quis sine peccato est, hoc enim si quis diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia, fornicationes, furtum, fraus, sacrilegium, & extera huiusmodi; hæc Augustinus. Quòd si dicta persuasio de Pontifice Romano debet intelligi,

cer-

certè & idem de quouis Episcopo dicere oporter, quòd demum nos in Donatistarum perditissimum errorem, ac hæresim præcipitaret, quòd præcipitium, & ipse cauendum putas. Sed nulla re attonitus, liberè ipse dico, Pontificem summum, atque Sacerdotem, siue bonus, siue malus fuerit, accipere claues, & conficere Sacramentum, quod & piè ego firmissimè quoque credo. Et quamuis non pauca sint, quæ me ad hæc docenda firment, ac ducant.

Hoc tamen, quòd Chrysostomus habet in secunda ad Timotheum epistola cap 1. Et homilia secunda, non parum me mouet. Dicit enim: Volo adijcere planè mirabile, & nolite turbari, neque miremini. Quid verò istud esse, sacra ipsa oblatio, Siue eam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt, nihil minùs ista habet, quàm illa. Cur id? quia non hanc santificant homines, Sed Christus, qui illam antè sacrificauerat, quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant. Ità & oblatio eadem est, eademque baptismi ratio est, adeò omnia in fide consistunt; hæc Chrysostomus.

Quod si Summus Pontifex, & nonnulli Episcopi non modò mali, sed & pessimi essent, putas quòd propterea claues non habeant, ac illis vti non possint? Nunquid non in magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam in honorem, quædam autem in contumeliam? vt est in secunda epistola Pauli ad Timotheum capit. secundo, vbi sanctus Ambrosius hoc dicto significari, dicit, in Ecclesia diuersos esse homines, quosdam bonos, & summos viros, quos in auro intelligi vult, quosdam bonos tantùm, quos in argento designat, alios verò non bonos, quos vasa lignea, & fictilia appellat, quòd nulli ambiguum puto. Nam in Corinthiorum hoc Ecclesia probat frequens sermo obiurgantis Apostoli. Nunc autem in Ecclesia nostra palam est. Et in templo Hierosolymis, in quo typus erat Ecclesiæ, manifestis lectionibus approbatur. Erant enim ibi Saducæi, ex quorum radice erat Hymenæus, & Philetus, de quorum praua sententia cum Apostolus esset locutus, statim hoc subiecit, vt non esset mirabile in Ecclesia videri homines dissentientes. Nam & in Corinthiorum Ecclesia, de qua dixi, quidam erant, qui dissentientes, & Resurrectionem negabant. Insanus tamen Nouatianus, vt errori suo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit, vt domus magna, totus Mundus significari credatur, qui habet hominum diuersitatem, cum constet Apostolum exemplo vsum domus diuitis, & opulenti, quæ quamuis copiosa sit, habeat tamen vasa lignea, & fictilia. Hoc modo, & Ecclesia, quamuis sancta dicatur, habet tamen, & vitiosos, & praua sectantes; hæc Ambrosius.

Sed ad ancillam ostiariam, vt veniamus, necesse est. Non abhorrent sancti Doctores, Petrum dici, vocari quoque petram, vt est apud Hieronymum in Hieremiam cap. 16. ac expresse hoc habet iterum Hieronymus in Matth. 16. Habent, & alij multi, inter quos antesignani sunt Orig. Hilarius, Cyrillus, Ambros. August. Sed quòd illa petra ad vnius ancillæ ostiariæ vocem negando ceciderit, mirum non est. Nempè supra ostendimus ex Orig. Apostolos ante passionem Christi non fuisse perfectos. Et vt alibi dicit idem Origenes, Petrus adhùc plumbeus erat. Vnde si Christum negauerit, mirum videri non debet, nec tamen hic quosdam imitari volo, qui hunc negationis locum, qui est Matthæi 26. ex pio affectu, ità interpretati sunt, vt dixerint Petrum: [non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum, nescio hominem, quia scio Deum.]

Hos enim non rectè sentire assero, nempè si defendunt Apostolum, Deum mendacij reum faciunt. Si enim iste non negauit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: [Amen dico tibi, quia hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis.] Cerne quid dicat, me negabis, non hominem, hæc apud Hieronym. Matth. 26. Sed pergamus ad istam negationem, consideramus denique ista cū vocabulo petræ, quomodò saluemus? Ambros. 2. libro de vocatione omnium gentium, capitulo nono loquens de tentatione, ac Petri negatione, demum, ità subinfert: Quis ambigat, (loquens de Petro) quis ignorat hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis sumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur? Veruntamen ità ineuitabilis erat obluctatio trepidationis, vt vir martyrij auidissimus adepturus quidem denunciaretur victoriam passionis, sed non sine tentatione formidinis.

Meritò igitur non solùm ab incipientibus, verùm etiam à prouectissimis Sanctis vniformiter Domino supplicatur, & dicitur: [Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.] Hæc Ambros. Beatissimus Doctor ille Cyrillus de hac Petri negatione, sic scribit: Prædixit Dominus Petro, ter antequam gallus cantet negaturum: infirmiorem quodammodò factum in fide. Nunc verò in Euangelista, vbi & quomodo id accidit, narrat. Muliercula ianitrix tantùm, an de Discipulis iniuria capti hominis illius esset interrogauit? depulit hoc Petrus tamquam crimen non paruum, non timore magis ne captus esset, nec quia nullam veritatis curam haberet, quàm fortassis, quia pati, omnia volebat, dummodò Christum videret. Ex amore igitur decidit, & pietatis causa negasse videtur. Hæc Cyrillus. Augustinus autem in Euangelio Ioannis tract. 113. ità exclamat: Ecce columna firmissima ad vnius auræ impulsum tota contremuit. Vbi est illa promittentis audacia & de se plurimùm præsumentis? Vbi sunt verba illa, quando ait: Quare non possum te sequi modò, animam meam pro te ponam? Hoccine est sequi Magistrum, se negare Discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, vt hoc ne fiat, vox Ancillulæ formidetur? Sed quid mirùm, si Deus verba prædixit, homo autem falsa præsumpsit. Sanè in ista, quæ iam capta est negatione Apostoli Petri debemus aduertere, non solum ab

eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam, qui cum sit, negat se esse Christianum.

Vides ergo adhuc Petrum dici, petram immò columnam, & petram firmissimam, ac deinque per negationem trinam, hoc vocabulo destitutum non esse. Sed quomodo trinam hanc negationem aboleuerit, certè nobis hoc tradit Aurelius, Augustinus in Euangelio Ioannis tract.113. vbi sic ait: Redditur trinæ negationi, trina confessio, ne minus amor lingua seruiat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si timoris fuerit indicium negare pastorem. Sed ad tua rediens dico, sicut post acceptas claues errare, immò peccare potuit Petrus, sicut & peccauit, nec tamen principatum amisit. Ità hodie Pontifex claues habet, nec tamen impeccabilis est, vt Scholasticorum verbo vtar.

CAP. XVIII.

Obijcit Lutherus claues esse coniunctas cum fide Petri, quod non potest intelligi, nisi de Ecclesia. Responsio est, quod Sacerdos qualiscumque est Vicarius Christi.

LVTHERVS.

Qvare nunc satis patere arbitror, quoniam decreta quædam hunc textum ad Romanam Sedem, & Pontificem trahunt, non modò frigidissima (quod modestè dixi) sed etiam contraria sensui Euangelico Verbum Christi tractare, quod clarius faciemus, quando ea inferiùs examinabimus; interim de hac auctoritate satis sit in summa dictum. Quòd si cui claues arrogantur, huic necessariam quoque esse fidem Petri. Quod si fides Petri necessaria esse negabitur, & claues esse ei datas, cùm vtrumque copulet, & exprimat, immò fidem magis, & primò Christus. Quare non nisi de Ecclesia Christum esse locutum clarè intelligitur, nec de vna aliqua, sed de qualibet in qualibet parte mundi.

FABER.

Reprobas decreta quasi prorsùs inter se contraria, quæ tibi tamen probaui conuenire cum summis Theologis: & maximè quantùm ad Petrum attinet. Illi nempè primatum super omnes Apostolos traditum, satis probatum esse credimus. Quod ad Pontificem Romanum successorem Petri spectauerit, dum ità dubitat, non prætermus. Hic de fide, quam necessariam esse putas, tibi respondeo. Audi sanctum Ambrosium lib.1. de pœnitentia cap.6. ità loquentem. Quod isti possunt consortium tecum habere, qui claues Regni non suscipiunt, negantes quòd dimittere peccata debeant: quod quidem rectè de se fatentur. Non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discerpunt. Sed hoc improbè, quòd etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæcomque ligaueris super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in Cœlis.] Cum & ipse vas electionis Dominicæ dicat: Si cui autem quid donastis, & ego. Nam & ego, quod donaui propter vos in persona Christi. Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impiè arbitrantur errasse, vt ius sibi vendicaret Domini sui? Sed vendicauit acceptum, non vsurpauit indebitum. Hæc Ambrosius.

Hanc auctoritatem, si rectè intelligo, ità declarandam puto, quòd qui claues ab Ecclesia receperit, si quid donauerit, donat in persona Christi. Vnde qualiscumque fuerit Sacerdos, Christi Vicarius dicitur. Et Sacerdotes Legati Dei dicuntur secundùm August. lib.quæst.vet. & noui Testam.quæst.109. Quo illum in se ostendunt, cuius Legati sunt, sunt etenim eius imago.

Et gloriosus Christi Martyr Ignatius Antiochenus Antistes in epistola ad Magnesianos, Episcopos sedere dicit, in loco Dei, & Presbyteros in loco Consistorij Apostolorum. Ità & hodierna die hoc Consistorium inter Cardinales habetur, cui præsidet vnus Pontifex Romanus. Et nos eum successu temporis, ità obseruatum legimus, vt quisque è cætu Christi-fidelium pro successore Petri electus fuerit, is claues accepisse creditus sit, ità à mille, & pluribus annis nobis tradidit vsus Ecclesiæ. Vnde ab illa ecclesiastica traditione recedere non debemus, nec vmquam aliter credere, nisi quemadmodum per successionem temporum Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis, sicut contendit Origenes in Matth. homil.29. propter quod Diuus Aurelius August. in lib. contra epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti cap.4. certas causas reddit. Quid eum teneat in vnitate fidei Catholicæ Ecclesiæ: & inter cætera dicit: In Catholica Ecclesia, ac in eius gremio me iustissimè tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Sed de illa commendatione, quod tu dicas, videamus.

CAP. XIX.

Ex eo quod non dicitur, Pasce omnes oues, arguitur non esse Petrum primum Pastorem, præcipuè cum Paulo, & Apostolis commissæ sint omnes oues, & respondetur falsum esse debuisse Christum dicere omnes oues.

LVTHERVS.

Secundò adducitur illud Ioannis vlt. [Simon diligis me? Pasce oues meas.] Hoc enim quia ad solum Petrum dictum putatur, ipsum super omnes constitutum arbitrantur. Verùm quòd, & hoc nihil efficiat, ostendo primùm quia certissimum est à Petro nullum Apo-

Apostolorum esse, vel creatum, vel missum. Quare nec verum, nec possibile est Petro omnes oues commissas, sed generali sententia omnibus dictum: [Pasce oues meas.] Non enim dicit omnes, sicut ad omnes Apostolos dicit: [Ite in Orbem vniuersum, & docete omnes gentes.]

Verùm ego non possum satis admirari, quòd tot, ac tanti viri contra tam expressas Scripturas, tam euidentes experientias omnes oues Petro arrogant: qui tamen vniuersaliter fateri coguntur singulos Apostolos in suas sortes esse missos, & Paulum de Cœlo in Apostolatum gentium vocatum. In quibus omnibus, quomodo Petrum adhuc omnium pastorem asserere audeamus, qui nullum illorum misit, præsertim Paulum ad Galat. 1. notis verbis contendit. Sunt hæc tam aperta, vt confutatione opus non videatur. Illi, inquit Marcus, profecti prædicauerunt vbique, &c.

FABER.

Chrysostomus in quadam homil. de eleemosyna, quæ est mihi 34. dicit hoc verbum: [Pasce oues meas] non solis dictum esse Sacerdotibus, sed vnicuique nostrum, cui vel pusillus creditus est grex. Et repetens eandem sententiam in homil. 78. super Matth. rationem addit dicens: Nec enim quia minimus est, negligi debet: pater namque meus complacuit in illis. Habet vnusquisque nostrum ouem: ad pinguia eam pascua ducat. Cumque à lectulo paterfamilias se receperit, nihil aliud quærat, quàm vt ea faciat, atque dicat, quibus incrementum religionis domui vniuersæ adijciet. Tamen negare non potes, quin primò, & principaliter hæc verba referantur ad Petrum, Petrique personam.

Audi testimonium ex Chrysost. in Euangelio Ioannis homil. 87. vbi sic dicit: Quid tandem, alijs omissis his, duntaxat Petrum affatur? os erat Apostolorum & Princeps, propterea & Paulus eum preter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam, tamquam enim negationis obliuisceretur, fratrum coram ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat: tantum dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias: & quomodo in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector nunc ostende: & animam, quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade. Hæc Chrysostomus.

Et Cyrillus totus contra te pugnat, qui scribens in Ioann. vlt. serm. 12. lib. feruorem Petri, alia quoque multa describit dicens: Præueniebat alios Petrus: ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. Vnde tarditatem modò nauigij videns, tunica succinctos, in mare exilijt. Et quando Saluator Discipulos interrogauit, dicens: [Quem me dicunt homines esse?] Cum iterum post responsionem ab eis quæreretur: [Vos autem quem me dicitis esse?] Vt princeps, caputque cæterorum primus exclamauit: [Tu es Christus filius Dei viui.] Hic Malchi etiam aurem amputauit, putans hoc modo Magistro semper se inhæsurum.

Meritò enim Christus eum interrogauit, si plus cæteris eum diligeret, & id tertiò: Petrus autem amare se fatetur, & amoris sui non alium, sed Christum ipsum in testem citat. In singulis autem confessionibus variatis parumper verbis, audiuit rationalium ouium coram sibi esse habendam: altius quiddam hæc oratio certè parturit. Nam quoniam cum alijs Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore Passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ità quod verbis commissum fuit, verbis curatur. Petijt autem ab eo si plus cæteris diligeret. Nam qui maiorem clementiam in se Domini fuit, expertus, maiori amore affici iure debebat. Nam & si communiter omnes Discipuli magna perculsi fuerunt formidine, quando Dominus tradebatur: maius tamen crimen fuerat Petri, qui in breuissimo tempore ter Christum negauit. Quoniam igitur maioris peccati Saluatoris clementia remissionem consecutus est, iure ab eo maior repetitur dilectio, &c. Hæc Cyrillus.

Quòd si illius, & multorum aliorum scripta sancta intueamur, inueniemus hæc verba in Petrum, ac eius personam esse relata, quod tamen fortiùs data occasione probabimus. Sed quod asseris certissimum esse à Petro nullum Apostolorum esse vel creatum, vel missum; certè si de duodecim sentis, te vera dixisse credo, nempè non opus fuerat. Supremus enim Pastor, qui Petrum creauit, ac misit, creauit, ac misit reliquos. Vnde in Euangelio dixit: Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quod si de reliquis dixeris, quos pariter Apostolos vocare possemus, respondeo: sicut multa scripta non sunt, quæ fecit Iesus, vt Ioannes Euangelista in vlt. cap. testatur, ità multa facta sunt ab Apostolis, quæ tamen scripta non sunt. De Simone Mago parùm testantur Apostolorum acta: sed numquid putas de illo nihil ampliùs, quàm illic reperitur, actum fuerit? An mentitur Hirenæus Lugdunensis scribens hunc à Claudio Cæsare statua honoratum.

Et de Nicolaitis paucis verbis in Apocalypsi Ioannes expressit. Quid verò senserint, non tàm apertè idem habet, quàm & Hirenæus in lib. contra hæreticos describit, & de Cerdone hæretico, qui sub Iginio, qui nonum locum episcopatus per successionem ab Apostolis tenuit, quid Romæ fecerit, non Euangelista, sed nec scriptura canonica probat. Ac indignum foret Hirenæum, ac reliquos de hac re scribentes mendaces facere. Mille sunt illius generis, quæ firmissimè credenda puto, etiam si in nouo Testamento non reperiantur, & ea potissimùm, quæ ad nos cum successu temporum venerunt, quæ Hirenæus in 4. lib. credit ab Apostolis, eorumque successoribus ad nos pia traditione venisse.

Et Pamphilus in apologia Origenis: Sunt quædam dogmata, inquit post Origenem, quæ in Apostolicis traditionibus non habentur, & illa plerumque, quæ de Sanctorum martyrijs scripta reperiuntur. De Epheso metropoli ciuitatis Asiæ multa scribit Apo-

ſtolus: & notiſſimum eſt, Paulum hic reliquiſſe Timotheum. Sed numquid mentiuntur hiſtoriæ referentes in eadem vrbe Ioannem Euangeliſtam diù verſatum eſſe, & vitam illic demùm multo ſenio exactam finiuiſſe: etiam in biblia ſi nullibi habeatur? Et mirum non eſt iuxta Orig. in leuit. ſi etiam in præſenti vita, nec Deus ſcire nos omnia voluit, maximè cum id, & Apoſtolus dicat, quia ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus. Quando autem venerit, quod perfectum eſt: deſtruentur illa, quæ ex parte ſunt, vno ſolo id firmabo, ne ſim plus iuſto prolixior. Scriptum eſt in actibus Apoſtolorum, cap. 16. Cum pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Dic tu mihi Luthere repereris hæc dogmata, quæ & qualia fuerint, niſi canones velis Apoſtol. aut hoc ſolum quod in actis, capit. 15. decretum erat? Non ergo ſcripta ſunt omnia, quæ ſtatuerunt, ac ordinarunt, ſeu & fecerunt Apoſtoli. Sed ad miſſionem venio. Legitur in actis Apoſtolorum, cap. 15. quomodo placuerit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba Iudam, qui cognominabatur Barnabas, & Sylam viros primos in fratribus illius miſſionis. Dic quæſo quis primus fuerit auctor? numquid non Petrus primus is fuerit, qui cauſam huius miſſionis dederit? Hanc, & Iacobus pulchrè approbauit, & ſecuta eſt miſſio. Quid peccarem ſi hos à Petro tamquam à capite, ac Principe Apoſtolorum miſſos aſſererem? Nec quòd Petrus nullum miſiſſe legitur, eo inferior cenſeri debet (quamquam miſerit Marcum) Nempè ſi Paulus dum perueniſſet Derben, & Lyſtram, Timotheum ex patre gentili natum aſſumpſit, eumque mittere promiſit, vt eſt ad Philippen. 2. Hunc quoque Epheſi remanere iuſſit, vt eſt 1. Timoth. 2. Titum quoque Cretæ reliquit, eique poteſtatem dedit conſtituendi presbyteros. De Philemone iam nihil dico: tamen in hoc Paulus non eſt factus maior Petro. Sint licèt Petrus, & Paulus ſummi orbis doctores, vt eſt apud Chryſoſtomum in quadam homil. de iudicio quæ eſt mihi 49. Sint etiam Eccleſiæ oculi, vt eſt apud Leonem in ſerm. quodam de Petro, & Paulo. Sed non abſque cauſa, D. Aurelius Auguſt. in epiſtola ad Galat. Paulum vocat paſtorem poſteriorem, & quòd Petrus fuerit Paulo mirabilior. Nolo hic dicere de miraculoſis Petri operationibus, de quibus Auguſtinus in 3. lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ capitulo vltimo. Certum eſt itaque, & ſupra oſtendimus ex Hieron. in epiſtola ad Galat. Paulum agnouiſſe Petrum tamquam priorem, & ſeniorem. Quòd ſi Paulus paſtor poſterior mittere potuit, Petrus vt id faceret, credo non fuerit prohibitus, quamquam illa ſic facere cum Apoſtolorum collegio viſum fuerit ſatis honeſtum. Sed adhuc vna mirabili veteris inuentione, qua quia Chriſtus non dixerit ad Petrum, [Paſce oues meas omnes, vnde verbum hoc ad omnes oues Chriſti non ſit intelligendum, nec Petro omnes oues arrogare poſſimus.] Hic te pulchrè ex grammatico ſenſu, ac arte dialectica vincere poſſem, ſed nolo, ne puerorum elementis pugnare videar. Ad locos igitur ſolidæ ſcripturæ confugio. Numquid non propheta dicit: [Oues meæ oues ſanctæ ſunt, dicit Dominus.] Putas hic fuiſſe dicendum. [Oues meæ omnes oues ſanctæ ſunt? minimè hoc dicere potes.] Quod ſi nec adhuc mihi credideris, Euangelium tibi obijcio. Scis Ioan. 10. dixiſſe Chriſtum: [Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas.] Numquid tuo iudicio Chriſtus dicere debebat, Cognoſco oues meas omnes? Certè ſatis erat vt diceret Cognoſco oues meas. Quod ſi hic idem intelligitur, Cognoſco oues meas, & Cognoſco oues meas omnes, ſine quæſo hic perindè valere. [Paſce oues meas, quaſi adiecerit Paſce oues meas omnes.] Poſſem ſimili ſcriptura ex Ezechiele, ac alijs tua infringere, tamen hoc teſtimonium ex vno, & eodem Euangeliſta, & tibi, & omnibus rectè ſentientibus ſatisfacere poſſe firmiſſimè credo. Hæc iam in præſentiarum ſatis ſuperque.

CAP. XX.

Infert Lutherus abſurdum, quod alioquin Pauli oues non eſſent oues Chriſti, vtpotè non partæ à Petro, cui reſpondet Faber monſtrando hos eſſe paralogiſmos.

LVTHERVS.

SEquitur ergo, vel Petro, vel ſucceſſori ſuo non eſſe omnes Chriſti oues commiſſas, aut oues, quas non Petrus, ſed Paulus, & cæteri Apoſtoli pauerunt, ad oues Chriſti non pertinere: quo quid blaſphemius? ergo Corinthij, Galatæ, Philippenſes, & aliæ gentes, quia nec paſcente, nec paſtores mittente Petro paſtæ ſunt, oues Chriſti intelligendæ non ſunt. Sed quid moror in te tam aperta?

FABER.

Si Euangelicam quaſi columbinam ſimplicitatem non ſpinoſos paralogiſmos cordi habes, ſequelam iſtam, nec dialecticè, nec theologicè admittẽdam eſſe credo iam enim dixi hoc idem eſſe, [Paſce oues meas, & paſce oues meas omnes,] ſaltim ſcripturæ Euangelicæ ſimplicitatem, ſi ob oculos noſtros ſtatuerimus. Sed quod de Corinthijs Galatis, & Philippen. conuerſis à Paulo obijcis, facilè ſoluetur. Sit licèt Paulus electus, & miſſus à Domino, & lucratus fuerit oues, tamen ſicut oues illę pertinebant ad ſummum paſtorem in cœlis, ità ſuo reſpectu pertinebant omnes ad Petrum in terris tamquam primum paſtorem. Non enim vnquam potuere dici oues Pauli. Deteſtatur enim Apoſtolus ad Corinthios, vt diceret vnuſquiſque: Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ. Sed quid hoc ſibi vult, quòd quamquam Paulus miſſus eſſet à Domino, viderit arcana, quæ non licet homini loqui, qui fuit Apoſtolus non ab hominibus, neque per ho-

hominem, sed per Iesum Christum, tamen Hierosolymam perrexit, vt cum illis conferret Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. Cur quæso post annos tres venit Hierosolymam? certè, vt supradiximus, honoris prioris Apostoli deferendi gratia. Mansit & apud Petrum quindecim diebus, & post quatuordecim annos iterum Hierosolymam venit, quando in actibus Apostolorum de quæstionibus obseruandæ, vel prætermittendæ legis inter credentes Antiochiæ orta dissensio est, & placuit ire Hierosolymam, & sententiam maiorum præstolari. Cum Paulus, & Barnabas relationem fecerunt, & magna conquisitio fieret, dic quæso quis primus sententiam dederit? certè Petrus, deinde Iacobus, deindè omnes Apostoli, ac seniores. Sed & ex actis Apostolorum supra ostendimus quid, & quantum præ cæteris locutus sit, & fecerit Petrus.

Ex quibus habes cur tam diù Petrus sterit in Hierusalem, quamquam interea etiam migrauerit in Ioppen? At adhuc vnum addam, sicuti dicere possumus in omnem terram exijsse sonum Apostolorum, idest in principales partes orbis terræ, ità etiam Petrum Apostolum omnes pauisse oues dicere possemus. Quòd si à me exigas dialecticam illam subsumptionem, quasi pro omni indiuiduo, vt cum dialecticis loquat, hæc axiomata verificari oporteat, respondeo, nec sic in hac dictione omnes, quam dialectici vniuersalem distributionem dicunt, in sacra theologia hærere oportere, quasi per omnia, & singula distribuat. Cum enim dicitur, Omnis ciuitas conclamauit, rectè dictum esse putamus, nõ quòd aliquis tacens in vrbe non fuerit. Et Apostolus: Omnes inquit, quæ sua sunt, quærunt, non ea, quæ sunt Dei, & omnes me dereliquerunt, non quòd Timotheus, & cæteri discipuli, qui illo tempore, quo epistolæ scribebantur, cum eo erant, illum reliquerint. Sed idcircò quia à pluribus sit desertus, ab omnibus, idest maxima parte desertum se esse conqueritur. Simile huic quod in psalmo sonat: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Si enim omnes declinauerunt, ergo declinauit, & Ipse qui loquitur. Et alibi: Ego dixi in excessu mentis meæ omnis homo mendax. Aut enim verum est hoc, quod dixit, aut falsum, Si omnis homo mendax est, ergo mendax est, & ipse qui loquitur. Si autem mendax est, & ipse qui loquitur, nec hoc quidem, quod ait, verum est, & omnem hominem esse mendacem. Porrò si vera sententia est, omnes sic accipiendi sunt, vt supra diximus, quòd magna pars hominum mentiatur. Scribit & alibi Apostolus: Docentes omnem hominem, & rursum commonentes omnem hominem, non quòd omnes homines docuerit. Quanti enim sunt, qui vsque hodie, nec doctrinam Apostoli audiere, nec nomen; sed quòd eos omnes doceat, & admoneat, qui in Ecclesia sunt, & cupiunt scire, quæ Dei sunt. Ità & in hoc loco dicere rectè valemus in omnem terram exiuisse vocem eorum &c. Et quòd Petrus etiam pauerit omnes oues Christi, idest aut si vel Israelitas, aut gentem Romanam consideres. Vnde Leo in serm. de Petro, & Paulo: Cum duodecim Apostoli accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum distribuerunt sibi terrarum partibus suscepissent, & beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis iam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudierat, Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundauerat, & Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithiniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat, ad arcem Roman. destinatur imperij: vt hic sicut esset terrenus Imperator, & rector totius orbis, ità & ibi præsideret hic pastor, qui præsul esset Ecclesiæ, & cui Christus iuxta Chrysostomi verbum totius orbis curam demandauit.

CAP. XXI.

Non dixit omnes ait Lutherus, alioquin Romanus Pontifex peccaret, qui non pascit Turcas. Respondetur plures esse Pastores, & vnum summum Pastorem.

LVTHERVS.

Si dicis. At verbum Christi ad solum Petrum dicit[Pasce oues meas,] respondeo, non dixit omnes oues meas, alioquin peccasset Petrus, si non omnes pauisset solus sine cæteris Apostolis. Peccaret etiam Roman. Pontifex quòd non pascit, nec pastores mittit ad Turcas, & alias prouincias.

FABER.

Augustinus 4. lib. de consensu Euangelistarum, cap. 10. expressè testatur hæc verba ad Petrum esse dicta. Nec ignoro inquit, & alios factos esse pastores. Non enim pastores boni desunt. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, [Pasce oues meas.] Et ve oues commendaret, quid illi prius dicit, ne illi tamquam alteri commendaret, Petre amas me? & respondit, amo. Et iterum amas me &c. & respondit, amo. Confirmat Trinitatem, vt consolidet vnitatem. Ità August. & circa finem Cyrillus sic in supradicto libro scribit, propterea dixisse Dominum, [Pasce oues,] vt Apostolatus renouaret dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefacta videretur. Et testimonio itaque Prophetarum alijsque scripturæ sacræ locis deprehendimus, quòd cum Christi fuit intentio multos facere pastores, quod & Paulus testatur ad Ephes. 4. Dignum ergo fuit, ne respublica Christiana turbaretur, vt ex illis præesset vnus, sicut in apibus vnus est rex &c. Quamquam non ignorem nisi supremus pastor pauerit, pastores Ecclesiæ, per se bene gregem seruare non poterunt, infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit, atque seruauerit, vt est apud Originem in Lucam homilia duodecima. Et forsan ad Turcas ipsos eam ob causam Romanus Pontifex venire non potest. Vtinam

tamen Ecclesiæ contingat semper pastor talis, qualem Onosander Imperatorem optauit. Qui scilicèt temperans esset, continens, sobrius frugi, ac tenuis victus, laborum patiens, acer ingenio, qui ad dicendum idoneus esset, existimatione denique præditus, & iam in breui oues in deserto oberrantes ad pascua, immò ad pastorem reductas videre daretur, ad Turcas mittere crediderim facillimum esse: tamen hos superare difficillimum fore, ni pugnet Deus pro nobis, qui si pro nobis, quis contra nos? Sed nosti fortè Virgilianum illud:

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

CAP. XXII.

Ex loco Scripturæ Ioann. 21. nil aliud colligi potest, ait Lutherus, nisi quod Petrus pascere debeat Iudæos, quod nil spectat ad Papam, respondet Faber missum ad omnes.

LVTHERVS.

QVin aliud dicam, ex isto verbo nihil potest cogi aliud, quàm vt Petrus pasceret oues, quæ fuerint ex ouili Iudæorum, & sic nihil ad eum pertinet, nec ad Romanum Pontificem, & successorem eius, aut non ad solum eum pertinet, quod ex Apostolo Paulo Galat. secundo probo, vbi Petrum vocat Apostolum circumcisionis, & se Apostolum gentium. Ergo siquis pertinax esset, nullatenus posset cogi hoc verbo Christi aliud intelligi, quàm pasturam ouium, quæ fuerunt ex circumcisione, aut si extenditur ad Romanum Pontificem, iam nec prohiberi potest, quin ad omnes pertineat, & extendi pari negotio ad omnes queat.

FABER.

Habes in Euangelio Matthæi 15. dixisse Dominum: [Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.] Et Matthæi decimo: [Ite potius ad oues, quæ perierunt domus Israel.] Ioannis decimo: [Alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili.] Et in Ezechiele prauisum erat dicens: [Ecce ego propheta quæram oues meas, & visitabo illas, sicut quærit Pastor gregem suum:] Hæc dicit Dominus: [Perditum quæram, & errantem reducam, & fractam alligabo, & infirmum confortabo, fortemque custodiam, & pascam eos cum iudicio.] Et vt nossemus, quæ essent oues, ponit manifestius. [Et scient quia ego sum Dominus eorum, & iste populus meus domus Israel, dicit Dominus Deus, & vos oues meæ, & gregis mei omnes estis.]

Quid hæc sibi volunt. Certè Hier. dicit hæc verba: [Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: intelligenda non, quod ad gentes non missus sit, sed quòd primùm missus sit ad Israel: vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio. [Et significanter dixit ad oues perditas domus Israel:] vt ex hoc loco etiam vnam erroneam ouem de alia parabola intelligamus.

Vndè idem Hieronymus in Esaiam c. 60. [Cananeæ pro filia deprecanti, non veni, inquit, nisi ad oues perditas domus Israel,] & discipulis suis: [In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ite magis ad oues perditas domus Israel.] Quam ob causam, & Apostoli primùm in synagogis Dominum nunciabant, quibus non recipientibus Euangelium, dicunt ad eos: [Vobis quidem oportuerat prædicari verbum, sed quia non recepistis salutem, ecce conuertimur ad gentes.] Lux enim venit in Mundum, & magis Iudæi dilexerunt tenebras.

Vndè & Dominus cum Hierusalem fleuisset, adiecit: Si scires etiam tu, quæ ad pacem sunt tibi, quam quia non suscepit, intulit. [Nunc autem venit dies super te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coarctabunt te, ad terramque deducent cum filijs tuis.] Nos autem iuxta priorem sensum ad Ecclesiam dici vniuersa credimus, quæ primùm de Iudaico populo congregata est, & lumen, quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transmittit ad gentes, cui dicitur: Surge illuminare, vt quæ cecidit incredulis, surgat infidelibus, quæ cecidit in synagogis, surgat in Ecclesijs, & postquam surrexerit, illuminetur, vt nequaquam habeant error is tenebras.

Venit enim, inquit, lumen tuum, quod tibi omnes prophetæ pollicebantur, quod iugiter expectabas, & gloria Domini, quæ quondam fuit super tabernaculum, & templum eius. orta est super te, de qua dictum est: [Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.] Hæc Hieron. sanctè, & religiosè vt pleraque alia scripsit. Et Augustin. in Euang. Ioannis tract. 21. sic ait: [Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.] Quomodo habet alias, ad quas non est missus, nisi quia significauit per præsentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Iudæis, quem viderunt, & occiderunt, & multi tamen Iudæi, & anteà, & posteà crediderunt.

Et idem in eodem lib. tract. 47. [Quid est non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, nisi præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israeli] ad gentes non perrexit ipse, sed misit. Ad populum verò Israel, & misit, & venit ipse, vt qui contemnebant, maius iudicium sumerent. Quia etiam præsentia est illis exhibita, ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit. Ibi vestigia eius modo adorantur, vbi nouissimè stetit, vndè ascendit in Cœlum, ad gentes autem misit.

Sed fortà aliqui arbitrantur, quòd non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem eorum, quos misit. Absit, pellatur ista cogitatio de cordibus vestris, & in ijs, quos misit, ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit. Ad gentes enim præcipuè Paulum misit Apostolum. Hæc Augustin. Non ergo admitto hæc verba tan-

tantùm intelligi quo ad Petrum de ouili Iudæorum. Nam ficut Dominus primò cœpit pascere oues de ouili Iudæorum, ità fecit, & Petrus. Cur autem primò Iudæis prædicatum sit Euangelium, ac deindè fuerint Apostoli conuersi ad gentes, supra docuimus.

Nec ob id Paulus Doctor Gentium, vel Apostolus vocatur, vt non etiam alijs post visionem Petro factam licuerit prædicare gentibus. Sed quia Dominus ad gentes hunc præcipuè misit, hoc Petro nil derogat, cum & ipse Antiochiæ, Romæ, & in supradictis locis, vbi erant gentes, prædicarit Euangelium.

Quarè, & Origenes historiam, in Matth. homilia 14. diei palmarum allegorico sensu depingens, Petrum dicit in Circumcisione ad subiugalem iuisse, vt prædicaret populo Iudæorum, sub iugo legis degenti. Paulum verò missum ad gentes ad nouellum, & indomitum pullum.

Sed mihi responde: Insufflauerat Dominus Spiritum sanctum in omnes discipulos, deindè cum simul essent discipuli, esset & illic Petrus: cur de dilectione illum solùm interrogat, cùm tamen etiam præsens esset ille discipulus, quem diligebat Iesus? Cur non dixit dumtaxat, Simon diligis, sed addit, diligis me plus his? Cur alijs audientibus ter interrogat? Sed rationem expende, cum voluerit te auctore omnes fieri pares Pastores. Cur non dixit in fine: [Pascite oues meas?] Sed totum sermonem vertit ad Petrum dicens: [Pasce oues meas,] quasi hunc Pastorem, caput, & Principem aliorum ordinare, & esse voluerit.

Vndè hæc Euangelij verba ad Petri personam certissimè sunt referenda, quod & sancti Patres fecerunt, ac facere consueuerunt, & ij potissimùm, quos Ecclesia primitiua suscepit.

CAP. XXIII.

Pascere, obijcit Lutherus, non significat esse primum, & Principem, sed debere prædicare, & docere verbum Dei, quod cum non faciat Papa, perdidit Primatum. Respondet, & malis obediendum præpositus, & præpositum esse Romanum Pontificem.

LVTHERVS.

Secundò ego rogarem, vt adulatores Romani Pontificis omitterent hoc terribilissimum verbum allegare, pro statuendo Primatu eius. Neque enim ego terribilius verbum in sacra tota Scriptura legi, quod Romanum Pontificem, & omnem Pontificem magis terrere possit.

Primùm, quia pascere oues non significat id, quod est esse primum, aut Principem, ideò ex ipso nihil aliud probatur, quàm quòd Romanus Pontifex debet prædicare, docereque verbum Dei.

Quod si hoc debet: iam ei deponendus est totus iste Primatus, die ac nocte in literis sacris ei versandum, purè orandum, periculis, & morte pro verbo laborandum: breuiter tota Roma, vt hodie est, longè in aliam faciem mutanda.

Desinant ergo propter Deum verba Christi spiritualissima suis cupiditatibus adaptare. Hæc enim si Romano Pontifici aptantur, sequitur irrefragabiliter doceat verbum: aut si non docet, nihil ad eum pertinet.

FABER.

Quod ad me attinet, adulatorem Pontificis hic non ago. Scio enim adulatores ex Luciano de mercede conductis imperitos, sordidoque animo, ac suoptè ingenio humiles, & abiectos homines esse, quorum blandimentis innumera propemodum mala sequuntur. Adulator enim (teste Seneca in octauo epistolarum) facit infatuare ferè omnes, vt quique se credant optimos, quemadmodum se Alexander immortalem vsque dum senserit vulnerum dolorem.

Ea propter nolim eos imitari, qui vt est apud Ezechielem, consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, & qui liniunt parietes absque omni temperamento. Ferant alij hoc oleum in Ægyptum, liniantque parietem lapsantem.

Nam ipse scio rectè dictum ab Hilario Pictauiense 3. de Trinit. libro, non habere diuina adulationem, & quod nec subsit Deo ad placendum, fallendemque simulatio. Docuit & me Diuus Hieronymus in proemio super Esaiæ lib. 11. non esse ità adulandum Principibus, vt sanctarum Scripturarum veritas negligatur.

Et verissimum esse crediderim, quòd idem Hier. in Hierem. lamentatio cap. 2. ait. Qui peccanti, & iniquis operibus attendenti promittit, impunitatis securitatem propheticæ maledictioni subiacebit. Similiter, & ille, qui bonum actum per inuidiam detrahit, & benefacienti contradicendo aduersatur, ve sempiternum, si non se correxerit, habebit.

Vnde cauendum est, ne pro lumine tenebras. Multæ enim sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, & nouissima eorum perueniunt in profundum inferni. Nolim denique his inuidiosis taxari nominibus adulator Romanus, gnato Papalis, & hisce sexcentis Lœdoriorum, ac scommatum generibus. Si peccat Pontifex, quid illi fiet? certè quòd est apud Origenem in Hierem. homilia 7. Qui totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem, & potentes potenter tormenta patientur.

Sed interim non est Cœlum terræ, nec sunt sacra miscenda prophanis. Audi quid ad hoc dicat Augustin. Propter malos Pastores vnitas gregis diuidi non debet. Et Basilius Magnus non abs re dixisse videtur de preceptis religiosorum: Non Petrus, aut Iacobus, seu Apostolorum alius Iudæ malignitatis excusatione Christi chorum subterfugit. Et tu nec vnquam mihi persuadebis, vt credam, propterea, quòd Pastor sit malus, offi-

cium

clum Pastoris amittat, periculum enim esset non mediocrè. Hoc tamen non nego, non parum interesse inter bonum Pastorem, & malum.

Pastor enim bonus, vt credit, & rectè Paulus Orosius, tondet pecus, non deglutit: saluat, non perdidit. Idem quoque Pastor, teste Hier. ægrotantia pecora visitat, dispersa inquirit, relicta affert, lassa sustentat. Econtrario Pastor malus omnia aduersa agit & carnes pinguium deuorat: vngulas arietum & ouium dissoluit, atque peruertit, ne recto ingrediantur pede.

Sed quid, sub hoc malo Pastore facere oporteat, docet nos Chrysost. homilia 34. in epistola ad Hebræos dicens: Obedite, inquit Apostolus, præpositis vestris, & subiecti estote. Quid ergo dicit aliquis, dum præpositus malignus extiterit, non obedimus? Malignum qualiter dicis, siquidem est, in causa fidei fuge illum & euita, non solùm si homo fuerit, sed etiam si Angelus de Cælo descenderet.

Si verò in voto, & moribus malignum dicis, noli scrutari. Et hæc non ex me ipso dico, sed ex Scriptura diuina. Audi enim Christum dicentem: [Super Cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi, & primò dicens de his multa mala, tunc dixit: Sederunt super Cathedram Moysi, omnia, inquit, quæ dixerint vobis, facite, quæ autem fecerint, facere nolite.

Habent enim dignitatem, licèt vitæ sint perditæ. Verumtamen non ad vitam eorum, sed ad sermones intendite. Quantum enim ad mores attinet, nullus poterit lædi. Qua ratione hoc? Quia quæ facit, manifesta sunt omnibus, & neque ipse, etiamsi ad cacumen iniquitatis perueniat, poterit alios maledicere.

Cum autem fidei causa vertitur, neque manifestum est omnibus, quod dicitur, neque malignus dubitauit docere contraria. Nam, quod dictum est: Nolite iudicare, ne iudicemini, de vita dictum est non de fide. Quod enim infertur, hoc manifestat. Quid enim vides stipulam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Omnia ergo, quæ vobis dixerint, inquit, vt faciatis, facite, facere autem operis est non fidei: secundùm autem opera eorum nolite facere. Intueris quoniam non de dogmatibus, sed vita, & operibus sermo est. Hæc Chrysostomus.

Sed quod contendis, pascere non significare id, quod esse: primùm ego respondeo, imò non ego, sed Chrysost. in lib. 2. de dig. Sacerd. vbi non semel inuenies per hæc verba: [Pasce oues meas, Petrum cæteris Prælatum Apostolis. Et idem inuenire potes apud Cyrillum. Quòd si Petri Primatus hic firmatur, sat feliciter pugnauimus, prospere successit nobis.

Quòd si, vt ipse credis, aliqui Pontifices Romani gregem creditum non rectè pauperint, certè id considerare debebas, quòd propter vnius Iudæ malitiam dignitas Apostolica damnari non debuit. Vnde & Iudam in Apostolum Dominus elegit, & tamen Dominum postmodum tradidit.

Non tamen, vt Cyprianus inquit, idcircò Apostolorum fidei infirmitas cecidit: quia traditor Iudas ab omni sanitate defecit. Et nemo est, qui non credit inter ducentos, ac triginta Rom. Pontifices, non fuisse multos, qui titulum, & nomen boni Pastoris iustè meruerint. Inter hos proculdubio fuere Linus, Cletus, Anacletus, Clemens, Melchiades, Leo, Gregorius Magnus, ac alij quamplurimi: de quibus alio in loco, & paulò post tecum agemus. Et revera, ni fallar, periculosum est illa rimari, cùm nemo sciat, an quis amore, vel odio dignus sit, sed quod eos prædicare, docereque verbum Dei, debere contendus.

Scio ego rectè ab Apostolo dictum epistola ad Ephesios cap. 4. Dominum dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Magistros, &c.

Vbi Hieronymus credit, vt is, qui Pastor est, esse debeat & Magister, atque vnus, atque idem sit Præses Ecclesiæ, sit Pastor, & Doctor, Pastor ouium, Magister hominum. Quicquid id sit, habemus multos esse Pastores, & Magistros in Ecclesia Dei distributos.

Sed, vt Hieronymus ait: Cùm corpus Domini Ecclesia sit, & Ecclesia de viuis lapidibus construatur, vt habet idem Hieronym. in Esaiam cap. 54. Vnde inter illos Pastores vnos dignissimum fuerit supremum aliquem habere Pastorem. Et ij Pastores id habent operis, vt secundùm dispensationem, & officia sibi credita Ecclesiam Christi, idest corpus eius ædificent. Si quis igitur non ædificat Ecclesiam Christi, nec plebem sibi subiectam instruit: vt de subiecto populo Christi Ecclesias construat: tunc iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Euangelista, nec Pastor, nec Magister dignè est appellandus. Non enim eos dignos Pastores, sed mercenarios asserimus: ad quos dicitur Ezechielis cap. 34. Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis, & quod crassum est interficitis, & oues meas non pascitis, quod infirmatum est non confortastis, & quod ægrotat non corroborastis, & quod contribulatum est non colligastis, & quod perijt non inquisistis, & dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non sit Pastor.

Sed in hoc ambiguo iudicio Chrysost. & Cyprianus: Quid nos facere oporteat, religiosè docuerunt. Chrysostomus ait: Ouis es noli discutere Pastorem, ne eius quoque criminis reus esse teneatis.

Et ità scribit Cyprianus ad Florentium Puppianum lib. 4. epistolarum: Dolens profero, inquit, cùm te Iudicem Dei constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedunt. Lucæ 10. Qui audit vos, me audit; & qui me audit, eum audit, qui me misit; & qui reijcit vos, me reijcit, & eum, qui me misit. Vndè enim schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dùm Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur. Hæc Cyprianus.

Et rectè Ambrosius in libro de mysterijs initiandis cap. 5. docet, non merita personarũ, sed officia Sacerdotum esse consideranda. Et vt ad priora redeam, si Petri successor à

via

via regia, quandoque aberrauit, memineris olim rectè respondisse Hieronym. aduersùs Vigilantium, paucorum culpam non præiudicare Religioni.

Quamquam & ego credam interim Ambrosium etiam in libro de dignitate Sacerd. cap. 3. verissimè dixisse: Sicut Episcopo nihil est excellentiùs, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita ipse periclitetur, si in crimine teneatur, & ruina, quæ de alto est, grauiore casu colliditur: & scienti legem, & non facienti eam, peccatum est grande.

Et Lucæ 12. Seruus quoque sciens voluntatem Domini, & non fecerit eam, vapulabit multum.

Aliud est enim, quod ab ipso requirit Deus, & aliud quod à Presbytero, & aliud quod à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusque hominibus.

Et licèt omnium hominum opera Deus in suo examinet iudicio, plùs tamen ab eo exigitur, cui plùs committitur. Ampliores enim luit pœnas, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. Hæc Ambrosius.

Per hæc tibi satis, & piè responsum esse credo.

Subdis iterùm:

CAP. XXIV.

Arguitur ex eo, quòd Christus non instituit Pastorem, nisi amantem, & qui non amat, Pastor non est: cui respondetur malè Pastores esse, sed Pastores.

LVTHERVS.

Verùm magis obscura. Christus non imponit pasturam Petro, nisi priùs diligat. Obsecro te, quid hoc est? nonne sequitur, quòd si non diligat, non sit audiendus? At quis nos certos faciet de amore Pastoris? Dubitamus ergo quemnam audiamus. Nàm si audire nobis Pastorem necesse est, etiam illi amare Christum necesse est. Aut si amare Christum necesse non est, nec audire Pastorem necesse est: cùm vtrumque Christus copulauit, nec pasturam, nisi amanti commiserit: quid hic faciemus? Scio, quòd si rectè pensaret hoc verbum, quilibet Episcopus desperaret se medium vnius Ciuitatis pascere posse.

FABER.

Cogis me iterùm, ac vrges, vt quid de malis Pastoribus sentiam? dicam.

Sentio autem id, quod sanctos Prophetas conquestos esse comperio, sicut Hierem. cap. 12. scriptum est: Pastores multi demoliti sunt Vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem, in desertum solitudinis posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me. Et quid futurum sit illis? idem Propheta cap. 23. habet; nempè sic dicit: Ve Pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant gregem Pascuæ meæ, dicit Dominus: Ideò hoc dicit Dominus Deus Israel ad Pastores: Qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, dicit Dominus. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos Pastores, & pascent eos. Et lamentatur idem Propheta cap. 50. Grex perditus factus est populus meus, Pastores eum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui, omnes, qui inuenerunt, comederunt eos.

Super hisce Prophetæ verbis scio rectè dixisse Hieron. in cap. Hierem. 12. quòd qui Principes volunt esse populorum, non solùm pro se, sed & pro commissis sibi gregibus reddituri sunt rationem in die iudicij. Propter illos enim pars Domini conculcatur, atque polluitur: vt ibi quondam Dei erat hospitium, ibi sit habitaculum bestiarum.

Nec ignoro, quòd idem Hieronym. in Hierem. cap. 23. habet; Malos Pastores iuxtà tropologiam esse Principes Ecclesiarum, qui non dignè regunt oues Domini, quòd illis abiectis, atque damnatis, saluetur populus alijs traditus, qui digni extiterint, & reliquiæ saluæ fiant.

Sed & subdit idem Hieron. quòd cùm venia tibi dictum esse velim. Perdunt oues Pastores, qui docent hæresim, lacerant, & dissipant, qui schismata faciunt, eijciunt eas, qui contra iustitiam de Ecclesia separant, non visitant, qui pœnitentibus contrahunt manum: quorum omnium miserebitur Dominus, reddens eis pristina pascua, & malos Pastores auferens. Hæc Hieronymus.

Hi cùm gregi non præsunt sapientia, eruditione, atque doctrina, potiùs Arietum, quàm Pastorum nomen habere merentur, vt est apud eumdem Hieronym. in Hierem. cap. 25.

Sed interim, mi Luthere, qui gregi Dominico præsunt, etiamsi cùm Petro non dilexerint, nihilominùs Sacramenta ministrant, & quod in Sacramentis ritè ministrant, ac iuxtà formam Ecclesiæ nobis traditam peragunt, ratum habere vult Dominus,

Sed, vt sequentiam tuam, quæ parùm à Donatistarum errore differt, diluamus. Audi quid velim, ac dicam; sic arguis, si Pastor non diligat, non igitur audiendus. Dein, quis nos certos faciet de amore Pastoris? Dubitabimus ergo quemnam audiamus? Scis Luthere, in Domino charissime, Discipulos quondam Domino dixisse, Mar. Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere. Qui enim non est aduersùm vos, pro vobis est. Si nihil in illo corrigendum erat, nec fuit is prohibendus. Certè dabis, & hos posse eijcere dæmonia, ac esse Pastores, qui tamen non sequuntur Dominum.

Quòd

Quòd si dilectionem omninò exigis, scio rectè dixisse Apostolum 1. Corinth. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & secreta omnia sciuero, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, itàut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

At si ipsis pro eorum salute, quæ extrà charitatem faciunt, prodesse non possunt, tamen in sacris mysterijs lingua possunt vti Angelica. prophetias habere possunt, vti Caiphas, & Saul; nec intereà deperit, quod agunt.

Et vt ad August. veniam, scis quòd quæ peperit Abel, Enoch, & Noe, & Abraham, ipsa peperit Moysen, & Prophetas tempore posteriores antè aduentum Domini. Et quæ istos, ipsa & Apostolos, & Martyres nostros, & omnes bonos Christianos. Item, quæ peperit Chain, & Cham, & Ismahelem, & Esau, eadem ipsa peperit Dathan, & alios in eodem populo similes; & quæ istos, eadem ipsa, & Iudam Pseudo-apostolum, & Simonem Magum, &c. Vides hic in vtraque lege bonos fuisse, & malos. Apud malos tamen, & sacramenta fuerunt.

Non enim negare potes quin & sacramentum fuerit apud malos aliquos; immò est etiam operatio spiritus in malis hominibus, Quare Saulem prophetiæ spiritum habuisse dicimus. Ità & si te passim dicente: Quomodò nostri Pastores, etsi mali, facinorosi, carnales, animales, & diabolici fuerint, immò sint sacerdotes Bethel, aut fanatici Bethauen, ponentes in itinere latrones, qui insidientur peregrinantibus in Hierusalem, quo magis vitulos aureos in Dan, & in Bethauen, quàm in Hierosolymis, & in Templo adorent Dominum: nihilominùs Sacramenta ministrare possunt, quamquàm indignè id agant. Comparantur enim mulieri fornicanti, quam Propheta Osee commemorat: de qua, & ad rem nostram pulchrè August. in lib. 3. de Baptis. contra Donat. cap. 3.

Sed ad charitatem iterùm venientes, audi quid dicat idem August. in eodem lib. 4. cap. 11. Quid etiam mirum est, ait, quòd accidere posse inuenit, quæ diligenter aduertit quosdam, salua charitate docere aliquid inutile: sicut Petrus gentes cogebat iudaizare, sicut ipse Cyprianus hæreticos denuò baptizari. Vnde talibus bonis membris in charitate radicatis, & in aliquo non rectè ingredientibus, dicit Apostolus: Si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit, & quosdam rursùs sine charitate docere aliquid salubre; de quibus dicit Dominus: Super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt, & non faciunt.

Et idem in lib. 5. cap. 21. concludit, Sacramentum gratiæ Deum etiam dare per malos: ipsam verò gratiam nonnisi per seipsum, vel per Sanctos suos. Sed quid opus est in hac harena diù versari? Nemo est, qui iàm Donatistarum opinionem foueat, eò maximè argumento persuasi, quòd nemo sciat an odio, vel amore dignus sit.

Vnde hic circa Episcopos, & reliquos Pastores Græci adagij nos memores esse oportet *miden agan*, idest ne quid nimis hoc, ne nimis emungamus, ne sanguis eliciatur. Vide si dumtaxàt hunc Pastorem esse contendis, qui semper actu dilexerit, ac semper in dilectione consistat, periclitabimur ferè omnes. At satis fuerit Petrum suo dilectionis officio hoc metuisse, vt illi dictum sit: Pasce oues meas. Et forsan eam ob rem apud Apostolum 1. Corinth. 12. sunt diuisiones gratiarum, diuisiones ministrationum, & diuisiones operationum.

De quibus apud Hilarium Pictauien. in 8. de Trinit. quæ nostro proposito non parum deseruiunt. In summa hoc dicere cogor: Si dilectio in Pastoribus semper exigitur, quæ certè eos maximè perornat, facilè fieri potest, vt vno, eodemque momento mille, ac decem milia pastores fuerint ab officio pasturæ mouendi. Sed quis hanc turbationem æquo animo feret? Quare cum Xenophonte de Republica Spartas laudo, quos in magistratibus humiles fuisse testantur historiæ; quorum & ciues intellexerunt obedire maximum esse bonum tam in republica, quàm etiam & militiæ, & domi. Et Licurgus à nemine non probatur, qui nec voluit regibus tyrannicum fastum adsciscere: neque ciuibus inuidiam aduersùs regiam maiestatem inijcere. Quod si hoc inter ethnicos pro conseruando reipublicæ statu seruatum est: nimirùm si totis id viribus in Christiana republica maximè probemus; immò summoperè à tumultu illo, ac mutuis odijs caueamus; ne nimis emungentes, sanguinem eliciamus. Rogo igitur atque iterum rogo, discas ambulare via regia, nec declines ad dexteram, neque sinistram, & ne sis iustus nimis.

CAP. XXV.

Arguitur ex eo, quòd Christus, non instituit Pastorem, nisi quærendo diligentem, qui ergo non diligit, Pastor non est; respondetur, pascere, significare apud omnes, regere?

LVTHERVS.

IGitur hoc effecimus, quòd ista auctoritate nihil probatur, nec valet ad probandum primatum. Si autem aliquid valet, nunc hoc vrgebit, non esse in Ecclesia Pastorem, qui non doceat, nec docere aliquem debere, nisi diligat. Hoc inquam, & non aliud ista verba concludunt, nisi noua grammatica vsque dicas: Si diligis me, pasce oues meas, idem sit quòd si diligis te, esto primus super Ecclesiam totam. Rectius ergo facies, si hoc verbum Christi accipias pro exortatione, immò præcepto, non quo oues ad subiectionem. Sed quo pastores ad diligendum Christum, & pascendum populum astringantur. Porrò dilectio Christi (vt beatus Augustinus exponit) etiam mori pro ouibus Christi requirit,

FABER.

FABER.

Hic repeto quòd Cyrillus habet circa hoc verbum. Pasce oues meas, Christum scilicet Apostolatus dignitatem renouasse Petro. Et Chrysost. in eodem loco sic habet: Os erat Apostolorum, & Princeps. Propterea, & Paulus eum præter alios visurus ascendit simul, vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam, tanquàm enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias, & quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector nunc ostende: & animam, quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade. Cum ergo semel, atque iterum interrogatus ipsum archanorum cordis perscrutatorem testem aduocasset: & adhuc tertiò interrogat, perturbatus est Petrus veritus superiora. Nam cum forti animo esset, reprehensus est postmodum. Ideò iterum ad ipsum confugit dicens: Tu omnia scis &c. Et August. eapropter Petrum vocat primum Pastorem. Ex eodem etiam supra ostendimus, quòd August. in fide teneat ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem commendauit successio sacerdotum. Ambros. etiam Gregor. & Bernardus hæc verba longè in aliam partem referunt, quam tu hic referre videris: & illorum fortè non est cassa auctoritas.

Sed cum sic ad viuum hoc verbum excutis, necesse est, vt vim verborum considerantes, & ad alia, quæ in hanc notam fortè nemo perpendit, rapiamur. Et iam post totidem exquisitas inuentiones tuas, vt tota corona Doctorum intelligat hoc in loco, qui est in Euangelio Ioannis vltimo: Petro non paruam eminentiam esse collatam. En Græcè sic Euangelium sonat (Euangelium quidem à Ioanne non Hæbraicè, nec Latinè, sed Græcè scriptum est, testantibus Hieronym. August. ac reliquis) *Legei to Simoni Petro o Iisoys, Simon Ioanna agapas me pleion toyton; Legi ayto: Nai cyrie, sy oidas oti philose. Legei ayto, Bosce ta arnia moy. Legei ayto palin deyteron. Simon Ioanna agapas me; Legei ayto. Nai cyrie, sy oidas oti philose. Legei ayto. Poimene tà probata moy. Legei ayto tò triton. Simon Ioanna phileis me; Elypithi o Petros, oti eipen ayto tò triton, philis me, caì eipen ayto Cyrie sy panta oidas. sy ginosceis oti philose. Legei ayto o Iiesoys. Bosce tà probata moy.*

Dixit Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis diligis me plus ijs? Dicit ei. Etiam Domine, tu scis, quod amem te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterum: Simon Ioannis amas me? Ait illi. Etiam Domine tu scis, quod amem te. Dicit ei iterum. Pasce oues meas. Dicit ei tertiò. Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quod dixisset sibi tertiò amas me, & dixit ei. Domine, tu omnia nosti, tu scis quòd amem te. Dicit ei Iesus, Pasce oues meas.

Iam quæso dicito, quid hoc sibi velit, iuxta translationem nostram ter habemus vnum verbum pasce videlicet, duo vero verba in Euangelio Græca habes *bosce*, quidem & *poimene*, interpres vtrique verbo, licèt pasce reddiderit. Ego verò non parum discriminis interesse puto: siquidem aliud *bosce*, aliud *poimene* sonat. Suidas dicit. *Boscisomen, trephomen, caì boscoysan. trephoysan. sophoclis peri oidipodos alleità triton mi cat si schynesie ti genetla. tin goyn panta boscoysanphloga aidesthanactos*. Et Hesychius sic habet. *Boscimaton, tremmaton. Boscymenon, dapanon. Boscon, trephon. Boscas, phascias libyes. Bosceon, o trephodys. Bosci, trophi. Boscomen, trephomen.* Hoc verbo vsi sunt, & septuaginta non semel. Et in Euangelio Marci quinto: *Oide byscontis toys choiroys, ephygen*: idest. Qui autem pascebant porcos fugerunt. Lucæ quoque 15. dicitur: *caì epemphenayton eis toys aytoy boscein choiroys*. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Sed *poimene*, quid significet, habet Hesychius dicens. *Poimanor poimin basiloys. Poimenidai, genos exoy o tis dimitros ierodys. Pomena laon, basilea tonochlon. Poimin, basiloys, caì o ton probaton*. Vndè Homerus in vno dumtaxat libro, scilicèt Iliados secundò ter dicit, *poimeni laon*, & semel *poimena laon*: vbi vetustissima commentaria habent *basilea ochlon*, idest regem turbarum, & rectè: cum hic Homerus de Rege Agamennone scribat. Possem hic, & alia id genus ex Græcis alijs afferre; sed cum homine Theologo agens, ea, quæ sunt linguæ sanctæ, à quibus nec cuiquam discedere licèt, quæ & huiusce rei testimonium præbent, adducam. En Hieron. 23. septuaginta sic habent. *Os oi poimenesoi diascorpizontes, cai apollyntes probata tis nomis moy. Dia toyto tade legei cyrios o Teos israil ayti toys poimenas toys poimenontas ton laonmoy*; idest Pastores dispergentes, & disperdentes oues pascuæ meæ. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israel, ad Pastores pascentes populum meum. Et Hieremiæ 3. septuaginta sic habent. *Diso. ymin poimenas cata tin cardian moycais poimanoysin ymas poimenontes mete pistimis*; idest dabo vobis Pastores secundum cor meum: & pascent vos pastores cum scientia. Et Zachariæ 11. *Caì poimano tà probata, caì exaro toys treis poimenas en minienl*: idest: Et pascam oues, & auferam tres pastores in mense vno. Et secundo regum. 5. *Caì ei peno cyrios prose, si poimaneis ton laonmoy ton israil*. Et dixit Dominus ad te, Tu pasces populum meum Israel. Et hæc eadem verba eiusdem historiæ sunt 1. Paralipom. 11. Et sexcenta habes illius generis loca, quibus hæc mea firmantur, vtpotè quod *poimenoin*, non simpliciter pascere: sed & gubernare, seu regere significat. Et quod de hac dictione Græca dicitur, hoc & Hæbrei de *deha* dixerunt: siquidem & pascere, & regere significat, testante hoc etiam Ioanne Capnione trilingui Germano de literis melioribus optimè meritò. Vndè Cyro regi Persarum dicitur Esaiæ 44. *haomed lebodes rahi*, idest: Qui dico Cyro. Pastor meus. Et Hierem. 30. *Venatadi labem robim celiui vedahn etben deha vehasebeli*: idest, Et dabo vobis Pastores iuxtà cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. Et apud eumdem Prophetam cap. 23. iterum, ac iterum de *robim*, Propheta loquitur, & inter cætera dicit: *Lacem bob amar Iehoua Aelehi Israel hal haraobim, & hami*, hoc est: Ideò hæc dicit Dominus Deus Israel

ad Pastores, qui pascunt populum meum. Et Ezrch. 34. *Boh amar arna Iehoua biui robe Israel aser haiu robim atam*, idest: Sic dixit Dominus Deus Israel: Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Et apertiùs in eodem capite: *vabi kampti balehem rabeh echad vedabah ethen & hauri Dauid hua irheh atam vehua Iebeiah lahen lerheh*, hoc est. Et suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascat ea seruum meum Dauid: ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Quod si forsan plus Noui Testamenti Scriptura oblecteris, en Matth. 20. sic habes, *Ec soymoi exelodyse taingoymenos, os tir poimanei ton laonmoy ton israil.* Ex te mihi egressurus est Dux, qui reget populum meum Israel. Videtur hic vnicus locus ad firmandum nostra, non solum idoneus, sed & planè sufficiens. Nam in apetto est Saluatorem nostrum fuisse Ducem populi sui. Aut vt hunc Euangelij locum ex Michra Prophera quæramus, en Michræ quinto dicitur: *mimeca li ietza lihod mosel Beisrael*; quod septuaginta sic expresserunt. *Ec soymoi exeloysetai einai es archonta en to israil*. Ex te mihi egredietur, vt sit in principem in Israel. Quæ itaque Micheas vocauit *Mosel*, qui dicitur Princeps, seu dominator. Et septuaginta transtulere *archonta*, hunc Matthæus *egoymenon* vocat. Et quod is esset non modo pasturus, sed veluti dominator aliquis, Princeps, seu Dux rectutus Israel. Quare & in Psalm. 47. de illo Prophrta cecinit, *hua ienahgbenu balemod*, vbi Græcè sic habetur *aytos poimanei ymas eis toys aionas*; idest ipse regrt nos in secula. Et Psal. 79. *Raheh Israel baazinah* Græcè sic, *o poimenon ton israil prosches* idrst. Qui Regis Israel; intende. In Psalmo denique 23. vbi nos legibus: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Græcè sic habetur: *cyrios poimainei me cal oyden me ysterisi*. Vbi licèt doctiores Hebræi legant *Iehoua robe lo echasar*, idest. Dominus pastor meus. Tamen Chaldæi in India manentes legunr ogoziapoaero rereoiana, quod ipsi dicunt valere, Dominus Deus rector meus. Sed ad testamenti noui testimonia redeuntes, dico rem non esse parui mysterij, quod ferè in omnibus locis nouæ lrgis, quoties de rectore scribitur, hoc *poimenein* reperitur: de quo & præfecturam aliquam certo significari deprehenditur. Vndè in Apocalypsi, *oti tò arnion tanameson ton tronon poimanei aytoys*; hoc est. Quoniam agnus, qui in medio rhroni est, reget illos. Et in epistola Petri priori cap. 5. *Poimanate tò en ymin poimnion toy Christoy episcopoyntes*, ideit, Pascite vel regite quoad in vobis est gregrm Christi, curam illius agentes. Et Apostolorum act. cap. 21. sic legitur *prosecbetai oyn cayteis cal pauti to poimnio en oymattò pneyma tò agion eteto episcopoyr poimaineiu tin ecclisian toy Theoy in poriepiisato dia toy idioy aimatos*; idrst, Atrendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et Apocal. 19. vbi Ioannes Regem regum, & Domiuum dominantium describit, inter cætera sic ait: *cal aytos poimanoi ayroys enrabdo sidira*; idest: Et ipse reget eas in virga ferrea. Et mille sunt illius generis exempla, quorum aliqua propterea commemorare lubuit, vt eruditis in lege ansam cogitandi præberem. Quantum enim mihi videre datur, ex his diuersis verbis *bosce*, scilicet, & *poimene* Chrysost. Cyrillus, Planudas, Theophilactus, Ioannes Thessalonicen. & in primis Origenes, ac alij Græci vim vocabulorum penitius pensantes, animati sunt Petrum, ac illius auctoritatem, seu eminrntiam ror, & tanris exornare præconijs. Quo itaque stante, in posterum tu, ac tui similes meritò ab hisce excursionibus abstinere debebitis. Voluntas enim Domini fuit Petrum pascere gregem Doctrina, ac vitæ exemplo, necnon illi præesse, veluti præest Rex regno, ac Princeps suæ Prouinciæ. Nolim tamen hic me tam imprudentem iudices, quasi velim hic, vel ad fastum, aut pompam Rom. animare Pontificem, qui se perpetuò seruum seruorum Dei debet agnoscere. Tamen quod Petro dedit, Dominus hoc (quantum in me fuerit) auferri non patiar.

CAP. XXVI.

Ex his sequitur inquit Lutherus, quòd Pontifices, nec diligentes, nec docentes Primatum non habent, responsio autem est has esse detractiones in Pontificem, & Deum.

LVTHERVS.

Atque vtinam hoc verbum ad se pertinere crederent Roman. Pontif. Hæc est enim totius orbis quærela, quòd dilectionem & doctrinam alijs releganres, ad se nihil quidem putant pertinere. Intelligunt enim hæc verba ad populum pertinere. vt per quæ cogere ad subiectionem omnes volunt: & tamen pascua ad auditum verbi, (quòd verba sonant) nemo vocat. O felix ambirio: si quis vsquam inueniretur, qui omnium pastor esse ambiret, quamuis hunc non librntissimè admitteret. Nunc autem libenter admittunt cuicumque diligendi, & pascendi officium. Sibi verò titulum diligendi, & pascendi, & quæ ritulum sequuntur, lucra scilicèt, & honores reseruant. Desine itaque à verbis Christi torquendis, quia ea, quæ per hoc Pontifici tribuis, penitus auferunt, & omnia ea imponunt, quæ non rribuis, & ille quàm maximè abhorret.

FABER.

Dolro non parùm, quòd ferè in omnibus tuis libellis Pontificiæ dignitati non parùm drtrahis, immò dum de cathedra Perri, ac eius Pontifice, quem totus orbis Christianus Christi Vicarium agnoscit, loqueris, ità excandescis, vt nemo posset vehementius verberans lapidem. Vide ne perdas manum, (vt cum Plauto in Curculione loquar) Inferiorum sacerdotum honor etiam apud gentes in honore non mediocri fuit.

Quòd Diodorus Siculus in 2. ac alij plerique historici in locis quamplurimis testantur. Taceo de summi Pontificis dignitate,

ac eminentia, contrà quem absque discrimine effutire, quæ volueris olim grande piaculum erat. Et tu si micam virtutis haberes, à multis abstineres. Procuidubio scis Augustinum ægerrimè tulisse, quando Petilianum audiuit cathedram Apostolicam appellare cathedram pestilentiæ. Et ego tibi obijcere possem, sicut est in lib. contrà literas Petiliani cap. 51. Cathedra tibi, quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit. Sed forsan tu, vel mihi abusus obijcies, aut quòd illi nulla præ cæteris Ecclesijs auctoritas tribui possit, ac debeat, quod ad abusus attinet. Si modo sint, hoc tene firmissimè numquam, vel in Romano, vel alio Pontifice me probasse abusus. Scio namque maledictionem à propheta vaticinatam Esaiæ 5. cum ait: Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum ponentes tenebras, lucem, & lucem tenebras amarum in dulce, & dulce in amarum.

Scio quoque in Genesi mistico sermone enarratum, quomodo diuiserit Deus inter lucem, ac tenebras, quod in Hebræo sic scribitur. *Vaiabdel Elohim ben baor vben bachsec.* Et cum Apostolo Paulo exclamo, Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? qui consensus Christi ad Belial. Sed & non ignoro Aug. in 1. lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ rectè consuluisse propter malos in Ecclesia, etiam eos; qui præsunt Ecclesiæ non esse malè dicendum.

Et Ignatius in epist. ad Magnesianos: Dignum est, inquit, vos obedire Episcopo vestro, & in nullo ei contradicere. Terribile, enim est tali contradicere. Non enim istum visibilem quis spreuit, sed illum inuisibilem in eo contemnit, qui non potest à quoquam contemni, hic enim non ab homine, sed à Deo habet promotionem. Dicit enim Deus Samueli de contemptoribus eius: Non te spreuerunt, sed me. Nam, & Moses populo aduersus se murmuranti dicit; Non enim aduersùs me murmurastis, sed aduersùs Dominum Deum.

Nemo enim inultus remansit, qui se contrà potiores extulit. Denique in lege Dathan, & Abiron Mosi resistentes viui ad Inferos depositi sunt, sed & Chore, & qui conspirauerant cum eo aduersùs Aaron ducenti quinquaginta igne consumpti sunt. Absolon etiam patricida existens diuino iudicio arbori appensus est, Sed & cor eius, quòd malè cogitauerat, sagittis transfixum est. Nam, & Achab, & Aman nihilominùs propter similem causam morte plexus est. Ozias quoque leprosus factus est, qui contra sacerdotes, sacerdotium ausus est arrogare.

Saui etiã sacrificare præsumens, regali dignitate dehonoratus est, non expectans principem sacerdotum Samuelem &c. hæc gloriosus, ac ueera sanctus martyr Ignatius.

Sed quod passim apud veteres de Romana Ecclesia, ac eius Pontifice scriptum esse comperio, non parùm me mouet, vt huic sedi sua iura (ne ordinem tabernaculi turbatum olim experiamur) facile non feram.

Et tu intrà te si redieris, non ignoras quòd constant omnia ex pondere, immò, & mensura, vt Salomon olim dixit. Et vt Apuleius habet, nihil est sine ordinis dispositione. In omnibus quoque iste mundus ex ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. Nimirum si pro conseruando ordine ecclesiastico supremus aliquis agnoscatur.

Scis ex Tito Liuio, ac alijs historiarum libris quantis excursionibus, quot obsessionibus fuerit Roma diuexata, ac imperita, sed prouidentia Dei factum est, vt post totidem obsessiones, ac euersiones demùm hìc Apostolici sacerdotij Principatus habeatur. Omitto hac de re, quod pulchrè Flauius Vopiscus habet de restauratione Vrbis Romæ. Sed, & Ecclesiæ Romanæ quædam audi præconia. Cyprianus Carthaginensis Episcopus hanc cathedram vocat, ac Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta sit. Ità in 1. lib. epistolarum epistola 3. testatur, idem quoque dicit in Ecclesia Vrbis Romæ suis temporibus, quòd nulla hæresis vnquam sumpserit exordium. Si ergo tempore Cypriani cathedra Petri principalis fuit, illicque nulla hæresis, cuius Septimius recordatus fuerit, sumpsit exordium, certè vix fieri potest, ve non aliquo dono gratiæ diuinæ fuerit hęc Ecclesia firmata.

Quid quòd Augustinus in libris de baptismo contrà Donatist. Cyprianum, ac illius patres in Cartaginen. Concilio congregatos propter Ecclesiam Romanam pulchrè excusat. Et orthodoxus Hieronymus in dialogo aduersùs Luciferianos, audi, quid dicat: Conatus est B. Cyprianus contritos lacus effugere, nec bibere de aqua aliana: & idcircò hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanum Vrbis Episcopum, qui à beato Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Aphricanam synodum direxit. Nolo hic dicere, quod apud eundem Hieronymum in Apologia aduersùs Ruffinum habes de Carthario Romanæ Ecclesiæ, & idem Hieronimus in Epistola ad Principiam virginem mira dicit de sede Romana, maximè quòd Alexandrini sacerdotes, & alij persecutionem Arrianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum Religionis portum Romam confugerint.

Hieronymum etiam Romam cum sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio ecclesiastica necessitas traxit, quorum alter Antiocyenam Syriæ, alter Salaminam Cypri rexit Ecclesiam. Confluxerunt itaque Sancti Patres ad Romanam fidem tamquã ad purissimum fontem, vt Hieronymus verbis vtar, Numquid non vir ille sanctissimus Athanasius ad Romanum confugit Pontificem? Et propemodum stupendas habes historias de eodem Athanasio Ægyptiorum, ac Hilario Gallorum Episcopis. De Eusebio, ac alijs: apud eumdem Hieronymum, aduersus Luciferianos scis, quid scriptum inueniatur.

Tempore denique Ambrosij relationes factæ sunt ad Pontificem Romanum. Sed audi quid dicat idem Ambrosius Mediolanensis Episcopus in 10. lib. epistolarum, vbi conqueritur de discordijs inter Euagrium, & Flauianum, demum ità subinfert. Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrũ Romanæ Ecclesiæ sacerdotem, quoniam præsumimus te ità iudicaturum, quæ etiam illi displi-

displicere nequeant. Ità enim vtile erit consultum sententiæ, ità pacis, & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat, vt nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobarit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur. Et idem Ambrosius ad Siricium Papam scribens inter cætera sic ait: Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana iterum semper custodit, & seruat. Sed summa diligentia pensandum est, quòd in 2. lib. contra Cœlestium, & Pelagium Augustinus habet: maximè, quòd Cælestius beati Papæ Innocentij literis non sit ausus obsistere, immò omnia, quæ sedes illa damnarit, damnaturum se esse promisit.

Et Pelagius quamquam homo ingeniosus, Romanam tamen Ecclesiam fallere vsquequaque non potuit. De hac, & aliorum damnatione idem Augustinus in 2. lib. contrà duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 3. & non parua res est, quòd idem Augustinus in eodem libro primo Bonifacio scribens, beatissimum eum vocat: quanquam id, & alios passim fecisse non ignorem. Et hunc Pontificem Bonifacium altiori fastigio præsidere fatetur: inter cæterà sic ad eum scribens; Cum communis sit nobis omnibus, qui fungimur episcopatus officio, quamuis ipse in ea præmineas celsiore fastigio specula pastoralis. Sed hæc fortassè diu post Christi natiuitatem facta, ac recognita esse obijcies. Cui obiectioni ità respundeo.

Scis Cyprianum tempore Valeriani vixisse, & sic circà annum Domini 400. Quod ipsemet testatur in 2. libro aduersùs Iouinianum: Quadrigenti, inquit, fermè anni sunt, quòd Christi prædicatio fulget in mundo: immò certum est Hieronymum anno ab orbe redempto 331. sub Imperatore Constantino Oppido Stridonis esse natum.

Et quòd Ambrosius, ac Augustinus sub tempore Hieronymi vixerint, nemo est qui ignoret.

Quòd si illorum temporibus tanta sedis Romana fuit auctoritas, vt ad hanc veluti matrem, ac superiorem patres illi non solùm scripserint, sed, & confugerint. Pie eredendum est ante illorum tempora ità forsan ab Apostolis, vel sanctis saltem Concilijs illud idem esse traditum, ac ordinatum, quod, & in pluribus alijs hodie eredendum puto. Nam quæ toto orbe seruantur, datur intelligi ab Apostolis, vel Concilis ità esse ordinata, vt habet Augustinus in 1. lib. ad inquisitiones Ianuarij cap. 1. Habet, & Damascenus in 4. lib. de ortdodoxa fide. Sed ad hæc omnia, dic quæso, quid est hoc apud Hieronymum in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, ità scriptum esse legitur.

Polícarpus Ioannis Apostuli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit. Quippè qui nonnullos Apostolorum, & eorum, qui viderant Dominum, Magistros habuerit, & viderit hic propter quasdam super die pascæ quæstiones sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium Marcionis, & Valentini persuasione deceptos reduxit ad fidem. Cumque ei fortuito obuiam fuisset Marcion, & diceret, cognoscis nos? Respondit: Cognosco primogenitum Diaboli: hæc Hieronymus.

Nolo hic dicere de Egesyppo, qui vicinus fuit apostolicorum temporum, qui se pariter asserit venisse Romam sub Aniceto, qui decimus post Petrum Episcopus fuit, & perseuerasse vsque ad Eleutherium eiusdem vrbis Episcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerit.

Quamquam intereà Sother etiam pontificatum gesserit. Ad Polycarpum redeo. Quid putas mi Luthere, hoc sibi vult, quòd Ioannis Euangelistæ Discipulus totius Asiæ Princeps, qui nonnullos Apostolorum, & eorum, qui viderant Dominum, Magistros habuerat, & viderat, non ad Petrum (mortuus enim fuerat anno Neronis vltimo, hoc est 14. Egesyppo, Hieronymo, Eusebio ac alijs testantibus.) Sed ad Anicetum Petri successorem Secundum, quosdam Decimum secundum, alios Duodecimum venit, ac super dies paschæ quæstiones proposuerit.

Quid opus erat hic dubitare, cum Policrates Ephesiorum Episcopus testatur se, ac alios Asiæ Episcopos à Ioanne, ac cæteris viris sanctissimis didicisse, quo tempore, ac die pascha celebrari possit, ac debeat. Si par fuit illi potestas, cur non per totam Asiam super Paschæ celebrationem constitutionem fecit? Alterum iam audi. Quid hoc sibi vult quòd in primitiua Ecclesia Thessalonicensis Episcopus in confirmandis, ac dirigendis vicinis suis Episcopis Vicarius fuit Romani Pontificis, Vicarium inquam propter longioquam prouinciarum distantiam. Quòd si qui per hunc Thessalonicensem Episcopum etiam Metropolitani antistites grauati fuerunt, res tota ad Pontificem Romanum relata fuit. Ità de Attico veteris Epyri Metropolitano antistite factum esse, certæ, & verissimæ nobis tradunt historiæ.

Scis autem Thessalonicenses esse Macedones. Vnde Strabo in 7. libro Thessalonicam Oppidum Macedonum esse dicit, quæ supra cæteras suæ ætatis vrbes eximia ciuilitate floruerit.

In ea, & Caius, cuius Paulus meminit in Epistola ad Romanos, fertur traditione maiorum fuisse Episcopus de Epyro, Illirico, Propontide, Stritimone, & Nesto, alijsque locis vicinis, ac Thessaloniæ proximis, vt multa dicam, necesse, non erit ea loca, quoniam à Romana Sede longissimè distabant, ne Cathedræ Romanæ aliquid forsan iuris adimeretur, ordinatum est, vt quod ageret in hisce prouincijs Thessalonicensis Episcopus, hoc tamquam pontificis Romani Vicarius ageret.

Et fortè successu temporis facta sunt hæc ex consensu Apostolorum, qui & secundum Hireneum Ecclesias distribuerunt. Et licet hæc tibi forsan absurda videantur; qui in actis Apostolorum scripta non inuenias: tamen nihil, vel parum refert. Apostoli enim multa tradidisse perhibentur, quæ scripta non sunt, sicut est de quadragesima, quam Hieron. ad Marcellam aduersùs Montanum asserit ex traditionibus Apostolorum esse institutam. Et Papias Ioannis auditor Hie-

ropo-

ropolitanus Episcopus in Asia, testatur, idem scribens se non varias opiniones sequi, sed Apostolos auctores habuerit. Vnde considerauerit quid Andreas, quid Petrus dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Matthæus, vel alius quilibet Discipulorum Domini, quid etiam Aristion, & Senior Ioannes & alij Discipuli Domini loquebantur. Sed de his aliàs tecum disputabo profusius.

Ad Ecclesiæ Romanę statum primitiuum redeo. De Hirenæo, qui Lugdunen. in Gallia regebat Ecclesiam, scribit Hieron. quamuis presbyter à martyribus eiusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romanus missus honorificas super nomine suo ad Eleutherium Episcopum pertulerit literas. Is autem Hirenæus in primitiua vixit Ecclesia. Et legimus non absque causa Origen. (qui & Adamantinus dicitur) antequam Cæsaream migrauit, Romæ fuisse sub Seuerino Episcopo.

Sed vt semel finiam, testantur vetustissima scripta sanctorum patrum, quomodo ferè ex omni natione totius christiani orbis, & ab his, qui temporibus Apostolorum proximi fuerunt, relationes ad Rom. Pont. factæ sint. Quod si hoc sanctissimi, præclarissimique viri fecerunt, difficillimum erit hanc nostro tempore progatiuam auferre.

CAP. XXVII.

Ex his iterum sequitur, quòd præesse & nec diligere, nec pascere non est Euangelium, neque Christianum officium, sed mundanum, & humanum; Responsio quòd non est noua latinitas, & apud Patres est officium datum à Christo.

LVTHERVS.

ET dicis, pascere non potest, nisi sit superior. Ergo licèt non faciat officium pastoris, non per hoc superioris amittit locum. Respondeo quid ad me. Quære ergo alia verba, quibus locum potestatis asseras, hæc verba aut amantem, aut pascentem requirunt, aut nulli conueniunt. Nisi iterum noua latinitate Diligere plus his accipias pro eo, quod est præesse cæteris omnibus, & pascere omnium iura, & opes possidere. Proindè nihil mirum si primatum tantò æstu quærunt, quem si verbis in suo significatu acceptis' gerere deberent, nec Deum ipsum pro præmio essent expectaturi. Vides nunc quid sic illudere scripturas, seu vt modestiùs dixi, ex frigidissimis decretis primatum hunc probare. Sequitur ex his, quòd præesse, & nec diligere, nec pascere, non est Euangelicum, neque christianum officium, sed mundanum, & humanum.

FABER.

Non est noua latinitas, per hæc verba [Pasce oues meas;] Petro quid speciale præ cæteris esse concessum. Ante mille annos Chrysost. probauit: ac dixit per hæc verba [Pasce oues meas,] Petrum cæteris prælatum atque præpositum: Huius certè auctoritati, non parum tribuo, maxime dum diuum Hieron. in epistola ad August. illius eruditioni atque scripturis tanta tribuisse videam. At non solus Chrysost. sed & alij itidem dixerunt sanctissimi viri græci atque latini. Quod, vt faciliùs credas, en Hier. in Esaiam cap. 65. Agni credendi sunt omnes, ait, qui in vestibus candidis sequuntur agnum quòcumque ierit, quos dominus Petro tradidit ad pascendum, dicens. [Pasce agnos meos,] Ea propter proculdubio passim apud doctores Petrus vocatur, ac dicitur Princeps Apostolorum. Ita apud Cyril. in 12. lib. super Ioan. Et ante hunc idem reperitur apud Orig. in homil. 2. super Ioanne Chrysost. Itidem facit in homilia de sumentibus indigne diuina, & sancta mysteria, quæ est mihi homil. 60. Ita in homil. de dist. ac pau. quàm est mihi homil. 10. in ordine secundi vol. Et iterum in homil. 72. super Ioan. Ac eodem epitheto idem os vetè aureum Petrum ornat in homil. 87. super eodem lib. Id pariter fecisse non in vno loco dumtaxat legitur Hieron. qui sæpissimè non grauatur eum vocare Principem Apostolorum in primo libro aduersùs Pelagianos. Simile facit in Esaia cap. 52. vbi & inter cætera hæc verba, Beatus es Simon Bariona, omninò refere ad personam Petri. Quod & idem habetur apud Chrysost. homilia 2. in psal. 50. quo in loco, & Petrus vocatur columna, ac fundamentum fidei. Sed ad Hierou. redeo. Is ut nosti in epistolam ad Galat. cap. 1. iterùm, ac iterum eum Principem vocat. Quod & in epistola, quę est ad Paulam & Eustochium antea fecisse legitur.

Reperitur illud idem iteròm apud Hieron. in epistolam ad Galat. cap. 2. Et idem habetur in epistola, quam scripsit Hieron. ad August. Est & hoc idem apud eundem in psal. 67. Facit hoc D. ille Greg. in quamplu-ribus locis, qui & hunc primum pastorem vocat, vt supra ostendimus ex canticis eiusdem, ac libro, quem pastorale vocat. Taceo quæ apud Origenem, Cyprianum, Leonem, ac D. Bernardum habentur. Quid hoc igitur sibi velle putas, quàm toties vno, & eodem vocabulo Petrus Princeps vocatur Apostolorum? Si nihil plus quàm illis datum erat cur principis nomen meretur? Scis quid sit princeps, quo in loco ponendus, quid statuere possit, quàm potestatem habeat. Docet nos verbi vocabulum, docent & leges, quas forte videre non dignaris. Cum tot itaque sancti viri, patresque doctissimi Petrum hoc honorifico titulo toties ornauerint, fieri non potest, vt non ex aliquo Euangelij loco hoc dixerint. Quòd si principatum inter Apostolos Petro dederimus, vt schismatis tolleretur occasio, post totidem sæcula Rom. Pon. suum Principatum vix iustè auferre poterimus. Nisi contra consulta Hieron. ordinem tabernaculi destruere velimus. Et certè in hoc loco nostri sæculi decus, & totius Germaniæ ornamentum Erasmum Roterodamum, cui verè plurimum debes, ab illo enim didicisti non parum: sequi debebis. Is enim in annotationibus suis in acta Apostolorum

cap.

cap. 9. Petrum intrepidè vocat Apostolici culminis Principem, ac in Matthæi caput sedecimum, Rom. Pontific. fidei christianæ principem vocat. Et in Methodo Petruni nominat christianæ professionis Principem secundum Christum. Quæ omnia propterea recensere volui, vt disceres non sine causa domini verbum ad Petrum referri posse, atque debere.

CAP. XXIX.

Ex eo quod Papæ pascant per alijs, non esse Pastores, cum etiam Turca posset hoc facere, arguit Lutherus, & respondet Faber hos esse abusus.

LVTERVS.

Dic mihi, si subditi erecti aduersùs Pontificem dicerent. Nolumus te audire, neque habere pro Pontifice, quibus velles verbis compescere, numquid his, [Pasce oues meas ?] At ipsi dicent. Quando pascis. quando diligis, vbi opus, & res huius verbi? ergo alio verbo cogendi essent, non isto. Quare sequitur, quod his verbis, nec vlla potestas, nedum primatus committitur, sed potestatem habenti officium diligendi, & docendi imponitur, sicut Petro iam in Apostolatum vocato hæc dicuntur. Dicis autem sufficit, quæ per alium doceat & diligat, non est necesse, vt per se solum faciat.

Respondeo, admitto, sed hoc isto verbo non traditur. Quare & alio verbo hanc licentiam astrui oportet. Hoc verbum insuperabiliter concludit, aut pastores esse debere, etiam per seipsos amantes, & docentes, aut si non per seipsos amantes, & docentes, nihil ad eos hoc verbum pertinere. Atque ità nihil probatur ex ipso pro Monarchia Romana, sed potiùs contrà pugnatur, cum tot amari, & pasci ab vno sit impossibile.

FABER.

Durum est verbum populi clamantis Lucæ 19. Nolumus hunc regnare super nos. Ego quoque Sophoclis carmen in te iustè reiicere possem.

eglossa son tòn thymon os deinon trephei.

Et docemur à Petro subditi esse debere in omni timore dominus, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Et suprà ostendimus non vsque ad sanguinem pastorem esse excutiendum. Nam teste Cyprian. plerumque indè schismata nascuntur in Ecclesia Dei. Vbi autem sunt schismata, ibi & hæreses, sed fortè schisma tibi cordi non est. En si inconsutilis tunicæ diuisionem minimè curas, saltem schisma abhorreas quæso; & hoc si non virtutis amore; saltem formidine pœnæ. Scio namque te non ignorare schismatum auctoribus id euenire posse, quod scriptum est in Regnorum libris, scilicet quòd à tribu Iuda, & Beniamio decem tribus scissæ sunt, & relicto Rege alterum foris sibi instituerunt. Quare indignatus est Dominus, sicuti scriptum est 3. regum 12. In omne semen Israel, & dimouit eos in direptionem, donec abijceret eos à facie sua, quia dissipatus est Israel à domo Dauid, & constituerunt sibi Regem Ieroboam filium Naboth, indignatum esse Dominum dicit, & eos in perditionem dedisse, quòd ab vnitate dissipati essent, atque alterum sibi Regem constituissent. Et tanta indignatio Domini extitit aduersùs illos, qui schismata fecerunt, vt etiam cum homo Dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque vltionem futuram prædiceret, panem quoque edere apud illos, & aqua bibere vetaretur Quod cum non custodisset, & contra Dei præceptum prandisset, statim diuinæ censura maiestatis percussus est, ità vt indè regrediens impetu, ac morsu Leonis in itinere necaretur. Vides mi Luthere, quàm grauis sit vltio in eos omnes quotquot fuerint schismatum Auctores. Hanc historiam ob oculos tibi statuas per pacis auctorem rogo, & discas in Ecclesia Dei tranquillum agere doctorem, & toties prohibitus noli noli quæso cruentam excitare tragœdiam. Verè enim ni fallor, exitum talis tragœdiæ rectè præscribit, vt præmoneat Hiræneus in 4. lib. contrà hæret. dicens. Hæretici alienum ignem afferentes ad altare Dei, idest alienas doctrinas; à cælesti igne comburentur, quemadmodum Naath, & Abiu. Qui verò exurgunt contrà veritatem, & alteros adhortantur aduersùs Ecclesiam Dei, remanent apud inferos voragine terræ absorpti, quemadmodum circa Oreb, Darhan, & Abiron.

Qui autem scindunt, & separant vnitatem Ecclesiæ, eandem, quam Hieroboam pœnam percipiunt à Deo. Et non ignoras quantùm August. abhorreat has factiones, ac schismata in lib. de baptis. contra Donatist. ac pluribus alijs locis? Non ergo concitandus est populus, qui alioquin fœnum habet in cornu. An nescis Maximi Tirij verbum in serm. 41. Populus furiosus est multiplex, multisonus multipliciter affectus, qui si in seditionem concitatus fuerit, infinita mala peragit, quod & Thucididem historicum in 3. lib. confirmasse legimus. Et vero verius est, tranquillo populo (dicente Tirio) nihil esse lepidius. Sed ad tua redeo; sic infers. Si subditi sic aduersùs Pontificē dicerent [Nolumus te audire, &c.] Nunquid non itidem erga Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos iustissima occasione facere possent? Sed quomodò iam stabit quod scriptum est: Subiectus esto Pontifici tuo; & quasi animæ parentem suscipe. Sed id interim nunquam in mentem venit, dicito quæso, quod apud Hieron. ad furiam de viduitate scriptum sæpè legit, videlicet illius monachi vita laudanda est, qui venerationi habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. Et in hac re quantùm ad me pertinet propitius ità sit mihi Dominus) nihil est quod ego magis detester, quàm populum suscitare, ac incendere, vt contra Pastores cristas erigant.

Scriptum enim inuenio apud August.

lib. 2.

lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 4. Habentes plebes tales Episcopos, qui bona dicunt ex Cathedra Moysi, & ea, quæ dicunt non faciunt ex pestilentia sua, si illi faciunt ea bona, quæ dicunt, & non faciunt ea mala, quæ faciunt, sicut præcepit Dominus. Nonne satis indicant non intelligendum, ità principem populi, & Rectorem Ciuitatis, quomodò esti intelligunt? Possunt enim populi esse boni, vbi fuerunt Episcopi mali, sicut potuit esse populus malus, vbi fuit Moyses Princeps, & Rector bonus. Ad hæc etiam, vt vno verbo concludam, subdictis quoque respondeam. Audi quid idem August. iterum in Euangelio Ioann. tract. 5. Sint ministri iusti si volunt. Si autem noluerint esse iusti, quid in Cathedra Moysi sedent? securum me fecit Magister meus, de Spiritu eius dixit. Hic est qui baptizat, quomodo me securum fecit? Scribæ inquit, & Pharisæi super Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Si fuerit minister iustus, computo illum cum Paulo, computo cum Petro: cum istis computo iustos ministros; quia verè iusti ministri gloriam suam non quærunt. Ministri enim sunt, pro iudicibus haberi nolunt, spem in se poni exorrescunt. Ergo computo cum Paulo iustum ministrum. Quid enim dicit Paulus? Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Qui verò fuerit superbus minister, cum Diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi; quod per illum fluit, purum est, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram, puta quia ipse lapideus est; hæc August. Ex his ad tumultuariam, & planè popularem obiectionem satis esse responsum credo, maximè siqua, & alibi sparsim dicta sunt in animum reuocaris.

CAP. XXIX.

Ex eo quòd Papæ pascant per alijs non esse Pastores, vno etiam Turca possit hoc facere; arguit Lutherus, & respondet Faber hos esse abusus.

LVTHERVS.

Videmus quidem officium diligendi, & pascendi à Pontificibus Romanis tradi Episcopis, retento titulo Pastoris & amatoris. Et Episcopi eodem nomine seruato tradunt curatis, curati cappellanis. Nomen per omnes transit, & hæret, officium transit, & in nullo hæret. Sed & fratres mendicantes sumpto ab illis officio strenuè eos imitantur. Maiores & magistri officium docendi fratribus terminarijs imponunt. Ipsi nomine officij contenti, adeò molestum est verbum Dei docere, diligere, & pascere, propter quod vnum filius Dei venit in Mundum, misitque Spiritum sanctum, & omnia fecit, vt officium hoc esse officiosissimum. Quod si satis est per alium docere, quid ampliùs facit Episcopus, quàm laicus? Nonne vel Turca potest iubere, aut permittere vt alius diligat, ac pascat? Quid ergo necesse fuit Petro tot vicibus repetitis mandare hoc officium, & tam instanter vrgere? Et iste modus Euangelij interpretandi: [Pasce oues meas:] Idest promitte, iube, vt alius pascat. Si ille alius per alium pascat, & tertius per quartum, ac sic sine fine vsque ad neminem, vbi manet verbum Christi? aut qua decentia cæteri sequaces pascent, quando primores, & qui plus his debent, non pascunt? Cur Christus non fecit idem? Cur Petrus etiam non ociatus per alios pauit?

FABER.

Renouas hic cicatricem vulneris antiqui, & reuera plus iusto acerbius, ac molestius. Scis quo tempore vixerit D. noster Hieronymus. Is in epistolam ad Titum scribens cap. 1. conqueritur sua tempestate plurimos esse, qui in constituendis Presbyteris per singulas vrbes non quærant eos, qui possint Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sint obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Et, vt deteriora taceam, inquit, qui vt clericis fierent, muneribus impetrarunt. Vides qui fuerint abusus circa Presbyteros diligendos etiam tempore Hieronymi, Sed idem sanctus Pater quanquam iustam habuerit occasionem, tamen ante hac post hanc sententiam non nisi modestissima scribit, honoratur, ac monet. Citat enim hoc Euangelij verbum Lucæ 10. [Qui vos spernit, me spernit, qui me spernit, spernit eum, qui me misit. Sic & qui vos audit, me audit, qui autem me audit, audit eum, qui me misit.] Deinde ex epistola ad Hebræos 13. cap. Parete Principibus vestris, & subiecti estote. Ipsi enim sunt qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes. Cum eodem Hieronym. ad Nepotianum tamen id asseto, ac dico quod ab eodem scriptum inuenio: Episcopi Sacerdotes se esse nouerint, non Dominos, honorent Clericos quasi Clericos, & ipsis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum illud est oratoris Domitij Imper. Cur ego te, inquit, habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem? Quòd Aaron, & filios eius hoc Episcopum, & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnus templum, vnum sit etiam ministerium. Recordemur semper quid Apostolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: [Pascite qui in vobis est gregem Domini prouidentes non coactè, sed spontanee secundùm Deum:] neque vt turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Clerum, sed forma facti gregi ex animo, vt cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam.

Pessimæ consuetudinis est, in quibusdam Ecclesijs tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut inuideant, aut non dignentur audire. Et si alij, inquit Paulus, fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Potestis enim per singulos prophetare, vt omnes discant, & consolentur, & Spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis.

[Glo-

[Gloria Patris est Filius sapiens.] Gaudeat iudicio Episcopus suo, cum tales elegerit Sacerdotes. Hæc Hieronym.

Et idem Hieronym. in Hierem. cap. 15. Ecclesiasticis, qui verba Domini, & doctrinam eius mala conuersatione disperdunt, dicitur, quasi triticum seminant, & spinas metunt, expectante Domino, vt fructum facerent,& non fecerunt iudicium, sed clamorem, de quibus infertur:Cleri eorum non proderunt eis. Quid enim eos iuuare poterit Episcopi nomen, & Presbyteri, vel reliquus Ordo Ecclesiasticus? Cùm magis grauentur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patientur, & quantò eis plus creditum fuerit, tantò plus requiritur ab eis. Hæc Hieronym. circa abusum sui seculi docere non erubuit. Sed nihil tale vspiam in Hieronym. deprehendis. Tale inquam quale tu per omnes gradus,& quasi infinitum taxas, ità etiam vt nec tui cofratres à tua reprehensione possint euadere. Confratres autem tuos puto religiosos cæteros, qui vota vouerunt Domino, & reddunt, de quibus in alio loco tecum agemus.

CAP. XXX.

Arguit Lutherus. Non dicit Christus, Estote oues sub Petro, sed Petre pasce oues, & tamen illud volunt Pontifices, hoc nolunt. Respondet autem Faber hoc esse iudicium temerarium; & demonstrat exemplis.

LVTHERVS.

IGitur si ista verba ad Pontificiam potestatem cogas seruire, in neruum tua res ibit. Et concludes à tempore Gregorij Magni non fuisse Pastorem in Romana Ecclesia. Hic enim ferè vltimus eorum est, qui sacras literas tractauerunt. Quare si gloriaris dictum esse Petro: [Diligis me plus his? Benefac & viues; dilige plus cæteris; pasce plus cæteris: induentur arietes ouium, & valles abundabunt frumento,clamabunt,& hymnum dicent.] Quòd si per diligere plus his intelliges maiorem te alijs, iam verbo Christi alienam intrudis intelligentiam. Non enim aliquid iubetur subditis per hæc verba, sed Petro. Non dicit estote oues sub Petro, sed Petre pasce oues, & tamen illud volunt, hoc nolunt.

FABER.

Scis quid scriptum sit apud Cyprianum 3. lib. cap. 51. ad Quirinum non temerè de altero iudicandum in Euangelijs catà Lucam: [Nolite iudicare,ne iudicemini,nolite condēnare,ne condemnemini.]De hoc ipso adRom. [Tu quis es,qui iudicas alienum seruum? Dominus suo aut stat,aut cadit,stabit autem,potens enim Deus statuere eū.]Et iterum:[Quare inexcusabilis es ò homo?] in quo enim alium iudicas, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. [speras autem tu qui iudicas eos, qui mala agunt, & eadem facis, quis ipse effugies iudicium Dei.] Item in epistola ad Corynth. 1. [Et qui se sperat stare; videat ne cadat.] Et iterum: [Siquis se putat scire aliquid, dum non scit, quemadmodum oporteat.] Et Hieronym. ad Asellam, Periculosum esse ait de seruo alterius iudicare, & non facilis venia praua dixisse de rectis. Sed vera est sententia eiusdem in libro aduersus errorem Ioannis Hierosolymitani: Qui inimicus est, in scyrpo nodum quærit: Amicus quoque praua recta iudicat.

Quod si de viuis iudicare prohibemur, multò minùs mortuos iudicare poterimus. Scriptum est enim Ecclesiastici 7. Mortuo non prohibeas gratiam. Et in eodem lib. 22. Supra mortuum plora, deficit enim lux eius. Et fortè non ignoras, quàm indignum sit ingenuo viro luctari cum laruis; pugna hæc est vmbratica: Quam etiam referente Suida gentiles detrstati sunt. Hoc vt Christianus sentio, ac dico, sentias tu quicquid velis. Tamen esset valdè periculosum à nongentis annis Ecclesiam à suo Sponso sic derelictam, vt astruamus inter centum, & sexaginta Pontifices non fuisse Pastorem in Romana Ecclesia. Credat hoc quisquis velit. Ego pijssimè credo inter hos Patres fuisse nonnullos, & sanctos, & doctos, quorum iudicio ferè tota stetit Ecclesia, nec ab illis Pastoris nomen vnquam adimi debet. Et quia mortuorum famam lacerare, immò salutem eorum quantùm in te fuerit, obscurare videris, eo quòd à tempore Gregorij Magni hic dicis in Ecclesia non fuisse Pastorem, qui nomen Pastoris saltem re ipsa meruerit. Vnde quorundam Pontificum vitam breui descriptione depingam, quo totus etiam intelligat Orbis te hic incautè, ne dicam temerè contra Chylonis dictum maledixisse mortuis.

Papa itaque in ordine septuagesimus fuit Dominus dedit patria Romanus. Hunc tantæ sanctitatis ferunt fuisse, vt quendam obuium elephantiæ morbo laborantem osculo suo lepra statim liberauerit. Ioannes IV. natione Dalmata quamprimùm Pontificatum inijt, & statim mira pietate captiuos ex Ecclesiæ thesauris liberauit. Theodorus Primus, omnia, quæ ad dignitatem Religionis Christianæ pertinere arbitrabatur, circumspiciebat, vt bonum Pastorem decet, in omnes maximè autem erga pauperes mira benignitate vtens.

Quid dicam de Adeodato patria Romano viro omni religioni dedito, quem historici dicunt in delinquentes fuisse clementem, in pauperes beneficum, in hospites benignum, erga calamitosos misericordem. Nec minor laus est Agathonis illius, qui vir tantæ sanctitatis fuit, vt leprosum obuium factum osculo suo statim liberauerit. Tantæ prætereà mansuetudinis, & humanitatis fuit, vt neminem à se vnquam tristem dimiserit. Leonis autem secundi laudem præterire non possum, qui præter doctrinam, & eloquentiam plurimæ pietatis, & clementiæ fuit, quique omnis verbis, & exemplo ad iustitiam, & fortitudinem, humanitatem, & benignitatem adhortabatur. Nec minori præconio dignus Cenon habetur, qui fuit moribus, literatura, pietate, religione, dignitatis specie insignis,

guis,quem nonnulli Angelum ob venerandam canitiem, & dignitatem formæ appellarunt, animi simplicis, & integri, modestiæ, & iustitiæ singularis, constantiæ, & prudentiæ plus, quàm humanæ semper est habitus.

Et Sergius ità inter sacras literas versatus, ac incensus perhibetur, vt illius virtute, & sanctitate Saxones fidei nostræ characterem susceperint. Quod si fortè alium Gregorium I. habere cupias, en Gregorius III. qui fuit vir singularis doctrinæ, & humanitatis præcipuè græca,atque latina lingua eruditus, mentem diuinæ Scripturæ, ità callens, vt nemo tunc disertior prædicatione, atque interpretatione rerum occultarum, & admirabilium haberetur.

Præterea verò ne verbo tantùm, & cohortatione populos mouisse arbitraretur,omnia, quæ exemplo mouere possunt, ità assiduè ebibat, vt iudicare difficilè sit, promptior ne lingua, quàm opere habendus esset, orthodoxæ fidei, ità acerrimus defensor fuit, vt ob eam rem maximorum Principum graues simultates, & inimicitias susceperit, non armis, non potentia, non minis cuiuspiam è gradu constantiæ deiectus. Zacharias inter Pontifices optimos annumeratur; fuit enim vir mitissimi ingenij, miræ suauitatis & gratiæ, omni virtute prædictus, Cleri ac populi Romani amator, ad iram tardus, ad misericordiam, & clementiam promptissimus, nulli malum pro malo reddens, sed ad imitationem Saluatoris malum in bono vincens.

Sed dicas an tuo iudicio metiantur historiæ testantes Stephan.II.virum extitisse singularis religionis, & prudentiæ, amorem Cleri, Ecclesiarum restitutorem, & quòd re affirmante maximum est, is erat Christianæ doctrinæ diligens prædicator, & scriptor. Et apparet Paulus ille primus vitam Doctoris gentium strenuè imitatus, Pontifex fuit mitissimus, ac tantæ pietatis, vt etiam noctis tempore pauperum ægrotantium cubicula circuiret, vnumquemquam eorum, & verbis, & elemosinis ad recuperandam valetudinem cohortatus, carceremque adibat,indè plerosque ære alieno vexatos persoluto creditoribus prætio dimittebat, pupillos, & viduas tuebatur, & elemosinis sustentabat. Et dies me deficeret, si de sanctitate, & doctrina Stephani IV. Eugenij II. Valentini, Romani, Leonis IV. Innocentij III. ac aliorum plurium recensere velim, qui re vera præcelluere mirum in modum cæteros mortales religione, innocentia, pietate, gratia, doctrina denique incomparabili. Tu ergo videris, quàm indigne proponas à tempore Gregorij Magnij Pontificem non fuisse, qui Pastoris nomen meruerit. Discas ergo cohibere calamum, ne eos in Cœlum posuisse dicaris. Scis Cyprianum de raritate bonorum, ità conquestum, si Moysem, & Aaron, & Samuelem hodie haberet Ecclesia, cum inuocarent, exandirentur, & orantibus Iob, & Noe, & Daniel, populo parceretur.

Rarus hodie Phinees,qui perfordiat impudicos,rarus Moyses,qui occidat sacrilegos, rarus Samuel, qui inobedientes lugeat, rarus Iob, qui pro negligentia sacrificium offerat, rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat, rarus Noe, qui his quibus submersio imminet, arcam bitumine litam prouideat. Quòd si hæc in Ecclesia primitiua depræhenditur, nimirum si eo tempore,quo extincta est charitas, multorum id fieri videmus.

Et res est non parui mysterij, quòd Petrus in fide firmissimus, Apostolorum confidentissimus, post tantam Saluatoris promissionem in tam grande negationis ruit peccatum: hunc tamen benigno vultu respexit Dominus, & ter neganti gratiam non negauit. Quòd si Petro tam grande peccatum condonatum fuit à Domino, successores illius, & si quandoque lapsi fuerunt; certè in gratiam redire potuerunt. Possem hic tibi de Onesymo recensere historiam; ex ep. ad Philem. & non solùm de Onesymo, qui furto quædam rei domesticæ pertinentia compilarat, & denuò digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit; immò de Galatis, quos iterum Paulus Apostolus parturijt. Ii siquidem regulam fidei receperant, tamen rursum sunt ad infidelitatem relapsi: quare & secundò reuocantur ad veritatis rectitudinem, & pœnitentiam. Insuper iubetur Ioannes Ecclesiæ Ephesi scribere: habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor igitur esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera tua fac. Vides ne quomodo Dominus hortetur etiam post lapsum eos ad pœnitentiam, qui à recto calle oberrarunt?

Itaque non deijciendi sunt, atque damnandi Primates Ecclesiæ, etiam si vitiosi fuerint, atque criminibus obnoxij, in ictu oculi resipiscere possunt, nec illis denegata est gratia. Sed iam satis, superque probatum esse credo etiam à malo Pastore gregem Domini posse pasci. Et fortè consultiùs egisses Babylonem resina medendo, quàm hisce scommatibus, & quasi leonino dente ferè omnes lædere Pontifices, non modo viuos, sed & mortuos. Quòd si obieceris tibi donatum à Domino, vt prauos mores passim corripias, proin diligendus, non odio fueris habendus.

Ecce tibi respondeo: Fateor grande peccatum esse odisse corripientem,vt Hieron. verbis vtar in Amos cap.5. Tamen non secùs, quàm si non odio, sed amore corripiar: si solus ad solum, si assumpto fratre altero, si posteà præsente Ecclesia, vt non studio detrahendi, sed emendationis tuæ videatur crimen ingerere: hoc an seruaris, tu ipse indicato, sed fortè modum perquiris paulò meliorem. En mi Martine, numquam Hieronymum in lamentationes Hieremiæ cap. 4. ità scribentem legisti? Boni rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis,& mansuetudinis lenimentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere. Vnde & Doctor Gentium qualiter suis subditis præfuerit, ostendit dicens: Factus sum infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Et iterum Apostolus: Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. An vero non credis, obiurgationem non potiùs ad perditionem, quam

ædificationem conducere. Cauenda itaque hæc erant omnia, quibus odia implacabilia suscitari potuerunt.

CAP. XXXI.

Ex hoc sequitur has duas Euangelij auctoritates, nihil ad rem facere, cui respondetur SS. Patribus plus tribuendum, quàm Luthero.

LVTHERVS.

Credo itaque manifestissimum esse has duas Euangelij auctoritates nihil ad rem facere, & frigidissimum, atque inefficax esse, quicquid hucusque per ipsas in hac reformatum est. Ex his iam facilè est decreta ipsa iudicare, quàm infirmiter sua probent, quod vt clarum faciam, aliquot adduco.

FABER.

Credo ego mi Luther tot sanctis Patribus, ac communi consensui Christi-fidelium plus quàm tibi tribuendum. Quid dixerint, aut affirmariut, partim induximus. Sed stat tota contentio tua verbum Matth. 16. in personam Petri referri non posse. At non vnius, sed multorum contra te sententia pugnat, maximè Origenis in Matth. homil. 1. Cypriani in primo epistolarum libro epist. 3. & lib. 4. epist. 9. in lib. 2. tract. de habitu virginum, in tract. de simplicitate Prælatorum, in sermone de bono patientiæ, in libro de Hæreticis baptizandis ad Iubaianum, vbi non modò semèl, sed bis de Petro loquens dicit, super eum ædificaram Ecclesiam: & quòd illi claues traditæ fuerint.

Itidem habet Hieronymus in Amos c. 6. & paulò expressius in Esaiæ cap. 2. & in Hierem. cap. 16. & in lib. aduersùs Iouinianum, in epistola ad Marcellam aduersùs Montanum. Deinde Ambros. eadem confirmat in lib. 2. de vocatione omnium gentium, & in lib. de Isaac, & anima cap. 3. in Euangelium Lucæ lib. 7. in sermone de fide Petri Apostoli, quæ est mihi in ordine 47. Nec deest nobis Cyrillus Vrbis Alexandrinæ Patriarcha sanctissimus in Ioann. lib. 2. cap. 12. Iam quid de Chrysostomo dicam? qui pariter hæc Euangelij verba in Petri personam refert in homil. de diuite, & paupere.

Taceo plerosque eiusdem Chrysost. locos. De Augustino supra ostendimus, quomodo in lib. retractationum 2. noliteam damnare sententiam, quam vel ipse, vel alius verba hæc de Petri persona intelligat, aut intelligi posse ostendat. Sed & Hilarius Pictauien. Episcopus omninò in Petri personam hæc verba refert, vti supra ostendimus ex canone sedecimo in Matthæum ex libro de Trinitate.

Asserit hoc Tertullianus, confirmat Fulgentius, accedit Beda: Et ante hos omnes Hirenæus ille Episcopus de fide Christiana optimè meritus confirmat. Infra quoque quid Theophilus, quid Theophilactus, & alij Græci contra te scripserint, sanè intelliges.

Itidem & ter sanctus Leo habet in 2. sermone de passione Domini. In his & pluribus alijs sacræ Scripturæ locis reperitur hæc Euangelij verba de persona Petri posse, ac debere intelligi. Quare vt Ecclesiastica hierarchia cœlesti hierarchiæ iuxta verbum Dionysij, quisquis is fuerit, rectè respondeat. Tutius erit, ac veritati magis consonum primò, & principaliter Petro tamquam summo Doctori, Præsuli, Pastori, Capiti, ac Principi vtrumq; Euangelij verbum, hoc est Matth. 16. & Ioann. vlt. iuxta sanctorum Patrum interpretationem adscribere. Sed & iterum nos hic tecum occasione data, parum expatiari permittas. Magna sunt, quæ dixit, ac fecit Petrus, & re vera parua non sunt, quæ dedit, & fecit illi Dominus. In transcursu videamus ex Euangelistis, an hæc vera sint?

Matth. 19. Postquam Iesus adolescentem docuerat quomodo vendere deberet omnia, & dare pauperibus, si perfectus esse voluerit: & quòd faciliùs esset camœlum per foramem acus pertransire, quàm diuites intrare in Regnum Cœlorum: Prosilijt Petrus, & respondens dixit: Ecce relinquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Matth. 26. quando Christus Discipulorum fugam, scandalumque futurum insinuabat, Petrus præ cæteris ait: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, & iterum: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Marci 9. Postquam Iesus assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum solos, & transfiguratus est coram ipsis, & vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, & apparuit illis Helias cum Moyse, & erant loquentes cum Iesu. Et respondens Petrus ait: Rabbi bonum est nos hic esse: faciamus tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum. Marci 11. Transeuntibus Discipulis ficum, cui pridie maledixerat Dominus; Petrus dixit: Rabbi ecce ficus, cui maledixisti, exaruit. Marci 13. Cum egrederetur Iesus de templo, ait illi vnus ex Discipulis suis: Magister aspice quales lapides, quales structuræ. Et ait Iesus illi: Vides has omnes magnas ædificationes: Non relinquetur lapis supra lapidem, qui non destruetur. Dein verò sedens in Monte Oliuarum contra Templum, intertogabat eum separatim Petrus, & Iacobus, Ioannes, & Andreas: Dic, quando ista fient? & quod signum erit, & quando hæc omnia incipient consumari?

Lucæ 5. Quando Iesus stabat secùs stagnum Genazereth, & vidit duas naues stantes secùs stagnum. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum è terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Per totam noctem laborantes nihil cepimus, in nomine autem tuo laxabo rete. Et demum Simon Petrus procidens ad genua Iesu dixit: Ecce Domine, quia homo peccator sum.

Lu-

Lucæ 8. Mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari: accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius, confestim stetit fluxus sanguinis. Et ait Iesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit. Lucæ 19. Interrogauit Discipulos dicens: Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt, & dixerunt, Ioannem Baptistam. Alij autem Heliam. Alij verò, quia vnus Propheta de prioribus surrexerit. Dixit autem illis: Quem vos me esse dicitis? Respondens autem Simon Petrus Christum Dei. Lucæ 12. Postquam Christus parabolam dixerat de patrefamilias, ait ei Petrus. Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrus Lucæ 22. Seruo Pontificis abscidit auriculam. Lucæ 24. Petrus surgens cucurrit ad monumentum, procumbens, vidit linteamina sola posita, & abijt mirans, quod factum fuit. Ioannis 6. Postquam dixerat illis Dominus de pane vitæ, manna in deserto, pane de Cœlo, pane viuo de spiritu viuificante.

Et quando multi Discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant, dixit Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus: & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Ioannis 13. Dixit Iesus: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ad inuicem Discipuli hæsitantes, de quo diceret. Erat autem recumbens vnus ex Discipulis in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Et in eodem cap. loquente Domino Discipulis suis: Filioli adhuc modicum vobiscum sum, quæretis me. Et sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicit ei Simon Petrus: Domine quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado non potes modò me sequi, sequeris me autem postea. Dixit Petrus: Quare non possum modò sequi? animam meam pro te ponam.

Ex ijs itaque pluribus locis euangelicis manifestè apparet Petrum cęteris feruentiorem fuisse, ac quòd suis dictis, & factis reliquis fuerit mirabilior. Sed iam quid Christus Petro fecerit, quo honore eum decorarit, quid illi demandarit audiamus. Ecce Petrus inter Apostolos primus esse perhibetur. Quod quidem apparet partim ex Euangelio Matthæi, vbi Petrus in Apostolorum vocatione primus est. Nec ignoro, quòd de Apostolorum vocatione ab Euangelistis sit traditum, & quomodo Græci cum Hieronymo consentiunt, qui per iuga Apostolorum numerum primo iungunt loco Petrum, & Andream; proximo Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratres; tertio Philippum, ac Bartholomæum; quarto Thomam, & Matthæum; quinto Iacobum Alphæi, & Cebeium cognomento Tadæum; sexto Simonem Cananæum, & Iudam Schariotem. Hanc disputationem in aliud tempus seruans, iam dico, neminem nescire Petrum passim primum Apostolorum vocari, haberi, ac esse. Pergo vt enumerem quid illi dederit, ac fecerit Dominus, quod recitatione dignum esse puto. In vltima cœna cùm lauaret pedes Discipulorum, Dominus venit ad Simonem Petrum. Vbi licèt Chrysostom. credideri Iudam primum fuisse Discipulum, cui Christus lauerit pedes, tamen hunc locum August. tractans in Euangelio Ioan. tract. 56. sic ait: Quis nescit primum Apostolorum beatissimum Petrum. Sed non ità intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit, sed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes Discipulorum lauare cœpit, venit ad eum, à quo cœpit, idest ad Petrum, & tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expauisset, expauit, atque ait: Domine tu mihi lauas pedes? Hæc August.

Matthæi 8. Venit Iesus in domum Simonis Petri. Super quem locum scribens Chrysost. hortatur in hæc verba. Tu hic summam Petri in Christum reuerentiam considera. Nam cùm socrus sua domi iaceret, caloreque febris arderet, non traxit eum, nec cogere cogitauit, sed expectauit quousque prædicationem absolueret, cæterosque omnes, qui tunc ad eum confugerant curasset, & tunc demùm cùm intrasset ad ipsam iacentem, rogauit. Sic statim ab ipsis initijs aliorum commoda suis præponere discebat. Petijt autem domum eius non ab eo vocatus, sed sponte, atque à se ipso, vt qui à Centurione audierat: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Hinc quanti faciebat Discipulum possit intelligere, & re vera magnum erat Regem Regum humilem Piscatoris casulam subire. Ità Chrysostomus ad verbum. De clauibus, & potestate ligandi, soluendique satis, superque dictum est. Nec videtur admodùm necesse, vt reperamus nominis mutationem; vbi Marci 3. legitur, quòd imposuerit Simoni nomen Petrus. Et Ioan. 1. Tu Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Quale hoc nomen fuerit, infrà depingemus. Vbi ex Chrysost. probabimus, annuente Domino, Cephas nomen esse, & auctoritatis, & potestatis præcipuæ, atque maioris.

Marci 5. Quando Iesus volebat intrare domum Archisynagogi, & suscitare puellam mortuam, non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem. Magnum pietatis officium erat, quòd Christus Petrum post trinam negationem tam benignè respexit, vt etiam egressus foras fleuerit amare. Ioan. 21. Quomodo illi pascendas oues commiserit, paulò ante recitauimus. De ijs, quæ in Actibus Apostolorum leguntur, ne plus iusto prolixiores simus, iam nihil conferemus. Nempè supra ostensum est, quid & quantum ille præ cæteris egerit, ac prædicarit. Taceo hîc de miraculosis Petri operationibus, de quibus proprium caput apud August. habetur, obiter ea citate voluimus, vt aliquantulum appareret, quibus prærogatiuis, quibus eminentijs iustè Petrus ex euangelica historia adornari, extollique posset.

Habes etiam Marci vltimo, Petrum præ cæteris à Domino nominatum. Vnde ait: Dicite Discipulis eius, & Petro, &c. Nec alijs minor fuit, si miracula pensemus. Non enim non solùm suscitauit mortuos, sed quos eius vm-

vmbra contigit, sanabat. Vnde Actuum 5. magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ità vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis vt veniente Petro, saltim vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis, primus baptizabat. Nec mysterio caret, quòd illius nauem Christus ascendit, &c.

Ea omnia sic dicta, ac peracta intelligo, vt Petrus in hoc cœtu Apostolorum aliquid maius acceperit, sit quoque cæteris eminentior, & maior. Eapropter non sine causa dicitur illi, Petre pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Parce quæso mi Luthere, si quandoque tecum ex apertis, & nemini non notis sacræ Scripturæ locis, sermonem prolixiorem ineo. Non enim contra te dumtaxàt pugno, sed interim ad id tendo, vt quoddam genus hominum (scis quid velim) à fabulis,& inani philosophia auocem, ac ad sacra Dei eloquia, quibus nihil dulciùs vnquam quasi ad vera pascua ducam. Quod si consequi possem, crederem me gratum obsequium præstitisse Deo. Tecum ergo sepè locutus sum in ijs, quæ te scire optimè noui, sicut & ab initio libri feci, tibi ostendens, quando Petrus fuerit locutus pro omnibus, & quomodo diceretur os Apostolorum, non quòd hoc te latere putarem, sed quòd euangelicarum historiarum ignari sic pro certo intellexerant, quasi Petrus vbique pro Apostolis, & interrogarit, ac responderit.

Hos vt igitur Dei eloquio ego incenderem ex ordine locos euangelicos aliquot tibi recensui,quod & hic data opera feci, sed pergamus. Dilexerint licèt & reliqui Discipuli Dominum, inter quos Ioannes Euangelista laudem meretur non mediocrem. Sed hunc Petro præferre non audet Origenes. Non audent & alij, licèt etiam Ioannes, & Iacobus fuerint, iuxtà verbum August. honoratiores inter Apostolos, tamen præfertur illis Petrus, Propter quod sanctus Hilarius in laudem Petri super Matth. canone 14. sic ait. Hoc in Petro considerandum est fide eum cæteros anteisse. Nam ignorantibus cæteris primus respondit, Tu es filius Dei viui. Primus passionem dum malum putat detestatus est, primus & moriturum se, & non negaturum spopondit. Primus lauari sibi pedes prohibuit, gladium quoque aduersùs eos, qui Dominum comprehendebant, eduxit. Ascensu autem eius in nauem ventum, & mare esse sedatum, post claritatis suæ reditum æternæ Ecclesiæ pax, & tranquillitas indicatur. Et quia tum manifestus aduenier, rectè interim admirantes, vniuersi locuti sunt, verè filius Dei est. Confessio enim vniuersorum tum & absoluta, & publica erit Dei filium non iam in humilitate corporea, sed in gloria cælesti pacem Ecclesiæ reddidisse. Hæc Hilarius.

Nec mirum fuerit, si speciale quid crediderimus, Petro præ cæteris esse donatum. Vbique Petri animus feruentior esse videtur. Declarat hoc Hieronymus in Matthæum cap.15. sic dicens: In omnibus locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis Discipulis, quem homines dicerent Iesum, Dei filium confitetur, volentem ad passionem pergere prohibet. Et licèt erret in sensu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori. Quem filium Dei fuerat, paulò ante confessus, in montem cum Saluatore inter primos primus ascendit, & in passione solus sequitur. Peccatum negationis, quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lacrymis. Post passionem cùm essent in lacu Genazereth, & piscarentur, & Dominus staret in littore, alijs paulatim nauigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus, statim præcipitatur in fluctus. Sic quoque inquit Cyrillus in nono super Ioannem: In piscatione, cui intererant Petrus,& Ioannes, erat ille feruentior, hic altior: ille vehementior, hic perspicacior.

Quamquam Ioannes prior cognouit Iesum, Petrus prior ad eum properauit. Neque parua erant signa quænam quærit Chrysostomus homilia 86. super Ioannem,primum quòd multos cepissent pisces, inde quòd non scinderetur rete. Præterea quòd priusquam descenderent, prunas viderint, & piscem impositum,& panem, quem non ex subiecta materia fecerat. Vt propter quandam dispensationem fecit ante Crucem. Vt ergo cognouit cum omnibus relectis, & piscibus, & rete, succinxit se Petrus. Vides & reuerentiam, & desiderium. At qui ducentis quasi cubitis aberant. non tamen naui appellere expectauit, sed natando ad Iesum venit, quamquam paululùm trepidauerit. Non enim tantus erat ac talis, vt inquit Origenes super Exodum homil. 6. qui nihil omninò de specie plumbi in se haberet admixtum. Habuit, licèt parum, propter quod dicit Dominus: Modicæ fidei quare dubitasti? Habes ergo iterùm, quæ fecerit Petrus, & quæ illi præ cęteris Dominus fuerit largitus: Quæ quidem omnia ad primatum, quæm ego defendo non tam pro laude Petri, quàm ordine tabernaculi non parum faciunt.

CAP. XXXII.

Leo intelligi debet de fide Petri, non de auctoritate, aliòquin Stephanus, & Paulus non fuissent in soliditate Petri, sed contrarium ex eodem ostendit Faber.

LVTHERVS.

Primus est Leo dist. 19. cap. Ità Dominus noster, inquit, Iesus Christus humani Generis Saluator instituit, vt veritas, quæ ante legis, & Prophetarum præconio continebatur, per tubam Apostolicam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramenta. Ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne

ne diffunderet, vt exortem se intelligeret diuini mysterij esse, qui à Petri soliditate recederet. Hæc ille.

Quis obsecro non videt sanctum, & eruditum hunc virum humana passum? Nam si per soliditatem Petri intelligat fidem, quam Petrus confessus est, Matth. 16. rectè, & euangelicè dicit. Hæc enim fides est petra, à qua Petrus nomen habet, à qua si recesserit, meritò exors est diuini mysterij. Verùm si per soliditatem Petri intelligat iurisdictionem, & potestatem Petri, & Romani Pontificis quilibet facilè capit, quòd verbo Euangelij abutitur, & fallitur. Nonne omnes Apostoli fuerunt in soliditate Petri, & tamen sub Romana Ecclesia non fuerunt? S. Stephanus, & alij à Paulo persecutionem passi, in soliditate Petri fuerunt, antequam Romana Ecclesia fieret.

FABER.

Tunc rectè, ni fallar, beatissimi Leonis verba intelligemus, vbi nonnullos eiusdem viri locos cum hoc textu contulerimus, & vt id fiat necesse est. Audi itaque quid in secundo sermone suæ Pontificiæ assumptionis dicat: Soliditas, inquit, illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, & sicut permanet quòd in Christo Petrus credidit, ità permanet quòd in Petro Christus instituit. Cum enim, sicut in Euangelica lectione recensatum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum diuersa opinantibus crederent, respondissetque beatus Petrus dicens: [Tu es Christus filius Dei viui:] Dominus ait: Beatus es &c. Manet ergo dispositio veritatis. Et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, susceptа Ecclesię gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœlorum ianitor constituitur, dum ligandorum, soluendorumq; arbiter mansura etiã in Cęlis subditorum suorum defunctione præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus, qui nunc plenius, & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atque curarum in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Siquid itaque à nobis rectè agitur, rectèque discernitur, siquid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum, atque meritorum, cuius in sede sua viuit potestas, & excellit auctoritas.

Hoc enim obtinuit dilectissimi illa confessio, quæ à Deo Patre Apostolico inspirata cordi, omnium humanarum opinionum incerta transcendit, & firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. In vniuersa namque Ecclesia. [Tu es Christus filius Dei viui quotidiè Petrus dicit.] Et omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio huius vocis imbuitur. Et in alio loco sic ait: Omnes Apostolos Dominus quid de se opinentur interrogat. At vbi quid habeat discipulorum sensus exigitur, Ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cum dixisset: [Tu es Christus filius Dei viui, respondit ei Iesus:] Beatus es Simon Bariona, quia pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit, & non caro, & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi hoc est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, notam facio tibi excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, idest cum ego sim immobilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; Tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris. Vt quæ mihi, potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia, [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget.

Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia prouehit, ità negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit beatissimo Petro; [Tibi dabo claues regni cœlorum,] & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlis. Transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit. Sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergò Petri priuilegium vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Et idem epistola ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum: Petrus, inquit, non immeritò beatus pronunciatus est à Domino, & à principali petra soliditatem, & virtutis traxit, & nominis, qui per reuelationem patris eumdem, & Dei filium confessus est, & Christum. Et Ambrosius, quem supra citauimus, clarè testatur quid per Petri soliditatem possit intelligi.

Nec id, quod Leo scribit, aduersatur Ambrosio, immò, & illius apertionem, & Hieronymus facit, quod & ipse testatur in pulcherrima epistola ad Damasum Romanæ vrbis Episcopum, quam ex Syria scripsit, cum habitaret propè Antiochiam, huius verba sunt hæc: Mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Indè nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illic congregantur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum seruatur hæreditas, Ibi cespite terra, fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. Hic obruta sulcis frumenta, in lolium, auenasque degenerant. Nunc in occidente sol iustitiæ oritur. In oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suum: Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea, hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operantur incendium. Quamquam igi-

igitur me tui terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à sacerdote victimā salutis, à pastore præsidium ouis flagito, facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior. [Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.] Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Siquis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio, hæc Hieronymus.

Vides iam quid per soliditatem Petri possit intelligi iuxta mentem beati Leonis. Vides & D. Hieronymum non parum tribuere sedi Roman. Forsan hoc propterea fecit non ignorans quanta fuerit, ac sit soliditas Petri. Sicut ergo supra admisimus, hæc verba Matth. 16. Tu es Petrus &c. in personam Petri, ac confessionem Ecclesiæ posse referri, ità iam etiam non negamus. Idem quoque, & facete nos docet Augustinus. Docuerunt Origen. Tertulliaous, Hieronymus, ac alij. Sed quod ad Romanam attinebat Ecclesiam, supra ostendi. Vnde pergendum duxi, breuitati studere volens.

CAP. XXXIII.

Falsum est ait Lutherus, quod Petrus caput sit totius, à quo dona sua Christus in omne corpus diffundat, cum diffuderit etiam per alios Apostolos, respondet autem Faber hoc puerile esse argumentum.

LVTHERVS.

DEindè eadem humani affectus labilitate dicit in Apostolo Petro principaliter collocatum munus docendi, trahens ad singularem Petrum, quod propheta plurali, & indiscreto numero dixit, Sonus eorum, & verba eorum. Sed & hoc manifestè falsum, quòd Petrus caput sit totius, à quo dona sua Christus in omne corpus diffundat, nisi intelligat partem Ecclesiæ, quæ docente Petro erudita est, vt est latina, & occidentalis Ecclesia. Nam etiam per alios Apostolos præsertim Paulum dona sua diffudit in multò plures, quòd per Petrum, vt mihi miraculum sit tam profunde huius Pontificis mentem fuisse occupatam, vt hoc scribens non meminisse poterit Pauli, & aliorum Apostolorum. Si ergo dixisset, per quem dona sua in corpus diffunderet, rectè dixisset. Sed in omne corpus omnium dictum est.

FABER.

Quod ad pluralium numerum attinet, tibi respondere dedignor, cum tam puerile sit argumentum, vt etiam vix primis imbutus literis diluere possit, & verba Leonis nodum hunc apertissimè soluunt. Quare ad alia transeo supra ex Cyrillo, Chrysostom. ac alijs iterum, atque iterum ostendimus Petrum dici caput Apostolorum. Quicquid ex te negaueris, id firmissimè credo, quod Hier. affirmat Petrum esse caput constitutum. Vt schismatis tollatur occasio, ità expressè in lib. 1. aduersus Iouinianum. Consentit in hanc sententiam Cyprianus. Cur ergo mi Luthere contra totidem patrum scripta Petrum negas caput Apostolorum? Non ergo dicere debebas manifestum esse falsum Petrum esse caput. Sed quòd impugnas per Petrum non esse diffusa dona Christi in omnem Ecclesiam, & quòd per alios Apostolos, immò per Paulum in multò plures hæc dona fuerint diffusa. Scio ego Paulū verè dixisse, Creditū est mihi Euangeliū præputij, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est in me ad gentes &c. Tamen verum est quod illic dicit Ambros. Petrum solum nominat, inquit, & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam: se quoque pari modo electum, vt primatum habeat in fundandis gentium Ecclesijs; ità tamen, vt, & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Iudæis. Nam vterque inuenitur vtrumque fecisse. Sed tamen plena auctoritas Petro in iudaismi prædicatione data dignoscitur, & Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium inuenitur, vnde & magistrum se gentium vocat in fide, & veritate. Vnusquisque enim pro viribus suis, & dispensationem fortius est. Difficilius enim fuit eos, qui longè à Deo erant, ad fidem suam attrahere, & suadere, quàm proximos, hæc Ambrosius.

Et Hieronymus in eadem Pauli verba scribens, sic ait: Occulta hic oritur quæstio. Quid igitur Petrus si inuenisset aliquos ex gentibus non eos adducebat ad fidem? Et Paulus. Si ex circumcisione aliquos repetisset, non eos ad Christi baptismum prouocabat? Quod ità soluitur, vt dicamus principale singulis in Iudæos, & gentes fuisse mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem sequerentur. Qui legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor, & primus. In commune verò hoc eos habuisse propositi, vt Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim, & à beato Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & à Paulo in synagoga Iudæorum Christum sæpissimè prædicatum.

Et supra ostendimus Petrum in Iudæa prædicasse primum. Dein quòd Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerit. Et quamquam in India Thomas, in Illyrico Paulus, in Creta Titus, in Achaia Andreas, vt pulchrè habet Hieronymus in epistola ad Marcellam, immò Apostoli in toto orbe dispersi prædicarint Euangelium, ità vt quidam Persas, indosque penetrarint, & Ethiopia daret manus suas Deo, & trans flumina Ethiopiæ indè Christo munera deferrentur, & ab insulis maris, vt est apud eundem Hier. in Esa. cap. enim. Tamen non est res parua, quòd Petrus vigintiquinque annis Romæ præsedit, ibique Christum docuit.

Quod, & ex Ambrosio, & Leone dicimus rem esse specialis mysterij. Quòd si Leonem suspectum habeas, sanctum Hilarium in prologo psalmorum ità loquentem audi: Romana lingua (inquit) media inter Hebræos

bræos, Græcosque collecta, quia his maximè tribus linguis Sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur. Ex quo illud Pilati fuit, vt ijs tribus linguis regem Iudæorum Dominum Iesum Christum esse præscriberet. Nam quamuis multæ barbaræ gentes Dei cognitione secundum Apostolorum prædicationem, & manentium hodiè illic Ecclesiarum fidem adeptæ sint. Tamen specialiter Euangelica doctrina in Romani imperij (sub quo Hebræi, & Græci continentur) sede consistit, hæc Hilarius. In Roma itàque, quæ totius orbis quondam domina fuit, quæ & propter eximiam virtutem à scriptoribus Vrbs appellari solita fuit, Petrus verbum Dei prædicauit, ibique, Egesyppo teste, vitam sacro martyrio finiuit, quasi ipse Apostolorum, scilicet maior, & honoratior illic voluerit Christi fundare Ecclesiam, quæ reliquarum esset principalis, & Domina, à qua tamquam matre aliqua per totam Europam multæ Ecclesiæ, quasi filiæ nascerentur. Et deinde per totum terrarum orbem illius gratiæ dona, atque præcepta diffundi possent, atque deberent. Quod & factum, multis indicabo scripturis.

CAP. XXXIV.

Ex Leone arguit Lutherus non infringere soliditatem Petri, qui sub legibus Romanæ Ecclesiæ non viuit, sed qui non id credit, quod Petrus confessus est respondet verba Leonis esse clara.

LVTHERVS.

SEquitur idem Leo. Hunc (Petrum) enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum: id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret. Iterum per soliditatem Petri non fidem vniuersalis Ecclesiæ, sed potestatem Romanæ Ecclesiæ significat, & verbum Christi sub persona propria, non autem Ecclesiæ accipit dictum: vt clarè ex sequentibus patet, vbi dicit: Verùm hanc firmitatem Petri illius sanctissimam, Deo, vt diximus, ædificante constructam, vnius vult impia præsumptione violare quisquis eius potestatem tentat infringere fauendo suis cupiditatibus, & id, quod accepit à veteribus non sequendo.

Ecce seipsum exponit soliditatem Petri esse potestatem Romanæ Ecclesiæ. Idem per secretissimam fidem spiritus, & æternam iurisdictionis potestatem intelligens, non sine verbi Euangelici iniuria. Non ergo infringit soliditatem Petri, qui sub legibus Romanæ Ecclesiæ non viuit, sed qui non id credit, quod Petrus confessus est.

FABER.

Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 1. tradit quis possit interpretari Scripturas. Et inter cætera docet Scripturarum expositionem ab ijs petendam esse, qui eorum Doctores se esse profitentur, fierique posse, immò id semper accidere posse, vt multa indoctis videantur absurda. Quæ cum à Doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur, altius, quo abiectius aspernenda videbantur, & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur. Et in eodem libro cap. 2. pulchrè probat naturæ ordinem, ità se habere, vt cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Cum itàque in hoc Euangelij loco verbo iam ex multorum Patrum, & nouissimè beatissimi Leonis auctoritate ostendimus, quomodo hæc Euangelij verba, ac demum soliditas Petri debeat intelligi, nolo tibi nisi vsque ad aram, immò sactis credere Doctoribus, quos iam à mille annis, ac vltra sancta credidit, ac seruauit Ecclesia. Quòd si tua dogmata post totidem annos illibata substiterint, forsan habebis, qui tua probent etiam vsque ad sanguinem. Nec moror etiam si præsumpseris te secretioris Scripturæ eum, ac talem esse interpretem, cui sit meritò credendum. Meminisse iuuabit neminem sibi opportere blandiri iuxtà sententiam Hieron. aduersus Luciferianos: Si de scripturarum capitulis videatur affirmare, quod dicit, cum & diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed intelligendo.

Alioquin si literam sequimur, possumus & nos quoque nouum dogma componere, vt asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sunt, & duas tunicas habeant. Sed de ijs alio in loco forsan commodius. Verba Leonis vera, & clara sunt. Vndè cum nodum in scyrpo quæsieris, te non sincerum interpretem ostendis.

CAP. XXXV.

Scripturæ abusiones, quas ponunt Pontifices, vt ait Lutherus, valent pro ijs, qui iam credunt, non pro contentiosis, responsio est esse ipsum inconstantem.

LVTHERVS.

PRoteslor autem ego, quod decreta quidem eiusmodi non damno. Nihil enim nec saluti deperit, si tolero alicuius violentæ Scripturæ interpretationem, modò vera, & legitima intelligentia iuxta sit salua. Sed hoc adnitor, vt rem & fidem nostram constanti, & solida intelligentia discamus firmare. Quamuis enim huiusmodi abusiones scripturæ valeant pro his, qui iam credunt, & tolerandæ sint, tamen oportet etiam, si cum contentiosis oriatur bellum, habere simplicem, & germanum sensum verborum Christi, qui stare in acie victor possit, ne Ecclesiam, & omnes nos ludibrio exponamus.

FABER.

Possem optimo iure tuam taxare inconstantiam, te quoque ex proprio ore iudicare. Siqui-

Siquidem displicuere tibi Bohemi in disputarione lipsica, quando cum Ioanne Echio, olim in Theologia meo præceptore super primatu Petri disserebas, sed modico post tempore eos Christianissimè vidεre constantissimè affirmasti. Reprobabas eos, quòd auctoritate propria ab vnitate nostra se separassent, etiam si ius diuinum pro illis staret: posteà quòd ita fecerint, maximè commendabas. Hìc non vis damnare decreta, quæ tamen auctoritate propria Vulcano tradideras, Quis mi Luthere te rerum illarum iudicem constituit, dicito quæso? Nouimus antequam Thenguis nasceretur, in decretis quasdam esse paleas, quas veluti zizania cum tritico patienter toleramus.

Non latebat nos, quæ essent iustè abrogata, quæ quoque seruanda fuerint, erant nobis, quorum certam sententiam inrrepidè sequi potuimus. Sunt in professione sacrarum literarum Origenes, Cyprianus, Lactantius, Scimus, quæ sint in Origene cauenda, docuit nos partim. D. Hieronymus, maximè quæ libri *peri archon* habent. Docuit nos Augustinus, quæ in Cypriano teprobanda sint, Docuerunt, & alij Firmiani Lactantij errata, quamplurima. Sed nemo tam temerarius fuit, qui Lactantium etiam propter quinquaginta errata mndò, si non excusationem ea merentur, obtulerit ad altare incensi. Quid si Augustino permittitur, vt quædam in melius mutauerit, nonnulla rettactarit, æqua ratione canonistis id permittendum erat. Sed forsan ea causa moueris, vt audio, quoniam & tua damnata sint omnia, quamquam non sint errore conspersa. Quid alij fecerint, meum non est tefetre iudicium.

Nisi quod piè mihi persuadeo, id non inconsultè, & non sine causa vrgentissima factum. Nouerunt illi Salustianum: Vbi maturè consulueris, opus est facto. Tamen si Origenis sententia locum haberet, iustam forsan quærulandi causam accepisses. Siquidem Adamantius in homilia 9. super numeros sic scripsit. Si in bathyllis æreis, quæ sunt signa Scripturæ diuinæ, hæretici alienum ignem imposuerint, hoc est sensum, & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam, inducentes incensum Domino non suaue, sed execrabile offerunt, quoties tale aliquid fuerit exortum. Ea quidem, quæ à veritate aliena sunt, ab Ecclesia Dei penitus abstrudantur. Si qua autem etiam in ipsis hæreticorum verbis Scripturæ diuinæ sensibus inueniuntur inserta, ne pariter cum illis, quæ fidei, & veritati non sunt contraria, respuantur. Sanctificata enim sunt, quæ de Scriptura diuina proferuntur, & Deo oblata. Hæc tamen modò prætereo, ad alia sermonem vertens. Scis quòd Hieronymus in Ecclesiast. cap. 10. docuit ea tenenda, quæ ab vno pastore sunt data, & à Concilio, atque consensu prolata sapientium. In illis, inquit Hieronym. nihil facias, nihil tibi vendices, maiorum sequere vestigia, à maiorum auctoritate non discrepes. Quare impijssimum duxerim tam religiosas antiquorum Patrum sanctiones damnare,

Nec parum miror, vbi de ieiunio, ac Eucharistia passim in tuis libris differis, te verborum Hieronymi ad Lucinium, adeò esse oblitum, vt planè contrarium, & scripseris, atque præceperis. Scis autem Hieronymum ità scripsisse de Sabatho. Quid quæris, vtrum ieiunandum sit, & de Eucharistia, an accipienda quotidiè? Quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ facere perhibentur. Scripsit quidam Hyppolitus vir disertissimus, & carptim diuersi auctores è varijs auctoribus edidere. Sed ego illud te breuiter admonendum puto traditiones Ecclesiasticas, præserrim, quæ fidei non officiant, ità obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare possemus. Quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Idem Eucharistiam, quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere, & Psalmistam audire dicentem, Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus; & cum eo canere; Eructauit cor meum verbum bonum. Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas sexaginta diebus ferias auferam, sed vnaquæque Prouincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur. Hæc Hieronym. Iam tu hìc vide mi Luthere quò labaris, quando nihil in Ecclesia seruandum putas, quàm quòd expræssa nouæ legis sanctione firmatum est. Eapropter in te etiam maximè miror, cur multa seruari præcipias, quæ tamen nonnisi antiqua obseruatione probare potes, quale est ritus celebrandi non solo vino, sed & aqua mixta, & sexcenta id genus sunt, quæ nec tu reprobare videris.

Quòd si in hoc ab obseruatione totidem annis recepta non recedis, cur reliqua, quæ tamen fidei non officiunt, sic vellicas, & quodam impetu tollis? Desine quæso per Deum Opt. Max. miscere sacra Prophanis. Quòd si omninò quiescere nolis, mensas numulariorum, non mensam Domini euertas. Quòd si contenderis canones aliquot pro tempore mutatos esse, proin reijciendos, cogitare debebas, & legem à Deo traditam mutatam esse, quòd & fractio tabularum per Mosem facta, pulchrè signauit. Tamen in his nihil vmquam inuenire potuisti, quod Euangelij legem immutarit, aut articulis fidei contrarium esset. In Ecclesia primitiua subortæ fuere dissensiones, sicuti propter vnum, & alterum verbum Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ separatæ fuerunt. Orta sunt schismata, subortæ sunt hæreses Arrianorum, & eorum, quorum meminit Augustinus in lib. de hæresibus, ad quod vult Deum. Sed quo pacto, quibus medijs, quali Patrum consensu damnata sint, ex Pontificio iure, quod tu nobis sustulisti, discere potuimus. Erat illic ordo tabernaculi, quem imperturbatum habere oportet.

Quòd si in his circa iudiciaria, vel cerimonias forsan aliqua inter se contraria erant (vt asseris) certè propterea fides non periclitabatur, modò moralia salua essent, de quo aliàs tecum. Sed demus. Fuerint hìc quædam, vbi, & auctores humana passi fuerint, inter quos, & Leonem hunc reponere videris. Numquid non verum est, quod August. ha-

bet

bet in lib. de vera religione cap. 6. Ecclesia Catholica per totum Orbem validè, latèque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem Doctrinę suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo mutat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit.

Omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem, siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi. Hæc August. Et certè consultius erat iu vnum congerere, quæ cauenda fuerant, sicut de Origene, & Lactantio factum esse sciebas, quàm pium cum impio perdere, & innocentem cum nocente damnare. Sed fortè verum est, quod dicitur; Faciliùs est damnare, quàm imitari; de his satis. Ad tua redeo. Decretum Leonis sacræ Scripturæ nullam violentiam facit; quod enim ad soliditatem Petri attinet, hoc quoque alij fecisse videntur, inter quos, & Hieronym. vnus est in Hierem. cap. 16. Quòd si totidem sanctos Patres sacram violentasse Scripturam, tuæ prudentiæ innixus ipse contenderis, tu videto, quàm difficile fuerit contra totidem fortes Hercules in fide pugnare. Cum tamen in protrito prouerbio sit: Ne Hercules quidem contra duos intrepidè. Ego eos sequar, quos sancta probauit antiquitas.

CAP. XXXVI.

Apud Romanos Pontifices non est vera Scripturæ intelligentia, cum sint homines, vt cæteri Episcopi, ait Lutherus: Responsio est ipsos esse iudices interpretandæ Scripturæ: Respondetque Faber fusè confutando errores oppositos decretalibus Romanorum Pontificum; cap. solitæ, cap. significasti de electione, in proœmio sexti, quòd Papa habet in scrinio pectoris sui omnia iura, quòd Papa exigat iuramentum ad cap. 51. Papa dist. 40. cap. cuncta 9. quest. 3. 25. q. 1. quòd Papa possit facere leges, quòd Papa prohibet ducere vxores fusè, quòd Nicolaus dixerit Christum Beato Petro terreni simul, ac Cœlestis Imperij iura commisisse, quòd non possit soluere iuramentum, ibique responsiones.

LVTHERVS.

NEque enim cum illis sentio, qui Rom. Pontifices non errasse putant, & apud eos solos esse veram Scripturę intelligentiam, cum longè contrarium hic, & multis alijs locis videatur, homines fuerunt sicut, & cæteri Episcopi.

FABER.

Teste Hieronymo, Magister Apostolorum fuit Spiritus sanctus, & non sine grandi mysterio, secundum August. Apostolis Spiritum sanctum esse datum. Euangelium habet. Poterant tamen ii peccare, & labi, vt est apud Hieronym. in 1. cap. ad Galatas. Potuerunt & errare, citra tamen iniuriam veritatis, quod ex multis locis probare possemus, quamquam & excusationem habeant maximè in citandis testimonijs, non modò prophetarum, sed & apocryphorum.

Quòd si hoc Apostolis contingere potuit, quorum à Seraphim in omnem terram prædicatio porrecta est, & quorum sonus Mundi limites penetrauit. Vti Hieronymus ad Damasum scripsit. Et quorum doctrina fluxit, vt ros, vt est apud eundem Hieronym. in Micheæ cap. 5. Certè nimirum si quandoque Pontifices errarint. Illi fortè non semper merentur, vt sint theodidacti, quales Apostolos fuisse Hieronimum ad Paulinum scribit. Et certè Scripturarum liber septem sigillis signatus est, quem non omnes aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet Dauid clauem, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.

Et eunuchi sunt multi Esaiam non intelligentes, qui Philippi Institutione egent, sed omnes excusationem merentur, si errauerint absque incommodo Euangelij, & ipsi fatentur sese nihil posse, neque debere contra articulos fidei, contra Apostolum, contra quatuor Concilia, scilicèt Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonensem. Et expressum est Papam posse simoniam committere, hæreticum fieri, posse errare, quamquam etiam habeat omnia iura in scrinio pectoris sui, de quibus multa passim apud Cancellarium Parhisiensem. Sed hoc dono magnæ gratiæ Romanæ Sedi accessisse credo, quòd vt est apud Cyprianum, & Hieron. Romæ nulla primò cœpit hæresis pullulare. Nec minùs id mirandum fuerit, quòd Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & alij Scripturarum veram intelligentiam semper ad arbitrium Pontificis Romani tamquam ad portum tutissimum destinarint, illucque confugerint Athanasius, Hilarius, ac alij sanctissimi Patres.

Et iustè nemo negare poterit Romam semper viros habuisse doctissimos, ex quorum iudicio sæpè fidei veritatem didicimus. Sed quia canonistam ago, licèt immeritum, & mearum partium esse credo statuta canonum (tamen vsque ad aram) tueri. Vndè ad causas, quas te mouisse dicis, vt decretorum libros igne combureres, mihi festinandum puto: Siquidem hæc dum scriberem, dono cuiusdam amici incidit in manus meas tuus iste libellus, vbi causas tuæ combustionis assignas. Certè grandia pollicebantur tui sectatores, gloriabuntur se eo seculo natos, quo tu viueres, qui nequitiam Pontifici iuris solus fueris assecutus.

Sed certè parturiere montes, natus est ridiculus mus. Nempè si nihil in canonibus erat iusta repræhensione dignum, quàm quod à te damnatum video, non erat tanta tragædia mouenda, immò nec ad seditionem tumultuariam totus commouendus Orbis. Obiter itaque percurram, quæ taxanda putasti. Non erubescis frater in Iesu selectæ rudi, ac inesti popello te vera pusillo gregi suggerere scriptum in cap. soiitæ de maiorit. & obed. Papam, ac suos ad Dei præcepta non esse astrictos, nec oportere illos Dei mandatis subdi, vel obedire. Mi Luthere cur, hoc dicere audes? Legi, iterum legi, ac iterum relegi.

At quòd Innocentio Tertio, huius capituli solitæ, auctori impingis, nullibi depræhendi. Quòd si non illic inueniatur, tuarum partium erit, quòd interim in te rediens, cogites, an non iniuriam maximam tanto Pontifici feceris? Quid ad hæc laici olim dicent? vbi intellexerint te non vera dixisse, rimeo in te reiecturi sint, quod in Ciconem dictum est, Concilium plenum esse mendaci 'Arraphaxi. Malè sonabat in laicorum auribus, cùm audirent Ponificem legi diuinæ non esse subiectum. Tu hanc sententiam inculcabas auribus illorum. Fecere propterea tumultus. Et quem illorum Auctorem dicemus alium quàm te? qui verè rerum istarum *aytoytos* extas. Sed pergo. Dicis illic etiam contineri non esse præceptum, immò consilium sancti Petri Christianos omnes regibus subditos esse debere.

Iterum ad te sermonem verto, Quid hìc continetur aliud, quàm quòd Innocentius Papa Constantino Imperatori verum illius Petri dicti tradit intellectum. Quòd si hanc interpretationem probare non velis, ad Paulum tuum, immò etiam meum properemus. Quid putas hoc est, ac sibi vult, quod idem ad Ephes. cap. 5. scribit? Subiecti inuicem in timore Christi. Quid est, subiecti inuicem? Nunquid ità intelligis, vt Imperator sit subditus seruo, Episcopis Presbytero, pater filio, Dominus seruo, minimè gentium. Nam mox in cap. 6. eiusdem epistolæ subditur, Serui obedite Dominus carnalibus cum timore & tremore, & simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Et ad Titum 2. Nunquid non seruos Dominis suis subditos esse præcepit? Rectum igitur, ac verum intelligentiæ Spiritum optemus. Hunc non ex te (prohiberis enim subti Codicis, ne quis in sua causa) sed Patribus antiquis, vbi sunt decursus aquarum, immò veritatis limpidissimi fontes, mutuabimus.

Ibi enim communis vsus aquarum est, & horum esse vera sententia, maximè quòd Paulus hic mutuam charitatem stabilire voluit. Quod & in alio loco ad Galath. 5. exprimit. Per charitatem, inquit, seruite inuicem, hoc præstitit ipse. Vndè ait: Cùm essem liber omnibus, meipsum seruum feci, vt omnes lucrifacerem. Et propterea Hieronymus in epistolam ad Galatas cap. 5. ait: Per dilectionem oportet minoribus seruire maiores. Quia qui vult esse maior erit omnium seruus. Et Paulus licèt plus omnibus laborarit, tamen se omnibus sanctis infimum esse dicebat. Et ergo eos, qui erant in Epheso, in Corintho, in Thessalonica, vel qui in in toto Orbe crediderant, iuxta verbum Hier. in epistolam ad Galat. cap. 3. de Apostolica dignitat. non cadebat, immò omnibus, qui se propter Christum infimos esse cupiebant, Apostolis infimior erat, & idcircò maior.

Omnibus enim, inquit, illis plus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Propter quam humilitatem dum omnium sanctorum est infimus, data est ei gratia hæc in gentibus, vt euangelizaret in inuestigabiles diuitias Christi, & doceret dispensationem mysterij absconditi à seculis in Deo, qui vniuersa creauit. Quòd si plus tibi euangelica placuerint, numquid non Saluator quoque formam serui accepit, vt seruiret discipulis suis, & pedes eorum lauit, nec interim, vt infrà clarè probabimus, ius magistratus, atque dominij amisit? Vnde Ioann. 13. Christus ad discipulos ait; Vos vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim, &c. Sed ad Petrum, & Paulum redeo. Hieron. sic ait. Hoc interest inter gentium Principes, & Christianorum, quòd illi dominantur subditis, nos seruimus, & in eo maiores sumus, si minimi omnium fuerimus.

Sed & hoc, quod ait in timore Christi, sic accipiendum esse, vt ipsa subiectio non propter hominum gloriam, sed propter timorem Christi fiat, dum illum timemus offendere. Hæc Hieron.

Vndè idem Hieronym. in Ezechielem cap. 45. Verbum Ezechielis, quo Principes iniquitatem, & rapinas intermittere iubetur, etiam nostris Principibus, inquit, poterit coaptari. Qui in morem Pharaonis, & Ægyptiorum, opprimunt filios Israel per potentiam, nec meminerunt scriptum, Ducem te constituerunt, ne eleueris, sed vnus inter eos, quasi vnus ex ipsis. Et illud quod in Euangelio *catà loycan* Dominus loquitur. Si dixerit seruus ille in corde suo, moratur Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, comedere, & bibere, & inebriari, venit Dominus serui illius in die, qua non putat, & hora, qua nescit, & diuidit eum, & partem eius ponet cum infidelibus. Discipulos quoque suos in Euangelio secundùm Matth. his præceptis erudit. Scitis, quòd Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non sic erit inter vos.

Sed qui voluerit esse primus, sit omnium seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro pluribus. Multa sunt, si voluero de sacris Scripturis reuoluere, vbi maiorum superbia coercetur, & ad humilitatem omnes Domini voce prouocantur, dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ità ad verbum Hieronymus, vnde, sanum intellectum habes eorum omnium, quæ tibi commemoraui, & eò tendo quòd propter hæc Euangelij verba nondum fit subditus liber à iugo Principis, nec denique mulier ab obedientia viri. Quid ergo hic aliud præcipitur, quàm quod arrogantia, ambitio, & vanæ gloriolæ titillatio in christiano pectore locum non haberet, & rectè.

Non

Non enim ignorabat Dominus, qui omnia nouit, quantùm peccatum esset ambitio, Principatusque cupido, quàm vt fulgur de Cœlo cecidisse videtur. Siquidem ex hac multa mala oriuntur, Basilius, inquit, sectæ videlicet, contentiones, obtrectationes, maledicta, inuidiæ, vnde prohibuit ambitionem potiùs, quàm magistratum.

Quare, & interea non est ille pulcherrimus iurisdictionum ordo turbandus. Conuenit quoque mulieres viris suis subditas esse, filios obedire parentibus, ac è contra iuxta mutuum officium, & oe Patres prouocent ad iracundiam, Domini quoque remittant minas, ac necessaria ministrent, ità vt maiores etiam minoribus subijciantur. Suo tamen officio iuxta verum intellectum Hieron. Nunquid non is intellectus, quem in cap. solitæ, ità reijcis, explodis, atque exhibilas pulchrè cum Paulo quadrat, immò cum ipso Euangelio. Sed subdoro, quò tendas, cò quidem, vt demùm ex testimonio Petri hanc millenariam Ecclesiasticam libertatem à clericorum ordine vi quadam adimere velis, ità vt nos in sortem Domini receptos, in vtraque Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Hungaria, Portugallia, ac alijs Regnis laicis subiectos esse oportere velis, sicut miserrimè, sub Bohemorum tyrannidè clericorum illa sauciissima cohors, auctoribus Ioann. Hus, & Hieron. Vicleff, conie&ta est.

Sed non finit Dominus perire Christos suos. Pergo, ne è sinu modestiæ Fabrum excidisse glorieris, dicas quid sibi Petrus (cuius verba torquere videris) hoc sibi velit, in eodem capite mox addit, serui subditi estote in omni timore Dominis. Et in sequenti capite, mulieres subditæ sint viris suis. Et in cap. 5. [Pascite qui in vobis est gregem Dei.] Nunquid non seipsum declarat, quod & Paulus fecit?

Sed dic mihi, quis nos fecit esse seruos laicorum? & interrogare si liceat, quis te nobis constituit hunc iudicem? iudicem inquam inhumanum, & inofficiosum, qui post totidem secula sanctum hunc Sacerdotalem ordinem in hoc pistrinum, immò in hos compedes conijcere velis, vt Pharaoni seruiamus in durissimis operibus lateris, ac luti? Suspicantur certè de te plurimi. Ex animo gauderes, si nobis etiam paleæ non darentur? Quis te talem quæso creauit Episcopum, vt sine delectu, & absque discrimine tales nobis ordinares Presbyteros? Parce quæso, parce Fabro tuo Sacerdotum iniurias fortè vehementiùs, quam par sit, vindicanti. Incautus erupisti. Dixisti quæ volebas. Iam audire oportet, quæ fortè non vis. Sed demùm, quid te facere conueniat, forsan ambigis, & quæris.

Audi ergo amicum non ollarem, sed necessarium. Monitus meliora sequaris, cane palinodiam, desine torquere Scripturas, maiorum sequere vestigia, ne hunc ordinem tabernaculi totidem annis nobis comparatum, in postetum ità conturbes. Numquàm ex animo tuo decidat hoc Origenis verbum in Lucam homilia 20. cùm ait: Quid loquar de parentibus, & filijs, si Iesus filius Dei subijcitur Ioseph, & Mariæ, ego non subijciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est Pater? Non subijciar Presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est. Videar ergo vnusquisque, quòd sæpè melioribus præpositus sit inferior, & nonnunquam accidat, vt ille, qui subiectus est, melior sit eo, qui sibi præpositus esse videtur.

Quòd cum intellexerit dignitate sublimior, non eleuabitur superbia ex eo, quòd maior est, sed sciat ità sibi meliorem esse subiectum, quomodo & Iesus subiectus sit Ioseph. Vides modò non iampridem in veneratione magna extitisse hunc sanctum Sacerdotalem, & Episcopalem chorum. Nimirùm si potestas ea soli compateretur. Sed quia & illud vltimum cum nausea suscipis. Vnde ad tertium venio articulum, vbi tam indignum esse iudicas, in cap. solitæ. Pontificalem auctoritatem soli, & regalem potestatem Lunæ comparatam esse? Dic quæso mi Luthere an non sit hæc sat commoda comparatio?

Audi Chrysostomum in lib. 3. de dignit. Sacerdotali cap. 1. loquentem, qui sic ait: Nunc Sacerdotio proposito, quod tantò spatio antecellit imperium, quantò inter se animæ natura, & corporis differt.

Heus tu Martine, quid dicis ad hæc? Non modò lex, vt est, C. de sacros. Ecclesia, leg. sancimus, non philosophia Aristotelis, sed ipsissimum Euangelium me docuit, quantùm anima differat à corpore, vtpotè tamquàm immortale à mortali, incorruptibile à corruptibili, & ferè velut infinitum à finito.

Sed & Ambrosius, quid dicat, audi in libro de dignitate Sacerdotali cap. 2. Honor, inquit, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferiùs, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla, & Principum submitti genubus Sacerdotum, & exosculatas eorum dexteras, orationibus eorum credant se communiri. Hæc Ambrosius.

Vides hic comparationem de Sole, & Luna ex Ambrosij sententia non esse sufficientem.

Sed & iterùm Chrysostomum audi in dicto lib. 3. cap. 5. Habent quidem & Mundi Principes vinciendi aliquam potestatem, sed in solis corporibus licet. Hoc autem vinculum, quòd Sacerdotibus commissum est, ipsam contingit animam, transitque Cælos, vt ea, quæ operati fuerint Sacerdotes deorsum, Deus confirmet in Cælis, sententiamque Seruorum Dominus ipse corroboret. Quid ergò reliqui est, si omnis ei commissa est potestas Cælorum? Quorumcumque enim dimiseritis peccata, dimittentur; & quorumcumque tenueritis, tenebuntur. Quæ potest inueniri maior potestas? Omne iudicium dedit Pater Filio. Ad hoc video à Filio totum Sacerdotibus esse commissum, ac sicuti iàm translati in Cælum, & humanam transcendentes naturam, atque à nostris infirmitatibus liberati, in tantùm erecti sunt Principatum. Nàm si Imperator alicui subditorum honorem impartiatur eiusmodi, vt quos voluerit, in vincula contrudat, laxetque, quos voluerit. Dignus inuidia, & conspicuus ab omnibus estimatur hic, qui à Deo acceperit tantò maiorè ijs, quæ diximus, potestatem, quantùm est Cælum

lum terra pretiosius: & quantò pretiosior est anima, quàm corpus. Ità ne modico affectus honore crederur, vt aliqui etiam suspicentur posse hanc artem ab illis, quibus fuerat commissa contemni. Hæc Chrysostomus.

Vides iàm celsitudinem ac eminentiam Sacerdotalis dignitatis, & quantùm Sacerdos differt à laico. Nec mirreris, cùm & inter Sacerdotes olim differentia fuerit.

Audiamus in hac parte Hieronym, ex libro 2. aduersùs Iouinianum, vbi sic habet; Quare reliqui Sacerdotes lineis tantùm vtontur vestibus, & non habent indumentum auro, hiacyntho, cocco, purpura, byssoque contextum: inferioris gradus Leuitæ, & Sacerdotes plaustra, & boues accipiunt, maioris ordinis gestant arcam Domini humeris suis. Sed de his aliàs tecum in cap. significasti de electione. Quartum dicis deprehendi errorem, ac asseris illic contineri, Papam, ac illius Sedem non esse obstrictum Christianis Concilijs, atque statutis. Vidi ipse capitulum illud à Paschale Papa antè 700. annos editum, & revera non spinosum aliquem sophistam, sed spiritum tantò Pontifice dignum redolet.

Eos enim Hæreticos reprobat, qui dicunt omne iusiurandum in Euangelio prohibitum à Domino, contra quos pugnauit Hieronymus, pugnauit Augustinus.

Nec ea disciplicent, quę sunt apud Alanum in libro 2. contra Hæresiarchas. Verum est, quod idem Paschalis per quamdam parenthesim adiecit, dicens: Aiunt in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robar acceperint, & in eorum statutis consensu Conciliorum Pontifex non sit attritus. Poteris hæc videre apud Speculatorem tit. de dispensationibus. Et partim supra docuimus, quibus, & qualibus Conciliorum decretis Pontifex subiectus fuerit. Iura itàque iuribus concordando, veritas ipsa patret, non ità simpliciter dicendum erat. Quòd si contra delicatum hunc stomachum tuum iura pugnabant, aut fortasse nauseabas super cibo illo vilissimo, cur non consulebas Ioannem Gerson inter Theologos non infimæ notæ, de auferibilitate Papæ ab Ecclesia, de Concilio generali, de potestate Ecclesiastica, plerisque alijs locis, & videre potuisses, quo pacto cap. significasti foret intelligendum.

Sed quintum errorem eum esse dicis, quòd Papa in suo pectore habeat potestatem plenariam super omnia iura cap. 1. de constit. dicis hæc in proœmio sexti contineri. Certè sat diligentèr hoc proœmium ipse relegit, tantùm ità scriptum non reperio. At in c. 1. de constitut. eodem libro sic scriptum esse legitur: Quomodò Romanus Pontifex omnia iura censeatur habere in scrinio pectoris sui. Hic nodum in scirpo quæris. Si hoc in Pontifice testimonium detestaris, cur non calamum figis in Honorium, & Theodosium Imperatores? qui dudum eadem verba scripserunt. At non licebat Pontifici de canonibus hoc dicere, quod dudum Imperatores dixere de legibus. Quòd si Bonifacium VIII. malè dixisse contenderis, peccauerunt & Imperatores. At quid opus est multis? Nemo est, qui vtriusque textus verba iustè vnquàm damnarit.

Et Canonistæ, inter quos Philippus Francus est vnus post glofs. in cap. præterea distin. 23. dicunt Papam habere omnia iura in scrinio pectoris sui præsumptiuè, seu per interpretationem. Nec mirum, cùm iuxtà vulgatissimas leges sub titulo. ff. & Cod. de legibus; Eius est interpretari, cuius est condere, Sequitur ex eo, iuxtà tui animi sententiam, Papam hanc potestatem habere, vt omnia Concilia destruat, mutet, ac statuat. Corruit antecedens, igitur consequentia, subsistere non potest.

Nec enim laudamus eum, qui ædificata destruit, & destructa ædificat, vt Hieronym. verbis vtar in apolog. aduersùs Iouinianum, quòd si Pontifex Romanus id fecerit, quod ex plenitudine potestatis consensu Conciliorum facere potest, nemo iustè conqueritur.

Et ad calumniatorem dicere potest; quod Matthæi 20. scriptum legitur: Amice non facio tibi iniuriam.

Septimum, quod ex canonibus tollendum esse putas, est cap. significasti, vbi credis Papam ab Episcopis nullum exigere debere iusiurandum. Miror quid hìc tibi in mentem venerit, si capita iuramenti istius vnquàm rectè vidisses, numquàm tam honestæ rei reclamares. Tamen in alio loco pleniùs illa tractabimus. Sed quòd adijcis: Gratis accepistis, gratis date, hùc non pertinebat. Scimus quomodò pro spiritualibus carnalia metere possimus.

Nec ignoramus Petrum non refutasse sumptus; vt est apud Ambrosium in priori epistola ad Corinth. cap. 9. Et infrà monstrabimus de oblationibus in Ecclesia primitiua. De collectis apud Paulum, quæ fiebant vna Sabbati, ex multis epistolis Pauli; & de Clericorum possessionibus cessantibus collectis, ex Chrysost. in Matth. homilia 86. Et iurare Pontif. res est, quæ à nostris maioribus ità longo tempore fuit obseruata horum, immò nostram frangere fidem, omnia turbare, euertere quoque non erit honestum. Quamquam nolim tueri vllam vel tyrannidem, vel executionem indebitam.

Pergis ad capit. Si Papa distinctione 40. Certè si damnare volebas textum Bonifacij Papæ, & Martyris, cur non glosam textus eiusdem adijciebas, & labori parcere potueras? Nec id sanctus Bonifacius Martyr ità affirmat, sicuti tu vulgò proponis. Addo, quòd nec in eo Papam laudat, sed reprehendit acerrimè. Potuisses nisi *Artiphilos* esses, ex glossa, ex Archidiacono, & Cardinale Alexandrino videre, quid in hac re tibi sentiendum esset. Nemo est, qui dubitarit vnquàm Papam iudicari posse si labatur in hæresim. Certè non modò accusari, sed & iudicari potest. Hoc ità factum esse, testantur multa Concilia. Sed fortè maluisti Bonifacij Papæ, & Martyris textum, immò & Anacleti Papæ patrem damnare sententiam, quàm verum intellectum à Canonistis receptum populo proponere. Non hìc contra Canonistas, in quos tam dirè sæuis, sed in sanctos Martyres, virosque doctissimos, vtpotè Bonifacium, & Anacletum, hanc in te iniuriam conieceisse credas:

Nec

Nec opus erat; mi Luthere, tam satyrica exclamatione populus ille Christianus ad seditionem, nescio quam eacitandus.

Appendicem addis ea eodem textu, vbi sic Bonifacius Martyr ait: Pro cuius perpetuo statu vniuersitas Fidelium taorò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit perpensius pendere. Quid si hic vniuersitatem Fidelium pro perpetuo statu fidei orare dicerem? Sed vt tuis votis obtemperem, vniuersalis Ecclesiæ caput in terris est Papa. Quamquàm hic negare nolim Christum esse caput Ecclesiæ, sicut & Deus caput est Christi. Is, & cum sit eiusdem Christi Vicarius, ac successor Petri pro illius statu, vt sit semper incolumis, oramus, & dignè quidem, ne capite nostro languescente, reliqua membra torpescant. Et verum est, quòd magna salus Ecclesiæ ex illius incolumitate pendet. An oblitus es, quòd cùm Petrus seruabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Act.12.

Decimum articulum iustissimè damnandum credis in cap. Cuncta dist. 9. quæst. 3. vbi Gelasius Papa sic habet: Cuncta per Mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuique de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo appellare permissus.

Hæc verba nescio, an potuerunt tantum causare, vt iustè decreta damnaris. In Nicæno Concilio consensu Patrum admissum est, vt grauati Sedem prouocarent Romanam, cur hanc libertatem totidem annis præscriptam tu conaris euertere? Sed quomodò iudicare, & iudicari possit Pontifex Romanus partim supra ostendimus.

Sed quod hic iterùm redis ad id, quo Papam non præsidentem, sed subiectum facias, citans ex Petro, Paulo, actis Apostolor. & Euangelio scripturas, quibus persuadere, immò tantùm efficere conaris, vt Papa sit cum tota sua cohorte sub potestate laicorum, & in summa, vt nos ea libertate in parem seruitutem, quam Bohemi habent, quasi ad breues Gyatos capnrres, celeges, ac damnes.

Oportet igitur, vt eacutiamns hos locos, quos pro te facere putas. Sumamus Euangelium, cuius te alterum post Paulum præconem vulgus clamitat. Dixit Iesus ad Discipulos, Matth. 20. Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ità erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Cur hæc dixit Dominus?

Certè, vt est apud Origen. in Matth. homilia 12. Quoniam duo fratres super cæteros Apostolos sibi gloriam præripere voluerunt, indignantibus cæteris, in occasionem accipiens Iesus regulam iustitiæ Fidelibus ponit. Quomodò quis apud Deum potest obtiuere primatum, Principes gentium non contenti tantùm regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc. Ne fortè, qui videntur habere aliquem in Ecclesia Principatum, dominentur fratribus suis, vel potestatem cnerceant. Quoniàm sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate. Spiritualia autem non in necessitate, sed voluntate. Sic & qui Principes spiritales Principatus eorum in subiectione dilectorum debet esse positus, non in timore corporali. Sed & qui voluerit apud patrem meum maior esse comparatione fratrum suorum cæterorum, efficiatur minister eorum, quibus vult esse maior. Hæc Origenes.

Vides hìc à Christo tantùm detestari tyrannidem, ambitionem, & arrogantiam, sed non tolli Primatum, nec Principatum Ecclesiæ.

Siquidem Dominus noster volebat esse verus humilitatis Magister: vt Hieronymus ad Antonium de modestia scribit. Quare non tantùm hanc virtutem verbo; sed & exemplo docuit. Ea propter & Discipulorum pedes lauit, traditorem osculo excipit, Samaritanum non despicit, Mariam ad pedes sedentem non dedignatur, & ab inferis resurgens primùm mulierculis apparuit, ne etiã Discipuli quasi efflati, collum erigerent, ipsis de dignitate disceptantibus. Vnum apprehendit è paruulis dicens, Matth. 18. Quicumque vestrum nõ fuerit conuersus sicut infans, non potest intrare in Regnum Cælorum. Quicumque autem humiliauerit se sicut paruulus iste, hìc est maior in Regno Cælorum: Et Matth. 20. Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus.

Et Marci 10. pariter eadem inuenitur sententia.

Et Lucæ 9. Qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Tamen hæc non ità intelligi debent, vt inter Discipulos Christi non esset aliquis maior, siue præpositus. Sed adhortari volebat, atque docere præsidentes humilitatis viam.

Quòd & Hilarius in explanatione Ps. 110. confirmat, dicens: Cùm inter se Apostoli opinionibus, ac studijs dissiderent, sibique singuli Principatum humana contentione præsumerent, dùm præstantiorem se cæteris vnusquisque esse, aut optat, aut poscit Dominus meriti huius, ac nominis premium. Vndè petendum esset ostendens, ait: Qui vult esse ea vobis maior, fiat omnium minimus. Omnis enim, qui se humiliauerit, exaltabitur: & qui se exaltauerit, humiliabitur. In humilitate scilicet docuit omnia fidei nomina. & premia contineri.

Vides ergo, quid per hoc Christus docere voluerit, humilitatem videlicèt; tollere etiam voluit ambitionem, & arrogantiam.

Nec abs re id factum esse puto, cùm & ciuiles leges, quales sunt sub titulo ad leg. Iuliam de ambitu, hoc vitium ambitionis exibilant. Gloriosos ergo Thrasones, ac gloriæ præcupidos noluit habere Christus.

Prohibuit etiam hìc arrogantiam, quod expressè testatur Chrysostomus in Matth. homilia 66. Arrogans autem est is, atque superbus, qui maiorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat.

Quis autem sit ambitiosus, & qualis permittatur ambitio, pulchrè nobis ostendit Guilielmus Budeus in annotationibus legis si be-

si benè, ff.de vsuris. Ad filios Zebedei redeuntes, inuenio Chrysost. qui hos duos fratres super hac ambitione pulchrè excusat, quomodò adhùc fuerint imperfecti, nescientes mysterium crucis. Et addit,quòd tantùm voluerint Primatum confessus impetrare,& præponi se cæteris, præterquàm Petro. Huic enim dixerat: Ego dabo tibi claues Regni Cælorum, &c. Iustam etiam habent ex Chrysost. excusationem super contentione inter eos facta. Nàm postquam pro Petro soluta fuit didrachma, molestè tulerunt Discipuli duo aduersùs decem. Primum enim eripere consessum nitebantur, & decem duobus inuidentes, indignabantur. Sed hoc erat antè aduentum Spiritus sancti.

Sed post resurrectionem, teste eodem Chrysost. ipse Ioannes primis honoribus Petro cedit tam concionanti, tam mirabilia facienti, vt actus Apostolorum testatur. Nec latere patitur Petri virtutes, sed confessionem, quam silentibus cæteris magna edidit voce Ioannes. Et ingressum eius in monumentum non tacet, cæterisque in omnibus sibi tunc anteponit.

De Iacob pariter Chrysostomus ostendit quomodò non longo tempore posteà vixerit. Et in summa quamquam humano more Ioannes, & Iacobus de præfectura solliciti fuerint, tamen nec antè, nec post Resurrectionem id, quod anteà Petro donatum erat, præripere volebant, immò nec id Christus facere voluit, sed tyrannidem, ambitionem, arrogantiamque damnauit, immò ad humilitatem illos promouit.

Animo enim arroganti, quid æquabit, inquit Cyrillus in libro 9. super Ioannem: Sed quòd hæc mea sit vera sententia, quòdque prælationem inter Apostolos minimè sustulerit, ex Origen. Chrysost. Hilario in libro ad Constantinum Imperatorem, Hieronymo, Cyrillo, & August. certissimè constat, immò hoc ipsum Euangelium, cuius & supra meminimus, nobis ostendit.

Nàm Ioannis 13. licèt dixerit Dominus: Si ego laui pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes, exemplum dedi vobis, &c. tamen anteà dixerat: Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim, non simpliciter dixit: Vt ego feci vobis, sic & vos facere debetis.

Sed, vt Cyrillus inquit, dignitatem, & gloriam suam priùs exposuit, vt hac re gloriæ cupidos reprimeret; & hoc expressit,quòd natura erat; erat autem natura Magister.

Nempè omnis sapientia est à Domino, & omnis intellectus per eum, & omni rationali creaturæ tam cælesti, quàm terrestri vim inserit intelligendi. Est & natura Dominus, ob cuius prælentiam forsan Octauianus, vt est apud Tranquillum, se Dominum vocari non permisit. Quòd si filius hominis, qui Matth.20. Non ministrari, sed ministrare venit. Magistratus, atque dominij non est oblitus, immò de se laudauit, vt est apud August. in Euang.Ioann. tract.58. Nimirùm si Discipoli ad humilitatis exemplum hortati fuerint, tamen & Petro prælationis iura salua manerent.

Quicquid ergo dicitur de contentione inter Discipulos facta, referendum est ad hoc humilitatis exemplum. Et eam ob rem forsan Pontifex Roman. Seruum Seruorum Dei se scribit, & vocat, quòd primò etiam omnium Gregorium Magnum fecisse lego; & reliquos Episcopos Fratres vocat, vt Petro, & Paulo, quos citas, iàm prima facie satisfiat, ac tibi respondeam.

Et certè id facere congruentissimè conuenit, eo quòd Vniuersitatis Conditorem legimus formam accepisse seruilem, vt nos Sanguine suo liberos redderet. Et filius hominis venit, vt non ministraretur illi, sed vt ministraret, quod ne docere tantùm verbo videretur, monstrauit exemplo, assumptu quippè linteo accinxit se, & aqua peluim replens, Discipulorum pedes lauit.

Non est itaque impium credere, inquit Hieron. in epist. ad Titum cap. 1. eum, qui formam serui assumpserat, hæc fecisse, quæ serui sunt, vt paternæ voluntati seruisse dicatur, cum serois suis ipse seruierit.

Hæc autem seruitus in Christo sicuti charitatis erat, per quam nobis inuicem seruire præcipimur. Ità & Pontifex Romanus rectè pascendo, nobis etiam quasi vermiculis humi serpentibus seruire tenetur.

Proin vera est Tirij Maximi sententia in sermone 20. dicentis: Populi dux multorum Dominorum seruus.

Quare & Origen. in Matth. homilia 13. Qui Principatum desiderat, ait, Ecclesiæ, debet fieri omnium seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus in his, quæ pertinent ad salutem.

Sed quid,quòd scripturæ,quas citas, non solùm ad eos, qui sunt insimæ feces, & quasi sardi venales, sed ad Principes, Reges, immò ipsum Imperatorem totius Mundi dominum, iuxtà leg.deprecatio,ff ad Rhodiam de iactu referendæ sunt, sicut & hoc: Alter alterius onera portate, quoniam estis inuicem membra.

Per hoc tamen nonquàm rectè subinferes, vt subsit vasallo dominus, seruo patronus, incolæ Præfectus, seu Præses, agricolæ Rex, vel Imperator, nisi non modò leges, & imperium, sed & omnes titulos de iurisdictione sonantes tollere, immò politias omnes euertere velis. Sed quod opus est multis? aut oportebit te simul omnes Imperatores, Reges, Principes, ac Præsidentes damnare, aut locos, quos citas, rectiùs exponere.

Sed valde periculosum fuerit tot Principum, quorum fauores anxiè quidem aucuparis, animas in tartareas vndas post totidem benefacta detrudere.

Sed timeo, mi Luthere, satis superluersum esse credas, modò iuguleotur Pontifices, trucidentur Episcopi, subijciatur Clerus. Nescis autem quamprimum hæc prophetia completa fuerit, Astiterunt Reges terræ,& Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùm Christum eius. Ps.11. Iàm Reges cæpisse seruire Domino, & tunc Reges sese cognouisse, immò professos se indignos esse, vt Pontificum causas iudicarent.

Potuisses hoc ex Niceno Concilio, ex Hilario, & Ambrosio, ac multis alijs deprehendere, sed audi an Augustin. quædam Con-

Constantini Imperatoris præconia.

Lactantius Firmianus in procemio suarum institut. primum Romanum Principum fuisse Constantinum restatur, qui repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis, ac veri, & cognouerit, & honorauerit. Sicuti quoque erga pios pater fuit indulgentissimus, sic aduersus impios Iudex fuerit rectissimus.

Sed audi, quòd fecerit in Concilio apud Nicæam Bithyniæ Vrbem, à sanctis Patribus celebrato, quando in eiusdem Conuentu Episcopi se inuicem accusantes, libellos Imperatori suum arbitrium exposcentes, obtulerunt, Constantinus se iudicans indignum, libellos combussit, ac iudicare renuit.

Hic est ille Princeps, sub cuius Imperio iàm Christum Reges adorare cæperunt. Et proculdubio si vixisset is in Ecclesia primitiua, numquàm à laicis de rebus Episcoporum fuisset iudicatum.

Habes itaque nos non in centenaria præscriptione, sed mille ac ducentos annos, & vltrà hanc gratiam adeptos. Quamquam & in hac re nostra conditio sit longè deterior, ac inferior, quàm eorumque Sacerdotes, ac Leuitæ fuerunt in veteri Testamento. Ij etenim, vt in Deuteron. habetur, non paruam indicandi potestatem habebant.

Sed iàm satis, superque tuis obiectionibus responsum esse putarim.

Certè contra tuas interpretationes omnes Theologorum cunei pugnant eam velires, quàm cataphracti. Contra te sunt Historici, & Iureconsulti. Et solùm tumultuariam plebem habes tibi adstipulantem.

Sed ad vndecimum venio, vbi ex cap. 25. quæst. 1. laicis inculcas, scriptum esse Romanam Sedem vim dare iuribus, ac quod nullis Papa sit subditus iuribus.

Miror, mi Luthere, qui sanctulus diceris, & religiosulus haberi cupis, cur non vereris hic Pontificibus tantam facere iniuriam?

Nescis esse scriptum: Princeps legibus solutus est; leg. Princeps, ff. de legibus dixit hoc Vlpianus: Quid si & idem dixisset Pontifex, sed non dixit, maximè quantum ad Euangelicam legem attinet; immò si vndique percurreris sacros hos Canones, proculdubio inuenies Pontifices hoc seruare, quod scriptum est in leg. digna vox, C. eodem, vbi Theodosius, & Valentinus sic dicunt: Digna vox est maiestate regnantibus legibus alligatum se Principem profiteri.

Sed hanc iniuriam tunc rectè vindicauero, si ex eodem loco ostendero te non vera dixisse.

Audiat ergo pusillus grex, quod Vrbanus, quod Zozimus, quod Marcellus, quod Hormisda Pontifices in eodem loco tradiderint.

Dicit illic Vrbanus. Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges, quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia indè nouas leges condere oportet, vndè Euangelistæ aliquid, & prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt ibi nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum est, vsq; ad animam, & sanguinem confirmare debet.

Si enim quod docuerunt Apostoli, & prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Sed procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt. Zozimus ità scribit: Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas, apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum sancere reuerentiam. Marcellus sic habet: Omne quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia, & infrà, Iniustum iudicium & definitio iniusta, regio metu, vel iussu à iudicibus ordinata, non valet, nequaquam contra Euangelicam, vel propheticam, vel Apostolicam doctrinã, constitutionemve eorum, siue sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, & quod ab infidelibus, vel hæreticis factum fuerit, omninò cassabitur. Et Hormisda sequitur ibidem dicens: Prima salus est rectè fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Si hæc Luthere populo prædicares, tranquillam pacem in Ecclesia faceres, non ità turbares, ac misceres sacra prophanis.

Quid olim dicent tui, vbi sese intellexerint à te perniciosè seductos, clamabit vnusquisque. Erraui sicut ouis, quæ perijt, quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Duodecim erratum esse dicis, vbi Romanam Sedem petram hanc esse dicis, de qua Matth. 16. dictum sit: Cùm tamen solus Christus sit petra, miror mi Luthere, vbi id in distinct. 19. hoc esse scriptum inueneris? forsan citabis mihi textum Leonis? illi supra responsum est. Ego numquam dixi, nec inuenitur in iure Sedem Romanam esse simpliciter petram, qualem Christum appellare solemus. Sed hoc abnegare non potes: ex Orig. petram esse omnem, qui sit imitator Christi. Ex Ambros. petram esse actum nostrum, petram esse mentem nostram. Ex August. petram esse Ecclesiam. Ex Orig. Hier. Ambr. August. Leo. probare possumus Petrum dici petram, & quòd cum Christo petræ nomen commune habeat. Tu ergo quomodo dicis solum Christum dici petram. Quamquam & ego cum Paulo sententiam veram esse Christum. Sed ne tot sanctos Patres Cretenses mendaces faciamus, placet, & Petro nomen hoc petræ, quòd & nec Paulus facere prohibuit. Et sicut lux Mundi dicuntur Apostoli, quamquam Christus vera sit lux, quæ totum Mundum illuminat, ita & de petra quò ad Christum, & Petrum.

Tredecimum errorem esse dicis, claues dumtaxat Petro traditas, ostensum est supra claues esse Christi, claues esse Ecclesiæ, claues esse Sacerdotum. Sed Petro principaliter, primò datas ante cæteros Apostolos, non vno dumtaxat loco, sed sanctorum Patrum sententijs ostendimus. Vide ad hoc Ambros. Hilarium Pictauiensem in psalm. 131. & psalm. 57. & omninò in lib. 6. de Trinit. cuius mentem tamen inferiùs pleniùs accipies. Certè si hæc tuæ cateruæ proposuisses, Pontificium Ius non

tam-

tamquam chrysippeam dialecticam iudicasses Deum asseris in cap. translato de constitut. quemdam errorem maximum contineri, quasi Sacerdotium Christi sit translatum in Petrum. Certè textus est August. quem sumpsit ex c.7. ad Hebr. quando tu imaginaris, textus non habet, sed vna glosella super verbo translatu. Possem eam tenere vel non, sicuti liberum est mihi multas negare glosellas. Sed vide quò se retulerit ista glosella, referr se ad textum sanctissimi Anacleti in cap. nouo distinct.21. vbi sic dicitur, in nouo testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum, [Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.]

Et verum est, quod hìc dixit Anacletus super translatione Sacerdotij, super Sacerdotio Aaron pugnauerunt hìc nonnulli cum tuis, sed satis indoctè, ac infeliciter.

Cyrillo credendum esse puto, qui pulcherrimè probat tabernaculum Moysi fuisse figuram Ecclesiæ, & quòd Sacerdotium Hebræorum erat figura nostri Sacerdotij, super qua re ab illo speciales sunt æditi libri, sed nos infrà tangemus. Modò satis sit monstrare quomodo Sacerdotium Christi sit in æternum.

Possem longo id exequi ordine ex Lactantij 4. lib. institut. cap.14. Sed hìc dumtaxat ne longus sim, dum breuis esse laboro, quid in hac re sentiendum sit, ex Athanasio Patriarcha Alexandrino accipe, in æternum est quia quotidie offertur per Dei ministros oblatio, Christum Dominũ, & Pontificem habens, & sacrificium, qui seipsum ob gratiam sanctificat, frangit, & tribuit. Quotiescumque id fiet, mors Domini annunciabitur. Hæc Athanasius. Sed fortè huic dicto non credes, cũ docere soleas Eucharistiæ Sacramentum non sacrificium, aut oblationem, &c. vti tua captiuitas Babylonica habet. Vt igitur ista firmemus, audi quid os verè aureum dicat.

Chrysostomus inquam in 2. epistola ad Timoth. cap. 1. Sacra ista oblatio ait: siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamquam sacerdotes modò quoque conficiunt, nihil habent ista, quàm illa minùs, cur id, quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antea sacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant, ità & oblatio eadem est, eademque Baptismi ratio est, adeò omnia in fide consistunt. Cornelium spiritus repetentè repleuit, quia priùs ipse alacritatem voluntatis ostenderat. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est. Qui autem hoc illo minùs aliquid habere putat, ignorat Christum esse; qui nunc etiam adest, atque operatur, hæc Chrysost,

Habet eandem sententiam D. Ambrosius in pluribus locis, & maximè in 4. in 5. & in 6. libro de sacramentis. Habet hoc, D. Aurelius August; cuius communis est vsus Eucharistiam dicere sacrificium seu oblationem. Et non parui momenti res est, quod habet Ambrosius in dicto libro 4. cap. 5. & 6 & sancta hoc tenet vniuersalis Ecclesia, quia in sacro canone missæ sacerdos orat dicens: Hanc enim oblationem ascriptam. Et post consecrationem iterum dicit. Offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & Calicem vitæ æternæ, & petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublime altare tuum. Ex quo quidem Ambrosio habes hæc sacri canonis verba ante mille. ac centum annos in vsu Ecclesiæ fuisse. Addo quia hæc eadem verba in missa græcè scripta reperiuntur, qua & iamdiu Græci vtuntur, ac vsi fuerunt, testantibus hæc vetustissimis codicibus: Sic enim illi à mille ac trecentis annis inter cætera sequentibus verbis celebrantur, ac sic in hanc horam celebrare solent.

Othen cai imeis oi doyloi soy cyrie cai o laòs soy oytos ò agios memnimenoi aytoy toy monogenoys soy yioy cyrioy dè imon Isoy Cristoy cai toy macarioy pathoys aytoy, eti tis ee toy adoy anastaseos, cai tis eis oyranoys en doxoy anabaseos prosspheromen ti megalosyni ec ton son doreon cai charitou. Thysian catharotatin thysian agian, thysian achranton, arton agion zois aiona toy cai poterion sotirioy dynecoys.

Hæc omnia contrà te pugnant, tua reprobant, ac inuertunt. Et ita inuertunt, vt tui non parum miserear, qui non modò cum tuo seculo pugnas, quod tamen Erasmus etiam periculosissimum esse scribit, immò ferè ab omnium sanctorum patrum scripturis, rationibus, & millenario vsu Ecclesię dissentis. Sed vt te fortiùs stringam, audi quid contra tuam assertionem Hiræneus in 4. lib. cap. 32. scribit ad verbum, hunc tibi in medium proferam: Eum, inquit, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens. Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem. quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, hęc Hiræneus, non Thomas, non Ocham, Ricardus, aut Scotus, sed doctor vicinus temporum Apostolorum. Et tu post totidem sæcula veniens, nouam, & inauditam spargendo doctrinam non sine grandi animarum periculo, totiusque mundi tumultu perturbas, ac inuertis omnia? Sed verbo scilicèt testamenti forte deciperis, de quo longè aliud sentiendum erat, quàm tu sentire videris,

Eges hìc non modò præceptore iure consulto, qui ex titulis C. de testa. ff. de inoff. testa. te doceat, sed & Theologo hic opus est. Nam & si testamentum dicatur, quo defertur bonorum hæreditas; iuxta ea, quæ sunt apud Ambrosium de Cain, & Abel li. 1. cap. 7. quo & diuinum dicitur testamentum, quoniam sanguine dedicatum est vetus in typo, nouum in veritate, quo & diuinæ gratiæ pignus tenemus, Quia sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum pro omnibus daret. Sed & hoc notandum est, inquit Hieronymus in Hiere. cap.11. quàm verbum *berit* aquila, & symachus semper pactũ, septuaginta, & Theodotion testamentum interpretati sunt. Vndè idem Hier. in Malachiam cap. 2. sic habet. Per Leui Aaron, & vobis sacerdotij gloriam condonaui, vt esset pactum meum, siue testamentum cum Leui &

æternu

æterno mihi sacerdotio ministraret. Vbi *berit* verbum hebraicum aquila, *fynthincin* pactum interpretatur. Septuaginta semper *diethicin* testamentum.

Et in plerisque Scripturæ locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium, compertissimum est. Et de ea re iterum idem Hieron. in Zachariam cap. 9. sic habet. Tu quoque in sanguine testamenti siue pacti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, quod ità intelligitur. In sanguine passionis tuæ eos, qui in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Denique postquam resurrexisti his, qui peccatis Adam, siue, vt quidam volunt erroris inoliti, ac mortis vinculo tenebantur resurrexerunt cum eo, & apparuerunt in sancta ciuitate. De hoc sanguine testamenti & ipse indicans futuram passionem, ad Discipulos loquebatur. Accipite, & bibite ex hoc omnes, hic est enim calix noui testamenti in sanguine meo. hæc Hier.

Quod si epistolam Pauli ad Hebræos de testamento loquentem obieceris, audi Hieronymum in Hieremiam cap. 31. ità loquentem Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam, siue disponam domui Israel, & domui Iuda pactum, siue testamentum nouum &c.

Hoc testimonio Paulus, siue quis alius scripsit epistolam, vsus est ad Hebræos, omnesque deinceps Ecclesiastici viri in primo Saluatoris aduentu dicunt vniuersa completa, & nouum testamentum hoc est Euangelium successisse veteri testamento, à quo legem literæ lege spiritus commutatam, vt omnia quoque sacrificia, & circumcisio spiritualiter complerentur. Quod autem pro testamento ponimus, hebraicæ veritatis est. Vides adhuc pactum dici testamentum posse, & esse, quod cum ità, sit non scio an iustam causam habueris hoc sacramentum ità testamentum vocare, vt non esset etiam sacrificium, cum tamen dudum ante tempora Ambros. quotidie dixerit Ecclesia, & Græca, & Latina, immò Asiana, Offerimus tibi hanc inuiolatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem, & calicem vitæ æternæ, & petimus, ac precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublime altare tuum &c.

Et Cyprian. in 2. libro epistolarum 2. epistola, Quotiescumque calicem in commemorationem Domini & Passionis eius offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, facimus. Et Hieron. in Sopho. cap. 3. id asseuerare videtur. Origenes quoque super leui. homil. 5. expressè habet Christum eam esse hostiam, quæ pro peccatis offeratur, quæ & dici mereatur sancta sanctorum. Ea propter obsecro in posterum sic hanc Eucharistiam tractes, ac venerare, ne nomen a primitina Ecclesia vsque in ætatem nostram religiosè celebratum, perdidisse videatur. Non solus sapias. sed maiorum imitate prudentiam: In fine disceptationis nostræ hæc, & his similia contra captiuitatem tuam verè babylonicam adducere statui. Iam ad Athanasium redeus, Christi sacerdotium in æternum esse dicere possumus, quod sub hoc sacramento sit nobiscum permansurus vsque in consumationem sæculi sacerdos quidem, & sacrificium. Aut vt Augustinus habet in 17. de ciuit. Dei cap. 17. Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ex eo quòd nusquam iam est sacerdotium & sacrificium secundum ordinem Aaron.

Et vbique offertur sub sacerdote Christo quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraam, de quo sacerdotio plura idem August. in lib. quæstionum vet. & noui test. qu. cap. 14. Illud sacerdotium quantùm ad executionem pertinet, post Christum, immò à Christo venit ad Petrum tanquam archierea, quicquid tum vel dicas, vel imagineris.

Taxas dein in 15. tuo articulo in cap. ideò permittente 25. qu. 1. quod scriptum inueneris, & hic scriptum esse dicis Papam posse condere leges in catholica Ecclesia, cui sententiæ Paulus aduersetur ad Galat. 5. dicens Libertate nos Christus liberauit. Scripsisti nonnihil de libertate christiana, sed re vera, nec dictum Pauli, nec tua christiana libertas huc pertinebat. qua Pontifici potestatem condendi leges periperes. Scio scriptum Ioannis 8. Veritas liberabit vos, & iterum. Si filius vos liberabit, tunc verè liberi eritis, sed quid propriè est liberare aliud, quàm saluum facere. hoc secundum August. in Euangelio Ioannis tract. 41. Planiùs enim greco, quàm latino cognoscitur, nempè sic græcum habet *cai alitheia eleytherosei ymas*. Et re vera hic nos liberauit, qui est inter mortuos liber. Sed quomodo dicit Aug. Nos serui eramus cupiditatis, liberati, serui erimus charitatis, quod & Paulus docet ad Galat. 5. dicens, vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carni.

Et Origenes de hac libertate sermonem faciens in epistolam ad Rom. cap. 7. dicit, Vbi Christus nobis mortuus est, & nos cum ipso mortui sumus peccato, liberi sumus per ipsum à lege peccati, in qua detinebamur, vt possumus iam seruire legi Dei. seruire autem in nouitate spiritus, non in vetustate literæ.

Non enim idcircò nos Christus abstraxit à lege peccati, vt vetustati legis seruiamus idest, vt circumcisionem recipiamus, & sabbata, vel cætera. quæ vetustas legis literæ continet, sed vt legem Dei in spiritus nouitate seruemus, idest ex omnibus, quæ in ea scripta sunt, spiritalem sensum spiritu donante capiamus. Sicut & idem Apostolus in alijs dicit, quia velamen positum est in facie Moysi: Cum autem conuersus fuerit, quis ad Dominum auferetur velamen? Dominus Deus enim spiritus est, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas, Et idem in Matth. homil. 7. Filij terræ liberi non sunt: quoniam omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Liberi autem, qui manent in verbis Iesu, & propter hoc cognouerunt veritatem, & veritas liberauit eos à seruitute peccati. Hanc libertatem Augustinus in Ioanne tract. 112. dicit per sanationem auriculæ ipsius Malchi figuratam, vbi & seruitus erat, & est secum libertas.

Sed propterea non dicat christianus, inquit August. Liber sum, in libertatem vocatus sum, non sum seruus, sed redemptus sum, & ipsa redemptione liber effectus sum, faciam quod volo, nemo prohibeat me à voluntate

mea, si liber sum. Sed si ista voluntate peccatum facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia, eris liber, si seruus fueris, liber peccati, seruus iustitiæ, dicente Apostolo. Cum serui esseris peccati, liberi eratis iustitiæ, nunc autem liberati à peccato, serui facti Deo: Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò ad vitam æternam. Quòd si cupias antiquiorem de hac re loquentem audire, eo quid Hirenæus in 4. lib. contra hæreticos cap. 31. scribit. Præcepta, quæ in seruitutem, & signum data sunt illis, circumcinxit nouo libertatis testamento, quæ autem naturalia, & liberalia, & communia omnium, auxit, & dilatauit, sine inuidia largiter donans hominibus, per adoptionem patrem scire Deum, & diligere eum ex toto corde, & sine aduersatione sequi eius verbum, non tantum abstinentes à malis operationibus, sed & iam à concupiscentijs earum. Auxit & iam timorem; filios enim plus timere, quàm seruos, & maiorem dilectionem habere in patrem.

Et propter hoc ait Dominus. Omnem sermonem otiosum, quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio, vt sciamus non solùm factorum reddendam rationem Deo, vt serui, sed etiam sermonum & cogitationum; tanquam qui & libertatis potestatem acceperimus, in qua magis probatur homo, si reuertatur, vt timeat, & diligat eum.

Et propter hoc Petrus ait, non velamentum malitiæ habere nos libertatem, sed ad propitiationem, & manifestationem fidei, hæc Hiren. A quibus non longè absunt, quæ scripsit sanctus Antiochus Græcus in lib. de præceptis Domini nostri Iesu Christi, quæ iam præterire nolo: Ad Vulgarium veniens. En Vulgarius in epistol. ad Galat. sic habet. Non vt legi deseruiamus, à Christo sumus vocati, sed vt à legalibus seruitutis iugo liberi simus. Dein ne quis existimet, quia libertate vtimur, licere nobis omnia ad nutum facere, castigat id dictum, & inquit. Nequaquam sumus huiusmodi libertatem adepti, perindè ac occasionem nacti ad carnis concupiscentias. Quippè qui non eam ob causam sumus à legis iugo soluti, vt in præceps feramur, sed vt seruitute summota, recti & gradu composito, tamquam benè formati, & instructi nos incedamus. Non enim vt legem præuaricemur, licenter iam, & liberè agimus, sed vt vitâ quam lege cautum sit, proueha-mur.

Et Hieronym. cum huius dicti verum nobis daret intellectum ex 10. stromatum Origen. cum sancto conuenit Athanasio in summa, prohibemur facere, quod placuerit, & voluntas suggesserit. Eapropter Orig. in homilia 2. super numeros rectè locutus visus est mihi dicens. Christus nos redemit de maledicto legis, non nos redemit de maledicto mandati, nec de maledicto testimonij, nec de maledicto iudiciorum, sed de maledicto legis, ne subiecti essemus circumcisioni carnis, nec obseruationi Sabbatorum, alijsque horum similibus. Neque per hanc libertatem, quam tu citas ex Paulo, Principes illi Christiani prohibentur facere leges, condere statuta reipub. Christianæ congruentia. Ad quid enim dixisset Dominus: [Qui vos audit, me audit.] Et cur toties Paulus præcepisset filios obedire parentibus, seruos obedire Dominis, subditos obedire præpositis; sicut est ad Ephes. Colossen. & Hebræos, immò ad Titum scribens, ait. Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse. Quid quòd Apostoli præceperunt aliqua, velut acta illorum per Lucam Prochorum, ac alios descripta testantur. Præcepta dedit & Paulus. Nunquid arguendi sunt trecenti decem & octo Episcopi in Nicæna Synodo congregati, qui multa statuta dedere; aut damnabis centum & quinquaginta Patres sub Constantinopolitano, & ducentos Patres sub Ephesino, etiam sexcentos & triginta Patres sub Chalcedonensi Concilio, qui certè nobis post hanc liberationem, quam consecuti sumus in Christo, multa statuta fecerunt, re vera impium hoc esset. Ne ergo Apostolos, ne tot sanctos Patres, immò ne infinitos Christianos Principes damnemus, alium intellectum, & verum illius Paulinæ sententiæ quærere oportet. Et eum quidem, quem post reliquos Erasmus in annotationibus in Matth. cap. 11. habet. Cum igitur tot corruerit intellectus, certè dabis Vicarium Christi condere posse statuta. Sed mi Luthere de te multi multa loquuntur; & aliquando viri boni rationem tui nominis dare conati sunt. Credidere quidam te Lutherum *loytron*, quod est lauacrum, esse vocatum. Fuere nonnulli, qui te Lutherū alytron, quòd Erasmus in annotationibus in Matth. cap. 20. pretium significare dicit, quo redimuntur captiui; aut serui appellatum esse dixerunt. Et ego principio causæ tuæ sæpè asserui te Lutherum esse dictum alytrosi, quam Athanasius, aut Vulgariæ Episcopus perfectam liberationem significare docuit. Sperabamus enim ex te redemptionem Israel, sed certè spe bona frustrati, nisi mutaueris animum, conijcies nos in libertatem, ne dicam licentiam peccandi. Tibi non parum condoleo, qui non paruam peccandi populo Christiano Indulgentiam præbes. Sed qui te iudicat, ac iudicabit, Dominus est, Vide quot bona opera ieiuniorum, & orationum te auctore neglecta sint. Sed hoc pœnitendum est, quòd tot Monachi Religionis habitum abijciunt: Nunquid non memores esse conueniebat. Vouete & reddite Deo vota vestra. Sed de his aliàs tecum.

Circa sedecimum errorem contendis, nescio qua tyrannide Pontificem abuti verbo Quodcunque ligaueris. Nullum hic citas locū. Vnde cum illis sentio, quos super hæc verba scripsisse supra monstraui. Quòd si textum expresseris, & tibi respondere non grauabor.

Decimumseptimum errorem hunc esse dicis, quo Papa mandauerit sub excommunicationis pœna certis diebus abstinendum à carnibus, ouis, atque butyro, cum huiusce rei potestatem nullam habeat. Cuius errati nullum textum assignas, forsan eam ob rem, quia nullum inuenire poteras. Scis scriptum esse de carnium esu sub ti. de consec. dist. 3.

dist.3.

dist. 3. & in eadem cap. denique dist. 4. sed excommunicationem nullam inuenio. Id sanè deprehenditur, quòd Leo Papa IV. cui rectè simplicem illam, & à Christo laudatam prudentiam adscribimus, super esu carnium vetustissimam, & non improbandam traditionem commemorat. Hanc antè septingentos annos obseruauit Ecclesia. Ab hac diuturna obseruatione non tam facilè recedendum puto. Scis quid Hieronym. ad Pamachium, & Oc. scribit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Habemus hanc abstinentiam non tam ex præcepto Pontificis, quàm ex diutissima consuetudine sanctæ matris Ecclesiæ. Ecclesiam igitur hic, non Pontificem damnas. Et in te miror, qui carnis castigationem, ac mortificationem non indiligenter doces, & tam propensè laudas, quam & ego tecum laudo & probo, immò cum Paulo id facio. Quòd non es memor, quàm rectè conducat, & à carnibus quandoque abstinere Christianum hominem. Docuere nos Galenus vir doctissimus, Diogenes Epicurus quantùm petulantiæ carnium esus promoueat. Scis carnem facere nitidum & pinguem, & benè curata cute, immò Epicuri de grege porcum. Nec mirum fuerit, si Christiani à carnibus abstineant. Sub saturno enim in aureo seculo, sicut Dicearchus habet, nemo carnes comedit. Sicut & in primis post diluuium à Noe carnes comestas esse legimus. Nisi fortè velis cum Strabone è sedecimo lib. dicere ex superstitione ortam esse carnium abstinentiam. Carnibus Cyrus Persarum rex abstinuit, & mira fuit Lacedæmoniorum frugalitas.

Nolo hìc dicere de Sacerdotibus Ægyptiorum, qui etiam ouum pro carnibus vitauere. Et scis Essenos Iudæos, teste Iosepho, semper carnibus abstinuisse. Ea etiam ætate, qua Pigmalion in Oriente regnabat, carnium esus non erat. Fuerunt & apud Persas magi doctissimi, qui excepta farina, & olere nihil ampliùs in cibum sumebant. Et possem tibi recensere multa de Gymnosophistis, Samaneis, Iouis Prophetis, qui à carnibus abstinuere. Et scis in templo Eleusinæ tertium præceptum esse carnibus non vescendum. Cur ità factum esse putas? quia carnium esus, & potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est, vt Hieronym. inquit in 2. lib. aduersus Iouinianum.

Vnde sanctus Hilarion Eremita contra libidinem carnis ad corpus ait. Ego aselle faciam, vt non calcitres, nec te ordeo alam sed paleis; famè te conficiam, & siti, &c. Illam etiam obseruantiam antè tempora Hieronymi diù fuisse, firmissimè credo, quod & partim ex commentarijs in epistolam ad Galat. deprædendere possumus. Quòd si ieiunium, quod ab Apostolis præsumimus institutum, seruare iubemur, nimirùm si iuxtà Consilium Ambrosij à carnibus, & quibusdam alijs abstineamus. Non quòd Creator, & Dominus intestinorum nostrorum rugitu, & inanitate ventris, pulmonisque delectetur ardore. Sed quòd aliter pudicitia tuta non est, vt scribit Hieronym. ad Eustochium. Quid quòd bonum est huiusmodi vinum non bibere, & carnem non manducare, ità vt sit caro sicut vter in pruina. Hanc igitur constitutionem si alicubi inuenisses, non facilè damnare, sed probare debebas.

Sed non tam fortis est illa consuetudo, quin etiam tempore quadragesimali propter inopiam annonę carnes comedere possumus, immò infirmis, qui quocunque remporę ægrotant, non ex nundinatione quadam, vt tu alibi dicis, sed iuris permissione conceditur. Ità Innocentius III. scriptum reliquit in cap. Consilium de obseru. ieiun. Immeritò igitur hoc Papæ impingis, quod scriptum esse non inuenitur, immò indignè id reprobari, puto, quod totideni annorum obseruatione fulcitur. Nec tibi persuadeas sicuti velle videris, ieiunia, & vota res esse iampridem à Romanis Pontificibus excogitatas. Nam & Hieronym. ad Sabinam scribit moris fuisse in Ægypti, & Siriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renunciantes omnes delicias seculi, conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, & multa id genus sunt alia, quæ tu Pontifici Romano putas impingenda. Sed fortè habes, quo tua defendas; quòd nolis vllum hominem super cæterum aliquid statuere posse, quod & constantissimè dicis, ac asseris, super quo paucis tibi respondeo Act. 18. Si homo supra hominem nihil statuere potest, cur in primo Apostolorum Concilio decretum factum est, vt qui sunt in Antiochia, Syria, & Cilicia, contaminationibus simulacrorum, & sanguine, & suffogato abstineant? Cur tot leges ponit Apostolus de constituendis Episcopis, de viduis, & velandis fœminarum capitibus? Cur ordinauit, ne fidelis coniux ab infidelis discedat, nisi deseratur? Cur dicere non veretur cæterum, ego dico, non Dominus? Cur fornicantem Corinthium Sathanæ tradit? An non Apostoli homines fuerunt? Et Paulus homo fuit, dicens cum Barnaba ad eos, qui erant in Lincaonia. Nos mortales sumus similes vobis homines. Voluit tamen vas electionis sua custodiri mandata.

Sed quia serenissimus, atque inuictissimus Princeps, & Dominus Henricus Angliæ, & Franciæ huius nominis Rex octauus super ea re non modò sanctæ, ac doctè scripsit, atque fœliciter, immò hanc tuam erroris monstrosissimam hydram gladio sacræ Scripturæ quasi aliqua claua Herculis prostrauit, & ità vt me legentem non modò maiestas illa dicendi, quæ illi peculiaris est, sed & grauissimæ sententiæ reddiderit planè stupidum, ac attonitum. Et te vera ista si non contemptim legeris, fieri non potest, si tibi superfit aliqua scintilla religionis, in hac te sententiam mutabis, immò oues alioquin erroneas, tua recantatione ad caulas veræ pascuæ reduces. Discas itaque illum imitari, qui iam in toto terrarum Orbe inter serenissimos doctissimus, & inter doctissimos serenissimus perpetua laude cantatur; de quo & olim id, quod de Ænea Maro cecinit, Anglia illa, cui soli philosophantem regem contigisse videmus, cantabit. Virg. 1. Æneid.

Rex erat Henricus nobis, quo iustior alter.

Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis. Nec id immeritò fiet. Siquidem altera manu

manu virgam Pastoris; altera verò sceptrum Regium gestat. At quid opus est verbis, vbi res ipsa loquirur?

Sed quòd iniustissimè Pontificem facere contendis, qui Sacerdotibus ne ducant vxores prohibuerit; hoc opus, hic labor est. Mallem hìc aliorum audire iudicium, quàm mea imprudenter in medium afferre. Sed cum ità fieri conueniat, ac tuæ scripturæ exigat ordo, hanc rem præterire nnn possum. Scis mi Luthere diù dubitatum à Theophrasto, vt est apud A. Gellium an ne sapienti sit vxoe ducenda? Sat validè in vtramque partem pugnaium est. Nempè Bias togatns à quodam deberet ne vxorem ducere, an vitam viuere cælibem, inquit, aut pulchram duces, ant deformem; si pulchram, habebis communem, sin turpem, habibis pœnam; neutrum autem bonum. Est igitur nnn ducenda vxor. Inuenti sunt, qui responsum in hnc conuertetint, ac *antistrephon* idest teciprocum esse voluerunt, dicentes. Si formosam duxeris, non habebis pœnam, sin deformem, non habebis communem. Ducenda est igirur vxor. Credit A. Gellius lib. 5. cap. 6. hìc sese medium inuenisse, dum formam, qnam ipse vocat statam, excogitarit.

Sed Theophrastus hnmo gentilis in lib. de nuptijs prudentissimè discussit per coniuginm impediti studia philosophiæ, nec posse quenquam libris, & vxoti pariter inseruire. Multa esse, quæ mattonarum vsibus necessaria sint, preciosæ vestes aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ, & esseda deaurata. Dein per noctes totas garrullæ quæstiones. Illa ornata procedit in publicum; illa hnnoratur ab omnibus; ego Conuentum fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas viciuam? quid cum ancillula loquebatis? de foro veniens, quid attulisti? Non amicum habere possumus non sodalem; alteriùs amorem suum odium suspicarur. Si doctissimus præceptor, in qualibet Vrbe fuerit, non vxorem relinquere, nec cum sarcina ire pnssumus. Panperum alere difficilè est, diuirem ferre tormentum. Adde quoniam nulla est vxoeis elrctio, sed qualiscunque obuenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida. Quocunque vitio est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes qunque, & lebetes, sedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis probantur priùs, & emuntur; sola vxoe nnn ostenditur, ne antè displiceat, quàm ducatur. Attendenda est semper illius facies, & pulchritudo laudanda, ne si altera aspexeris, se existimet displicere.

Vocanda domina celebrandus natalis eius, iurandum per salutem ipsius, vt sit superstes optandum, honoranda nutrix eius, & & gerula, seruus, patrinus, & alumnus, & formosus assecla, & procuraror calamistratus, & lnngam, securamque libidinem exactus spadn; sub quibus nominibus adulteri delitescunt quoscunque illa dilexerit. Ingraris amandi si totam dnmum commiseris, seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non purabir, sed in odium vertetue, ac lurgia, & nisi citò cnnsulueris, parabit venena. Anus, & aruspices, hariolos, & institores gemmarum, sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiæ est; si phohibueris, suspitionis ininria.

Verùm quid prodest etiam diligens custodia? cum vxor impudica seruari non possit, pudica non debeat. Inuida enim custos castitatis necessitas; & illa verè pudica censenda est, cui licuit peccare, si voluit. Pulchra citò adamatur; fœda facilè concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignatur. Minore tamen miseria defnrmis habetur, quàm formosa setuatur. Nihil tutum est, in quod totins populi vota suspirant. Alius forma, alins ingenin, alius facetijs, alius libertate sollicitat. Aliquo modo, vel aliqnando expugnatur, quod vndique incessitur. Plutarchus mnlta ad rem in libro de præceptis connubialibus, quæ omitto, ne lasciuis gaudere videar. Hypponactes duos dixit vxoris dulcissimos dies, nuptiarum videlicet, & mortis.

Hoc Iudæi pnlcbra inuentione exprimnnt Genesis 23. vbi Abraam deflebat vxoeem Saram mortuam. Verbum autem scilicet, *velibecłabi*, quod fletum illum significat per c quasi literam minusculam exprimunt, dicentes hanc c esse literam de minimo alphabeto, qund nonnisi semel per totam bibliam inuenitur. Et hinc tradunt vxnris mortem non nimium, sed mediocriter esse dolendam, sicuti fecerit Abraam vxore Sara defuncta. Et de vxore loquens Philemon, immortale malum vxorem dixit. Theodectes coniugium simile senectuti; vtrumqne enim assequi cupimus; assecnti tandem dnlemus, atque angimur. Hesiodus: Quisquis confidit mulleri, frondibus hæret. Libanius sophista nobilissimus quendam effingir, qui se se aliquando coram iudicibus accusauit; & cur supplicio dignus extremo foret, causam subiunxit, qui sibi permiserit vxorem date.

Et Cicero rogatus ab Hircin, vt post repndinm Terentiæ sororem eius duceret vxoeem, omninò facere supersedit dicens, non posse se vxori, & philnsophiæ pariter operam dare. De Xantippe Socratis vxore nnta est iurgiorum historia, & hæc quomodo philosophum pientissimum immunda perfuderit aqua. Omitto, quòd viris strennuis quandnque impudicissimæ contingere snlent vxores.

Nnlo hic dicere de Lelin Scylla, Gneo Pompeio, Marco Catone Censorin. Et matrimonij non est parua molestia; quòd, vt est apud Terentium, omnes socrus oderunt nurus. Herodotus scribir, quòd mulier cum veste deponar, & verecundiam; hoc in impudentibus, non honestis matronis verum esse credo. Noster comicus fortunatum putat, qui numquam vxorem duxerir. Epicurus voluptaris assertot raró dicir sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admiata sunt nuptijs.

Ridiculè Chrysippus ducendam vxnrem sapienti præcipit, ne Innem Gamelium, & Genethlium violet. Et fertur Valerium Ruffino scripsisse. Optima fœmina, quæ rarior est phœnice, amari non potest sine amaritudine metus, & sollicitudinis, & frequentis infortunij. Credit & ferè nullam esse Lucretiam, nullam esse Penelopen, nullam Sabinam.

nam. Et legitur Iouem post Europam mugire coactum. Nolo hìc de Phœbi amore Leucothoes insatuato narrare. Et Phoroneus Græcorum Rex iam moriturus ait Licentio fratri suo. Ad summam fœlicitatem nihil mihi defuisset, si vxor mihi sempee defuisset. Sensit Sulpitius vbi se calceus præmebat, qui vxore nobili, & casta diuertit. Et Cato Vticensis. Si absque fęmina posset esse mundus, conuersatio nostra noo posset absque dijs esse. Nouit is, quòd flos Veneris rosa, quia sub eius purpura multi latent aculei. Metellus Mario respondit, cum eius filiam dote diuitem, forma oobilem, genere claram, fama fœlicem ducere noluit, malo meus esse, quàm suus. Cui Marius, immò ipsa tua erit. Ait ille: Immò virum oportet vxoris esse. Logicum est enim. Talia erunt subiecta, qualia permiserint prædicata.

Et Aristoteles Peripateticorum facilè princeps alienissimum modum habendi dixit habere vxorem. Cum enim quis habet, habetur. Vulgatissima est Demosthenis cum Layde historia, qua magno pretio emere pœnitere prohibemur. Non parua sunt illius iugi pericula. Docet hoc Liuia, hoc Lucilia. Liuia virum suum interfecit, quem nimis oderat. Lucilia, quem nimis amauit; illa spontè miscuit aconitum; hæc decepta furorem pro amoris poculo.

Itidem Herculi contigisse fabulæ tradunt. Hæc recitare pudor prohiberet, nisi diuum Hieronymum, ac alios similia immò maiorem partem scripsisse viderem. Nec tamen propterea narro, quasi matrimonij encominn ignorem. Scio nuptijs interfuisse Christum, immò rerum opifex omnium illud instituit, & post diluuium, vt crescerent & multiplicarentur, imperauit.

In Euangelica lege patrem, & matrem relinqui iussit, modò quisquam adhæreat vxori. Et ipse licet è Virgine nasci voluerit, placuit tamen etiam, vt hæc esset desponsata viro, cui nomen Ioseph. Nemo ergo putet, quòd coniugia damnem. Scio enim hanc opinionem tamquam hæreticam in Concilio Gangrensi reprobatam. Et vetus lex hoc honoris matrimonio dedit, vt qui sponsam duxisset, eodem anno non cogeretur in bellum exire. Et Licurgus, vt est apud Iustinum, hanc legem post se reliquit, vt qui vxorem non ducerent, ij æstate arcerentur à ludis, & spectaculis, hyeme verò nudi forum circuirent, prospicientes se iusta pati, quòd legibus non obtemperassent: Hæc pleraque alia in laudem matrimonij sonant. Ea propter, & matrimonium maximè laudo. At sicut inter Philosophos quæsitum, ac acerrimè disputatum est, an sapienti ducenda sit vxor, ità hìc non abs re discutiendum est, an Sacerdoti liceat habere vxorem. Optarim audire hìc quendam Salomonem, qui longa didicit experientia, quid vxor, quid mulier. Breuis est quæstio, solutio tamen difficillima. Nolim hìc aliud dicere, quàm sancta seruat Ecclesia. Auribus lupum tenere is rectè dicetur, quisquis hìc certum deciderit. O quot vespas, quot vespertiliones, quot cyniphes, brucos, scarabeos, atque crabrones is excitauerit, qui Sacerdotibus vxores non esse permittendas asseuerauerit. Tota fornicatorum familia commouebitur. Et ingenuè fateor, faciliùs quis Deos expugnauerit, quàm hoc genus hominum dicaculum persuaserit, atque conuicerit.

Scio oni Luthere hac re voa te multorum hominum fauores, & aucupatum, & lucratum esse. Vnde camarinam non mediocrem is m[illegible]uerit, quotusquisque in aduersum pugnarit. Nec me latet, quòd habes tuæ blandulæ sententiæ propugnatores acerrimos. Panormitanus enim, cui tota Canonistarum turba non parum tribuit, in cap. cum olim de clericis coniugatis, dudum consuluit Sacerdotibus dandas vxores, fortè quia Siculus erat, placuit illi mos eorum, qui in Calabria vicini sibi fuerunt. Fuerunt & alij, quorum nomina tacere non sine ratione volo, qui & illud idem affirmant. Ea proptee certi aliquid hìc definire periculosum est.

Id vnum tueri volo, quòd tibi non licet licentiam dare Presbyteris, vt ducant vxores, & quòd tam inuidiosè hìc omnem culpam, si qua hìc fuerit, in Romanum Pontificem reijcis. Hoc itaque mihi vindicandum puto. Id autem rectè fecero, si quid Concilia, quid sancti Patres, quid demum Pontifices in hac re sanxerint, statuerint, ac ordinarint, ex ordine recenseam. In Canonibus, quos ferunt esse Apostolorum, ità scriptum inuenio Canone 7. Si quis post baptisma secundis fuerit nuptijs copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse, nec Episcopus, nec Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.

In Ancirano Concilio can. 9. Patres ità statuerunt. Diaconi quoque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possint, hi si postmodum vxores duxerint, in ministerio maneant, propterea, quòd Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacueruot, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, & posteà nuptijs obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.

In Concilio Carthaginensi can. 7. Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentianæ Prouinciæ Picini Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Placet vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab vxoribus se abstineant. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari inseruiunt.

In alio Concilio Carthaginensi can. 25. Aurelius Episcopus dixit: Addimus fratres charissimi præterea cum de quorumdam Clericorum lectorum erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit quod in diuersis Concilijs firmatum est. Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi secundum priora statuta, etiam se ab vxoribus abstineant, vt tamquam non habentes videantur esse. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate, ab vniuerso Concilio dictum est. Quæ vestra sanctitas sancit, & iustè moderata, & sancta, & Deo placita confirmamus.

In

In sancto Aphricano Concilio can. 37. itá scriptum inuenio, Prætereà cum de quorundam Clericorum, quamuis erga vxores proprias in continentia referetur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum priora etiam ab vxoribus continere, quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.

In Synodo Cæsariensi can. 1. Presbyter, qui vxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere statuimus. Quòd si fornicarius fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijciatur, & pœnitentiam agat.

In Valentiniano Concilio celebrato apud Ecclesiam Valentinam sub temporibus Gratiani, & Valentiniani dicitur, bigamos ordinari clericos non posse.

In Concilio Agathensi can. 9. celebrato sub Alarico Rege sic legitur: Placuit si Diaconi, aut Presbyteri coniugati ad thorum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij, vel Siricij Episcopi auctoritas conseruetur. Quòd si ad aliquos formula illa Ecclesiastica vitæ pariter, & disciplinæ à Siricio Episcopo ad prouincias probabitur non peruenisse, his ignorationis venia remittetur, itá vt de cætero penitùs incipiant abstinere; & itá gradus suos, in quibus inuenti fuerant, sic retineant, &c.

In Concilio Gerundensi can. 7. celebrato tempore Theodorici sic præcipitur. De his, qui sine vxoribus ordinantur, & familias, ac domos habent, habito secum pro vitæ conseruatione fratrum testimonio, non per quamcunque fœminei sexus personam eius substantiæ gubernentur, non per puerum, aut amicum suam domum debeant ordinare. Si verò matrem in domo habuerint, aut sororem, secundum priorem Canonum statuta per eorum personas eius debent contrectari substantiæ.

In Concilio Valentino sic legitur: Placuit Diaconos, vel integri, vel casti sint, & & continentes vitę, etiam si vxores habeant, in ministerio constituantur, itá tamen vt siqui etiam antè interdictum, quod per per plures nostros Episcopos constitutum est, incontinenter cum vxoribus suis vixerint, Presbyteri honore non cumulentur. Siquis verò ex Presbyteris antè interdictum filios susceipiat, de Presbyterio ad Episcopatum non admittatur.

In Meldensi Concilio constitutum est, neminem ad sacrum ordinem admittendum, nisi aut sit virgo, aut probatæ castitatis, & qui vsque ad subdiaconatum vnicam, & virginem vxorem habuerit.

In Concilio Toletano quinto statuitur. Quando Presbiteri, & Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere, vt castè, & purè viuant sub timore Dei.

In Concilio Toletano secundo, ad Diaconatum accessuri, continentiam profiteantur.

In Concilio Arelatensi tertio sancitum est non oportere assumi aliquem ad Sacerdocium in coniungij vinculo constitutum, nisi fuerit commissa conuersio.

Et in eodem Concilio quarto prohibentur Diaconi coniugati ordinari, nisi priùs conuersionis proposito professi fuerint. Dein et in eodem Concilio quarto prohibentur Diaconi coniungati ordinari, nisi priùs conuersionis propositio confessi fuerint castitatem. Et ferè idem constitutum est in Anchiritana Synodo, in Concilio Neocæsariensi. Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine deponitur. Ex his & alijs habes mi frater Martine hìc non esse solius Pontificis negotium, atque decretum. Non ergo in solum Romanum Pontificem, sed hæc sanctissima Concilia clamandum erat. Nec tu vnius sed multorum Pontificum sententiam damnas, non centùm annorum etiam, sed multorum seculorum consuetudinem reprobas. Ego inter Pontifices primum fuisse reperio Calixtum Papam XVII. qui itá statuit Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere iuxtà sacrorum Canonum definitionem iudicamus. Hæc Calixtus Papa & martyr. Super hac re, & Siricius anno Christi trecentesimonono parem fecit ordinationem.

Quod si mihi obieceris Pafnutium confessorem, qui, vt est in tripartita historia, licet nuptiarum esset inexpertus, in Nicæna synodo his contradixit, qui statuere voluerunt, vt Episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent, hanc quoque sententiam synodus ipsa laudarit, facilè respondere possem. Nam in hoc concilio noluerunt, immò nec potuerunt patres omnia necessaria ordinare, satis erat eo tempore contrà Arrium eos præualuisse.

Tamen omissa per Osium Cordube. & alios, In alijs fuerunt ordinata Concilijs. Et licèt Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ in hac re, sicut in plerisque alijs dissenserint, tamen itá verissimæ scripturæ testantur, obseruatum esse, vt licèt in Orientali Ecclesia, qui prius virgines in vxores habebant, in sacerdotes ordinari potuerint, tamen quotquot ad sacros superiores ordines promoti fuerunt, etiam in Orientali Ecclesia de nouo contrahere non potuerunt.

Itá Græci sacerdotes adhuc in Creta, Rhodo, Corcyra, Chio, Cipro, Peloponesso, insulis Cycladibus, Athenis, Lacedæmone, Thebis, Corintho, Constantinopoli, Adrianopoli, Calabria, inmò tota Græcia, etiam sub Turca degentes seruant, vt quisquis fuerit in sacerdotem ordinatus, non audeat nec possit ducere vxorem, tamen anteà vxorem habens, non tenetur eam dimittere, si quidem canonem habent itá sonantem. *Episcopos, i presbyteros, i diaconos tin eaytoy gynaica mi aphieto prophasei cylabias ean dè ecbali aphorizesthō epimenon dè catharisthō*. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus suam vxorem non dimittat causa deuotionis. Si autem dimiserit, excommunicetur, perseuerans autem priuetur.

Sed heus tu mi Martinæ qua auctoritate scribere, ac in totum Orbem diuulgare ausus es, vt monachi, & sacerdotes in tuam conscien-

ſcientiam etiam proprias concubinas in vxores ducant, contrà canones, ac conſtitutiones veteres, ac tàm Orientalem, quam Occidentalem Eccleſiam, cum tamen ſic ſonet canoo, *o chiran lambanon*, *o ecbeblimenin*, *i etairan*, *i oicetin iton epi ſcinis is oy dynatai eirai Epiſcopos*, *i presbyteros*, *i diaconos*, *i olos toy catà logoy toy ieraticoy*. Viduam ducens, aut expulſam, aut meretricem, aut ſeruam, vel hiſtrionem, non poteſt eſſe Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel omninò de numero ſacerdotali. Quot centena millia hunc canonem, & in hanc horam Græci ſeruant, & hi qui in Aſia viount, Chaldæi ſtrictiſſimè obſeruant.

Siquidem in Aſia vltra circulum æquinoctialem, & non longè à fluuijs, quos populi illic degentes appellant: Geon, & Nilo, Chriſtiani ſunt maximæ multitudinis, olim à Sancto Thoma Apoſtolo ad fidem conuerſi, qui, & Patriarcham habent, cuius nomen ſemper Berotozivvao, ſecundum oostram prolationem prete Iohan, qui, & Nogus dicitur, ſub ſe multos Archiepiſcopos, & Epiſcopos habet. Quorum regia, ac primaria ciuitas eſt: Achoium. Hi circa presbyterorum coniugia hoc habent, quòd ordinari voleos presbyterum, quem ipſi appellant: kaioſi, neceſſe eſt, vt non habuerit, nec habeat viduam, aut ſcorrum, ſed virginem in vxorem, quamquam etiam ſine vxore ordinari poſſit, id quoque maximè laudant.

In ſubdiaconum ordioatus numquam poterie amplius conrrahere. Quòd ſi in ſacerdorio maneos vxorem mori cootingat, neceſſe eſt hunc abſtinere perpetuò, & appellatur Falaſi. Quòd ſi ſacerdos moritur, mox in arctum mooaſterium fœmioa recluditur, ibique cum reliquis virginibus Deo dicatis, quarum in vno monaſterio multa centena degere dicunt, caſtè vinit, & ex illo in mundum redire numquam permittitur, & lingua eorum tuoc dicitur Maomeno. Ità retulere mihi fratres illi, qui Romam venerunt de prouiocijs iſtis Aſiaticis amore Priocipis Apoſtolorum Petri, quem, & maiorum ſuorum, & in primis Patriarchæ Ioannis teſtimonio reliquis præfuiſſe Apoſtolis conſtantiſſimè dicunt, atque fatentur. Illi quoque dum me referente audirent, quid in hac re noui ſtatuiſſes, tuam ſententiam, tanqnam conſtitutiooibus Apoſtolicis omninò contrariam ſatis mirari non potuerunt. Te quoque propterea magnum falaſa, hoc eſt hæreticum eſſe dixeruot. Et iuxtà patriæ morem nadada, ideſt flamma dignum aſſeruerunt. En iam Orientales, Audi ounc quid Septeotrionales in ea re ſeruent.

Moſcouitæ illi, qui toti Paulini ſunt, ſacerdoti nonniſi vnam, & virginem vxorem habere permittunt. Ea ſi moritur, non licet illi aliam quamdiu viuit, in vxorem habere vnquam. Hi licèt quaſi efferi ſint, & homines admodum ſilueſtres, tamen hunc ordinem à Paulo ſe accepiſſe, immò quaſdam epiſtolas manu Pauli ſcriptas ſeſe habere gloriantur. Et re vera verbum Apoſtoli de vnius vxoris Epiſcopo ſic debet intelligi. [Tu verò concubinas, & paſſim proſtitutas admittis contrà Græcos, Barbaros, & Latioos.] Hunc etiam morem inter Græcos noo iampridem cæptum eſſe teſtatur liber Nicetæ monachi Græci de nuptijs ſacerdotum.

Hebręi quoque cootrà te pugnare ſolent ex lege, ſiquidem non ignorant Leui. 21. ſcriptum de Sacerdote Magno, quem *bohen vadol* appellant, ſcortum, & vile proſtibulum non ducet vxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito, quia conſecratus eſt Deo ſuo, panes propoſitionis offert. Sit ergo ſanctus, quia, & ego Sanctus ſum Dominus, qui ſanctifico vos, hæc de Magno Sacerdote.

De minori verò en Exechiele 44. ſic dicit. Vinum non bibat omnis Sacerdos quando ingreſſurus eſt atrium interius, & viduam, & repudiatam non accipient vxores, ſed virgines de ſemine domus Iſrael, ſed, & viduam, quæ fuerit vidua à ſacerdote, accipient.

Et tu Luther æ vide quid dicas quando menianum, & triobolare ſcortum admittis illi, qui etiam anteà in ſacerdotē fuerit ordinatus. Non es memor, quod etiam, vt Hebræi Thalmudiſtæ habeot, Noe, ac Sem, & Ham, & Iaphet in arca non cum vxoribus, ſed ſeorſum habitabant. Ità enim textus expræſsè innuere videtur, bis ibi dicens. Ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Ham, & Iaphet filij eius, & vxor illius, & vxores filiorum eius, & quare? quia noluit illos Dominus in archa cohabitare, per quos tamen iterum voluit multiplicare terram. Nimirum ſi is ſeorſum habitare debet, qui manna de cœlo quotidie ſuis contrectat manibus. Et nolo hic dicere de maledictione Ham canis, & columbæ, de quibus ſapientes illorum, ſed ad duodeuum caput numerorum te prouoco, vbi ſcriptum inuenies. Locuta eſt Maria, & Aaron contrà Moſem propter vxorem eius Ethiopiſſam, & dixerunt. Num per ſolum Moſem locutus eſt Domioos? nonne, & oobis ſimilitèr eſt locutus? Dic mihi cur Maria, & Aaroo locuti fuerint contrà Moſen propter Ethiopiſſam? Nonne erat filia Iethro, qui ſeptem nomina habuit, & ex qua gennit duos filios Gerſon, & Heleazar. Sed quid fecerat Moſes, quòd frater, & ſoror contrà eum locuti fuerunt? Certè id fecit, quòd hanc ad tempus repudiauerat, & quare? quia volebat loqui cum Domino. Et loquebatur illi Deus, ea propter, vt dignè audiret Dominum, vxorem à ſe ad tempus amouit. Et quia cauſa iſta erat, quæ & placebat Domino, ſubmurmurante Maria cum fratre, iratus eſt Dominus valdè. Et ſtatim locutus eſt Dominus ad eum, & ad Aaron, & Mariam dicens. Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis, &c. Quòd ſi hoc fecit Moſes ſob velamine patribus loqnens, nimirum ſi ſacerdos abſtineat, qui Dominum lucis quotidiè coosecrat. Et notiſſima eſt hiſtoria Regum 2. de ſacerdote Achimelech, qui Dauidi, & pueris eius noluit dare paoem ſanctificatum, ſeu panem propoſitionum, oiſi continuiſſent ab heri, & nudiuſtertius à mulieribus. Et omnia idcircò recenſere volui, vt ex vmbra veritatem agnoſceres.

Dein non parum in te miror, cur in quodam tuo libello ad Principes Germaniæ, ac alijs per te libris editis liberam facultatem contrahendi matrimonium, etiam in concubinatu ſtertentibus admittis. Cum hæc tua indulgentia, ne dicam licentia, non tam ſit

con-

contrà Romanos Pontifices ante mille annos, nec solùm contrà Concilia, & Occidentalem Ecclesiam, imò, & contrà decreta, consensum quoque, & approbatione Orientales Ecclesiæ, veluti paulo ante intellexisti. Addo, quòd contrà canones Apostolorum, quos à beato Clemente collectos vetustissimi libri, & græcè, & latinè scripti testantur.

Vides quò te ducat irreligiosa pietas. Et credo si vnquam tu Mahumeticam legem alioquin impudentissimam legisses, hanc opinionem numquam imbuisses. In Alchorano etenim circitèr annum Domini nostri Iesu Christi sexcentesimum facto, in capitulo de muliere inuenisses per plura de castis mulieribus, atque pudicis, de virginibus etiam continere volentibus. Et quòd solis castis, & honestè viuentibus, non impudicis, nec raptis præmia debeantur.

Taceo de Saracenitate, quæ lingua illorum animi puritas dicitur, sicut est in eodem Alcorano cap. 9. Et nisi te insigni quadam iniuria afficerem, ingenuè dicere possem in hac, & multis rebus te mahumeticis sectatoribus esse impuriorem, ne dicam peiorem. Siquidem illi purgatorium esse credunt, tu verò tollere videris, viros mulieribus præesse dicunt, tu æquales reddis. In capitibus eiusdem Alchorani decimas solui iubent, tu verò tollis. De iuramentis, ac votis, ità statuit Mahumethus, vt illa omninò seruare velit, tu vero periuros, & sacerdotes, & monachos, etiam impunè causas.

Et mille sunt illius genera, vt de beata Virgine, ac alijs tibi, ac tuis assertionibus contraria, quæ si velim tibi recensere, possem, in quibus Sergius monachus, ac Nestorianus excommunicatus Mahumethi præceptores honestiora suo discipulo suggesserunt, quam tu nobis in Ecclesia sancta quandoque tradideris. Et sic velim, nolim, fateri cogor, quòd in multis maior est Alchorani puritas, religio, ac pietas, quàm noua tua, ac tuorum doceat christiana libertas. Sed ad sacerdotum nuptias redeo. Quòd si tua sententia firma censeri deberet, in communem nostrum Paulum peccare oportet. Paulus bigamum omninò prohibet, tu incautè illum admittis. Huius rationem Deo auspicante nos infrà dabimus.

Fuere nonnulli, qui obiecere mihi scriptum in Genesi, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & maledicta sterilis, quæ non parit semen in Israel. Nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus, fiebant vna caro, quibus laconismo illo respondeo, matrimonio repleri terram, cælibatu cœlum. Inde fortè factum est, vt fuerit Abraam trigamus, & Iacob quadrigamus, scilicèr Liæ, Rachel, Bale, & Selphe. Tunc enim erat replenda terra, nunc cœlum. Vnde Hieronymus aduersùs Heluidium. Quando vox illa pertonuit. Tempus breuiatum est. Reliquum est, vt qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant, adhærentes Domino, vnus cum eo efficimur spiritus. Et quare? quia qui sine vxore est, cogitat ea, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori. Et diuisa est mulier, & virgo, quæ non est nupta, cogitat, quæ sunt Dei, vt sit sancta spiritu, & corpore. Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Quid ob latras? quid oppugnas? vas electionis hæc loquitur. hæc Hieronymus.

Non sentis hic, aut subodoras, cur Deo dicatis non liceat habere vxores. Quòd si proposuerint mihi nonulli Salomonem, quibus ante respondi, quàm obijcere potuerint, licèt enim multas habuerit vxores, multas concubinas, & adulescentularum non erat numerus, ex eo quod de illo dicitur in Canticis Canticorum. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ, quarum non est numerus. Et tertium libro 3. scribitur quòd septingentas habuerit vxores, & trecentas concubinas, & alias innumerabiles. Sed finem audiant, si vitam adeò impensè probant. Depprauatum est cor illius à Domino, & idololatram abijt.

Attamen antequam plures haberet vxores, & carnis vitijs laberetur, in principio regni, & adolescentiæ extruit Domino templum. Et in Prouerbijs testatur. Sicut in ligno vermis, ità perdit virum suum vxor malefica. Et iterum. Melius est, inquit, viuere in terra deserta, quàm cum vxore litigiosa, & iracunda. Et alibi Stillicidia eijciunt hominem in die hyemali de domo sua. Similiter, & mulier maledica de propria domo. Et proptrita est parabola Salomonis, per tria moueri terram, quartum autem sufferre non posse, vtpotè si seruus regnet, & stultus si saturetur panibus, odiosa vxor si habeat bonum virum, & ancilla si eijciat dominam suam.

Sed, & fuere nonnulli, qui mihi obiecerunt Apostolos, quòd, & illi vxores habuerint, quas, & circumduxerint. Super qua re ego inuenio diuersas diuersorum opiniones. Scribit Ambrosius in epistolam ad Corinthios 1. cap. 11. omnes Apostolos exceptis Ioanne, & Paulo vxores habuisse. Sed Hieronymus in 1. lib. aduersus Iouinian. scribit prætetquam de Apostolo Petro, non esse manifestè telatum de alijs Apostolis, quòd vxores habuerint. Et cum de vno scriptum sit, & de cæteris tacitum, intelligere debeamus, sine vxoribus eos fuisse.

Dionysium etiam Areopagitam legimus, vt pulchrè recitat Chrysost. in 5. lib. dialogorum de dignit. sacerd. vxorem habuisse, de quo, & sunt acta Apostolorum. Sed Apostoli etiam, si recepta fuerit Ambrosij sententia, non inueniuntur alias duxisse vxores, quã ante habuerint. Quid quod fideli scripturarum testimonio habemus, & Concilia, & Pontifices, immò Doctores Ecclesiæ ex Apostolicis canonibus, quos in quatuor græcis, & quinque latinis exemplaribus inueni hoc recepisse, vt in sacris maioribus ordinibus constituti, non ducant vxores. Possem hic tibi multa recensere, quæ sunt in libello de singularitate clericorum, quem Cypriani esse aliqui dixerunt.

Sed, & diui Aurelij Augustini iam verba accipe. Is in lib. quæst. ve. & no. test. qu. 127. sic ait. Sed fortè dicatur, si licet, & bonum est nubere, cur sacerdotibus vxores non liceat habere, idest vt ordinaris iam non liceat conuenire? Quis nesciat vnumquodque suam legem habere?

Est

Est enim, qnod omninò generalitèr omnibus nou liceat. Est item quod alijs licet, & alijs non licet, & est quod aliquando licer, aliqnando nō licet, fornicari omnibus semper non licet, negotiari aliquando licer, aliquādo non licet. Antequam ecclesiasticus sit, licet. Et Christiano cum vxore sua conuenire aliquādo licer, aliquādo verò nō licet. Proprer dies enim processionis aliquando non licet conuenire, quia etiam à laicis abstinendum est, vr faciliùs imperrari possir, quod postulatur. Vnde Apostolus ex consensu air. Abstinendum ad tempus, vr vacctur orationi. Nam secundùm legem in ieiunio cedi, & iurgati non licer, posteà licet, quia reuerentia debetur Dei caussis, numquid omne, quod anre cœteros licet, ante Impetatorem licet quanrò magis in Dei caussis, ac per hoc antistitem eius putiorem cæteris esse oporter. Ipsius enim personam habere videtur, est enim Vicarius eius, ve quòd cœteris liceat, illi non licear quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aue offerre, aut tingere. Et solùm huic concubitus non licet, verùm etiam ministro eius, quia Ipse mundior deber esse, quia sancta sunr, quæ ministrar. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantum obscutæ, sed etiam sordidæ sunt, ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est, ad solis compararionem stellæ nebulosæ sunt. Ad Dei antem claritatem sol nox est, irà quæ ad nns licita, & munda sunt, ad Dei autem dignitatem illicita, & quasi immunda suor. Quamquam enim bona sunt Dei, ramen personæ non competuot.

Numquid tunica mediocris hominis quamuis munda, Imperatori tamen sordida, & illicita est, similiter, & saxonicia senatori. Ac per hoc antistes Dei puriores esse debent, quàm cæteri, quia, & Christi habeut personam, & ministros Dei mundiores oportet esse. Nemo enim Imperatoti ministrat, nisi vestimentis clatis: & mundis indutus. Deus autem quia narnra clarissimus est, ministros cius natura magis, quàm vestibus mnndos oporter esse. hæc Augustinns.

Sed dicis, vt audio, cur me grauae homo, quo non grauor à Domino? En in Euangelio nihil de his habes, quæ sunt in actis Apostolorum ab Apostolis decreta. Tamen voluit etiam Dominus illos audiri dicens. Qui vos audit, me audir. Et Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggerer vobis omnia. Putas autem quamprimum mortui fueruur Apostoli, successores illorum nihil vnquam statnere potuerunr? Faceres presbyteros, qui etiam benè pręsuot. Demum quamuis mirica humiliores, immò Iudęis deteriores, id breuiùs ostendam. Ecce in Sabbato Iudęis non licebat accendere ignem: ità Exodi 35. *Sanbederin* vetò pręcipienribus ne quis candelam attingat, non est qui transgredi mandatum andear.

Neemiæ 2. prohibetnr, nc qnis Sabbato emat, aut vendat. *Sanbederin* Visum fuit non indignnm sure, ne & in Sabbato quis pecunias manu conrrectet. Id in hanc horam, & Hæbrei obseruant.

Leuit. 18. Prohibentur varij in contrahendo matrimonio casus, ramen vltta illos, & ab eisdem *Sanbederin* alij prohibiti fuerant, qualis est prohibirio inter auum, & proneptem. Er multa sunt illius generis præcepta, quæ Iudæorum sapientes, etiam post sexcenta, & tredecim mandata à Domino tradita) statuetunr, quæ & populus humiliter suscepit. Nimirùm si à tautis Patribus in totidem Concilijs tam salubriter, & honestè iustiruta seruemus, & maxime, vt se iuxtà verbum Pauli probet homo, & sic de paue illo edat, & de calice bibar. Hic tu, qui Paulinum te esse gloriaris, vide, quando omnem ordinem, ità conturbas, an non adhuc fier Pauli verbum? [Quicumque manducat, & bibir indignè, iudicium sibi manducat, & bibir, non diiudicans corpus Domini.] Ideò inter vos multi, & infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Sed de his aliàs tecum. Vbi ex Græcis etiam primitiuæ Ecclesiæ, quorum nec nomina in hauc horam, & si polihystorem agere videaris, audisti, ribi monstrabimus, quàm toto cœlo erraris, circà materiam sacrosanctæ Communionis.

Ad rua redeo. Vides, & audis, quòd Græci Paulum ità intelligant. Si quis virginem anre habuerint, quàm sacerdos fiat, in sacerdotem ordinari potest. Ea morrua etiam apud Calabtos, Chaldæos, Græcos, Moscouitas in perpetuum non licet illi aliam ducere vxorem. Considerans autem Occidentalis Ecclesia inter cætera, quòd fieri possit in breui hanc immarura morte perire, voluit Domino reddi votum omninò sanctum, arque perfectum, immò voluit virginem sanctam exhiberi Christo. Et hodie cum starurum sit, semel omnibus mori, & pallida mors æquo pede pulsar pauperum tabernas, regumque turres, vt versibus vtar horatianis. Si etiam tibi, vel alteri liceret vnam, & virginem ducere vxorem, numquid non fieri posser, vt moreretur antequam esset caro mortificata, & sic non minus post quam ante connubia vrereris, & ausa nondum ablata esset, te vero alreri copulare non posses, neque audetes, nisi contra Paulum, & omnes illius interprrtes, tàm Græcos, quàm Latinos, Orientalem, & Occidentalem Ecclesiam, immò contrà canones Apostolorum, & totidem sancta Concilia facere velis. Sanctius est ergo te, cum vita breuis sit, hoc quantumlumcumque temporis, quod breue, & momentaneum est, cum Paulo stimulum carnis cum gratia Domini sufferre, quàm in tot Sanctos Patres, tàm religiosa concilia temerè peccare. Quid quod meo iudicio alioquin, vt verum fatear, tenui Ecclesia prudentissimè instituir neminem in sacerdotem admitti, nisi qui sponrè, & liberè castitatis votum emittat Qnod si conrinere non possir, antequam se Nazateum faciat, coniugio copuletur, & cògitet ea, quæ sunt vxoris, & expectet Propheram, sibi dicentem. Vxor rua sicut vitis abundans, & filij rui sicut nouellæ oliuarnm in circuitu mensæ tuæ.

Sinat autem patrum decreta illibata. Et quia ad sacerdotium prouehuntur non pueri non adolescentes, non ij, quibus lactè Pauli adhnc opus est, sed illi, qui sunt ætatis perfectæ, & qui cum Paulo dicere possunt. Dum

etam paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam, vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ paruuli erant, qui iam sciant reprobare malum, & eligere bonum. Vnde nulla fier eis iniuria, si ad id arctentur, quòd dum sacerdotio fungi volebant, liberè, ac spontè promiserunt. Vulgarissima quidem regula est. Volenti non fit iniuria. Et hi non paruuli sunt, sed viri perfecti. Sunt & illi eunuchi, de quibus Dominus Matth. 19. Qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, hos, licet prober, & laudet Dominus, tamen tu, qui te magistrum insipientium, & ducem cœcorum esse confidis, hos gloriosos eunuchos ab Ecclesia tollis. Vide quo pacto, & quantum aberres. Satius ergo fuisset, & rem Deo gratiorem fortè fecisses, si vel monitis, vel scripturis à concubinario sacerdote concubinam abegisses, quo dignius & sanctius potuisset ingredi sancta sanctorum, & hic orare pro populo, ac laudem Domino dicere labijs puris, ac corde perfecto. Sed te natum ad id video, vt popularia dicas, quo multos tibi beneos in patronos vendices. Nec tibi curæ est, quę odia, quas dissensiones, quos tumultus moueas, ita etiam, vt iam te auctore, sit nec hospes ab hospite tutus, nec socer à genero, nurus à socru, fratrumque gratia rara est.

Quod quantum lex christiana abhorreat, ac detestetur, in alio loco tibi monstrare statui. Id vnum iam dicere cogor, Pulchrè hic ponis ceruicalia sub capita eorum, qui stertunt vtrisque naribus, & dormiunt in vtramque aurem, sciens quàm difficilè sit immò periculosum mihi, ac mei similibus contra blandientem hanc tuam scribere opinionem. Nec velim vt credas adeò thracensis ingenij sim, quòd cogitare non valeam, quòd hic si in tua verba iurarem, possem ego si valim mihi preueoira rancores. Sed malo incidere in manus hominum, quàm transgredi fines, quos statuerunt patres nostri, ne olim finium regnodorum, aut de terminis motia contra me agere possent, immò ne videar propriæ inniti prudentiæ. Sed si dices. Quid ad illud Pauli, qui scribens ad Titum, iubet eum in presbyterum esse constituendum, qui sit vnius vxoris vir, Et priori epistola ad Timo. Oportere Episcopum esse irrepræhensibilem, vnius vxoris virum? Huoc nodum Gordij, si tibi soluero, rem iam in tuto esse firmissimè credam.

Occurrit ergo Athanasius, aut Theophilactus, qui super epistolam ad Timoth. sic ait. Si is, qui vxorem duxerit, quæ mundi sunt, meditatur, Episcopum vero nil deceat mundanis rebus intentum, quo pacto dicit hunc vnius vxoris virum esse oportere. Nonnulli asserunt à muliere abesse Episcopum innuisse, quod fieri si nequeat, habere huoc vnicam sic præcepisse, perindè ac si nullam haberet, hoc est nihil illi addictum esse ob venereas voluptates, cum aliter sentiat, nec necessarium ducat, ve vxori copuletur Episcopus. Quo enim pacto hoc interdixisset, qui ita inquit. Volo autem omnes esse, atqua ego sum? Sed quia illud tempus huiusmodi rem exigebat, propterea, si duxerit vxorem Episcopus, vnius sit, non multarum maritus, vel vnius vxoris virum dici, vt qui ad eam Episcopatus, prouehendi sit dignitatem, non multas habuerit vxores, sed vnam. Quod eò dicit, ut Iudæos ea in re sectarentur, quibus vt plurimos filios procrearent, & vt plures haberent vxores permittebatur. Pletique inconsideratius tamen affirmant de Ecclesia hoc dixisse Apostolum, tamquam eniaè prohibeat ab Ecclesia ad Ecclesiam transeundum, quod esse adulterium dictitant, hæc Theoph. Et in hanc sententiam alludit Chrysostom. addens quosdam sic intelligere, vt scilicet ad Episcopatum is assumitur, qui vnius vxoris fuerit vir.

Quamquam hic credant aliqui Chrysostom. esse periclitatum. Ego tamen videns Græcos Theodoritum, Cyrillum, magnum Eusebium, Isidorum, Photium, Sebastianum, Apollinarium, Diodorum, Eutimium monachum, ac vetustissima Græcorum commentaria in epistolas Pauli, inuenio, quòd à tuo & tuorum intellectu in hoc, & alijs locis omnioò dissideant. Id etiam (vt spero) totus intelliget orbis, nisi resipiscas. Nec solum hic Græci, sed & Latini, vt vides, tuæ opinioni contrarij sunt, qualis Augustinus, Hieronym. ac alij, & fortè Paulus in Ecclesia primitiua hoc ideo diffiniuit, non quasi non liceat absque vxore Episcopum fieri, sed eius rei modum constituens. Iudæis quippè licitum erat etiam secundo matrimonio iungi, & itidem duas simul habere vxores. De hac re longe profusius, ac doctius scribit Hieronymus in epistola ad Oceanum, vbi discussit. Num repetens matrimonium à baptismo possit fieri sacerdos? Cur autem id factum sit, & cur hodie fieri non permittatur, sanctum audi Ambros. in epistolam ad Timoth. ita scribentem. Veteribus idcircò hoc concessum est leuitis, & sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio, aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia leuitarum. Et vnusquisqua certo tempore seruiebat diuinis cærimonijs secundùm institutum Dauid.

Hic enim vigintiquatuor classes constituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon. Ità vt tempore, quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam, Vbi autem tempus iminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, aliquantos presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debere. Quia necesse est eos quotidiè in Ecclesia præsto esse, nec habent dilationem, vt post conuentum purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidiè peregrinis, incolis tamen, vel bis in hebdomada. Et non desunt qui propè quotidiè baptizentur ægri. Nam veteribus ideò concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant priuati. Si enim plebis hominibus orationis causa ad tempus se abstinere præcipit, vt

vt va cent orationi, quantomagis leuitis, aut sacerdotibus, quos die, noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo debent esse cæteris, quia actores Dei sunt, hæc Ambros.

Sed & Hieron. in epistolam ad Titum sic habet. Si laicis imperatur vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu, quid de ipso sentiendum est, qui quotidiè pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus regum libros, & inueniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid, & pueris eius, nisi prius interrogaret verum mundi essent pueri à muliere, non vtique aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negauerat, concessisset. Tantùm interest inter propositionis panes, & corpus Christi, quantùm inter vmbram, & corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio abstinentia lucri, hospitalitas quoque, & benignitas præcipuè debent esse in Episcopo, & inter cunctos laicos eminentia. Sic & castitas propria, & (vt ità dixerim) pudicitia sacerdotalis, vt non solùm ab opere immundo se abstineat, sed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus effectura sit libera, hæc Hieron.

Et idem Hieronymus in alio loco dicit. Quid est magis, orare, an corpus Christi accipere? Vtique accipere corpus Christi, si per coitum, quod minus est, impeditur, multò magis quod maius. Diximus in eodem volumine panes propositionis ex lege non potuisse comedere, nisi se triduo mundos à mulieribus respondisset. Non vtique à meretricibus, quod damnabatur à lege, sed ab vxoribus, quibus legitimè iungebantur. Populus quoque quando accepturus erat legem in monte Sina, tribus diebus iussus est ab vxoribus abstinere. Scio Romæ hanc consuetudinem esse, vt fideles semper Christi corpus accipiant, nec repræhendo, nec probo, vnusquisque secum in suo sensu abundat, sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant, & iuxta Persium ventrem flumine purgant, hæc Hieronym.

Vides quid in hac re visum sit barbato illi nostro Hieronymo ante mille, & centum ac plures annos. Et tu iam nescio, quam legem nouam instituis. At quia laicos communicare volentes, ab vxoribus abstinere dico, fortè dubitabis id, vbi scriptum inuenerim. Dico itaque hoc de laicis præceptum, seu Concilium ex Concilio Elibertano desumptum, vbi dicitur. Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Nec hoc castitatis præceptum ab Ethnicorum obseruatione est alienum. Quippè, vt est apud Hieron. ad Geronciam de monogamia Hierophanta Apud Athenas euiratur, & æterna debilitate fit castus. Flamen vnius vxoris ad sacerdotium admittitur. Flaminea quoque vnius mariti eligitur vxor. Ad Tauri Ægyptij sacra semel maritus assumitur. Vt omittam Virgines Vestæ, & Apollinis, Iunonisque Achiuæ, & Dianæ, ac Mineruæ, quæ perpetua Virginitate sacerdotij marcescunt. Stringam breuiter Reginam Carthaginis, quæ magis ardere voluit, quàm Hiarbæ regi nubere, & Hasdrubalis vxorem, quæ appræhensis vtraque manu liberis, in subiectum se præcipitauit incendium, ne pudicitiæ damna sentiret. Et Lucretiam, quæ amissa gloria castitatis, noluit pollutæ conscientiæ superuiuere. Et sexcenta sunt illius genera de vestalibus illis Virginibus apud Gentiles, de Nonnis apud Ægyptios. Quæ omnia, si recensere velim, dies me deficeret. Ad Apostolorum vxores redeo. Licet Petrus vxorem habuerit, habuerint forsan, & alij, tamen successu temporis in Ecclesia Dei multa iustissimè fuerunt immutata, quod in alio loco ex Ambros. probabimus ex epistola ad Ephes. cap. 4. Et id satis pulchrè nobis ostendit Erasmus in epistola præfatoria secundi tomi operum Hieronymi.

Nec vnquam crediderim hanc ordinationem, quæ tanto tempore durauit, reijciendam fore. Leo nempè confidenter Siciliæ scribit Episcopis dicens. Spiritus sapientiæ, & intellectus ità Apostolos, & totius Ecclesiæ ità erudiuit magistros, vt in christiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum. Et re vera si onera matrimonij dumtaxat ex Paulo, dein officium sacerdotale hinc inde contulerimus, iustissimam ordinationem sanctorum patrum dicere oportet. Scripsit in hæc verba Paulus. De Virginibus præceptum Domini non habeo consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo autem hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit Virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco, hoc itaque dico fratres tempus breue. Reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint. Et qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt. quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est in his, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.

Et mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quòd facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrandi. Et quis est, qui sicuti præscribit Paulus cum vxore versetur? Des nobis hominem, & laudabimus eum. Nec mireris iterum si non quiuis passim, & sine delectu in sacerdotem admittitur. Siquidem si Apostolus eam duntaxat viduam eligi iubet, quæ fuerit vnius viri

vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patienti subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est, & quid eam facere conueniat, expressit magister gentium dicens, Quæ verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, ac die, nimirùm si Ecclesia ordinarit sacerdotem, cœlibem debere ducere vitam. Tu enim vides hic eam dumtaxat etiam deligendam esse, quæ vnius viri vxor fuerit. Cur id exigit in muliere, quam tamen in Ecclesia (loquente sacerdote, vel propheta) tacere iussit?

Vnde sic per eumdem scriptum legimus, Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Siquid autem volunt dicere, domi viros suos interrogent, Turpe enim est mulieri in Ecclesia loqui. Et iterum ad Timoth. Mulier in silentio discat cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

Quòd si prædicare non potest, neque debet, immò sacrosancta corporis, & sanguinis Domini mysteria tractare non solet, nisi tu, cum in Euangelio non prohibeatur etiam ex mulieribus sacerdotes facere velis, & tamen dumtaxat propter orationes vnius tantùm debet esse viri vxor, quid in sacerdote celebrante fiet? An putas propterea bigama prohibeatur, quòd secundo matrimonio coniuncta peccarit minimè? Sed vt Theophilactus ait, vt in ea castitatis, & continentiæ argumentum habeat Apostolus. Sic & idem Theophilactus in epistolam ad Titum ait. Propterea vnius vxoris virum Episcopum eligit Paulus, vt hæreticis matrimonium, & coniugium criminantibus, os obturaret, admittit ad Episcopale munus etiam vxoratum. Vt autem incontinentes, & luxuriosos castiget, velim vnius, inquit, sit vir vxoris Episcopus, & iure quidem.

Nam qui erga primam, & vnicam nulla sit charitate affectus, quo pacto poterit Ecclesiæ præfici. Et cùm necesse sit, vt culpa vacet Episcopus, Bigamus sanè binis vxoribus vsus, nequaquam erit non criminandus. Tametsi ex humanis legibus nil forsan crimini videatur obnoxius. Et vetustissima commentaria Græcorum siue sint Theodori, Theodoriti, Photij, siue alterius, sic habent. Non hac lege sanxit, quòd cœlibem, & sine vxore esse oporteat Episcopum. Verùm si, inquit, è viuis excedat vxor, secundam ne ducat. Vtque vnius consuetudinem habeat, nempè legitimè & ad Pontificatum vocatus, ità se gerat, vt habens vxorem, perinde sit, atque non habens. Quamuis sint, qui de Ecclesia hoc Apostolum dixisse velint, ne videlicet de alia ad aliam quisquam transferatur, quòd adulterium sit talis translatio. Et eadem commentaria in Titum sic habent. Ipsam, inquit, legitimam solam norit, & subditur, Hæreticos coniugium detestantes, criminantesque confutat, ea re ipsis os obstruendo, quòd possint etiam vxorati Episcopi officio fungi, & illi præesse. Secundam tamen vxorem, qui duxit, eum tamquam minimè reprehensione carentem, ab Episcopatu arcet.

Vides iam cur de Vidua, de Episcopo quoque prohibuerit etiam secunda matrimonia, vt videlicet castitatis testimonium habeant. Et vt ad priora redeam, si Vidua propter mundas obsecrationes, vnius viri dumtaxàt vxor fuisse debet, nimirum si omninò debet abstinere Episcopus, qui ad offerenda munera, & hostias constituitur, teste Paulo ad Hebræos 8. Illius quoque labia custodiunt scientiam, & Angeli nomen habere meretur, cui soli vena aurea commissa est, vt manna contrectet, Moysis legem interpretetur, ac virgam Aaron in manu florentem, ac fructus germinantem gestat. Quòd si iratus est Dominus contra Osan indignatione maxima eò, quòd extendit manum suam ad arcam, & ea propter mortuus est. Nimirùm si probet se Sacerdos, dum veram arcam, immò ipsum manna de Cœlo contrectet, ne sibi iudicium manducet, & fiat reus Corporis, & Sanguinis Domini. Et non abs re Petrus ait. Viri cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam cohæredibus gratiæ, vt non impediantur orationes vestræ. Et Paulus huius rei rationem habens, post virginitatis doctrinam ait. Hoc ad vestram vtilitatem dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quòd facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, impedimentum orationis sanctæ sæpè mulier est, quod nemo ignorat.

Nec frustrà dicit Paulus de coniugibus. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, 1. ad Cor. 7 Vt itaque sacerdos sine impedimento oret, ac offerat dona, & sacrificia pro peccatis, ac vt cum Moyse puras manus extendere, seu leuare possit ad Dominum, iussit hunc Ecclesia vitam ducere cœlibem. Nec indigna res est. Nam etiam in lib. Deuteronom. cap. 23. dicitur. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno fuerit pollutus semine, egredietur extrà Castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua. & post Solis occasum regredietur in Castra. Hic collegerunt Hebræi, vt quisquis noctis tempore pollutionem, quod cùm venia dixerim, habuerit, mane non audebat orare, vel ingredi Templum, nisi se lauisset aqua, nec denique vsque ad vesperam illi redire licuit. Quod si hoc sub veteri lege erat, & sic in figura quidem, & in vmbra quando manducauerunt patres manna, & mortui sunt. Nimirùm si puritas maior exigitur in luce, & veritate, vbi iam manna de Cœlo suscepimus verum panem quidem vitæ, quem siquis acceperit, non morietur in æternum. Et quia ipse etiam est ea aqua, de qua met Dominus apud fontem Iacob mulieri Samaritanæ dicit. Qui biberit ex aqua, quam dabo, non sitiet in æternum. Et aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hanc autem aquam non de Marath, sed dulcissimam, non per canale putridum, sed limpidissimum, & planè aureum ducere decet. Sed fortè mihi sacerdotum concubinatus obijcis, ad id ego respondeo, Non ignoro concubinatum, seu fornicationem esse graue peccatum, & tale vt Hebræi concubinatum non parum detestati

fue-

fuerint. Nam dicitur Deuteronomij vigesimotertio.

Lo tiheieh Kedesah bicnot Israel, vle theieh Kades miuene Israel.

Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scorrator de filijs Israel, vbi *Kedesah* meretrix dicitur, alias verò *pileges* concubina; nam *pelag*, idest media, & *isah* mulier dicitur, quasi concubina sit scortatoris media mulier. Tamen in tam sacrosancti mysterij honorem, atque reuerentiam credo melius esse, vt non ducant vxores presbyteri. Deum enim ipsum quotidiè manducamus, non cibum quemcumque. Quòd si Iudæi stantes, & calciamenta in manibus gestantes, & baculos, cum festinatione comedebant. Et nos multò magis debemus esse solertes, ne propter coniugij angores, & calamitates non possimus intueri faciem Domini. Et Socrates cum sua Xantippe nos docuit, quàm graue sit seruire duobus Dominis. Ego quoque vix video semper temporalia curans, ac desideria carnis perficiens, quomodo dignè possit ministrare mensæ Domini? Sed horrendum est illud, quòd non parua pœna proponitur indignè sumentibus. Considera, inquit, Chrysost. quantùm aduersùs proditorem indignaris contra eos, qui crucifixerunt. Itaque considera, ne tu quoque sis reus Corporis, & Sanguinis Christi. Cogitandum est ergo quali mensa fruimur, quod Angeli videntes horrescunt.

Hoc nos pascimur, huic vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro. Non igitur simus lupi agnum manducantes. Hic est, qui Cœlum vt pellem expandit, terram super stabilitatem suam posuit, finibus suis mare conclusit, qui stellarum solus numerat multitudinem, illius sunt Cœli Cœlorum, qui Prophetas misit, & Angelos, cui nihil æquale, qui est agnus sine macula, speculum sine ruga. Et hic memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Escam quidem inquam Angelorum panem. Et sicut de Cœlo panem Psalmista concinnat, quem nullus Iudas, nullus Simon potest dignè accipere, sed solus illo conuiuio dignus est, qui venit indutus veste nuptiali; alioquin proijciendus in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. Quare non quæ circa nos, sed sursùm sunt, quærere oportet. Vnde iterum Chrysost. Cogita qui sacrificij participes veteris erant, quanta vtebantur continentia. Quid non faciebant? quid non agebant? semper expiabantur. Tu verò petens sacrificium, quod horrent Angeli, temporum circulis rem definis. Et quomodo Christi assistes tribunali scelestis manibus, & labijs ipsum corpus impetens. Et fœtente quidem ore tuo Regem osculari ne eligeres, Regem verò Cœlorum fœtenti anima deoscularis? Quare hoc factum est contumelia? Dic mihi immundis ne manibus ad sacrificium ne eligeres accedere? Non ipse puto, sed nec omninò malles accedere, quàm manibus illotis. Ità in paruo quidem es tam reuerens, sordidam autem habens animam, accedis, & audes tangere.

Quòd si Rrx Babylonius ex captiuitate diligens adolescentes pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit, & multò magis, & nos sanctæ mensæ assistentes, regiæ speciei pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ vultum, aureum ipsius ornatum esse indutos cingulum veritatis. Siquis verò pannis indutus sordidus squallens, regalem velit mensam petere, videat quanta patietur. Eunuchos itaque Regi decet assistere Eunuchos dico mente candidos nullam habentes maculam, mente sublimes, hilarem habentes animæ oculum, & acutè videntem, volubilem, & velocem, non autem somnolentum, non supinum, multa plenum libertate, ab impudentia remotum, & præconia vigilantem sanum, & austerum nimis & tristem, neque diffusum, & lubricum. Exigere videtur ex castimonia vitæ sancta Ecclesia, non solùm Eunuchos, sed & Hessenos, de quibus tres grauissimi Auctores scripserunt, scilicet Solinus, Plinius, & Iosephus. Plinius sic habet. Hesseni gens sola, & in toto Orbe præ cæteris mira, sine vlla fœmina, omni Venere abdicata, ità per seculorum millia incredibile dictu gens æterna est, in qua nemo nascitur. Infrà hos Engadda Oppidum fuit. Solinus de mirabilibus Mundi. Hesseni qui præditi memorabili disciplina recesserunt à ritu gentium vniuersarum, maiestatis, vt reor, prouidentia ad hunc morem destinati, nullæ ibi fœminæ Venere se penitùs abdicauerunt, pecuniam nesciunt, palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo, locus ipse addictus pudicitiæ est, ad quem plurimi licet vndique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est, vel leuis culpæ, quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitùs submouetur. Ità per immensum spatium seculorum incredibile dictu æterna gens est, cessantibus puerperijs.

Iosephus autem in libro de bello Iudaico secundo sic habet. Hesseni gente Iudæi, inter se mutuo amore coniunctissimi, & qui præter cæteros voluptatem quidem solent quasi maleficia vitare, continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducere. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios dum adhuc molles sunt, erudiunt eraditos procognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt. Voce cibum sacerdos anteuenit, neque quemquam gustare fas est, nisi priùs Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandij vota repetunt, summum studium veterum scriptis adhibent. Sectæ suæ studiosis, non statim cum eis vna collectio per annum integrum extrinsecus commoranti, cuique eumdem victus ordinem tribuunt. Cum verò processu temporum experimentum continentiæ dedit. Accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participant, neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippè continentiæ, duobus annis alijs mores eius probantur. Cùmque dignus apparuerit, tunc demùm in consortium assumitur. Priùs verò, quàm incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus abiurat se primum quidem colere Deum, neque aliquid de mysterijs publicare, nihil se de dogmatibus, quàm ipsi susceperunt,

ruhr, tradere. Et veneratio quoque, inquit. Iosephus, apud eos post Deum magna legiferi est, vt si quis blasphemauerit, morte damnetur. Et idem Iosephus in libro antiquitatum: Iudæis philosophiæ tres erant etiam inde ab initio in institutis patrijs derelictæ, Essenorum, Saduceorum, tertia, qua philosophantur, qui dicebantur Pharisæi. Esseni sunt super quatuor millia hominum numero, vxores non ducunt.

Vides iam quòd etiam Esseni illi, qui sancta religione cæteros præstare conati sunt, non lubricum, sed vitæ continentis virum in suam viuendi consuetudinem receperunt. Et tamen satis incautè nescio quos, & quales nobis velis ordinare sacerdotes. Nonne legisti Leuitici 21. dicentem Dominum. Loquere ad Aaron Homo de semine tuo paterfamilias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus; omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo, vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario, ità dumtaxàt, vt intrà velum non ingrediatur, nec accedat ad Altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum, ego Dominus, qui sanctifico eos.

Hæc tu nec ad literam, nec allegoriam curas, qui recipis vnumquemque sine discrimine. Proh pudor, & nephas, qui docere audes, quod viginti rurales ex se vnum eligere possint, qui absque omni ordinatione, absque omni sacra vnctione conficere possit. Docuit ne Paulus illa? Numquid non Timotheus, antequam admitteretur ordinare presbyteros prius gratiam obtinuit per manuum impositionem? Numquid non id de Tito credes? Non itaque in Creta alter alterum; sed Titus ibi relictus, constituit presbyteros per ciuitates, sicut illi disposuerat Paulus? Dic si ita agere conueniat, vbi manebunt ea, quæ in Episcopo, quæ in Presbytero, quæ in Diacono exigit Apostolus? Sed tu sacerdotes non alios eligis, quàm quos, & quales elegit Hieroboam, de quo in regn. li. sic scribitur. Fecit Hieroboam duos vitulos aureos, & dixit populo: Nolite vltrà ascendere in Hierusalem, ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan, & vt dignum haberet vas illud operculum sequitur. Et fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Sed finem audi. Post hæc verba non est reuersus Hieroboam de via sua pessima, sed è contrario fecit. De nouissimis populi sacerdotes excelsorum, quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccauit domus Hieroboam, & euersa, & deleta de superficie terræ. Tales tu nobis dare velles sacerdotes. Sed non sic impij, non sic. Ad priora redeo. Paulus ad Timotheum, & Titum scribens, exigit Episcopum filios habentem subditos cum omni castitate. Videns autem Ecclesia multis Episcopis, licèt non omnibus, contingere filios Heli, qui & nescirent officium sacerdotum, & dormirent cum mulieribus ad ostium tabernaculi. Vnde iudicio meo iterum sanctissimè, ac religiosè prouidit, ne oporteret toties transgredi mandatum Pauli; & maximè cùm essent filij fortè non casti, & non contingerent omnibus tales filiæ, quales habuit Philippus, Euangelista, quatuor, scilicet virgines prophetantes Actuum 21. Proin & vt quietiores, ac otiosiores essent presbyteri, præcepit, ac ordinauit, ne coniugali thoro essent alligati. Et fortè non ignorauit Ecclesia Paulum matrimonij angores, & curas tribulationem appellasse. Et certum est connubia pro vinculis esse, & qui illis subduntur, nullam sui potestatem habent. Eapropter, vt liber esset sacerdos, ac liberè posset seruire Deo, coniugium illi prohibetur. Testantur & omnes quotquot triduano coniugio alligati fuere, Iuuenalem verè cecinisse, qui ait in septima satyra:

Nulla ferè causa est, in qua non fœmina litem
Mouerit.

Et iterùm:

Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc orba tygride peior,
Tunc simulat gemitus occulti conscia facti.
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Vberibus semper lacrimis, semperque paratis
In statione sua.

Et in Exodo docentur vxoribus tria debere, cibum scilicèt, & vestes, & horam. Quid per horam iuxta linguæ sanctæ puritatem debeat intelligi, ac quoad otiosos operarios, nautas studiosos, & muliones, hora vxoria quo modo diuidi possit; ac debeat, à Talmutistis ipse perquiras. Nolo enim recensere tibi, ne fortè obscænis videar gaudere sermonibus. Nec etiam hic te credere velim hac opinione, quòd pertinaciter asseuerem Presbyterorum filios nil boni vnquam Ecclesiæ fecisse, quandoquidem non ignoro Basilium seniorem Episcopum inter reliquos tres habuisse filios, Basilium, Gregorium, & Petrum, quæ & quanta bona ab his Ecclesia susceperit, non est loci præsentis longè, lateque referre, tamen notissimum est Basilium fuisse Cæsareæ, Petrum Sebastæ, & Gregorium Nissæ Episcopos, qui benè, salubriterque rexerint Christi Ecclesias. Et fortè si superuixisset Adeodatus Augustini filius, cum anno quintodecimo alios multos graues, & doctos viros præueniebat, non modicum fructum ab eo suscipisset Ecclesia.

Sed & Gregorius Nazianzenus in monodia ità scribit, Basilium seniorem in matrimonio ità vixisse, vt nihil propterea ad perfectam virtutem, ac philosophiam consequendam per eum impeditum fuerit, & in statu coniugali vitam, ac ritum seruauit Sacerdotalem. Ex quo tria hæc, castitas, Sacerdotium, & matrimonium, quæ diuersa solent

vita

vitæ genera constituere, nequaquam in hoc pugnantia fuere, aut vllo modo virtuti offecerunt, eamque penè solus est fęlicitatem assecutus, quam Patres optare solent. Vides quale fuit Besilij seniotis coniugium.

Sed iam quando multotum corda friguere veluti cristallus, putas tanta gratia viuant, aut viuere possint omnes, vt irà vxores habeant? Qui habet aures audiendi, audiat. & qui potest capere, capiat. Melius itaque fuerit abstinere, modò deuotio augeatur. Nec moueot, si tu veneris ad Euangelium, & proposueris mihi Zachariam, Elisabeth, Petrum, & socrum eis. Nam isti inter eos, qui ab initio legi feruierunt, numerandi sunt. Neque enim Euangelium est ante Crucem, quòd sanguine, & passione ipsius dedicatur. Vndè Petrus, ac cæteri Apostoli, etiamsi vxores habuerint.

Tamen, vt est apud Hieronymum lib. 1. aduersùs Iouinianum, eas dumtaxat, quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant, qui assumpti posteà in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. Sic & temporibus nostris rectè fit, vt ad Sacerdotium vocatus, ex institutione Ecclesiæ sponte cœlibatum voueat, ac coniugio renunciet. Nec propterea Ecclesiam calumniari oportet, quasi iam hoc, iam aliud instituerit, siue id factum sit pro temporum ratione, ac prouinciarum varietate,

Scis Genesis primo dixisse Dominum. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, &c. Hìc de carne nihil habes. Tamen Genesis 8. dicit. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem cum sanguine non comederis. Ex eo etiam videtur Dominus admisisse carnes porcinas.

Sub Moyse tamen Leuit. 11. legis. Quicquid ruminat, & habet vngulam, sed non diuidit eam sicut camelus, &c. non comedetis illud, & inter immunda reputabitur. Et sus cum vngulam diuidat, non ruminat, horum carnibus, nec vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis. Vis aliud? En quando Gen. 28. Iacob viderat in somnis scalā, & Angelos Dei ascendentes per eam. Surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, appellauitque nomen illius vrbis Bethel. In eo non peccauit Iacob erigendo lapidem, tamen hoc in Deuteron. posteà fieri prohibetur à Domino. Vides ergo pro temporum ratione quædam etiam ab eo mutata, qui solus etiam dicit. Ego sum Deus, & non mutuor. Nec idest contra eum, cuius verbum permanet in æternum, vti pulchrè declarat August. 22. lib. contra faustum cap. 77. Nimirùm si circa Sacerdotum nuptias aliqua variata fuerunt. Quod, vt magis probem. En circuncisus est Dominus, neque circuncisionem effugere volebat. Vndè Euangelium, postquam consumati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Post resurrectionem tamen legimus ad Galath. 5. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini. Christus vobis nihil proderit. Quod igitur hìc mutatum est, hoc & de matrimonio Sacerdotum mutari potuit. Sed fortè Pontificibus, & Concilijs sanctis in hac re nihil putas tribuendum, cum & ipsi sint homines. En tanta fuit semper Prophetarum, ac Sacerdotum potestas, vt legem Domini interpretari potuerint. Et quædam etiam de lege prohibita fecerunt sine peccato. Sed fortè, qui Thomam Dydimum in Theseum habes, ista non credes. Probo itaque Deuteron. 12. prohibet Dominus, ne erigatur altare, nisi vbi sit area fœderis. Tamen Helias 3. Regum 18. legitur erexisse in monte Carmelo. Et Samuel licèt templum esset in Sylog. 1. Regum 7. tamen erexit lapidem, dum essent in Masphat. Et scis quid potuerint in lege, qui Sanhedrim dicti fuerunt. Sed & Deuter. 17. legitur. Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi dici veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius. Sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistrā. Quid est nec declinare ad dextram, neq; ad sinistram, dicito quæso? Certè secundùm Hebræos hoc est. Si Sacerdos præceperit aliqua, quæ etiam sinistra videantur, tamen ab illorum statuto cedere non licèt. Sed fortè hæc abolita esse dices. En hoc reuocatur à Domino dicente. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæ dicunt, facite, &c. Et alibi. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus. Et iterum. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & eum qui me misit. Sicut ergo Apostolis aliqua statuere licuit, quæ nec à Domino præcepta fuerunt, sicut est actuum 15. & passim id in epistolis Pauli legitur. Ità Ecclesia aliqua statuere, & ordinare potuit, quæ Apostolorum temporibus minimè fuerunt, ea confundere ac auctoritate propria infringere, nec tibi, nec similibus tibi vmquam licuit, in perpetuumque numquam licebit. Ordinauit autem Ecclesia cælibatum hunc, vti vides, non in vno loco dumtaxat, & re vera, quòd Calistus, quod Syricius, Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Super hac re statuerunt, procul dubio non nisi vrgentissimis ex causis. Et vt sancta, ac illibata essent ministeria Sacerdotum, statuerunt, ac ordinarunt. Cogites si deberent in beneficijs, quæ collectarum loco successerunt, vel vxores, vel filij, siue nepotes ex testamento, vel ab intestato succedere, quàm confusum chaos olim experiri oporteret. Sed si iterum replicaueris te potestatem habere mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas. Respondeo, quòd fœminæ vtique locupletiores sequebantur Apostolos, illisque necessaria subministrabant, sicut & Domino fecisse veteras Euangelica testatur, & vacuos cuiusuis curis reddebant, vt prædicationi dumtaxat intenderent. An autem vxores fuerint, consule Græcos, qui tibi monstrabunt an hic dum quærit Apostolos, *mi oyc echomen exoysian adelphin gynaica periagein*,

os caì oi loipoi Apoſtoloi, caì adelphi toy cyrioy, caì ciphas, per *gynaica* poſſis intelligere vxorem. Ee liceṫ apud Sophoclem *gynai* quandoque pro vxore, plurimùm tamen pro muliere accipitur, hic verò loquitur Paulus de ſorore muliere, non vxore. Noli itaque mi Luthere nobis toties varias, ac peregrinas afferre viuendi formas, nec contra totidem ſeculorum obſeruationes ſolus pugnes. Admitte quæſo, & in alios, non te ſolùm perueniſſe Spiritum Dei. Quòd ſi olim patres Chriſtiani Orbis Synodum, quam œcumenicam vocamus, celebrarint, fortè Paſnutij illius ex Nicæno Concilio repeteretur hiſtoria. Interim tu religioſos tuos ad monaſteria reducas. Et tu iugum, quod in adoleſcentia ſubieras, quod, & auctoritatis tuæ inter populares, cauſa maxima fuit, deſerere noli. Scis enim Lucæ 9. Dominum dixiſſe. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei. Memento quoque quomodo religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc ſit, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

Subdis decimumnonum errorem eum eſſe, quòd Papa Nicolaus, vel Tertius, vel Quartus in Antichriſtico, vt dicis decreto, dixerit, Chriſtum beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, ac cœleſtis imperij iura commiſiſſe. Cum tamen omnes norunt Chriſtum fugiſſe Regnum terreſtre. Quamquam Luthere hic locum non aſſignes, credo tamen hunc textum eſſe in cap. omnes 22. diſtinct. vbi de hac re Nicolaus Papa Mediolanenſibus ſcribit. Is quoque textus abſque vllius hæreſeos incurſu, quàm rectè defendi poteſt. Quid ſi quiſpiam hæc ex Matth. 16. capite defenderet. Tamen hic non morabimur. Nempè neceſſe eſt, vt quæ alibi ad hæc Nicolai ſcripta leguntur, ſilentio non tranſeamus.

Sunt qui hoc verbum Lucæ 22. Ecce gladij duo hic, ad Petri poteſtatem referant. Ego autem non ignoro iuxta ſententiam Ambroſii gladios hic eſſe teſtimonia veteris, & noui teſtamenti. Sunt, qui hoc verbum Matth. 25. Conuerte gladium tuum in vaginam, &c. pariter huc referre velint, quaſi non ſine myſterio dictum ſit. Conuerte, non proijce. Ego autem ità Romanum Pontificem terreni Imperij poteſtatem habere dico, quoniam Carolus à Leone Tertio Pontifice Romanum cœpit Imperium. Quamquam noſtra tempeſtate id multis modis tentaueris, vt Carolus ille noſter Imperator à Leone Pontificatum tolleret. Imperator iurat Papæ, & cauſæ ſubſunt de iure, propter quas Papa deponit Imperatorem. Sunt, & cauſæ, in quibus à ſeculari iudice prouocatur ad Papam. Accedit etenim in ſubſidium Eccleſiaſtica iuriſdictio. Et hæc omnia ab octingentis annis, citraque obſeruata fuerunt. Seruauerunt hoc Ludouici, Othones, ac alij Principes Germaniæ. quæ cum ità ſint, Imperij iura Papa habere dicitur. Quamquam Imperator verò vſu Romanum habet Imperium. Nec mirùm ſi Papa quaſdam pleno iure Prouincias habeat. Samuel enim rexit populum Iſrael. Melchiſedech Sacerdos in æternum Rex fuit in Salem. Moſes, & Aaron in Sacerdotibus eius Principatum habebant in Iſrael. Et quod longè maius eſt mandauit Moyſes interficere fratres ſuos idololatras. Et Phinees filius Eleazari Sacerdotis, & ipſe Sacerdos arrepto gladio ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitam, qui intrauerat ad ſcortum Madianitem, vidente Moyſe, & omnium turba filiorum, & perfodit Madianitem hunc Zambri dictum, & mulierem in locis genitalibus. Et dedit illi Dominus pactum Sacerdotij ſempiterni. Samuel etiam miniſter Dei Agag Regem pinguiſſimum, in fruſtra concidit. Et Helias propheta occidit prophetas Baal, & duos quinquagenarios Ezechiæ. Mathatias etiam filius Ioannis Sacerdos Dei occidit Iudæum ſuper aram ſanctificantem. Et Petrus auriculam Malcho amputauit, immò vt eſt actuum 5. Petrus geminum fecit homicidium Ananiæ, & Saphiræ. Paulus obcæcauit Elymam magum, actuum 14. Vides itàque Sacerdotes vtriuſque legis ſupremam iuriſdictionis ſpeciem exercuiſſe, neque peccaſſe.

Quod ea propter dictum eſſe velim, vt quæ de gladio ſcripta ſunt, etiā alio ſenſu poſſe intelligi cogites. Nec ſemper gladij vſum damnaſſe homines, alioqui, vt infrà monſtrabimus, damnabimus multos. Sed quod Chriſtum adducis, qui vt eſt Ioannis 6. cum vidiſſent, quia venerant vt raperent eum, & facerent Regem, fugit in montem. Scis ex Chryſoſt. Cyril. ac Auguſtin. quid hic dicendum fuerit? Qui enim Rex erat, non oportuit vt Rex fieret. Regnum dabat alijs, Rex Regum erat, ac Dominus dominantium. In primo natiuitatis tempore quærebant eum magi ſciſcitantes Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Tribus linguis Rex fuit inſcriptus. Docuit nos orare, Adueniat Regnum tuum. Dicit. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. Et ad Pilatum. Regnum meum non eſt de hoc Mundo. Non ergo fugit Regnum, vt propterea Reges terrenos ad imitationem ſui eſſe noluerit, alioqui Chriſtianos Reges quæſo quomodo ſaluabis? Fugit ergo, quia ſecundum Auguſtin. tempus præuenire volebant. Fugit, quia Regnum ſuum non erat de hoc Mundo. Venit enim, non formam Regis, ſed ſerui accipiens. Vndè ad Philippenſes ſecundo. Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Non tamen per id maieſtatem Regiam ſpreuit, neque damnauit.

Siquidem in die palmarū Rex ille venit, iuxta prophetiam, ſedens per pullum aſinæ. Et verus Salomon ille erat, cum Regio diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis. Per hanc itàque auctoritatem, quam ex Euangelio citaſti, nihil aliud probare poteris, quod ambitionem, & arrogantiam, & reliqua id genus vitia deteſtatum fuiſſe Dominum. Alioquin damnabis Regem Romanorum, vtriuſque Hiſpaniæ, vtriuſque Britanniæ, Galliæ, Portugalliæ, & Hungariæ, qui Reges vel naſcuntur, vel eliguntur; nec fugiunt, vel abdicant Regna Chriſti exemplo, neque id facere tenentur.

Sec iàm cur Pontifex Romanus, cut Epiſcopi, & reliquus Clericorum ordo poſſeſſiones habere poſſint, & cur diſceſſum ſit à primo vſu Apoſtolorum, tu, qui Theologus es, videre poteras in Chryſoſtomo ſuper Matth. homi-

homilia 86. cuius sententiam infrà trademus.

De clauibus autem, vt multa dicam, non erit necessarium. Siquidem supra declaratum est, quomodò claues sint Christi, Petri, Ecclesiæ, ac Sacerdotum, credo iàm satis, supetque defensam Nicolai sententiam. Infrà tamen tibi ex Hilatio, Diuina fauente clementia, pleniùs ostendam Petro datam cælestis, ac terreni Imperij potestatem. Interim patientiam habe. Per omnia tamen hic nollem talis vel esse, vel haberi, qui Principatum velim tueri tyranni, cùm hunc quidem à Deo exosum haberi, certò certiùs habeam.

Iàm ad Constantini donationem pergo.

Hic quisquis verbum dixerit, vel scripserit, inter saxum, & sacrum hærere optimo iure dicetur. Quandoquidem inter se Iurisperiti, multis iàm retroactis seculis acerrimè pugnarunt, non sine maiestate quærentes, an donatio facta Ecclesię Romanæ per Constantinum valuerit. Super qua re Dinus, Innocentius, Bartolus, Baldus, Speculator, Ioann. Andreæ, Paulus de Castro, Panormitanus, & Alexander de Imola, multa hinc indè scripserunt; quorum pars quędam reperitur apud Bartolum, & Baldum in prima constitutione digestorum.

Horum sententias recensere longissimum foret, hi cum ea de re locuti fuerunt. Non eo contendunt, quasi donatio facta non sit, sed modò, an valuerit, nec nes quærunt. Fuere nonnulli dicentes, Imperatori Constantino non licuisse, cùm augere deberet, non imminuere. Argumento leg. cùm de indebito, ff. de probationibus, & actus illius successori præiudicare non debeat, nec possit argumento leg. digna vox, Cod. de legibus. Sed sunt, qui illis, & alijs argumentis pulchrè respondeant.

Tu verò cùm dicis hanc donationem ementitam, ac fictam esse, forsan Laurentium Vallam imitaris; cuius sententiam Iurisprudentum potissima pars numquam probauit, neque recepit. Habuit is coniecturas, quibus sua firmaret, & forsan tu putas esse verissimas. Vallæ viro elegantissimo respondere difficile est, tua eluere periculosum. Tamen tacere non possum, si quid hic paribus coniectutis possim afferre, quòd tuam opinionem eluerit.

Sed antequàm tecum, aut cum Vallanum confetam, id præmittere lubet, quòd super hac, & alijs rebus pugnauere nonnulli contra Laurentium Vallam, & tunc se triumphasse crediderunt, quando hunc virum alioquin elegantem acrem censorem, mordaculum, superciliosum, procacem, reprehensorem, tabulam, & quemdam coruupetam, virulentum, maledicum, & petulantem calamo auctorem fuisse clamarunt, atque reclamarunt. Cùm his in hoc loco nolim quicquam habere commune. Siquidem horum vestigijs inhærere non videtur admodùm esse in Christiano homine probandum.

Scio eum hominem vtriusque linguæ fuisse doctissimum, qui & studiosis omnibus non parum in meliori dicendi genere profuerit. Hunc ergo virulentia aliqua taxare, vel suggillare non est in animo.

Tantùm alijs inter veteres Historicos versantibus ansam cogitandi præbere volo. Et ne diutiùs hæream, en donationem eapropter, nisi malè memorem: Valla ementitam esse putat, quòd de Constantini Baptismo nonnisi fictitia quædam habeantur.

Illi Diuum Ambrosium obijciendum puto, qui, vt est de obitu Theodosij Imperatoris, præsente Honorio asserit Constantino Baptismatis gratiam in vltimis constituto contigisse. Et quod primus Imperatorum crediderit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit. Magni meriti locum tepetit, cuius temporibus completum est illud propheticum. In illo die erit, quod super frenum est, sanctum Domino omnipotenti.

Et idē Ambrosius hic nō parùm de Helena matre narrauit. Huic verò Episcopo certè plurimum tribuendum puto, siquidem is cum Imperatoribus conuersatus est, horum negotia tractauit, horum Legatus ipse fuit; & non longè post Constantinum vixit. A Constantino etenim vsque ad Theodosij tempus, Imperatores forsan nonnisi septem, vel octo fuetunt. A tempore verò Constantini vsque ad id tempus, quo Valla vixit, sexaginta, vel septuaginta intercenerunt. Quare non dubitatim notoriorem historiam Ambrosio fuisse, quàm Vallæ. Ruit itaque totum quòd hic Valla de baptismo proponit. Sed qòud cam donationem etiam propterea ementitam esse contendit, quòd Eutropius illius, nec verbo meminerit, quasi dum Eutropius ea de re nihil scripserit, mera sit fabula. Cui respondendum ità credo. Christus visus est plus quàm quingentis fratibus, vt in epistola priori ad Corint. 15. tamen id apud Euangelistas non legitur. Ergo mentitur Paulus, aut historia Euangelij non erit sufficiens, absit vtrumque. Sed quia hic de Romanis rebus agimus, vndè ad historias Romanas venio. Certissimum est Romam orbis reginam captam ab Alarico Gothorum Rege, anno post eam conditam millesimo centesimo sexagesimoquarto, seriem tamen huius rei nec veteres, nec recentes historici tradiderunt, solo excepto Procopio, ità apud Ioannem Baptistam, Egnatium Venetum, eapropter alios non reijciemus. Et multa sunt ab alijs scripta, quæ certè non scripsit Eutropius. Quidquod apud Pomponium Lætum scriptum inuenitur, quòd postquam Constantinus Vrbem nouam condiderat, ac immortali Deo ritè sacra persoluit, post conditam Vrbem Mariæ Virgini, quæ sola est Deipara, consecrauit. Meminit idem Lætus superasse Maxentium auspitio fulgidæ crucis, eademque fœlicitate sæpius Licinium superauit. Scribit & idem Lætus Constantinum noluisse decernere de causis Episcoporum, quorum etiam, quantum ego recordor, non meminit Eutropius. Sed numquid Pōponio Læto nihil credemus, cùm tamen in veterum historijs perquirendis vir fuerit non admodùm indiligens. Is quoque Pomponius de baptismo Constantini sic ait: Constantinus fidei Christianæ plurimum fauerat, mirumque est, cum deuotissimus fuerit, lauacrum renascentis vitæ in extremum vitæ suæ tempus distulerit, vt existimo, volens id in Iordane contrà Persias efficere.

Nescio an referat à quo sit ille baptizatus. Vetustissima monumenta Romæ, quæ traditione maiorum testantur Constantinum à Siluestro Pontifice Romano lepra mundatum, ab eo quoque sacri baptismatis intinctionem accepisse. Sed quòd Valla hoc argumentum sat efficax esse vult, quo post Constantini tempora Pontifices Vrbem Romæ minimè gubernasse testantur historiæ. Hic ego malitiam temporum considerandum puto, Siquidem Arriana hæresis tempore Iulij Papæ, ac ante inualuit. A Constante quoque Constantini filio Papa Iulius multa tulit incommoda, immò decennali exilio damnatus est, Venit indè Liberius Papa, qui & cum multis Catholicis Episcopis Vrbe pulsus est, & ab Arrianis in exilium triennale actus. Et Constantius vehementissimam persecutionem in Catholicos commouit, adeò vt etiam in Ecclesijs Presbyteri, & Clerici passim trucidarentur, Successit indè Felix Papa, & is persuasione Vrsacij, & Valentis à Sede deijcitur, immò interficitur, martyrioque coronatur. De hoc rerum tumultu multa apud Hilarium, & non pauca apud Hier. Et quis Pont. sua tanta Arrianę factionis tyrannide subsistere potuit? Quid non Arriana hæresis interturbauit? Nunquid non iecit Athanasium, expulit Hilarium? immò totum commouit Orbem. Non mirum si Constantini donationem interturbauit. Sed ad Eutropium redeamus. Testatur is inter Constantinum, & Constantium fratres bellum fuisse, & quòd apud Aquilejam Constantinus ille iunior succubuerit. De Constantio legitur, quòd multis vitijs fuerit irretitus, Et eodem Eutropio teste, Romæ tumultus fuit Nepociano Constantini sororis filio per gladiatoriam manum Imperium vindicante, qui sæuis exordijs exitium dignum nactus est.

Vigesimo enim, atque octauo die à Maxentianis ducibus oppressus, pœnas dedit. Caput eius pilo per Vrbem circumlatum est, grauissimæ proscriptiones, & nobilium cædes fuerunt. Et non multò post Maxentius apud Mursam profligatus, acie est, ac pœnè captus. Ingentes Rom. Imperij vires ea dimicatione consumptæ sunt. Et scribit idem Eutropius Romanum Imperium dubia calamitate nutasse eo tempore, quo Constantius Iulianum misit ad Gallias. De Iuliano scribit idem Eutropius quomodo & ipse expeditioni aduersùs Parthos intersuerit, & quòd is Iulianus nimius religionis Christianæ insectator fuerit. Sub Iouiano præter consuetudinem Imperij Romani mutati sunt fines, & nonnulla illius pars tradita est, modo pacem haberet. Et Sextus Aurelius Victor testatur in nullo ferè bello numquam adeò Rom. vires esse consumptas, totiusque Imperij fortunas pessundatas, sicuti sub conflictu Constantij, atque Maxentij. Et Paulus Diaconus de Valente scribit quomodo ab Eudoxo Arrianæ hæreseos Episcopo sit baptizatus, & quòd is Valens legem dederit, vt Monachi militarent, nolentes, per tribunos, & milites fustibus iussit interfici, quorum innumeram multitudinem per vastas Ægypti solitudines diffusam constat, præcipuè quæ apud Nitriam martyrij consecuta est palmā, ac per singulas vbique Prouincias aduersùs Catholicas Ecclesias, & rectè fidei populos diuersa sunt illata incommoda, & quòd is Valens denium sera peccati pœnitentia stimulatus, Episcopos, cæterosque sanctos reuocari de exilijs imperauit, Vide qualis fuerit commotio Mundi, Taceo hic de incursu Gothorum, de Arrianorum dogmatibus. Sed & hoc fortè prætereundum non est, quòd Gratianus fretus Christi potentia, nostrorum antecessorum, vtpotè Alemanorum triginta milia apud Argentariam, (quod alij Argentoracum vocant) interfecit. Vbi & idem Paulus Diaconus testatur in 11. rerum Romanarum libro, quòd vsque ad idem tempus tota Italia Arrianæ perfidiæ morbo turbata sit. Hanc Ambrosius, hanc Martinus Turonensis Episcopus paululum sedare cœperunt. Sed & hic de Alanis, Hunnis multa dicere possemus. Sub Theodosio ferè pax nulla fuit, quamquam is Diuo Ambrosio pulchrè fuit obsecutus, vt est apud Paulum libro 12. Sed sub Archadio, qui rexit in Oriente, & Honorio, qui rexit in Occidente Radagasus Gothorum Rex totam repentino impetu inuadit Italiam. Et constat in eius populo plusquam ducenta millia Gothorum fuisse. Hic barbarus erat, & Scyta, qui omnem humani generis sanguinem Dijs suis propinare deuouerat, inuadit illicò Romam, pauor infinitus fit, paganorum in Vrbe concursus, declamatur à cunctis.

Sed hæc ideò perpeti, quòd neglecta fuerint, magnorum sacra deorum magnis querelis vbique gerere. Et continuò de repetendis sacris, celebrandisque tractatur. Ferè in tota Vrbe blasphemiæ ad nomen Christi, tamquam lues aliqua probris ingrauantur. Quid quòd ab Alarico, & Gothis cuncta, per quæ ierant, igni, ferroque vastantur, Vrbem capiunt, deuastant, incendunt, Capta itaque Roma est millesimo centesimo sexagesimo quarto suæ conditionis anno. Et quamquam ab Vrbe Gothi tertia die discessissent, at mox cum Rege Ataulpho Romam redeunt, siquid residui fuit, more locustarum eradunt, & auferunt. Possem hic multa de Comite Stilico Wandalorum, Alemanis, Sueuis, Burgundionibus, Eucherio recitare, quæ huic rei non malè conuenirent, sed pergo. Sub Theodosio iuniore Gensericus penè totam Aphricam ferro, flamma, rapinis crudelissimè deuastauit, Catholicam insuper fidem Arriana impietate subuertit. Sed hoc turbine beatissimus August. Hypponensis Episcopus perrexit ad Christum. Eodem tempore Bonifacius ab Aphrica, ad Italiam per vrbem redijt, accepta magistri militum dignitate. Et Gensericus in Aphrica multos Episcopos iure suarum basilicarum priuauit, & ex Ciuitatibus pepulit, Idem Gensericus Carthaginenses inuadit, Ecclesias spoliauit, sacra vasa rapuit, loca diuini cultus sua esse iussit habitacula. Et adeò religioni is infestus erat, vt non posset agnosci hominibus magis, an Deo bellum intulisset.

Sub his ferè diebus, ità terribili terremotu Roma concussa est, vt plurimæ eius ædes, ædificiaque corruerint. Sub Martiano, & Valentiniano iuniore nemo non nouit Attilæ historiam, Is Attila Concordiam, atque Patauium solo coequauit. Exindè per vniuersas Venetiæ Vrbes, hoc est Vincentiam, Ve-

tonam,

ronam, Brixiam, Bergomum, seu reliquas, resistente nullo. Hunni bacchantur, Mediolanum, Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen abstinentes, & ferro. Deindè Æmiliæ Ciuitatibus similiter expoliatis, nouissimè loco, quo Mincius fluuius in Padum confluit, castrametati sunt. Vbi Atila consistens dum vtrum Romam adiret, ao desisteret, animo fluctuaret, non vrbi, cui infestus erat, consulens, sed Alarici exemplum pauens, qui capta à se vrbe, non diutius superuixit.

Quid quòd mortuo Valentiniano continuò aduectis ex Aphrica nauibus adest Gensericus com validissimo suæ geotis exercitu, fultus insuper præsidio Maurorum, cum adhuc Romanæ Ecclesię beatissimus Leo ageret Pontificatum. Percussis itàque Romanis tam terribili nuncio, uobilibusque simul, ac popularibus ex Vrbe fugientibus, Vrbem omni præsidio vacuam, Geosericus obtinuit, occurrente sibi ante portam eodem sanctissimo Leone Episcopo. Cuius supplicatio ità cum Deo adiuuante leuauit, vt quia omnia potestati eius essent tradita, ad quatuordecim interim dies, secura, & libera scrutatione, omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captiuorum, prout cuique ætate, an arte placuerunt, cum regina Eudoxia, quæ Geosericum ad hoc facinus innitauerat, duabusqoe eius filiabus Carthaginem adductæ sunt.

Sub Leone Augusto Riicimer patritios prosapia Gothus manu valida ad Vrbem contendit, atque apud Anienis pontem castra posuit. Diuisa est Roma, & quidam fauebant Antemio, quidam vero Ricimeris perfidiam sequebantur. Interim Billimer Galliarum Rector Antemio ferre præsidium cupiens, Romam properauit. Is cum Ricimere apud pontem Adriani prælium commisit, & mox Ricimer vrbem inuasit. Ec propter famis, morbiqne penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, iosuper etiam grauissimè deprædata est. Sub Augustulo Romanorum Imperium apud Romam toto Orbe terrarum venerabilis, & augustalis illa sublimitas, qoæ ab Augusto illo, quondam Octauiano erecta est, perijt. Odoacer fernefus nonne in fuga Romam properauit? Et cessante Romanæ Vrbis Imperio, sub Anastasio magna Romæ dissensio facta est. Et anno Domini quartocentesimo nonagesimo secundo Pontifici bellum infertur. Multæ cædes, & homicidia in medio Vrbis fiuot. Sed in tantis tumoltibus, quid facere potuerit Pontifex tantis viribus longè impar, quomodò donationem Constaotini manutere potuit? tu ipse cogitato. Sed dices. Quid interim tameo Romani egere Pontifices? Eu Symmachus Papa, vt est in actis Romanorum, dissensione quotidiana suborta, subsidia ministrare oon destitit. Hormisda Papa, qui Symmacho successerat, direxit Epbodium Ticinensem Episcopum, aliosque Constaotinopolim legatos, qoatenus Anastasium ad Ecclesiæ reduceret gremium. Duas enim oaturas Io Christo cum Euthicę hæresiarcha denegauit. De quo & legitur quomodò magnam legatis fecerit iniuriam, proculdubio se vindicaturus contra Pootificem, si potuisset.

Sub Iustiniano, quæ facta sint, commemorare nolo pro Pontifice, ramen hęc, & alia huiusce generis non parum faciunt. At vt ad Constantinum redeam, quid opus est verbis? Non solum ex Eutropio, & Orosio, sed & Augustino notissimum est, Constantinum Sedem Imperialem mutasse, ac nouam Vrbem condidisse. Interioi dum in Constantinopoli mansetont Imperatores, Pontifices in Vrbe degebant. Quamquam non ignorem, quomodò sub Mauritio Augusto, ac alijs Papa Pelagius, ac alij non parum fuerint perpessi. Tamen sub Imperatore Phoca, Magnus ille Gregorius melius habere cœpit.

Hæc recensere propterea volui, vt dum malitiam temporum quisquis in animo euoluat, non miretur, si pauca de Pontificis temporali potestate apud historias esse competiat. Tamen donationis factæ oon etiam patuum est argumentum, quòd corona illa Pontificia est donatus Pontifex. Addo quòd si nihil iuris in Imperium Pontifex habebat, cur Leo Pontifex scitu Romani populi, clerique togatu, vt est apud Egnatium Carolum, ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita Romanorum Imperatorem primus appellat, inuictumque cum Pipino filio Augustum consecrat. Anoo ex quo in Italia imperari desitum, post Augustuli ioteritum trecentesimo, ac trigesimo, salutis nostræ octingentesimo. Et quia Constantinum Christianissimus ille noster Cicero Lactantius Firmianus Primum Romanorum Principum Patrem indulgentissimum appellat, & quòd primùm repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis, & veri, & cognouerit, & honorauerit. Et, vt est apud Pomponium Lætum, M. Flauius Valerius Constantinus Maximus Pius Felix semper Augustus Constaotij Pij filius dici meruit. Inter quæ denique cognomenta, ac epitheta solus io toto Imperio populi Romani cognomen induit maximi, quod anteà oon nisi duo inter tot Duces, ob rebus gestis non accepere, & Magni dicti Alexander Macedo, & Gne. Pompeius. Vndè piè, firmissimèque eredo quicquid de illo, vel dictum, vel scriptum fuerit, quod ad conseruandam religionem pertinet, id factum non ementitum esse. Nam in professo est, Constantinum Religioni Christianæ deditissimum fuisse. Hoiusce rel Hierooymus aduersùs Vigilantium fidele testimooium præbet. Nam sanctas reliqùias Andreæ, Lucæ, & Timothei Constantinopolim transtulit. Et ego vt supra ostendi, rem non sine diuino mysterio fuisse credo, quòd cum Alaticus Romanam Vrbem vicisset, edictum fecit, vt quicumque in templa diuorum confugerent, præcipuè Petri, & Pauli, ijs nulla vis Inferretur. Numquid non hæc summi Dei Auspicio à Rege alioquin barbaro peracta credes? Quod enim ad me pertinet, ingenuè dico, sicuti vix absque diuina dispositione fieri poterat, vt secundò bello punico Roma perstiterit. Siquidem vt Lucij Flori verbis vtar, dubium non erat, quin illum diem vltimum habitura fuerit Roma, quintumque intra diem Hannibal epulari in Capitolio, ac victoria vti potuisset, frui maluit, immò Deus vrbi parcere voluit, quod & sub tam barbaro Rege fecit, ne tota euerte-

retur, neque veſtigia tàm præclaræ vrbis omnia perirent. Relicta itaque Roma, Campaniam, Tarentumque peragrauit. Sed ad priora, vndè digreſſi ſumus, redeo. Noſtros maiores numquam ego crediderim tam ſtupidos, immò tam prodigos fuiſſe, vt facilè dedetint, atque permiſerint totidem ſeculis Vrbem Romanam in manu ſtare Pontificum, ſi non id ſe iure debere cognouiſſent.

Sed forſan Luthere militibus Chriſti Ciuitates nullas admittis. Conſiderare debebas, quod eſt apud Diuum noſtrum Hieronymum, quod tamen in primis probat vetus inſtrumentum quadraginta octo Ciuitates ad habitandum Leuitis, & Sacerdotibus in terra promiſſionis eſſe conceſſas. Quod videre licèt apud eumdem Hieronymum ad Fabiolam de veſte Sacerdotali. Non fuit hæc magna terra? Siquidem à Dan, vſque Berſabee vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur, & dicere latitudinem terræ repromiſſionis pudebat Hieronymum, quando ſcripſit ad Dardanum. Et reſpectu Aſiæ, Europæ, & Africæ, vel Regnorum, atque Prouinciarum terra repromiſſionis paruiſſima fuit. Attamen Sacerdotes, atque Leuitæ tot Ciuitates habebant, Erant in veteri lege quotidiè octomillia Leuitæ alendi. Taceo de Sacerdotibus. Et iam mirum non fuerit ceſſantibus Eccleſiæ primitiuæ collectis, vt in cultu diuino perpetuo maneant, qui altari ſeruiunt, ſi Ciuitates habeant, tamen ità poſſideant, quaſi non habentes. Ità ſubditis præſint, vt laudem mereantur à Domino, non vt tyrannidem exerceant, aut viduas, aut pupillos opprimant. Sed vt ſint in eorum numero, de quibus in Pſalmo dicitur. Beati qui faciunt iudicium, & iuſtitiam in omni tempore. Et ex redditibus quomodò viuere poſſint, immò quòd illis neceſſaria debeantur, Paulus docet dicens. Quis militat ſuis ſtipendijs vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico. An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os boui trituranti. Numquid etiam de bobus eſt cura Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.

Sed vno tantùm Euangelij eulogio tua probas, quo etiam ſcribis, ac dicis ob eam rem Conſtantini donationem eſſe caſſandam, quia Matthæi ſexto ſcriptum ſit. Nolire theſaurizare vobis theſauros in terra. Si ità rudiler intellexeris, certè Sixtum hunc felicem, & pium Pontificem damnabis, qui poſt ſe theſauros reliquit, quos Laurentius diſperſit, deditque pauperibus. Aut ſi nec id feceris, Pauli doctrinam damnabis. Is enim Doctor gentium in altera epiſtola ad Corinthios cap. 12. ait. Non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. Quomodo dabis ergo, vt ſimul ſtent, & Euangelium, & Paulina ſententia? Aut quomodo ſaluabis collectas, quæ ſunt paſſim in Epiſtolis Pauli? Scio ego non eſſe theſaurizandum ſuper terram, vbi erugo, & tinea exterminant, & vbi effodiunt fures, & furantur. Nihil enim in terra firmum, nihil ſtabile, nihil tutum, nihil fidele, quod & in meis declamationibus miſeriæ humanæ oſtendi. Sed hic conuenit verbum diuinæ Scripturæ ſanè intelligi.

Perditè ſiquidem ipſi tunc theſaurizamus, cum fodimus ſenſus cum diuitijs in terra, aut recondimus cor cum pecunia (teſte Origene) At viceuerſa ij rectè theſaurizant, quotquot Deum dilexerunt, Sic theſaurizauit Abraam per hoſpitalitatem, Iob per egenorum miſerationem, Samuel per iuſta iudicia. Sed ad rem noſtram. Quamquam omnia, quæ mundi ſunt, contemnere debeamus, omnis quoque ſollicitudo in craſtinum prohibita ſit, tamen id rectè intelligi debet. Nam licèt magiſter orbis ſollicitudinem omnium rerum interdixerit, tamen adhuc Euangelij dicit hiſtoria. Diſcipuli eius abierunt in Ciuitatem, vt cibos emerent, Ioannis 4. Nec Magdalenam, Ioannam vxorem Chuzæ procuratoris Herodis, Suſannam, ac alias mulieres multas à ſe Chriſtus reiecit, quando miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. In Euangelio Ioannis quoque legitur. Poſt buccellam introiuit in eum Sathanas, & dicit ei Ieſus. Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus, eme ea, quæ opus ſunt ad diem feſtum, aut egenis, vt aliquid daret. Et in eodem Euangelio cap. 13. legitur. Fur erat, & loculos habebat, ac ea, quæ mittebantur, portabat. Et Paulus omnium terrenorum contemptor, ſic tamen gubernauit ea, quæ præſenti vitæ erant neceſſaria, vt etiam de viduis præceperit dicens. Siquis fidelis habet viduas, ſufficienter tribuat illis, vt non grauetur Eccleſia, quo veris viduis ſufficere poſſit. Diuitias ergo poſſidere ità prohibemur, vt non ſperemus in incerto diuitiarum, ſed Deo viuo, vt eſt ad Timotheum. Interim tamen etiam oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem, domum ſuam benè regentem.

Siquis enim domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ diligentiã habebit? Quod ſi Epiſcopum hoſpitalem eſſe oportet, neceſſe eſt, vt habeat, vndè iura hoſpitalitatis exercere poſſit. Et ſic eum de craſtino curare neceſſe eſt. Sed hìc non luxum, ac delitias huius mundi, ſed hoſpitalitatem Euangelitam volo, quam præſcribit Dominus dicens. Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne fortè & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. Propter hos pauperes alendos, infideles propulſandos, hæreticos ſupprimendos, ac demum literatos intertenendos, credo donationem Conſtantini, ac aliorum Regum, Principum, atque Chriſtifidelium in Romanam, ac alias Eccleſias valuiſſe, ac valere perpetuo. Nec eapropter, niſi meliora docueris, iuſtam in Dei ſacerdotes calumniandi cauſam habes. Quamquam & hic ex literatorũ omnium perſona conquæri cogar.

Noſſe

Nosse volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Et in plerisque rebus tragœdiæ mouentur, cum nemo, aut saltem pauci Mecœnates fidos præstare velint. Cum tamen non abs te Martialis Flacco cecinit dicens.

Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones.

Nolo hìc durius dicere quicquam, ne cum te immodestiæ arguam, ipse reprobus efficiar.

Vigesimumprimum articulum aggredior. Tuæ turbæ proponis scripsisse Papam sese Romani Imperij esse hæredem; id grauissimè fers, & sic ais scriptum in Clementina pastoral. de sent. & re iud. Vidi hunc textum, sed eius ista sunt verba. Nos ex superioritate, quam ad Imperium non est dubium nos habere, qua ex potestate inquam, vacante imperio, Imperatori succedimus, &c. Hic se Pontifex non dixit hæredem. Numquam enim, vt credo, legitur, quòd Pontifex aliquam partem illius hæreditatis iacentis fuerit adeptus. Sed quomodò succedit, certè Glossa ibidem, & Zabarella docent. Siquidem vacante imperio, siquis iustitiam consequi non potest, Pontificem adit, putas in eo, dum Pontifex iustitiam fecerit, peccet? nequaquam. Nam beati qui faciunt iudicium, & iustitiam in omni tempore. Ad Timoth. 6. Sectare iustitiam. Et ex canonica Ioannis. Qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Et Psalm. 34. Exultent, & lætentur, qui volunt iustitiam. Hieremiæ 22. Facite iudicium, & iustitiam. Et in Psalmo Rectè iudicate filij hominum. Sed quid hìc opus est multis? Vacante Imperio per obitum Maximiliani pientissimi simul, ac clementiss. Principis vidimus, an Papa successerit hæres, necne? Et Magni Caroli bulla, quam auream vocant, Clementinæ verum præbet intellectum, à qua Leonem X. fel. record. nec transuerso digito recessisse credo. Minus rectè Pontificem dicere contendis, cum ait vim vi repellere licere. Cum in Euangelio Matth. 5. scriptum sit. Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium. Scio scriptum esse in cap. significasti de homicidio, & in cap. 3. de sent. excomm. Quomodò vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittant. Sed additur, quod hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad vindicandum, sed ad iniuriam propulsandam. Et quid hìc peccant canones. Docuere nos leges vim vi repellere posse l. 1. §. vim vi, ff. de vi, & vi armata l. scientiam §. qui cum aliter ff. ad l. Aquiliam. Numquid hoc est contra ius naturale? Serpens totum corpus pro capite objicit persequenti. Ità apud August. in lib. quæstionum super Matth. quæst. 18. Et hoc est, quòd Dominus Discipulis dicit. Estote prudentes sicut serpentes. Aut nescis, quod est apud Plutarchum. Brasida cum in caricis murem comprehendisset, morsus eum dimisit. Deindè ad astantes ait. Nihil est tam paruum, quòd si ausit inuadentibus repugnare, non se incolume seruet. Id etiam in vermiculis reliquis, ac alijs animantibus fieri videmus. Sed & canones inculpatæ tutelæ normam seruant, quæ nec est Euangelicæ legi contraria, de qua & l. 1. C. vndè vi. Sed quia & illud objicis. Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi, & alteram, & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium. Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo. Has Euangelicas sententias, non ad viuum exigere sermonem oportet, immò nec ad solam literam capienda sunt omnia, quæ in Euangelio scripta leguntur. Est etenim, & in Euangelio litera, quæ occidit, nec solum in Veteri Testamento occidens litera deprehenditur. Si enim secundum literam sequaris, hoc ipsum quid dictum est. Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc litera, inquit Cyrillus in 7. super leui. Vis tibi, & aliam de Euangelio proferam literam, quæ occidit? Qui non habet, inquit Dominus, gladium, vendat tunicam, & emat gladium. Ecce & hæc litera Euangelij, sed occidit. Si verò spiritaliter eam suscipias, non occidit, sed est in ea spiritus viuificans. Et ideò siue in lege, sed in Euangelijs, quæ dicuntur, spiritaliter suscipe, quia spiritalis dijudicat omnia, ipse verò à nemine dijudicatur, quotquot hoc fecerint spiritalia scripturarum, & virtutem earum interius daram intelligunt, & suscipiunt, habent in se animas, & spiritus Prophetarum, ipsi quasi regio viuentium prophetarum effecti. Qui autem illa non capiunt, neque requirunt, sed simplicem narrationem, & historiam rei solum attendunt, corpora prophetarum colunt, in literis posita, & in libris, quasi in quibusdam sepulchris, quales fuerunt, & Pharisæi, qui rectè Pharisæi sunt appellati, idest præcisi, qui spiritalia Prophetarum, & corporali historia præciderunt, quasi animam Prophetarum expellentes à corpore, & occidentes ipsos Prophetas, & exanimes facientes, quasi nihil spiritale habentes.

Sed ad rem nostram de gladio venio. Si hoc Euangelij verbum. quod est Matth. 26. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt, ità capiatur ad verbum, quid vt ibidem Erasmus ait, faciemus iudici, magistratui gladium portanti? quid Imperatori, qui solemni ritu gladium accipit à Christi vicario? Oportet igitur hìc summam spectare Numquid omnibus præceptum est, vt Hieron. in 2. lib. scribit aduersùs Iouinia. ne duas habeant tunicas: ne cibos in pera, æs in zona, virgam in manu, calciamentum in pedibus, vt vendant vniuersa, quæ possident, dentque pauperibus, & sequantur Iesum. Sed his vtique, qui volunt esse perfecti, alioquin à Ioanne Baptista aliud præcipitur militibus, aliud publicanis. Dominus autem dicit ad eum in Euangelio, qui se iactauerat legis vniuersa complesse. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Ne graue onus nolenti videretur imponere, in propria audientis voluntate dimittit: dicens. Si vis perfectus esse &c. Sed cum hìc in Euangelij materiam incidimus, fine quæso Fabrum super vtroque testamento contrà tuas assertiones tecum fabulari. Videris propè accedere

dere Marcioni, & Manicheo, qui vt est apud Hieronymum in Ecclesiasten capite vndecimo veterem legem spernendo dilaniabant, solum Euangelium suscipientes, dicendo, vetera transierunt. ecce noua facta sunt omnia. Quod & ego fateor, tamen cum moderamine aliquo, scilicet noua facta esse omnia. Siquidem pro lege, est Euangelium, pro Hierusalem, cœlum, pro templo, velum, quod intimum erat, pro circumcisione, baptismus, pro manna, Christi purissimum corpus, pro aqua Domini sanguis, pro baculo, vel Moysi, vel Aaron, crux ipsa, pro agnos Dei filins, huiusmodi reliqua. Tamen adhuc firmissimè stabit, quod in spiritu prædixit Dominus dicens. Dabo vobis pluuiam temporaneam, & serotinam, vetus scilicèt testamentum & nouum, vt Hieronymus in ecclesiasten interpretatur, & vtroque vos imbre irrigabo. Vndè admouemur: vt sic legamus legem veterem, ne Euangelium contemnamus, sic quæramus spiritualem in veteri instrumento intelligentiam, ne in Euangelistis & Apostolis hoc tantum putemus sonare, quod dicitur. Fœlix igitur est qui vtrumque in vnum sociauerit, & quasi vnum corpus effecerit. Vnde Ezechiel totam vidit in rota, duorum scilicèt iuncturam testamentorum, quod & indicat, teste Hieron. in Ezech. cap. 1. Scala Iacob, & forceps Esa. & gladius bis acutus.

Quare præcipitur vt in vtrumque instrumentum pari veneratione credamus. Siquidem Iudæi dederunt partes septem credentes sabbatum, sed non dederunt octo, resurrectionem scilicet diei dominici denegantes. Sed & hæc omnia sic intelligi velim, vt non ignorem ex Apostolo Euangelium melioribus promissionibus sancitum esse. Non enim terræ bona, vel solis decorem, vel librorum promittit multitudinem, sed cœleste Imperium ijs pollicetur, qui, quæ iubet Euangelium, hæc exequuntur. Et Euangelia quatuor sunt rectè præuisa secundùm Hieronymum in his quatuor Ezechiells animalibus, quæ spirant, & intelligunt. Tamen adhuc ne erremus, aliosque in errores præcipitemus, & hoc pensandum est maximè, quòd quatuor sunt qualitates, de quibus sancta contexuntur Euangelia, præcepta scillcèt, mandata, testimonia, & exempla. In præceptis iustitia, in mandatis charitas, in testimonijs fides, in exemplis perfectio consistit, vt sint hæc præcepta. Tunc Iesus præcepit Discipulis suis duodecim. In viam gentium ne abieritis, & reliqua, hoc est diuertere à malo. Mandata autem sunt hæc, quibus dicitur. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, hoc est facere hominem, & charitatem implere. Testimonia sunt, quæ in ore duorum, vel trium testium sunt, vt est illud, Ioannes testimonium perhibet de me. Et ipsa opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me, & ego testimonium perhibeo veritati. Exempla sunt, quibus Iesum imitantur dicentem. Discite à me, quia mitis sum &c. hæc Hieron.

In prologo super Marcum &, sicut in Euangelio sunt hæc quatuor, ità & in veteri lege, quæ omnia ea propter commemorare placuit, quòd tu Euangelium, non vt antiqui doctores, sed pro tuo captu, immò tuo nutu interpretari conatis, quasi & tàm sanctis viris, qui te multis sæculis, & doctrina, & vitæ sanctimonia, ac quod maximum est, spiritu lenitatis præuenerunt, non sit datus Spiritus sapientiæ, & intellectus.

Exue ergo hanc tuam opinionem, qua putas nihil esse recipiendum, nisi quod tu pro tuo sensu, ac libito interpreteris. Præuenere spiritum tuum in interpretandis Euangelijs, ac Pauli epistolis, Ioannes Thessalonicensis, Theophilus Planudas, Theophilactus, Origenes, Chrisostomus, Basilius, Hieronymus, Ambr. August. Greg. ac alij quàm plures, qui omnes in Euangelia scribentes, verbum Dominici longè aliter interpretantur, quàm tu tradere volueris. Illos audiemus, & te cum tuis obsoletis opinionibus, nisi resipueris, deseremus. Sed iterum ad id redeo, vnde digressi sumus, & maximè ad defensionis materiam.

Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 4. sic ait. Si homicidium est hominem occidere, potest tamen occidere aliquando sine peccato. Nam, & miles hostem, & iudex, vel minister eius nocentem, & cui fortè inuito, atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. Idem quoque August. in lib. qu. vet. & no. test. qu. 104. pulchrè declarat cur Christus iusserit parari gladios, prohibuerit tamen occidi, vbi expressè dicit nulli licere excepto iudice, gladio quenquam occidere An putas Paulus reges, ac principes in eo damnarit, cum ad Romanos ità scribat. Dei minister est vindex in iram ei, qui malum operatur. Cum itàque vt Theophilactus illic scribit, laudibus Princeps virtutem extulerit, Dei voluntatem exequitur, cum gladio vtitur, Dei minister est. Cum verò vindex fuerit, virtutis nequitiam insectatur. Plerique enim non Dei magis quàm Principis formidine ducti, sese ad virtutem exercent. Præsul itàque ille, cum animaduertit improbos ob virtutis vindictam, Dei ministerio fungitur. Hinc etiam eumdem Vulgariæ Episcopum credo non errasse, cum dicat tria esse bellorum genera. Primum cum Barbaros impugnamus. Secundum, quod ex priuata quadam inimicitia nobis infertur. Tertium; quod intestinum est, à vitijs aduersum nos excitare. Barbaricum illud Imperatorum industria sedat. Quibus bellantibus à nobis votis, precibus præstanda est opera &c. Sed ad Augustinum redeo, qui Augustinus hanc sententiam Domini per te contrà Pontif. allegatā interpretatur in 22. l. contrà Faustum cap. 79. sic dicens. Certè Manichæi coguntur fateri virtutem illam patientiæ, quàm docet Dominus dicens. [Siquis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi, & sinistram,] posse esse in præparatione cordis, etiam si non exhibeant gestu corporis, & expressione verborum. Quandoquidem Apostolus palma percussus, potiùs Deum rogauit, vt iniurioso homini in futuro sæculo parceretur. In præsenti autem illa iniuria non inulta relinqueretur, qui vel præbuit ferienti alteram partem, aut. vt iterum feriret, admonuit. Tenebat certè interiùs dilectionis affectum, & exteriùs requirebat

correctionis exemplum. Sioe hoc verum sit, siue confictum, cur noluot credere tali animo famulum Dei Moysen idoli fabricatores, & adoratores gladio prostrauisse, cum & in eis verbis satis appareat irà huiusmodi peccato eum veniam deprecatum, vt nisi impetraret, deleri vellet de libro Dei,

Et quid idem ignotus homo palma percussus. Et Deus ex Aegypti seruitute liberans, per diuisum mare traijciens, fluctibus persequentes inimicos operiens, idolo sibi prælato derelictus, ac contemptus. Si autem pœnas ipsas comparemus, quid idem ferre interim, & à feris trucidari: atque laniari; Quandoquidem iudices publicis legibus seruientes, maioris criminis reos bestijs subijci, quàm gladio percuti iubere ? hæc August.

Nec video si quisquam sese defenderit, patientiæ gradus exeedat. Scis Chrysostomum tres gradus perfectionis docuisse, Primus gradus est nequaquam priorem ad lædendum veoire. Secundus, vt non amplius referat, quàm quod à lædente sustinuit, & hìc gradus cum inculpatæ tutelæ moderamine quadrat. Circa hoc moderamen, & illa quidem tria dicuntur, Primum, vt si armis inferatur violentia, & armis repellatur, si sine armis, simili modo repellatur, vt ff. de vi & vi armata lib. 3. §. eum igitur. Sed quæ de iure ciuili armorum appellatione veniant, habentur ff. e. l. 3. §. in præsenti. Secundum, vt incontinenti, flagrante adhuc maleficio, alioquin violentus inuasor appellatur, vt. ff. eo. d. l. 3. §. cum igitur. Tertium, vt ad defensionem, non ad vltionem, vel vindictam, vt ff. ad lib. Aquiliani l. scientiam §. qui cum aliter. quod semper præsumitur sed fieri ad defensionem: si incontinenti fiat: secundùm Iason. vt ff. ad l.aqu. si ex plagis §. tabernarius Hæc si non ex omni parte quadrant, non tamen tam longè ab institutis Euangelicis dissonare videntur, Sed quid opus est multis? Secundum August: is gladio vtitur, qui nulla potestate præditus, vel nulla occasione coactus, & gladium recipit. Et quando Matthæi 5. docemur alteram præbere maxillam, nec ità ad viuum debet intelligi, velut ipse imaginaris. Nam & ipse Dominus alapa percussus, non ait: Ecce altera maxilla, sed ait. Si malè dixi, exprobra de malo, si autem benè, quid me cedis? Et Apostolus Paulus hæc satis nouerat. Ipse cum esset alapa percussus ante Pontificem, non ait, Percute maxillam alteram. Sed percutiat te Dominus paries dealbate, & tu sedes iudicare me secundùm legem, & contrà legem iubes me percuti. Pulchrè ergo contendit toties in hac re pro teste citatus D. Aure. August. in li. de mendacio ad Consentium cap. 15. In hisce requiri dumtaxat cor paratum. Male ergo hoc Euangelij verbum te adaptasse credo, Immò quod est de pallio & tunica, nec huc pertinebat. Si enim ità intellexeris, res demùm cò venirent, quòd nulli pallium, aut tunica remaneret. Et tanta est malitia multorum, vt hominem totidem passus angariare auderent, Quòd demum patitutem in mare prosilire. ac iam triduanum iactum experiri oporteret. Hesychius tamen, ac Ioannes Antiochenus Græci auctores, dum olim in lucem æditi fuerint, quod in breui futurum spero, te, ac sectatores tuos rectè docebunt, quomodo hæc, & alia domini verba debeant, ac possint intelligi. Et tu tanto comitatu nuper veniens, Wormatiam etiam sub saluoconductu nos partim erudijsti vim vi repelli posse: & quòd Euangel. verbi sit intellectus longè alius, propter quod inexcusabilis es, qui iudicas. In quo enim alterū iudicas te ipsum condemnas. Eadem enim agis, qui iudicas, requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium; habentem formam scientiæ, & veritatis in lege, Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis. qui in lege gloriaris per præuaricationem legis, Deum inhonoras. Sed fortè mori vis, non vt martyr, sed vt confessor, tamen sic te propria voce condemnas. Sequere Dominum, noli iudicare, & non iudicaberis. Sed quòd in 23. articulo duo taxanda credis. Primò, quòd secundùm canones subditi superiori obedire non teneantur. Secundò, quòd Pontifici liceat destituere Reges: Primum nullibi in iure reperiri posse puto, scilicèt quòd subditi verò Domino patrre, vel obedire non teneantur. Id me legisse memini; quòd subditi non teneantur obedire violento, hoc est Intruso Domino. Ità Florianus in lib. seruitutes ff. de seruitutibus, & Innoc. cap. in literis de rest. spolia. Nec subditi tenentur obedire iniusto præcepto superioris. Ità doct. in cap: proposuit de concess. præben. Immò est tanta canonum honestas; vt apertissimè dicant non esse obediendum Papæ præcepto, si sapit hæresim. Et in hoc iuris Pontificij decreta cum vtroque testamento rectissimè conueniunt. Numquid non rectè dixit Petrus ac alij Apostoli ad Principem sacerdotum. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, & non immeritò laudantur hi pueri, de quibus apud Danielem, & in Machabæorum libro elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei sanctam, quoniam Rex Antiochus iniustum dederat præceptum. Sed quòd Pontifici potestatem destituendi Regem adimis, hic nescio quò tendas. Apud Inno. cap. finali de super. negli. prælat. ità scriptum esse legitur. Nota causas iustas dandi curatorem regibus, si nesciunt suum regimen defendere; vel in eo iustitiam, & pacem seruare, & maximè religiosis personis, sacris locis, & pauperibus; & etiam, quod plus est, si nesciunt perdita recuperare. Et idem, quod diximus in regibus, seruandum est in ducibus, comitibus, & alijs, qui habent iurisdictionem super alios. Alijs autem priuatis non datur curator, nisi sint furiosi, vel prodigi C. de cur. fur. &c.

Et vlteriùs sequitur. Est hoc ordinarium, quòd curatorem regibus & similibus personis petant subditi, & superior dare tenetur. Et in cap. licet de voto & voti. redempr. Innoc. 3, iustissimam causam habuit, quod regem Vngariæ censuris ad id compelleret, vt patris voluntatem exequeretur. Postremum quòd

quòd si id non fecerit; textus habet. Si dictos Rex sine prole decederet in Regno Vngariæ, scitet minorem fratrem instituendum. Hîc tamen aliud nihil noui statuitur: immò id legibus antiquis erat admissum. Sed responde quæso, an non christianæ reipub. id quadnque plurimum prodesset: si Pontifex Romanus Regem, aut Principem apertam hæresim nutrientem, vel regno, vel ducatu priuare posset? Scis quæ mala fecerit Ecclesiæ Constantius Arrianæ fautor hæreseos, ac Iulianus Christiani iugulator exercitus. Nolo hic recensere eos; quos longo ordine retexit Hieron. scribens ad Heliodorum de regno Apuliæ, quòd Ecclesiæ fæudum esse dicitur, De Romandiola, ac reliquis Ecclesiæ prouinciis, quas Romana Ecclesia, vel à Pipino, vel Ludouico, vel Rodulpho fertur obtinuisse, causa est planè regalis, atque magnifica, in qua pauperem Philosophum non conuenit afferre iudicium. Nouerunt heroes illi Christiani modos, quibus etiam tacentibus nobis, regna diuidere possint, ac debeant. Interim nos cum Diogene discamus oleribus vesci. Vigesimumquartum errorem esse putas, quomodo Pontifex à iuramento absoluat &c.

Dudum nouimus ex Pontificio iure Papam nō posse, nisi in certis casibus tollere iusiurandum. Iuramentum autem, quod contrà bonos mores esset, quis diceret obligare? quis eis & ibi Bartho. C. de. nuptijs, cap. non est obligatorium de re iu. in 6. Adde. Indigna res esset, si iuramentum meum, vel minis extortum quempiam ligaret, iuxta cap. si verò, cap. cùm contingat, de iureiur. Dein iuramentum super peccato mortali committendo, numquam dixeris ligare, iuxtà cap. 2. de pact. in 6. immò quodcumque iuramentum, quod ad illicita reodit, vtroque iure non obligat.

Et credo iuramentum, quod pietatis opus excludit, non valere l. nullum ff. de obsequijs. Iuramentum de non parendo superiori non obligat Barth. in l. finali ff. ad municipa, Omitto hic de iuramento contra propriam testandi voluntatem, contrà Imperatorem, & alijs quibusdam iuramenti speciebus. Quòd si omninò ità contenderis seruanda esse promissa, rum D. Ambrosio dico & sentio, Si quis inhonestum promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere, quod turpe sit. Eapropter Herodes saltatrici præmium turpiter promisit. Crudeliter soluit turpe, quòd regnum pro saltatione promittitur, crudele quòd mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Ex iudicum libro mura considerat Ambr. quæ Iepte Princeps promisit incautè. Et in Isaac habemus exemplum gen. 22. pro quo arietem Deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse Dominus frequenter suā murat sententiā sicut scriptura indicat. Nam & in eo libro, qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & perdere populum, sed postea rogatus à Mose, reconciliatus est populo suo Et iterum ad Moysen, & Aaron ait. Diuidite vos de medio synagogæ, & consumabo eos simul. Quibus discedentibus à cætu Dathan & Abiron, atque Chore. subito impios terra perrupto soluta hiatu absorbuit. Præcellentiùs, & antiquiùs illud exemplum di. filiæ Iepte, quàm illud, quod memorabile habetur apud Philosophos de duobus Pythagoreis, quorum alter cum tyranno Dionisio capitis sententia damnatus esset, prescripto mortis die poposcit, vt domum pergendi ei daretur, quo commendaret suos, at ne reuertendi nutaretur fides, vadem mortis obtulit, ea conditione, vt si ipse deforet, ad constitutum diem, vas eius sibi pro eo moriendum agnosceret. nec qualitatem sponsionis, qui offerebatur, recusauit, constantique animo diem necis præstolabatur. Itáque alter se non subtraxit, alter ad diem redeuit, quod eo fuit vsque mirabile, vt tyrannus eos sibi in amicitiam ascisceret, quorum vrgebat periculum hæc Ambr.

Ex his & alijs, si intrà te redieris, habes Pontificem in nullo iuramento absoluere posse, neque debere, nisi vbi legitimam causam habet, quam etiam gentiles illi Romani non respuissent. Sed cum tàm acres censor Pontificij iuris, cur non intra te redis, qui religiosis duplici iuramento obstrictis, licentiam das, vt ducant vxores, qui tamen volentes renunciarunt matrimonio? Et antea vt plurimùm sacerdotes non id fecerunt, ex ignorantia, vi, vel aliquo metu inducti, sed iam quando plenæ ætatis erant. Non enim in sacerdotes ordinantur, nisi vigesimumquintum annum attigerint. Et quia spontè vadunt, ac liberè tria vota iureiurando promittunt. Quare tu periuros illos facis? oblitus Domini dicentis Matt. 5. dictum est antiquis. Non periurabis. Reddes autem Domino iuramenta tua & vouete, & reddite vota vestra. Et Ecclesiastici cap. 5. Quodcunque voueris, redde. multóque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Et numeri 5. Siquis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. Et miror cur non recorderis librorum, quos Chrysost. aduersus vituperatores vitæ monasticæ conscripsit. Anno, times ex Paulo te quouis infideli deteriorem fieri? Ex Paulo inquam dicente. Siquis autem suorum, & maximè dumesticorum prouidentiam non gerit, fidem abnegauit, & est infideli deterior.

Sed quod ad 25. articulum scribis, Papam etiam ea tollere vota, quæ facta sint Domino. Magna est in hac re iuris prudentia. Votum, quod in prima baptismatis tinctione facere solemus, nullus tollit Pontificum, licentiam peccandi dare non potest, quæ legem Euangelicam attinent, & ipse Papa quotidie seruare iubet. Quòd siqui sub indebito tempore & forsan puerilibus annis votum aliquod emiserit incautè, non solum Pontificis decreto, sed constantissima tua, & propriâ assertione (nisi tui libelli mentiantur, non astringitur. Et numquam ego deprehendi votum esse commutatum, nisi necessitate cogente, aut aliqua honesta vtilitate suadente. Quòd siqui sint, qui Papam super continentiæ voto disponere posse arbitrentur, sicut est apud Innocentium in cap. cum ad monasterium de statu monach. Ego id sentio, vota esse reddenda domino, sicut nos pulchrè docuit Aug. in suo speculo, in libro etiam de

bono

bono viduitatis, nec Pontificem continentiæ votum facilè vnquam cupisse inuenies. Ex Apostolo forsan hoc sciens, quòd sic damnationem haberent, quoniam primam fidem irritam fecerunt. De qua re pulchrè apud Augustinum de adulterinis coniugijs ad Pollentium lib.1. cap.24. Et quamquam diuersa vota in scripturis referantur, Anna quidem vouit Deo fructum ventris sui, & Samuelem consecrauit in templo. Alius quodcumque sibi post victoriam redeunti occurrisset, vouit Deo, & occurrente filia, vota lacrimanda persoluit. Alij vitulos, & arietes, aut domos, & alia huiusmodi ratione carentia vota offerunt Deo. Sed hoc solum votum, quod Nazaræus facit, præ cæteris, & potissimum gratum est Deo. Est autem Nazaræi votum, quo semetipsum vouit Deo. Contrà hoc votum, quod est super omne, non credo dispensauerit Pontifex vllus. Temeraria autem quorumdam vota, quale fecerat Iepte, tollere, nemo iustè damnabit. Sic, & apud iurisconsultos illius testamentum reijcitur, qui post mortem ossa sua proijci volebat in mare.

Quid si quispiam id voueat, quod impossibile fuerit? Numquid non ab hac promissione iuste liberabitur? Nemo enim ad impossibile obligatur, velut vtriusque iuris probat auctoritas. Sed in hoc tibi consentio, & non tàm tibi, quàm Diuo Hieronymo. Graue est multitudini vnus vltrà vires suscipere, dicente Salomone. Laqueus est viri cito quid de suis sanctificare. Cum enim votum fecerit, surrepit pœnitentia. Et quicumque aliquid vouerit, & non impleuerit, voti reus est. Melius est ergo non promittere, quàm promittere, & non facere. Anna obtulit Samuelem, qui in æterna sanctitate permansit. Et Manue obtulit Samson filium, sed sanctificationem capillorum eius Dalidæ libido turpauit. Denique Dominus recessit ab eo & cæcitate damnatus est. Nisi quòd posteà crescentibus capillis, pristinum robur accepit.

Et vt summam rei habeas, sicuti non omnia vota in veteri testamento seruabantur, ità quoque vota in lege nostra rationabiliter mutari, vel relaxari possunt. Mulier enim vt est in numeris, quæ vouerit, & se constrinxerit iuramento, si est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, & cognouerit pater votum, quod pollicita est, & iurauit, opere complebit. Sin autem statim, vt audierit, contradixerit Pater, & vota, & iuramenta eius, irrita erunt. Nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò, quòd contradixerit Pater, si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens, animam eius obligauerit iuramento, quo die audierit vir & non contradixerit voti, rea erit, reddetque quodcumque promisit &c. Vides hic aliqua vota potuisse irritari impunè, etiā. Non ergo mirum fuerit in lege, si circa vota aliqua legitimis causis vrgentibus dispenset Pontifex.

Vigesimum sextum errorem scriptum làicis inculcas, dicens sub tit. de voto, & vo. re. dempt. inueniri Papam suprà Deum esse. Nescio an ipse sis oculatior, quàm ego. Forsan acrisia laboro. Nihil enim vsque tale sub titulo de vot. & vot. redempt. inuenio.

Primus textus Alexandri III. re vera honestissima statuit, vt in votis commutandis ab eius, qui præsidet, pendeat arbitrio, vt consideret diligentiùs qualitatem personæ, & causam commutationis, an ex infirmitate, seu affluentia diuitiarum, an alia causa probabili peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & Domino magis accepta, & secundùm hoc debet exindè dispensare. Et Innoc. adeò vota soluenda statuit, vt dictum Prophetæ Psalm.75. immò hoc Euangelij dictum. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei. Citarit & re vera ex hoc titulo, numquam rectè induces alicubi inueniri Papam esse suprà Deum. Quare aperi os tuum, & decerne, quod iustum est, & à tumultu custodi claustra oris tui. Nunquam persuadebis, vt credam, ab aliquo Pontifice vel dictum, vel scriptum, In matrimonio constitutum Deo seruire non posse. Quo quasi coniugium per id quisquam damnauerit. Ego quicquid tu dixeris, infrà monstrabo propter hunc errorem ante mille annos à Pontifice propter ea synodum indictam, ac celebratam. Et quis tam insanus esset Orestes, qui hoc diceret? Vnde, & si tempore Gangrensis Concilij inueni sint hæretici quidam nuptiarum accusatores, docentes quod nullus in coniugali positus gradu, spem haberet apud Dominum.

Vnde quoque factum est, vt multæ mulieres seductæ, relictis proprijs viris, & viri vxoribus destituti, cum iam continere non possent, adulterium commiserunt, hi tamen iusto iudicio patrum damnari fuerunt. Addo quòd hic contrà te inuenio Pontifices mirùm immodum laudasse coniugia. Et Innocentius pulcherrimè probat nuptiarū copulam, quia Dei mandato perficitur, non posse dici peccatum, & quòd matrimonium sit constitutum à Deo, vt est Matth.19. Sed quòd viduas, ac virgines Deo dicatas à lege thori in iure prohiberi comperimus, non est decretum solius Pontificis. Sed hae de re statutum est in 3. Carthaginensi Concilio, in Concilio Toletano 4. in Concilio Martini, in Concilio Triburiensi, in Concilio Aurelianensi, in Concilio Chalcedonensi, in synodo Anchiritana.

Et tu non legisti, quæ de velandis virginibus Ecclesiæ primitiuæ Doctores tradidere nobis, maximè Tertullianus, qui pulcherrimum super hac re edidit librum. Et quòd Pontifices, sanctique Patres statuerunt hoc, & Ecclesiæ Doctoribus mirum in modum placuit. Proculdubio nouerunt illi Pontifices quid Augustinus in lib. de bono coniugali scripserit, nouerunt, & quàm durè reprehenduntur hi, qui matrimonio detrahunt, vt est in libro de sancta virginitate cap.17. Et multi sunt textus in decreto ex iam dictis Augustini libris desumpti, qui profectò multis præconijs coniugia laudant.

Quòd si quidam prohibentur à sacris suscipiendis ordinibus, hoc fit ne priora vota fint cassa, & aut ne bigamus contrà verbum Apostoli ministret ad aras. Vtcumque tamen pulchrum est digito monstrare, & dicere, hic est.

est. Numquam id in iure scriptum inuenies? quare te hanc rem effinxisse dico.

Proponis dein misero popello Papam suas leges facere euangelio pares. Memini scripsisse Gregorium cap. erit autem 15. dist. Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Loquitur autem de Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi Concilijs. Hoc Gregorij dictum non tàm horrendum esse existimo, quemadmodum, & tu tibi persuades. Lucere in his patrum conuentibus viri optimi totius fidei lucernę, quibus Diuus Gregorius ex pietate non paruam tribuit auctoritatem. Sed quod asseris per omnia Papam suas leges euangelio pares facere, ceterum non habeo, nec inuenio quod vllibi fecerit, aut statuerit quicquam euangelio contrarium. Tamen si quid statuit, quod euangelicæ traditioni non contraluctabatur, dic qui tam nasutus es, vbi prohibeat illi Christus, quod si itidem Ecclesia fecit, calumniari non potes, neque debebis. Quod nos dicimus, ex euangelio habemus. Quod to prohibes, super harenam ædificatum est. Sed hoc in alio loco commodius. Hic proponis quod inueniri non potest, quòd si iterum digito certum locum monstraueris, quod Persio teste sat pulchrum fuerit, etiam respondere non grauabimur. Sed adhuc duo supersunt articuli, quos in vnum redigam, & maximè circa sacræ scripturæ auctoritatem, & interpretationem. Numquam inuenies ex Romano Pontifice quemquam illis contradixisse, quæ Diuus Aurel. Augustinus toto libro de Christiana doctrina post se scripta reliquit. Et tu velis nolis fateri cogeris, quòd Pontifices Hieronymi, & reliquorum patrum scripta sic exosculantur, vt apud hos grandem iniuriam is fecerit, qui contrà nitatur. Testatur hoc Gelasius Papa, testantur, & alij. Ee vndè fieri putas, quòd Euangelium Thadei, Thomæ, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, Nicomedi, & alij quamplurimi libri pro apochriphis habeantur. Numquid non sancti Patres, & maximè Romani Pontifices iusto iudicio non receperunt? Diu Rom. fides Apostolo prædicante laudata est. Nec veritus est dicere Cyprianus, ac ingenuè profiteri, quòd ad Romanos perfidia non possit habere accessum.

Quid quòd teste eodē Cypriano Romana Eccles. Ecclesiæ Catholicæ matrix, ac radix dici meretur? Et Hieronymus hanc domum esse dicit. Quicumque extrà eam agnum comederit, prophanus fit, immò si quis in hac arca non fuerit, peribit, regnante diluuio. Et idem Hieronymus inquit. Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Sed in te non parum miror, quòd in præluforia assertione tuorum articulorum sanctis Patribus tam parum tribuis, & quòd solo tuo sensu credis interpretari posse scripturam. Si nihil obscuri, nihil ambigui diuina scriptura habet, cur Origenes, cur Cyprianus in tot errores labuntur? Cur tot hæreses pullularunt, & exorræ sunt? Cur Oriens, & Occidens propter vnum, & alterum verbum à sese recesserunt? Cur tanta dissensio patrum super Arriana hæresi, propter quam etiam eiecti sunt Episcopi non pauci? Si clara erant omnia, quid toties celebrata Concilia? Si cuilibet liceret suo sensu iudicare, nihil erit, quòd Nicœna synodus hæresim damnauit Arrianam.

Reuocabitur Eunomij Macedonij error in Constantinopolitano Concilio damnatus, Reuiuiscet impietas Nestorij, Ephesi damnata, & Euthichetis, & Dioscori prauitas, in Chalcedonensi Concilio detecta, iterum totum turbabit orbem. Comburemus opera Tertulliani, Hirenei, ac aliorum, qui de hæresibus disseruere non pauca. Sed non sic itopij, non sic.

Id concusse seruemus, quod est apud Augustinum 15. de ciuit. Dei cap. 23. quòd scripturas has seruemus tamquam canonicas, quas nobis Sancti Patres dederunt, quæ & ad nos certissima, & notissima successione venerunt. Sicuti discipulis euntibus in Emaus Dominus oculos apetuit, vt intelligerent scripturas, Itá proculdubio Sanctissimi Patres hanc à Domino gratiam meruerunt, vt potuerint intelligere scripturam. Alioquin si à mille & plutibus annis Ecclesia erraset, vbi stabit, Spiritus Sanctus docebit vos, & suggeret omnia? Et iterum, Vobiscum sum vsq; ad consumationem sæculi? Et quamquam id verum sit, quod ex Apostolo citas, si alij reuelatum fuerit, prior taceat, & fieri posse, vt puer aliquis reuelationem habeat, quam alius perfectæ ætatis non mereatur. Vnde Christus laudis confessione dicit. Confiteor tibi Domine pater cœli, & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Scio, & motis esse sapientum, vt dictis aliquando minorum auscultent. Vnde audiuit Moses socerum multò inferiorem, & sublimior, & sapientior redditus est. Sed numquam ego crediderim veram scripturæ reuelationem totidem Sanctis Patribus esse negatam, immo reuelante Spiritu Sancto, hunc thesaurum in agro absconditum dudum effoderint. Scis quid Salomon dixerit? Ne innitetis tuæ prudentiæ. Innititur autem suæ prudentiæ, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, patrum decretis proponit. Et iterum, Ne sis sapiens apud te ipsum.

Est autem sapiens in semetipso, iterum declarante Hieronymo, qui in illis, quæ ex patrum magisterio potuit rectè cognoscere sese præ cæteris, quasi doctior extollit. Et Esaiæ 5. dicitur. Ve qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Paulus quoque ad Galatas 6. Si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit. Et ad Corint. Qui se existimat stare, videat ne cadat. Malo ergo millenarijs assentire auctoribus, quàm doctrinis varijs, & peregrinis abduci. Et suprà ostendi non facile discrepandum à Concilio, ac consensu Patrum.

Id me pulchrè docet Hieronymus. Paulinæ scribens, postquam sacræ scripturæ libros commemorauit, humiliter ait, Non sum tam petulans, & hebes, vt hoc me nosse pollicéar, & eorum fructus capere, quorum radices in cœlo sunt. Sed velle fateor sedenti me proferor magistrum renuens, comitem spondeo. Sed, & anteà citaui illud Socraticum. Hoc

Hoc vnum scio, quòd nescio hunc Hieronymum, ac reliquos patres ità scripturas fuisse scrutatos credo, vt ante multos annos in cellam vinariam secretioris intelligentiæ, immò intrà interius atrium, ac sancta sanctorum ingredi meruerint. Hos doctrinam sanctam locutos, ac docuisse firmissimè credam. Sed quòd tu noua dogmata tradis, quibus multos prurientes auribus aucuparis, non est quo moueat. Nempè vt Hieronymus aduersùs Luciferi. habet. Simplices animæ facilè decipiuntur. Addo, quòd vulgi iudicium seditiosum, & promiscuum est. Vnde idem Hieronymus ad Nepotianum scribit. Caue ne hominum rumusculos aucuperis, ne offensam Dei populorum laude conuoces. Si adhuc (inquit Apostolus) hominibus placerem, Christi seruus non essem. Desijt placere hominibus, & seruus factus est Christi. Et idem in eadem epistola nihil tàm facilè, quàm vilem plebeculam, & indoctum quemque linguæ volubilitate decipere, qui quicquid non intelligit, plus miratur. M.Tullius in oratione pro QuintoGallo de fauore vulgi pulcherrima tradit, quæ breuitatis causa omitto. Sed ad hoc sat congrue illud Naum aptari potest, Congregare vt brucus, multiplicare, vt locusta, plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cœli, brucus expansus est, & euolauit, custodes tui, quasi locustæ locustarum quæ considunt in sepibus in die frigoris, sol ortus est, & auolauerunt, & non est cognitus locus earum vbi fuerint.

Et rectè ad hoc Hieremiæ verba dicuntur. Dixerunt enim Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & Prophetas. Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos.

Hieronymus ait. Citò vulgus indoctum accepta ratione mutat sententiam. Et alibi. Populi fauor stultus est iudex. Proin Hieronymus populi multitudinem bruco comparat, qui totus est deditus terræ, sententiæ leuitate huc, atque illuc discurrit, & ad sublimiora auolare non potest. Meminit, & mixticij attelabi.

Et re vera bruchi, atque mixticij pulchra est cōparatio. Mixticios eos esse credit, qui videntur sibi iuxtà opinionem suā aliqua sequi dogmata veritatis, & in eo meliores esse brucho, quòd bruchus nihil aliud faciat, nisi semper in terra sit, & absque alis cibo, & vento feruiat.

Attelabus autem saltem modicas assumit alas, & cum in altum volare non possit, tamen de terra exilire nitatur, & tandem perueniens in locustam, volitat quidem, sed non est perpetuus volatus eius, deficientibus enim penniculis, & contractis frigore, etiam locusta considet, & considet non in frugifera arbore, sed in sepe, sentibus virgultis contexta, immò in maceeie fortuitu hinc inde lapide composita. Vide ne tu brucorum, & mixticiorum olim primus auctor esse dicaris.

Ego itaque sigillatim obiter tuis respondere calumnijs volui. Breuius id facere fortè potuissèm, tamen id non admittebat tuorum stropha verborum Vtcumque tamen nisi sim quouis cœco cœcior. Hæc est summa totius tuæ tragœdiæ, vt Pontificem non tantum è sede deijcias, sed, & iugules, & sacerdotes ipsos Dei ministros non tantùm in æneum bouem mugientem velut alter Phalaris reijcias, sed vt lanientur, & misertimè trucidentur, ac confodiantur. Et miror sub quo preceptore hoc ipse didiceris, qui Pontificem Romanum appelles Antichristum, Iudam quendam tyrannum, Luciferum, ac ipsissimum Sathanam toties voces. Non te hoc Christus docuit. Nec est hæc quidem Paulina modestia. Non legisti, quod scriptum est Leuit. 20. de sacerdote etiam minori, vbi nos habemus. Sit ergo sanctus, quia ego sanctus sum, habetur *Kados Iebeieb lac bi Kādos anī Iehoua* sanctus sit tibi, hoc est, hunc pro sancto venerare. Id Iudæi ità obseruant, vt apud mensam sacerdos primus sedeat, superiorem locum obtineat, & in summa cæteros omnes præcedat.

Tu vero nobis sacerdotem in infimum, & sordidissimum locum, quasi in latrinam aliquam reijcis, atque retrudis. Sed & hanc tuam horreo sententiam, qua omnes Episcopos, omnes presbyteros idololatras vocas. Si nos hæreticos dixisses, mansissemus forsan in fide, aut aberrantes facilè cum prodigo filio reuerteremur. Sed quod nos idolorum cultores tàm liberè proclamas, hoc est quod merito dolemus.

Possemus hìc multa contrà te in medium afferre, sed Galileus es, & loquela tua te manifestum facit. Quale vas es, tale sonum præbes. Vt non corruat quod sapiens ille granis ait. Homines, & vasa pari modo probantur. At ne scurrarum, aut blateronum officia agere, ac tuam immodestiam imitari videamur, missa facio. Velim tamen intereà consideres, quòd Pontificibus, & sacerdotibus non solùm apud Christianos, sed etiam tàm apud Gentiles, quàm apud Iudæos, tam ingens honor, & tanta reuerentia fuerit exhibita Si quidem in Meroe, vel Strabo lib. 17. testatur, olim primum ordinem sacerdotes obtinebant, qui tantam auctoritatem etiam habebant, vt nonnunquam misso nuncio, mortem regi imperarent, & pro eo alium faciebant. Quin, & idem Strabo memoriæ prodidit, quòd Regem Ponticorum tempore diebus festis, qui Dianæ facti erant, sacerdos Comanorum diadema regium gestarit; & secundum regem honori sit habitus. Comena autem vrbs imperio eius suberat, cum sacris seruis, qui & Hierodoli dicebantur, immò non pauciores sex millibus, in quos omnimodam potestatem habebat, præterquam vendendi. Vides, vt sæpe probaui, apud Gentiles Pontificum, ac sacerdotum genus in magna veneratione fuisse. Et tu cur sacerdotium hoc sacrosanctum vellicas, inuisum reddis, deijcis, & aspernaris? Numquid non Dominus, ac Paulus Pontifices in honore habuerunt? An tu maior es Paulo, qui Pontificem etiam iniuriantem honorauit mirifice? Caue caue ergo sic ordinare Pontifices, ac sacerdotes, vt quilibet prophanus sacrum Domini contrectet. Sed in libro meo de sacris temerè non inuulgandis in breui intelliges, quàm indignè, & hanc rem perpetraris, atq; docueris.

Sic itaque minutula hæc, vt semel finiam contrà tua afferre placuit, non quòd aliquid

me effeciffe credam. Minima sunt etenim, & elementaria, quæ in aduersum dixi. Sed vt haberes quendam scarabeum, qui hanc iniuriam, quam impudenti calamo inri pontificio impingis, vindicaret. Redeo vnde digressus sum in libello tuo, in quo non modò cathedram Petri, immò, & Romanum Pontificem insequeris. Ità subinfers.

CAP. XXXVII.

Damnat Lutherus Leonem Quartum dist. 20. c. de libellis quod humana statuta Euangelio æquat, cui respondet Faber optimè loquutum.

LVTHERVS.

Secundus est. Leo Quartus dist. 20. cap. de libellis dicens. Quam ob causam luculentius, & magna voce pronunciare non timeo, quia qui illa, quæ diximus sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur, siue sit Episcopus, siue clericus, siue laicus, non indifferenter recipere conuincitur, nec Catholicam, nec Apostolicam fidem, nec quatuor Euangelia, vt licet, & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur. Verè nimis nihil times mi Leo pronunciare audens humana statuta euangelijs æquare, & audacter satis affirmas, ijs, non seruatis, nec fidem catholicam seruari, si de contemptoribus ijs, qui sub te sunt, diceres, rectè diceres, nunc contrà quod mores, & fidem, traditiones cum euangelio, verbum hominum, cum verbo Dei confundis. Nonne homo es? Quis ferat, vt euangelium, & fidem seruare non putetur, qui sub statutis illis non fuerit? Tu cum tuis serua statuta, & canonea. Illis, qui sunt in oriente, alia sunt statuta, sed idem euagelium.

FABER.

Nemo vnquam dubitauit Euangelium non esse quibusuis scripturis præferendum. vude ad Galat. 1. Licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis aliud, præterquàm quod euangelizamus vobis, anathema sit, de quo 1. Pet. 1. verè dicitur, Verbum Domini manet in æternum, & alibi. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Ab hoc Euangelio cum Augustino lib. 3. contra Academicos cap. 20. dico non licet discedere uobis. Non enim auctoritas reperitur valentior; immò lex ipsa ad comparationem euangelicæ puritatis immunditia nominatur. Quod pulchrè nobis ostendit Hieron. in Esaiæ cap. 64. Et, vt Hirenæi verbis vtar, in 3. lib. capit. 8. Sicut quatuor sunt Regiones Mundi, in quo sumus, ità quatuor principales spiritus, & deseminata est Ecclesia super omnem terram. Columna autem, & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium, spiritus vitæ consequens est quatuor habere iam columnas vndique flantes incorruptibilitatem, & viuificantes homines. Hæc Hirenæus.

Le Euangelij tanta maiestas est, Hieron. teste in Ezech. cap. 1. quòd in eo nihil est, quod non luceat, & splendore suo illuminet, vt etiam quæ parua putantur, & vilia, Spiritus sancti fulgeant maiestate. Sed quid peccaret Ecclesia, si quædam decreta statueret, perinde vt Euangelia seruari? Scis quid scriptum sit ad Galat. 1. Notum facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Numquid non ibi Hieronymum vidisti loquentem eos esse Deos, qui tradunt Dei Euangelium, & non hominis, & qui loquuntur ex Spiritu sancto? Quòd si Patres in Spiritu sancto congregati quædam statuerunt, seruanda perpetuò crederem, dicerem quoque eos non ab homine, sed reuelatione Spiritus sancti statuisse, & qui temerè contraluctaretur, is nec Catholicam fidem, nec sancta quatuor Euangelia credere probaretur. Quod enim statuissent, ex eo, quod dicitur. Si duo, aut tres fuerint in nomine meo congregati, ego in medio illorum ero, ex Spiritu sancto statuisse credendum est. Et non esset hoc statutum ipsorum Patrum dumtaxàt, sed & Dei. Sic Paulus suum alibi dicit Euangelium. Sed idem aliàs appellat Euangelium Dei, & Euangelium Iesu Christi Dei, velut Auctoris Christi, quòd is primus prædicauerit auctor & ipse. Pauli verò, qui muneris huius functionem à Christo delegatam susceperit. Quemadmodum idem & cæteris Apostolis prædicandi, baptizandique vices mandauit, vt irent inOrbem vniuersum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c.

Quòd si quodam rancore permotus hic Leonem Quartum, perinde vt Leonem Primum humana passum asseueraueris, audi quò tendam. Credis hic absque discrimine, & sine iudicio Leonem esse locutum? Tuam doctrinam secutus, antecedentia, atque sequentia videre oportet. Sed præcedunt illa. De libellis, inquit Leo, & commentarijs aliorum non conuenit aliquos iudicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel decretalium regulas, quæ habentur apud nos, simul cum Canonibus, quibus in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudicijs, idest Apostolorum Nicænorum, Anchiritanorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, & cum illis regulæ Præsulum Romanorum Siluestri, Ciricij Innocentij, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Hilarij, Hormisdæ, & Gregorij iunioris. Isti omninò sunt, & per quos Episcopi simul, & clerici iudicantur.

Namque si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè possit per istos finiri, tunc illorum, quorum meministis, dicta Hieron. August. Isidor. vel cæterorum similiter sanctorum Doctorum similium scripta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referatur. De talibus hæc verba prius ponere debebas, & dedisset fortè Dominus spiritum sapientiæ, & intellectus. Sed quid

hic

hic Leonem Quartum accusas? Platinam consule, & Leonem hunc fuisse virum inuenies probum, doctum, & sanctum, qui etiam miraculis claruit. Is, quas scripturas, quæ decreta, quos Canones iusserit imitari, tota non manca illius textus series expressit, & non eam finis spectandus, quàm caput. Nec reijciendum puto, si quod in Euangelio non tam clarè deprehenditur, immò in dubium versum fuerit, ac in Concilijs decisum, aut à sacris Doctoribus definitum, citetur. Hoc Hieronymum de Nicænæ Synodo, Ioannem Damascenum de Synodo Chalcedonensi, ac reliquos Doctores de reliquis Concilijs fecisse notissimum est. Addo communem obseruationem Ecclesiæ, ac communem Theologorum scholam, quæ sacrorum Conciliorum Canones, ac quorumdam Patrum scripta inconcussè seruare solent. Addo, quod dicit August. Euangelium non crederem, nisi &c.

CAP. XXXVIII.

Arguitur dist. 21. cap. Clero, quod Acolythos, aliosque ordines ignarissimè describat, & dicat Pontificem Maximum efficere Sacerdotes, & Leuitas, sed egregiè demonstrat Faber optimè dici Summum Pontificem.

LVTHERVS.

Tertius dist. 21. cap. Clero. Quod Capitulum ego numquam credo ab aliquo Romano Pontifice constitutum. Sed videtur Isidori commentum esse, qui Metropolim mensuram ciuitatis, & Acolythum ceroferarium, aliosque gradus egregia inscitia describit, & inuenit tamen auctoritatem. Pontifex inquit, Princeps sacerdotum est, vel esse dicitur, quia via sequentum. Ipse enim summus Sacerdos, ipse Pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes, & Leuitas, ipse ordines ecclesiasticos disponit, ipse quod vnusquisque facere debet, disponit. Antea autem Pontifices, & Reges erant. Nam maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Sacerdos, & Pontifex, vnde & Pontifices Romani Imperatores appellantur.

FABER.

Nunc textum Isidori esse non nego, non illius Isidori, cuius toties meminit Hieron. ad Pamachium scribens, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, sed illius Isidori forsan est textus, quem Hispalensem Episcopum fuisse legimus, qui & de summo bono librum quoque etymologiarum scripsisse perhibetur. Textus ille, quem citas, ponitur in lib. 7. etymolog. cap. 12. Scio & errorem boni illius viri, quem in verbo Metropolis, & in verbo Acolythus, reliquis quoque commisit. Sed numquid non apud Maronem legisti. Dicite Pierides, non omnia possumus omnes, & apud Horat. Nihil est ex omni parte beatum. Fac misericordiam cum proximo tuo, ne iuxta Parabolam Euangelicam in carcerem te mittat is, qui tecum misericordiam fecit. In quatuor annis quoties tuam mutasti sententiam? Cur contraria toties dixisti? Et iam plusquam in trecentis ego, qui sum infimæ notæ, & qui humi serpo, à te dissentire cogor. Ego inquam, qui me spectaculum, & tibi, ac tuis momis, prædicere mihi spiritu, futurum video, quòd si tu magister in Israel, ac theodidactus primarius toties errasse deprehenderis, non mirum fuerit, si Isidorus errarit. Quare ad manticam Persij, seu potiùs ad sestucam Euangelij remittendus es. Sed ad Pontifices venio. Scis eos, vt T. Liuius habet in 10. à Numa Pompilio primo creatos. Creauit enim is Marcium Martij filium, & dicti fuere Pontifices, teste Plutarcho, quoniam deosculunt potentiæ illorum, ac omnium Dominos.

Alij verò inquiunt nomen effictum esse ad potentum profligationem, tamquam iubente legum latore, sacerdotes obire potentia sacra. Si verò quid maioris impedimenti fuerit, crimini ille haud opponente. Alij verò plurimi, quod in hominibus rideri solet, maximè autumant, atque confirmant, vt nihil aliud Pontifices, quam à Pontibus faciundis esse vocitatos, aut, vt placuit Q. Mutio Sceuolæ, à posse, & facere. Varro verò à Ponte, & facio potiùs appellatos putat, eò quod ab ijs primum Pons Sublitius factus, & sæpè restitutus esse perhibetur. Et vt Fenestellæ de Rom. Magistratibus verbis vtar, fuerunt ab initio quatuor Pont. Postquam verò maximorum quorumcumque hominum partem plebs tribunitijs rogationibus obtinuit, ad sacerdotia quoque sacra, sanctosque penates patere sibi aditum voluit, quatuor alios ex plebe Pontifices creari placuit M. Valerio, & Q. Apulcio Coss. Omnibus vnus præfectus fuerat à Numa Pompilio, isque Pontifex maximus appellabatur. Quòd si apud Romanos Gentiles is Pontifex maximus dicebatur, cur in sancto sacerdotio Pontificem hunc maximum dici, vocarique non permittis? cùm tamen sit supremus, & summus Ecclesiæ Pastor?

Numquid non & Aaron in veteri lege Pontifex dictus est, & maximus, atque supremus. Et Iudæi sacerdotem suum *boben gedol* magnum sacerdotem vocant. Et tu licèt hunc Pontificem Sathanam, Antichristumque voces, Iudæi tamen maiori hunc dignantur appellare vocabulo. Vocant enim hunc *apipod*, hoc est Papam. Sed forsan hoc tibi displicet, quod Isidorus habet, Pontifices etiam dictos esse Reges, & quòd Pontifices Romani dicti fuerunt Imperatores. Numquid non Numa Pompilius Rex eratquem aiune vnum & primum ex Pontificibus extitisse, teste Plutarcho, & Cæsarem pontificarum petentem eodem Plutarcho auctore, cùm mater ad fores lacrymis prosequeretur, eam complexatus, dixisse fertur. Mater hodie aut Pontificem, aut exulem tuum videbis filium. Et apud Maron. 3. Æneid. Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos dicitur. Vbi Seruius scribit apud maiores Regem, & Sacerdotem, & Pontificem fuisse, sicque hodie Imperatores Pontifices dicimus.

In veteri quoque lege de Ramatbann legitur

gitur, & interpretatur duo excelsa, & hæc duo excelsa duæ intelliguntur tribus, regalis videlicet, & sacerdotalis. Et olim Melchisedech, quem Hieron. aduersus Iouin. Sadoch vocat, Rex fuit Salem, fuitque Sacerdos, & in similitudinem eius Christum, & Regem, & Pontificem dicere solemus, qui & verè Sacerdos est magnus, vt probat Hieron. in Zach. cap. 3. Cùm supremus sit Pastor, vt habet Orig. immò, vt est apud Paulum, Christus assistens Pontifex, &c. Et habemus Pontificem, qui possit compati infirmitatibus hominum. Non igitur quod Isidorus scribit tam licenter ex Canonibus, quos tu, cùm tibi sit *eleytheron stoma*, canes vocas, delendum erat.

CAP. XXXIX.

Arguit Lutherus ex dist. 99. cap. 1. Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, sed ex Canonibus retunditur, & Patribus.

LVTHERVS.

NVnc diuinatorem contemptum prætermisissem eum erroribus suis, nisi viderem hinc sumi hodie à nonnullis, quòd Papam, Imperatorem maximum Pontificem iactant. Ideò non inter Canones, sed inter canes hunc deputo. Et ne id sine iudicio faciam, opponam ei contraria decreta, quæ simul sententiam nostram iuuabunt. Dicitur enim di. stinct. 99. cap. 1. Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus, & sequitur. Vniuersalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.

Hic ego in iudicium voco ipsos Canones, & Canonistas. Doceant me quæso, quid hic dicam? Iste Canon probatus est. Sed vide, quantò maiora crimina committant in summum Pontificem, quàm ego vnquam ausus essem cogitare.

Primò non solùm frigidos asserit, sed & negat, & prohibet, ac damnat eos Canones, & Canonistas, quia Romanum Pontificem Principem, Caput, summum, maximumque appellant. Deinde primatum ei auferens, penitùs eum reliquis primarum Sedium Episcopis, & Patriarchis æquat. Vbi sunt ergo, qui me noua posuisse garriunt? quia frigidissima decreta dixi superiora, & credo modo inique. Nam hic canon Concilij Aphricani eò plus illis præferendus est, quò longiùs ab ambitione recedat, & euangelicam modestiam sapit. Qui ergo me hæreticum accusant, obsecro parcant saltem huic canoni, si mihi noluit parcere. Ego omnia admisi quæcumque Romano Pontifici hodie tribuuntur, rem non nego, facto non contradico, sed de iure eius disputo, & sentio, quòd non iure diuino, sed decretis hominum talia tribuantur. Quid ampliùs faciendum mihi est? Ec non solùm debeo factum confiteri, sed etiam men-daciis, & corruptionibus scripturæ idem stabilire? absit. Igitur damnet quantum volunt, hic habeo canonem, qui damnat Romanum Pontificem vniuersalem Pontificem vocari. Quod ego tamen numquam damnaui. Sed addamus plura.

FABER.

Credis hic re velut alterum Herculem, Antæum vicisse, nec in posterum Romanum Pontificem summum principem, caput maximum appellari posse. Sed mi Luthere legisti ne vnquam Erasmi nostri dedicatoriam epistolam noui testamenti ad Leonem, eius verba sunt hæc. Leoni decimo Pontifici omnibus modis summo, Erasmus Roterodamus Theologorum infimus, hæc salutationis verba sunt. Cæterum sic exorditur. Inter tot egregia decora Leo decime Pontifex maximè. Credis hic Erasmum errasse? Sed quid si ex ore tuo proprio te iudicarem? Numquid non resolutiones tuas Leoni decimo dedicasti? Hunc ità salutas. Beatissimo patri Leoni decimo Pontifici maximo Frater Martinus Lutherus Augustinianus æternam salutem.

Cæterum in eadem epistola tu Romanum Pontificem beatissimum, ac summum, plus semel vocas. Quòd si tu, qui agis Aristarchum seculi nostri tantis nominibus Pontificem appellas, cur hoc tu inquo culpandus es, tam vehementer explodis. Quòd si forsan hanc mutationem dixeris dextræ excelsi, te forsan quoque pœnituisse ejames, responde. An non à multis sæculis ad Pontificem is scribendi modus fuerit? sæpè ostendimus, atque probauimus Petrum vocari Principem, & caput Apostolorum. Immò Gregorius ille Magnus Petrum in canticis, ac in pastorali vocat summum pastorem. Quòd si hoc Petro conueniebat, & cæteris illius successoribus, ergo reliquis Episcopis fortè conuenire poterit, & hoc Petrus post se partim reliquit. Nam in vita Petri Platina scribit Petrum Clementem Episcopum consecrasse, eique cathedram & Ecclesiam Dei commendasse his verbis. Eamdem ego tibi potestatem ligandi, & soluendi trado, quam mihi Christus reliquit. Et sicut Petrus summus fuit Apostolorum, ità & Romanum Pontificem summum dicere possumus, quamquam Hieronymus in præfatione quatuor Euang. scribens, Damasum, summum sacerdotem, non summum Pontificem vocet. Et aduersùs Lucifer. dum de Episcopis loquitur, ità subinfert. Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet.

Et quamquam Erasmus in scholijs epistolæ ad Innocentium sæpius dicta notarit Pontificem apud veteres non appellari summum, sed Romanum, tamen non dedignatur idem Romanum summum vocare in annotationibus, 2. epistolæ ad Corinth. immò ad Leonem scribit, vt audis, modis omnibus summo. Et sic leuit. 21. Pontifex dicitur magnus. Cur verò maximus vocetur, supra docuimus. Sed quod beatissimus dicitur, non est nouum vocabulum. Sic enim scribit Hieron. ad Damasum, August. ad Bonifacium, Et Erasmus in institutione Principis christiani mitum in modum probat morem, quo

Ro-

Romanum Pontificem sanctissimi titulo honorant. Dum enim hoc audit, assiduè commouetur quid ab illo præstari oporteat, & quid in illo sit pulcherrimum, non si ditissimus sit, aut latissimè imperet, sed si sanctimonia præcellat. Et Galliarum Episcopi Rauennius, Rusticus, Venerius, ac alij sic scribunt. Domino verè sancto merito in Christo beatissimo, & Apostolico honore venerando Papæ Leoni, & sequitur. Perlata ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad orientem pro catholica fidei assertione misistis &c. Et Ægypriorum Episcopi ità scripserunt, Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romanæ, & Apostolicę Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi &c. Scripta sunt hæc circiter annum Domini 336.

Et Orientales Episcopi sic scribunt ad Iulium Papam, Domino beatissimo, & honorabili patri Iulio Apostolicæ sedis venerabili Episcopo, Eusebius, Theoginus, Theodorus, & Berinthus vna cum reliquis fratribus, & Coepiscopis nostris in Antiochia constitutis. Et sic Athanasius cum suis Episcopis iterum scribit, Domino beatissimo, & honorabili sancto patri Liberio Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi in vnum synodicè apud Alexandriam congregati. Et iterum. Domino ter beatissimo, & honorabili sancto patri Felici sanctæ sedis Apostolicæ vrbis Romæ Papæ, vniuersi Ægyptiorum Thebaidum, & Libyorum Episcopi in sancta Alexandrina synodo congregati. Sed & Hilarius in 6. de Trinitate sic ait. Tu ipse beatissime Papa media in Ecclesia, & in consessu frequenter eos, qui talia introducunt, tenuisti. Et iterum idem Hilarius libro de synodis. Dominis, & beatissimis fratribus, & Episcopis prouinciæ Germaniæ primæ, Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ secundæ, & Lugdunensi primæ, Lugdunensi secundæ, & prouinciæ Aquitaniæ, & prouinciæ Nouæ Populanæ, & ex Narbonensi plebibus, & clericis Tolossanis, & Britanniarum Episcopis, Hilarius seruus Christi in Deo, & Domino nostro salutem.

Et Synodus habita in ciuitate Arelato temporibus Constantini Imperatoris, eo tempore, quo etiam Nicænum Concilium habitum est, & sic ad Syluestrum sese insinuat, Domino & sanctissimo Syluestro Episcopo, cætus Episcoporum, qui adunati fuerant in oppido Arelaten. quid decreuerimus communi Concilio, charitati tuæ significamus, vt omnes sciant, quid futurum obseruare debeant. Et apud Augustinum in epistola liminari super diuersis quæstionibus ad Simplicianum, Domino beatissimo inenarrabiliter syncerissima charitate amplectendo patri Simpliciano, Augustinus in Domino salutem. Sed quis erat Simplicianus? certè, eodem August. teste, fuit Ecclesiæ Mediolanensis antistes, qui beatissimo successit Ambrosio. Et hunc Augustinus beatissimum vocat.

Vides itaque ex ijs omnibus beatissimus, sanctissimus & alia id genus epitheta non esse vnius anni, immò nec sæculi. Vixerunt etenim Marcus, Iulius, Liberius, ac Felix secundus longè ante annum ab orbe redempto quadringentesimum. Et in antiquissimo libello græco inueni quomodo veteres illi Græci scripserint ad Papam Romanum, patriarchas Archiepiscopos, & Episcopos. Et inueni Archiepiscopum Constantinopolitanum in vsu habuisse, vt patriarchæ scripserit, *to agiotato cal macariatato*, & alij patriarchæ, scripserint illi, *panagiotato* Metropolitæ, *to panierotato cal to timiotato*. Et è græco in latinum ad Alexandriæ patriarcham ità suprascriptio sonat, Sanctissimo Domino Papæ, & patriarchæ Alexandriæ, & totius Ægypti Penthapolis, Libyæ, & Æthiopiæ patri semper desideratissimo *cal sylleitoyrgo*, idest comministro. Ad Antiochiæ patriarcham ità scribebatur, Sanctissimo Domino patriarchæ magnæ Antiochiæ, & Orientis. Et ad Hierosolymorum patriarcham, Sanctissimo Domino nostro patriarchæ Hierosolymorum sanctæ Sion, Syriæ, Arabiæ, citrà Iordanem Chananeæ, Galilææ, & totius Palestinæ in sancto Spiritu desideratissimo, ac comministro. Patriarchæ verò Tornobon sic scriptum est, Sanctissimo patriarchæ Tornobon, & Bulgariæ in sancto Spiritu dilectissimo. Archiepiscopo verò, Beatissimo Archiepiscopo primæ Archadiæ, & Bulgariæ in sancto Spiritu dilectissimo. Patriarchæ vero Constantinopolitano ab alijs scriptum reperio, *to panagiotato* Domino Archiepiscopo Constantinopoleos nouæ Romæ, & vniuersali patriarchæ in Spiritu sancto diuinissimo, & desideratissimo. Et in libris, quos Kyrphiloteus patriarcha Constantinopolitanus edidit, inscriptio est, Sanctissimi &c.

Metropolitæ verò, *to panierotato cal timiotato* Archiepiscopo omnium sacrarissimo sanctissimo, & diuinissimo. Hæc eapropter recensere libuit, vt videres tu non esse, nouum hisce epithetis Romanum decorare Pontificem. Cum & alij, quibus potestas longè minor erat, præconijs longè maioribus vsi fuerint. Vtinam has terras, atque prouincias ab impijs infidelium manibus eripere possemus, & patriarchas hosce nouos antiquorum vestigia imitantes, non minoribus epithetis decorare, etiam si tumperentur Ilia Codro. Sed quod citas ex Africano Concilio prohiberi primæ sedis Episcopum non appellari debere Principem sacerdotum, vel summum sacerdotem, aut aliquod eiusmodi &c. Miror cur hæc Aphricani Concilij verba in Romanum Pontificem referas. Potuisses ex glosella vniuerbia videre, de qua sede loqueretur Concilium Aphricanum, & quid haberur primæ, inquit, patriarchalis. Et in hac distinct. 99. potissimùm Gratianus agit, quem gradum primates in Ecclesia obtineant, an in aliquo à patriarchis differant, quam obedientiam Archiepiscopi ejs debeant. Vnde post Annitij textum mox sequitur, cap. primæ. Et hoc pro prima parte prohibet, ne primus Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi dicat. Per id tamen non prohibetur Pontifex Romanus dici summus sacerdos. Alioquin in Concilium Aphricanum Hieron. ac alij quamplures non parum deliquissent. Sed an vniuersalis dici possit Romanus Pontifex, post textum Pelagij videbimus. Nempè subinfert.

CAP.

CAP. XL.

Ex Pelagio, & Gregorio respuentibus titulum vniuersalis arguit Lutherus, sed Faber respondet afferendo causas.

LVTHERVS.

IBidem Pelagius omnibus Episcopis scribit in hunc modum. Nullus patriarcharum vniuersitatis vocabulo vmquam vtatur, quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem minuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vmquam etiam in epistolis suis vniuersalem appellet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem inferi indebitum. Vides quòd honoris fraterni minutio sit, si vnus omnibus præferatur, etiam Romano Pontifice au-ctore.

Ibidem. D. Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino. Ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, quia prohibui, direxistis superbæ appellationis verbum vniuersalem Papam me dicens, imprimere curastis. Quod peto mihi dulcissima sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plus quàm ratio exigit, præbetur. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque est honor vniuersalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo honoratus sum, cum singulis, quibus debitus honor est, non negatur. Si enim vniuersalem Papam vestra sanctitas me dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ veritatem euertunt, & charitatem. Obsecro quid hic dicemus? An adhuc pecco, quòd frigidissima decreta vocaui aliquorum Romanorum Pontificum fortè confictorum nominum? qui ista sentus debueram appellare verba veritatem inflantia, & leuem, & vanam facientia, & charitatem vulnerantia. Quid si ego ista dixissem, videlicèt non modò inefficacia, sed etiam inimica veritati, & contraria charitati.

FABER.

Tunc veritatem eruemus, cum primam illorum textuum causam didicerimus. Hanc autem certissimè nobis traduut historiæ, quòd cum temporibus Pelagij, atque Magni Gregorij Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, habita Græcorum synodo, seipsum œcomenicum, & vniuersalem patriarcham creasset, monuissetque Gregorium Mauritius Imperator, vt Ioanni tamquam œcumenico obtemperaret, Respondit homo constantis ingenij. Et fidei potestatem ligandi, & soluendi Petro traditam, eiusque successoribus, non Episcopis Constantinopolitanis, proindè desineret iram Dei in se concitare, dum seditiones studiosè nimium in eius Ecclesia mouerct. Vt igitur sanctus ille vir Constantinopolitani Episcopi impudentissimam arrogantiam vincere posset, eadem, quæ citas, scripsisse præsumitur. Quòd si vlli Episcopo nomen hoc conuenire potuit, rectissimè Petro, ac illius successori conueniebat *oicoymenicon* œcomenicon, enim ab *oicoymeni* œcomeni græco, quam Hieron. ad Cyprian. thebel hebraicè, & latinè orbem terrarum dicit. cum ergo totius Ecclesiæ, quam & idem Hieron. in Esa. cap. 13. pariter œcomeni vocat, curam habeat Roman. Pontifex, immò Petro iuxta Chrysosto. verbum totius orbis terrarum cura commendata sit, fueritque præsul Ecclesiæ, certè œcomenicus dici potest Episcopus. Nec hoc est contrarium Pelagij, vel Gregorij sententiæ. Nam non dicitur œcomenicus Episcopus propriè, qualis patriarcha dici volebat Ioannes ille Constantinopolitanus.

Nec parùm refert, quòd antè Gregorium (vt supra monstratum est) Athanasius, ac reliqui Ægyptiorum Episcopi Marcum vniuersalis Ecclesiæ Papam appellant, & se Marcus vniuersalis Ecclesiæ Episcopum vocavit. Gregorium autem Marcus ille præcessit ferè ducentis, ac quinquaginta annis. Et Gregorius nunquam Petrum primum fuisse Pastorem diceret, nisi hoc illi conuenire intellexisset. Cyprianus etiam non grauatur Romanam Ecclesiam dicere principalem. Immò quòd Romana fides matrix, & radix Ecclesiæ Catholicæ sit, vti supra ostensum est. Addo quòd ex Gregorij verbis titulus ille ampullosus duntaxat corrigitur. Non enim conuenit Episcopos esse superbos, vt dominetur in Cleros, & opprimant eos, qui sibi subiecti sunt.

Nec laudari merentur, si fuerint supercilliosi. Reprobat proinde. D. Hieronymus eos Episcopos, qui velut aliqua sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, & alloqui conseruos suos. Quare iubet eos discere ab Apostolo, errantes, & insipientes Galatas fratres vocari. Et Ezec. cap. 34 Episcopos humiles esse debere tota Scriptura diuina testatur. Vnde Ecclesiastici 3. Quantò maiores, tantò magis te humilia, & in conspectu Domini inuenies gratiam. Et Ecclesiastici 32. Ducem te constituerunt; ne eleueris, sed esto inter eos quasi vnus ex illis. Et quamquam olim Episcopi, & Presbyteri vnum fuerint (quod & pulchrè monstrauit Hieronymus) tamen alia dignitas Episcopi, alia Presbyteri: Quod tamen alibi profusius monstrare statui. Addo quòd Episcopi memores esse debent, quod scribit Hieronymus ad Nepotia. Episcopi Sacerdotes se esse nouerint, non Dominos; honorent Clericos quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Quod si fecerint, Paulum imitantur dicentem 1. Corinth. 15. [Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.] Ad hanc igitur humilitatem amplexandam fortè Pelagius, ac Gregorius hortantur. Alioquin toto Cœlo errasse dicemus Anastasium, ac alios Ægyptiorum Episcopos, immò sacrorum

Con-

Conciliorum subscriptiones non paucæ inutiles essent, & prorsùs euanidæ. tamen hæc infrà paulò profusius eleuemus. Sat fuerit hic vnam coniecturam dixisse.

CAP. XLI.

Arguit ex D. Gregorio in regestis fatente Primatum accepisse à Concilio Chalcedonensi. Respondetur enim claues relictas Romæ, non Constantinopoli.

LVTHERVS.

His adde. Et scias fermè epistola beati Gregorij in regestis suis, quibus ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Patriarcham eiusdem acerrimè idem prosequitur, protestans oblatum fuisse à Concilio Chalcedonensi, Romano Pontifici hunc Primatum, attamen à nullo assumptum. Quòd si dixerunt Canonistæ nonnulli esse hæc abrogata, vel consuetudinem desijsse, gratias ago; hoc volui.

Sequitur ergo, quòd non verbis Euangelicis, & iure diuino iste Primatus sit, sed iure hominum, & vsu hoc admitto; hoc confitor. Alioquin si iure diuino staret, nunquam debuit non esse & fuisse, & peccassent mortaliter hic Pelagius, ac Gregorius, sic cassantes ius diuinum, & Euangelium deprauantes. Quando ergo iura humana sic enim asserunt, vt per verbum Euangelij conetur probare; nonne necesse est, vt frigidissimè, & inefficacissimè, & violentissimè id faciunt? Sicut videmus iu prædictis; & nunc ecce ampliùs videamus.

FABER.

Dicas tu quicquid velis. In Gaugrensi, aut secundum quosdam Nicæna Synodo ordinatum est, quòd omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellant sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant. Et Iulius Papa non secundus, sed primus sic scribit ad Orientales Episcopos. Dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum in præfatis antiquis statutis decretum fuerat, quæ hactenus sancta, & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ità & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, primas & caput sit cæterarum. Et ad eam quasi ad matrem, atque apicem omnium maiores Ecclesiæ causæ, & iudicia Episcoporum recurrant, eiusque iuxtà terminum sumant sententiam. Hæc Iulius.

Et Bonifacius III. post Gregorium Pontifex Romanus à Phoca imperatore obtinuit, vt Sedes beati Petri Apostoli, quæ caput est omnium Ecclesiarum, ità & diceretur, & haberetur ab omnibus. Quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur; fauentibus interdum malis principibus, affirmantibusque eo loco primam sedem esse debere, vbi Imperij caput esset. Affirmabant Romani Pontifices Vrbem Romanam, vnde Constantinopolim Colonia deducta est. Caput Imperij meritò habendum esse. Cum etiam Græci ipsi literis suis Principem suum *ton Romaion Ayto cratora* Romanorum Imperatorem vocent. Ipsique Constantinopolitani etiam ætate nostra Romæi non Græci vocentur. Omitto quòd Petrus Apostolus Princeps successoribus suis Pontificibus Romanis Regni Cœlorum claues, potestatemque à Deo sibi concessam reliquerit, non Constantinopoli, sed Romæ.

Illud tantùm dico multos Principes, maximè verò Constantiuum conuocandæ Synodi, ac dissoluendæ, confutandi, vel confirmandi ea, quæ in Synodis decreta erant, Romanæ Sedi tantummodo concessisse. Meritò igitur Sedes Romana cæteris antefertur; cuius integritate, & constantia cunctæ hæreses confutatæ sunt, & explosæ. Habes hic mi Luthere antè, & post tempora Magni Gregorij Romanam Sedem primam fuisse. Tamen infrà paulò profusiùs ea de re tecum commêrabimur, vbi in alios Gregorij locos commodè, & te duce incideremus.

CAP. XLII.

Arguit Lutherus Anacletum errare; quod 21. dist. in nouo: dixerit à Petro cœpisse ordinem Sacerdotalem solùm, quod sustinet Faber.

LVTHERVS.

Quartus Anacletus 21. dist. in nouo, inquit, Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit Ordo. Quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente: [Tu es Petrus, &c.] Hoc si intelligit, quòd Sacerdotalis Ordo cœpit à Petro in Ecclesia Latina, potest vtrumque sustentari. Quemadmodum, & beatus Cyprianus epistola 2. sedem Petri principalem, & vnde Sacerdotalis Ordo cœperit, appellat. Aut sic cœpit, quòd Petrus primus inter æquales Apostolos fuerit. Si autem intelligit, quòd à Rom. Sede omnis Ordo Sacerdotalis primò, & solùm veniat, ex dictis sacris patet, quàm sit erroneum. Nec hoc tunc Anacleti est decretum, sed ficti alicuius Anacleti palea.

FABER.

Repeto hic quæ circa translationem Sacerdotij dicta sunt, addens quod est apud Hieron. in quæstionibus hebraicis in Genesi, vbi sic ait. [Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum, & ipse Sacerdos Dei excelsi, & benedicit, &c.] Aiunt hunc, inquit,

Hieronym. Sem filium Noe, & supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac vsque vixisse, omnesque primogenitos Noe, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse Pontifices.

Porrò Salem Rex Hierusalem dicitur, quæ priùs Salem appellabatur. Melchisedech autem Apostolus ad Hebræos sine patre, & matre commemorans, ad Christum refert, & per Christum ad gentium Ecclesiam. Omnis enim capitis gloria refertur ab membra, eo quòd præputium habens Abraæ, benedixerit circumciso, & in Abraam Leui, & per Leui Aaron, de quo postea Sacerdorium Ecclesiæ habentis præputium, circumciso Sacerdotio synagogæ. Quod autem ait: [Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:] Mysterium nostrum in verbo ordinis significatur. Nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane, & vino corpore, & sanguine Domini Iesu. Ex hoc Hieronym. loco ordinem Sacerdotij habes; primum caput illius in noua lege est Christus. Is, antequam Petrus vnquam in latinam venerit Ecclesiam, Petro hoc condonauit, vt illi dixerit iuxtà verbum Anacleti: [Tu es Petrus, &c.] Huic Anacleto viro quidem sanctissimo non fuisse fluxam fidem in re Christiana credo. Nec fuit is Pontifex ducentorum annorum, quem nonnulli tui sectatores ad damnandum procliui semper ex Concilio Meldensi, quod est in cap. Nemo 3. quæst. 1. in excommunicatione mortuum esse dixerunt. Sed Pontifex fuit in ordine quintus, vir miræ eruditionis, ac Religionis Christianæ cultor valdè sincerus. Textus etiam, cum sit Euangelica farina conspersus, immò phrasis ipsa Anacletum redolet; nec palea est, sed triticum, senseris tu quicquid libuerit.

CAP. XLIII.

Arguit Pelagium, quod aliàs sanctas Ecclesias non crederet, sed detegit æquiuocationem Faber.

LVTHERVS.

Quintus, Pelagius eadem dist. 12. sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica (fortè quòd cæteras, nec Sanctas, nec Catholicas reputat) nullius synodicis constitutis, cæteris Ecclesijs Prælata, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit: [Tu es inquit Petrus, &c.]

FABER.

Suggillas hìc interiecta parenthesi, quòd Pelagius Romanam Ecclesiam sanctam Catholicam, & Apostolicam vocauerit, negare non possum, nec volo reliquas Ecclesias posse vocari Sanctas, sicut in Apocalypsi Ioannes ad multas scribit Ecclesias. Scio, & Catholicam esse, quæ verum cultum retineat, vbi sit fons veritatis, domicilium fidei, templum Dei, Quod si quis non intrauerit, vel à quo, si quis exiuerit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Docuit hoc Lactantius Firmianus in 4. lib. suarum institutionum cap. vlt. Similiter D. Hieronym. scripsit de fide Romana, quam & arcæ Noe comparauit, extrà quàm nullus omnino saluatur, vnde & meritò Catholica vocatur. Et Catholica Ecclesia Corpus est, sicut ostendit August. in libro contra Petiliani Donatistæ epistolam cap. 2.

Huius autem suo respectu caput est Petrus, vnde & Petri Sedes, Catholica Sedes dici meretur. Sicut specialis prærogatiuæ dono Regem Hispaniarum Catholicum esse dicimus. Immò ab Ecclesia Catholica verè Christianum hominem Catholicum vocamus. Sicut & hunc morem obseruat Augustinus. Et inter multos hic vnus est locus in 4. lib. de baptismo contra Donatistas. Et forsan ob id Catholica dici meretur, teste Marco Pontifice sic ad Athanasium, ac Ægyptiorum Episcopos scribente. Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Apostolo Petro opem ferente, in futurum manebit sine vlla hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistens.

Eapropter etiam licèt Iacobus præsederit Hierosolymitanæ Ecclesiæ, & Timotheus fuerit Ephesiorum Episcopus, tamen hæc Ecclesia Romana speciali prærogatiua Apostolica dicitur, eo quòd Petrus, vt Leo scribit Dioschoro Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopo, Apostolicum à Domino accepit Principatum, & Romana Ecclesia in eius permanet institutis.

Addo ex eodem Leone, quòd Petrus primus fuerit in Apostolica dignitate. Sic enim Augustinus scribit in 2. libro contra literas Petiliani. Si omnes, inquit per totum Orbem tales essent, quales vanissimæ criminaris, quid tibi fecit Ecclesiæ Romanæ Cathedra, in qua Petrus sedit, & in qua Anastasius sedit, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus nefario furore separastis, Quare appellas cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui non facere, nunquid Dominus Iesus Christus Pharisæis, de quibus ait. Dicunt enim, & non faciunt. Cathedræ, in qua sedebant, illam fecit iniuriam? Nonne illam Cathedram Moysi commendauit, & illos seruare Cathedræ honorem redarguit? Ait enim: In Cathedra Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & nō faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolorum, cui non communicatis. Sed quid est aliud, quàm nescire, quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere. Hæc non ex me, sed Augustino in te retorquenda video.

Et Venerabilis Presbyter Beda in epistola præfatoria cantici Abakuc, sic ait: Canticum Prophetæ Abakuc, quod tibi exponi petisti, dilectissima in Christo soror, Sacramenta Dominicæ Passionis maximè pronunciat. Vnde & consuetudine sanctæ vniuersalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sexta Sabathi, qua eadem passio completa est, solet in laudibus matu-

matutinis per singulas Hebdomadas solemniter repeti. Sed quid opus est multis? Nonne supra ostendimus ante mille & ducentos annos Athanasium, ac reliquos Ægyptiorum, Thebaidum, & Libyorum Episcopos, imò Orientales Episcopos temporibus Marci, Iulij, atque Liberij hanc Romanam Ecclesiam sanctam, Apostolicamque vocasse, & quòd in ea præsidens iustè vocetur vniuersalis Ecclesiæ Papa.

Et Septimium Tertullianum (quem Cyprianus suum magistrum esse dicebat) vide, & inuenies passim de Apostolicis Ecclesijs non pauca. Sed de his satis superque. Id vnum adijcio:

Credis tu Luthere tam sanctos Patres in ventum verba fudisse, si non hunc primatum ex voce Dominica profluere intellexissent? numquam dignati fuissent tam sanctis titulis Cathedram decorare Romanam. Quod ergo licuit tantis viris, tot sanctis Patribus, cur tu Pelagio id prohibes. Nec quod Pelagius habet, ijs contrariatur, quæ sub dist. 99. continentur.

CAP. XLIV.

Obijcit Lutherus nouam esse grammaticam; Tu es Petrus significare, tu es primus. Romanam Ecclesiam non esse primitiuam, cum post fundata fuerit; cui respondet Faber opus non fuisse dicere, tu es primus, sed sufficere relata esse verba in Petrum, cui tamen, sicut & alijs non omnia patefecit.

LVTHERVS.

ERgo noua grammatica, [Tu es Petrus,] significat, tu es primus, [& tibi dabo claues,] idest soli Romanæ Ecclesiæ, cæteris nihil habentibus. Sed piget me omnia commemorare. In summa, vt dixi, si his verbis Christus Romanam Ecclesiam significauit. Cum Romana Ecclesia vix vigesimo anno post Ecclesiæ primitiuæ originem nata sit, sequitur, quòd ipsa primitiua non fuerit Ecclesia. Et deinceps omnes, qui claues ex Romana Ecclesia non acceperint, Christo inobedientes fuerint.

Et ità sanctus Stephanus cum tot millibus Martyrum Orientalis Ecclesiæ damnati censebuntur. Vt omittam, quòd si per verbum Christi potestas Romana Ecclesiæ intelligeretur, vt hic vult, & Christus super hanc petram Ecclesiam suam ædificare promittat. Sequitur, quòd vniuersalis Ecclesia non super Sedem, sed super potestatem Romanæ Ecclesiæ ædificata est, super quam tunc ipsa Romana ædificata est, non super petram suam potestatem, nec super fidem, ergo super nihilum. Quis ferat hoc? Vides ergo quàm possum iouchi in istos hominum sensus, si vellem liberè agere. Nunc autem sufficit mihi ostendere, quòd his decretis contra hostes, & in contentiones nihil effici potest; sunt enim languidissima, frigidissima, & penitùs ineptissima ad contentionem. Sac est, quòd tolerantur pro fraterna charitate, non etiam adorentur pro solida, & germana veritate.

FABER.

Ratiocinaris hîc multa, quæ tamen omnia corruent, si extorta corruerit interpretatio. Asseris nouam esse grammaticam, si, tu es Petrus, significaret, tu es primus. [Et tibi dabo claues,] idest soli Romanæ Ecclesiæ, cæteris Ecclesijs nihil habentibus.

Ad hæc dico Petrum primum Apostolorum, immò Principem & Caput fuisse compertissimum est, etiam si rumpantur ilia Codro, nec tamen opus fuerit sic dicere, [Tu es Petrus,] idest primus, quamquam id faciens non peccaret in Spiritum sanctum. Satis erit si hæc verba Christi in personam Petri relata fuerint. Quòd autem in illius personam referantur, multorum Patrum auctoritate roboratum est.

Ad quos & Hilarium Pictauiensem adijcio, qui in 6. lib. de Trinitate hanc Petri confessionem fidem, beatitudinem, atque Sacerdotium in Petri personam refert. Excusat & Petrum sanctus simul, & doctus ille Episcopus, quòd dixerit Petrus ad Dominum: Propitius sit tibi Dominus, non erit istud. Nam ei pater quamquam reuelauerit confessionem hanc verè secretissimam, tamen non adhuc omne mysterium patefecit. Sed quia per Domini sermonem, quo Petro dicitur: Vade post me Sathana, non enim sapis ea, quæ Dei sunt, tua valdè corroboras. Vnde eo fortius hîc mihi contra te pugnandum video, hac tua si quidem opinione diluta, nostra meliùs, fortiusque subsisteor.

Et quia ostendi fieri posse, quòd quis reuelationem à Domino habeat vnius, nec tamen rei alterius, ea quoque per historias veteris instrumenti probaui. Vt igitur ex nouo Testamento ista corroborem, aliqua non admodùm, vt credo, aspernanda adducam. En negare non potes, quod dicitur Lucæ 9. ad Apostolos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Futurum est vt filius hominis tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat cœlatum ante eos, vt non sentirent illud, & timebant eum interrogare de verbo hoc. Dein legitur Luc. 18. Erat verbum absconditum ab eis.

Et post Resurrectionem adhuc legitur quomodo aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & ea propter illis dicit Luc. 23. Sedete in Ciuitate quo ad vsque induamini virtute ex alto. Et in Cœna nouissima etiā conuiuio peracto, dicit Thomas: Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire. Dicitque Philippus: Domine ostende nobis patrem. Et Iudas non Iscariotis air, Domine, quòd factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum non modò. Immò Discipuli, dicente Domino: [Modicum & iam non videbitis me.] Et dixerunt ad inuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis. Modicum, nescimus quid loquitur. Et Ioann. 2. Cum resurrexisset à mortuis recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scrip-

scripturæ, & sermonibus eius. Et Ioann. 12. Hæc non cognouerunt Discipuli eius primùm, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & specialiter ad Petrum ait Dominus, Ioannis 13. [Quòd ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.] Et si sciuissent omnia, non opus fuisset illis ea promissione, qua Ioannis 1. ait [Paraclerus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & sugeret vobis omnia, quæ dixero vobis.] Et Ioannis 16. [Adhùc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.] Addo quòd nec etiam post Spiritus sancti missionem ipsi sciuerunt omnia. Nàm in actis Apostolicis cap. 1. sanè intellexerunt vnum ex viris, qui cum illis congregati fuerant, testem resurrectionis fieri debere. nescierunt tamen, quem elegerit Dominus, vnde duos statuerunt Ioseph scilicèt, & Matthiam orantes, & dicentes, Ostende quem elegeris ex his duobus.

Et de Paulo legitur actuum 20. Vado in Hierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans, nisi quòd Spiritus sanctus per omnes Ciuitates mihi protestatur dicens. Quoniam vincula, & tribulationes me manent. Vides etiam, quòd is, qui raptus fuit in tertium Cœlum, qui & arcana ea, ac tanta vidit, quòd etiam homini ea loqui non licuit, nesciebat id, quod futurum erat in Hierusalem 1. Corinth. 1. Et ipse fatetur ingenuè se non omnium actorum habere memoriam dicens. Baptizaui Stephanæ domum; cæterum nescio si quem alium vestrum baptizauerim. Et Iudæus Apollo nomine Alexandrinus genere, vir eloquens deuenit Ephesum, potens in scripturis, docebat diligenter, tamen baptisma Ioannis tantùm sciebat. Et quod omnium maximum est, quærentibus Discipulis: [Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel? Dixit eis: [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in potestate sua, sed accipietis virtutem Spiritus sancti, &c.] Sed adhùc fortè non credis, nisi de ipso Petro nostra dicta confirmauero. En Actuum 10. Accepta visione linthei magni, dum intra se hæsitaret Petrus, quænam esset visio, quam vidisset, ecce viri, qui missi erant à Cornelio inquerentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam; & cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominaretur Petrus, illic haberet hospitium? Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: [Ecce viri tres quærunt te, surge itàque, & descende, & vadè cum eis, nihil dubitas, quia ego misi illos.] Descendens autem Petrus ad viros, dixit. [Ecce ego sum, quem quæritis?] Quæ causa est, propter quam venistis? Nunquid non hic Simon etiam post acceptionem Spiritu sancti visionem habuit, quam non vsquequaque diù intellexit? Et non ne Spiritus ille reuelauit, quomodò tres viri quærerent eum, nesciebat autem propter quam causam, & ad quid venissent?

Aliam historiam audi. Nunquid non de Petro ex carcere Herodis per Angelum liberato, scribit Lucas in verba. Exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum esset, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Et tandem in se reuersus dixit. [Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, &c.] His omnibus nemini non patet non esse mirandum, si cuiquam de re vna, non altera reuelatio fiat. Vnde excusationem Petrus meretur, si etiam post eam, ac tantam reuelationem, qua Iesu filius Dei viui profitebatur, nesciebat passionis mysterium. Sed quod de clauibus addis: Sæpè auditum est claues esse Petri, Ecclesiæ, & quod nos in Petro claues Sacerdotes accepimus omnes, teste beato Ambros. Non sic interpretari debebas: [Tibi dabo claues.] Idest soli Romanæ Ecclesiæ, cæteris Ecclesijs nihil habentibus.

Non enim hæc Pontificis intentio fuit; id solum voluit, quòd Petrus veluti Caput, & Princeps claues habebat. Sed quod de Stephano, ac alijs adiungis, locum habere non poterit. Scis apud August. in 22. lib. contra Faustum cap. 70. comparationem esse. Sicut Moysen post percussum Ægyptum factus est Rector synagogæ, ità Petrus post peccatum factus est Pastor Ecclesiæ. Hæc Augustinus habet.

Sed quid dices ad hæc? Nunquid non Moyses erat caput illius synagogæ quamprimum missus erat à Domino, etiam si fuerit in Ægypto, in Mari Rubro, immò in quacunque mansione inter quadraginta duas mansiones. Ità & Petrus Pastor fuit Ecclesiæ, siue fuerit Hierosolymis, in Ioppe, in Ponto, in Galatia, Bithynia, Cappadocia, cæterisque confinibus Iudææ Prouincijs, de quibus Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 3.

Et hoc est quod quærimus; quod tamen apertissimè negas, quando Euangelij verbum nunquam ad personam Petri duxeris referendum. Nec tibi credo, quòd Romana Ecclesia fuerit in primis post viginti annos nata. Nam in sequentibus aliud intelliges, vbi etiam Stephanum excusabo, & ità, vt de illorum salute nihil dubitare debeas. Sed qui tam religiosè, & rectè Sanctos veneraris, cur & non id tibi cordi est, quòd tot sanctos Patres, etiam Ecclesiæ primitiuæ, tot quoque sancta Concilia refutas, exibilas, ac planè dedignaris, atq contemnis? Sed scis vbi de te prædixit Dominus Luc. 14. nisi fallar, vbi comparationem dat de eo, qui voluit ædificare turrim, vbi etiam quærit Dominus dicens. Nonne priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare. Aut quis rex iturus committere bellum aduersum alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

Præsumis ergo tu totum mutare Orbem, ac talem te geris, quasi in manu tua sint omnia Consilia Domini, & sis solus pincerna Magni Iouis? Sed certè non computasti sumptus, non potentiam aduersariorum militum considerasti. Vnde iam omnia ferè omnium Principum mandata tibi illudunt, & parùm abest, quin te omnes derideant, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare, licet non in omnibus turrim Dauid, sed Babylonicam, hoc est confusissimam

ædi-

ædificare volueris. Siquidem vt tibi meum iudicium ingenuè aperiam, si quosdam abusus, si quorundam vitia Euangelico ordine taxasses, propugnatores habuisses accerrimos, nec ego tibi defuissem vnquam, licèt in his me quendam pigmeum fatear.

At quia tu non aliud in aream tritici tui, ac boni seminis, nisi infinita zizania superseminasti, quare non parùm timeo sint venturi aliqui radicantes zizania, simul quoque triticum euellentes, & vtraque in fasciculos alligabunt ad comburendum. Nec mirabere, Toe enim Sanctos habes, vbi singuli cum vidua illa Euangelica apud iudicem clamant, Vindica me de aduersario meo, vt non videam quomodo possis sufferre iudicium. Clamitant aliqui Concilium Concilium, sed tu prudenter agis, qui nolis Concilium. Nam olfecisti sat pulchrè te damnatum esse, antequam etiam pars media conueuisset. Hæc recitare volui, & vt intra te rediēs, cogites, quàm imprudenter, ne dicam impudenter effutieris multain sanctos Patres, sanctaque Concilia. Et memor sis dicti Socratici. Melius est rem non incipere, quàm à re cœpta turpiter desilire. Sed forsan expectas quomodò velim saluare Patres? En & hic meam sententiam tibi dare non grauabor. Nunquid non in alio loco intellexisti sexcenta, & tredecim præcepta Moysem dedisse populo? Sed putas illis annis quadraginta, quibus in deserto fuerint ea omnia peregerint, quæ antea præceperit illis Dominus? certè minimè, immò vt Hebræi dicunt in Penthateuco, non inuenitur, quid fecerint duodecim tribus Israel, nisi in primo, secundo, & quadragesimo egressionis anno.

Addo quòd ad hęc maximè ceremonialia obligati minimè fuerunt, nisi quando venerunt in terram lacte, & melle manantem. Ex verbo Deuter. 4. vbi dicitur. Sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis, &c. Sic & Patres fortè non erant obligati ad obedientiam Sedis Romanæ, nisi quando Petrus exigebat. Et iam super Euangelij verbo declaratum fuerat Ecclesiæ Romanæ propter Petrum deberi Primatum. Tunc enim omnes iam id sentire obligati fuerunt. Et non dubites, nisi mentiantur Apostolica acta, dum adhùc Petrus cum reliquis Hierosolymis erat, venerati sunt illum veluti Principem, illisque præpositum. Sed & hic de Stephano, Iacobo, Ioanne, ac illorum temporibus ex Hippolyto Thebæo Græco primitiuæ Ecclesiæ auctore in breui, concedente Domino, tibi ac reliquis tuis affectis monstrare statui, quid te sentire oporteat. Interim patientiam habe.

CAP. XLV.

Falsum est, inquit Lutherus, quòd quantò gradus celsior, tantò maior sit auctoritas; Respondetque Faber hoc neminem latere.

LVTHERVS.

Sed nec hoc ferendum est, quod infert in his omnibus quantò gradus celsior, tantò maior auctoritas inuenitur. In maioribus siquidem est regendi, iubendique potestas, in minoribus obsequendi necessitas.

FABER.

Tristissima est sententia, Quantò gradus altior, tantò casus grauior, quod Cl. Claudianus, ità expræssit: Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore cadant. Hieronym. in Ezech. cap. 44. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti meroris de sublimioribus corruisse. Neque enim solùm pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omni, quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute sollicití.

Sed & hoc verum est, quod habet ter beatissimus ille Leo in epist. ad Anastasium Episcopum Thessalonicen. Inter beatissimos Apostolos in similitudinem honoris fuit quędam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, vni tantum datum est, vt cęteris præmineret, hanc sententiam non solùm primus dicit Leo. Quamquam si, primus dixisset, non videretur peccare. Sed ante eum circiter annum Domini 338. nec vno verbo mutato scripsit Iulius ille primus, & non ad vnum, sed omnes Orientales Episcopos. Dices ne tu sanctos Pontifices, qui in vinea Domini Sabaoth, in vinea Sorech electa, immò in vinea Engaddi tam sanctam plantationem operati sunt, errasse? & maximè ij, quorum doctissima scripta, tàm diuturnus approbauit vsus Ecclesiæ. Sed dicas quid hoc sibi velit, an orthodoxus mentiatur in lib. aduersùs Lucifer. vbi sic ait. Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, Cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, toe in Ecclesijs efficientur schismata, quot Sacerdotes. Sed adhùc fortè non credis? Dic mihi, cur Saluator pro se tantum, & Petro didrachma soluerit? non etiam pro cæteris?

Respondet tibi diuus Aurel. August. & inter cætera sic ait in lib. quæst. vet. & noui Testam. quęst. 75 Sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ità & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici. Hæc August.

Sed iam quæso responde, vbi hunc locum retractet August. Et quia mea quadruplici testimonio probaui, non video quomodo iustam denegandi occasionem habeas. Scis

enim

enim in Deut. 17. immò in Euangelio Ioan. 8. scriptum esse de testimonio duorum, vel trium, & in iure recipitur in ore duorum, vel trium stare omne verbum, cap. relatum 1. de testam. Et certè hic non triplicem funiculum, qui difficile rumpitur, sed quadruplum testimonium habes, quare credere debebis.

Sed quòd in sublimioribus sit maior potestas. hoc quis iustè negauerit? Numquid non Paulus ad Rom. 13. ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit? Qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt, & subdit: Cui tributum tributum; cui honorem honorem. Et nonne qui vxores, filij, serui, subditi minores sunt? Vnde iuxta verbum Pelagij, illos manet obsequendi necessitas, aut in vanum præcipit Apostolus ad Ephes. 5. quomodo vxores subiectæ esse debeant; & frustrà dicit, ad Eph. 6. Filij obedite parentibus vestris in Domino, & serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore. Et cur duplicem honorem pollicetur Presbyteris, qui benè præsunt? & maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Et numquid non idem Paulus ad Thessal. 5. stans ante Summum Sacerdotem, cognouit principatum Actuum 23. Sed principis officium, immò priuilegium numquid non est, vt cæteris leges præscribat? Aut mentitur titulus, ff. & C. de legibus. Non est ergo hic, quod rideas, aut calumnieris. Discas itàque Deo dare, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris sunt: hoc fac, & viues.

CAP. XLVI.

Nulla extitit auctoritas maior auctoritate Petri, immò Apostoli habuerunt auctoritatem in Petrum, quia miserunt illum Actuum 8. inquit Lutherus, respondetque Faber nullam auctoritatem importare supra Petrum hanc missionem.

LVTHERVS.

Vide vt necessitatem omnibus imponit, & sibi soli contra charitatis officium libertatem arrogat, sed pessima consequentia. Non enim mox maior auctoritas est, vbi gradus celsior est. Petrus enim primus Apostolorum fuit. Sed nullam maiorem auctoritatem habuit vmquam; immò contra, Apostoli in Petrum habuerunt auctoritatem, vt Actuum 8. scribitur, quòd Apostoli miserunt Petrum, & Ioannem, qui tunc primores inter Apostolos erant, & tamen missi sunt ab Apostolis tamquam maioribus ad Samariæ fideles.

Labitur ergo Pelagius hoc loco satis apertè, quamquam ego credo hos, & similes canones nihil preter nomen de Romanis Pontificibus habere, esse autem compositos ab eorum officialibus, & scribis in theologia parum doctis. Ideò nihil euangelicum, nihil ecclesiasticum spirant, sed humanum affectum, carnem, & sanguinem.

FABER.

Possem hìc longo ordine tecum disputare, sicut diuus Aurelius Aug. in 2. lib. de Trinitate cap. 5. vbi sic scribitur. Maior est qui mittit, quàm qui mittitur. Forsan & indè tuum fuxisti fundamentum. Et non inamœna disputatio foret super his Euangelij verbis, Ioann. 6. 16. Sicut misit me viuens pater, & si abiero, mittam. Et Paulus ad Galat. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege. Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, Ioann. 4. Qui misit me verax est. Ioann. 8. Si abiero mittam eum, Ioannis 16. Esaia 48. Nunc Dominus misit me, & spiritus eius, & à me ipso non veni. Et maximè sicut est in cap. 7. eiusdem lib. Et difficilis est quæstio, an quia legitur Spiritum sanctum esse missum, propterea sit minor patre? Sed hæc modò prætereo, forsan commodiùs alibi tractaturus.

Scimus, quòd Apostolus græcè latinè missus dicitur: hebraicè verò sonat Silas, vt habet Hieronym. in epistolam ad Galat. capit. 1. Sed Apostolorum genera sunt quatuor, quod non solum Hieronymus, sed & Augustinus. In dialogo etenim ad Orosium quæst. 65. sic ait. Apostolus interpretatur missus; Apostolorum quatuor genera sunt, A Deo non per hominem, à Deo sed per hominem, per hominem tantùm; & ex se. A Deo etenim missus est Moyses. A Deo & per hominem Iesus Naue; per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi fauore vulgi in Sacerdotium subrogati sunt; ex se autem, sicut sunt ipsi Pseudo-prophetæ. Apostolos omnes propriè numquam à se, vel inter se, sed à Domino missos esse dico. Vnde Matth. 10. *Ydoy ego Apostello ymas os probata en meso lycon.* Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Et Ioann. 20. [Sicut misit me pater, & ego mitto vos,] & hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis, [Accipite Spiritum sanctum.] Quæ missio, quæ etiam insufflatio tam potens, & efficax erat, vt etiam Thomas, qui dicitur Didimus, qui non erat cum Discipulis, quando hoc fecit Iesus, etiam illius promissionis, ac Spiritus particeps factus fuerit.

Ità pulchrè probat Cyrillus in 12. lib. super Ioannem, & dicit: Iussit Deus quondam Moysi septuaginta seniores Iudæorum eligere. Dixit autem de spiritu, qui erat in Moyse ablaturum, se atque impositurum in illis. Cum verò duo Heldad, & Madad de septuaginta seniorum numero in Synagoga remansissent, ac spiritus illis omnibus septuaginta immissus fuisset, prophetarunt quidem, qui erant cum Moyse; prophetabant etiam illi duo, qui aberant.

Iosue verò mysterij virtutem ignorans, ac secundùm Datban, & Abiron facere illos putans, rogabat Moysem, vt Heldad, & Madad à prophetando vetaret. Tunc diuinus ille vir operationem spiritus intelligens, respondit. Quid æmularis? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Domi-

nus

nus spiritum suum? Vides quomodo rationem Iosue Moysis reiecit. Vtinam enim, inquir, vniuerso populo spiritus daretur, quod tempore suo tamen futurum est. Missio ergo illa Petri, ac Ioannis, non tàm à Discipulis, quàm, & à Christo cœpit exordium.

Et Hieronymus in cathalogo Scriptorum Ecclesiæ scribit, quomodo Iacobus, qui appellatur frater Domini cognomento Iustus, post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus fuerit ordinatus. Sed numquid non æquales erant Apostoli modo, quem sæpè ostendimus? tamen Apostoli Iacobum ordinauerunt Episcopum. Nec tamen Andreas, Philippus, aut Bartholomæus poterant illo dici maiores. Sicut & hìc licèt Petrus, ac Ioannes missi fuerint in Samariam, non tamen per id reliqui Discipuli facti sunt Petro maiores, quod tua vult ratio.. Hoc enim Apostolicum munus, hoc est missionis officium, non tam à reliquis collegis, & fratribus, quàm ab ipso Domino datum erat, immò non erant illic omnes Discipuli; nam erant omnes dispersi per regiones Iudææ, & Samariæ. Nec ibi fuit Philippus. Prædicabat enim Christum in ciuitate Samariæ, sed reliqua Apostolorum turba misit eosdem. Et nescio an semper is, qui mittit, maior sit eo, qui mittitur. Qod forsan ex Lucæ 19.cap. probare possem, vbi ciues miserunt legationem post illum. Sicut etiam non semper est maior, qui dat, vel manumittit. Nempè in iure vsitatissimum est, quòd patronus serui potest manumirrere seruum. Et laicus patronus quotidie beneficium confert, euius capax ipse non est.

Ità mirùm non fuerit si cæteri Apostoli miserunt Petrum, ac Ioannem; miserunt quidem, tamen maiores dici non poterant. Sed quid opus est multis? Quamquam (vt est apud D. Hieronym. in Esaia cap.23.) omnes Apostolos ceteres plenos vitalibus aquis dicere possumus, de quibus in Psalmo 67. dicitur, [Benedicite Deum de fontibus Israel.] In quibus crateribus miscuit sapientia vinum suum,Possumus etiam illos dicere cum Chrysostom. in serm. de Pentecost. piscatores, vinitores, pugnatores. Sed & res est non sine mysterio, quòd Cephas, Iacobus, & Ioannes dicuntur Ecclesiæ columnæ, vt est apud Paulum ad Galat.2. Et Petrus supremus dicitur Pastor apud Augustinum; dicitur, & Præsul Ecclesiæ apud Chrysostomum. Et accepisti ex Origene, quòd nequaquam Ioannes sit Petro præferendus.

Et Theophilactus in epistolam ad Corinth. Quem hucusque numquam introduxi, Petrum cæteris dicit præstantiorem. Sed fortè nostra legentes illi non credent, nisi hunc auctorem non obscurum intelligant. Erat Theophilactus Bulgariæ fuit Episcopus, qui & egregia commentaria in quatuor Euangelistas scripsit, quæ Romæ in bibliothrca Vaticana secretiori habentur.

Hic etiam in Pauli epistolas commentaria scripsit, quæ transtulit Christophorus de Persona Romanus, & Prior sanctæ Balbinę in Vrbe, anno à Christo nato millesimo quadrigentesimo sexagesimo nono, sub Pontificatu Pauli; & fuit primò Romæ tempore Xisti impressa, tamen sub falsò titulo, quasi sint Athanasij Alexandrini, qua re multi decepti fuerunt; quod & mihi contigisse ingenuè fateor. Nec meum etiam emendassem errorem, nisi dum ex Græcis, & Latinis codicibus hinc indè collatis, aliud inuenissem. Licèt semper dubitarim propterea, quòd Basilius, ac Nissenus, atque Gregorius in his citati fuerunt. Error itaque fuit, & extat insignis, quo pro Theophilacto Athanasium per Germaniam, Italiam, Galliam, ac reliquas partes Orbis iam plus quàm quinquaginta annis ferè omnes legimus. Hæc quasi per parenthesim dicta esse velim, ad prinra veniens. Et accedit ad hæc, quòd Petrus, & Iacobus, & Ioannes non solum erant honoratiores in Apostolis, sicut est apud August. in 2. cap. epistolæ ad Galatas, immò Petri, & Iacobi præcedit auctoritas, vt est apud Hieronym. in Amos cap. 9. Sed quid opus est multis? Missiò hic nihil probare potest. Nam necesse non erat eos mittere, quibus antea dixerat Dominus: [Euntes in Mundum prædicate vniuersæ creaturæ, &c.] Nec etiam prohibitus est Petrus mittere Discipulos. Si enim id erat in potestate Pauli, vt scriberre ad Philippenses 2. dicens: Spero autem cito me mittere Timotheum ad vos; & ad 2. Timotheum 4. scribens, ait: Tychicum misi Ephesum. Quod si id Paulo licuit,& scribere, & facere, an non illud, & Petro licuit? Quod Petrum fecisse etiam antiqua monumenta, & fide dignæ historiæ testantur.

Sed adhùc fortè non credis quod dico? Erant etenim in Ecclesia,quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus, Act. 3. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, Quis prohibet iam id dicere de Petro, & Ioanne, quod hìc dicitur de Paulo, & Barnaba? maximè quòd fuerint segregati ab Apostolis, & missi à Spiritu sancto, Act.8. Quod si nec adhùc tibi placuerit, quod affero, en id quo mittuntur Petrus, & Ioannes honoris est maximi.

Nam Philippus licèt fecerit plurima signa (Multi enim qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant; multi etiam paralitici, & claudi curati sunt) tamen nondum acceperunt Spiritum sanctum. Vnde cum audissent Apostoli quia Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem. Miserunt inquam veluti fieri solet quandoque, vt consiliarijs Regis, vel Principis cuiuspiam vtile videatur, vt non vnus ex illis sed rex ipse cum alio quopiam digniori vadat, atque negotium peragat. Quod certè epistolæ M. T. Ciceronis ad P. Lentulum proconsulem, qui Ciliciam, & Cyprum tegebat, apertè comprobare videtur. Sed quia non cum Romano, sed quasi cum Montano Romanorum osore, immò cum theologo mihi negotium est, vnde ad sacram vmbram sacræ Scripturæ confugio.

Nonne de Rubenitis, Gadditis, & dimi-

dimidia tribu Manasse legisti? quid egerint Iosue 22. scilicèt illis redeuntibus in tabernacula sua, cum venissent ad tumulos Iordanis in terra Chanaan, ædificauerunt iuxtà Iordanem altare infinitæ magnitudinis. Quod cum audissent filij Israel, & ad eos certi nuncij detulissent ædificasse filios Rbben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse altare in terra Chanaam super Iordanis tumulos, conuenerunt omnes in Sylo, vt ostenderent, & dimicarent contra eos. Interim tamen miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo singulos de singulis tribubus.

Dic mihi quis hic misit? Nunquid non populi? Et quem, nunquid non Phinees? qui fuit Sacerdos magnus in lege filius Eleazari filij Aaron, & ille fuit maximus, ac dignior in populo, Quod Hebræi licèt ex multis probent, tamen & hoc probant ex morte Iepte Iudicum duodecimo, videlicèt quòd Sacerdos Magnus fuerit quocunque Principe, vel iudise maior, & dignior (licet tu Sacerdotes quibusuis nautis, cauponibus, molionibus, stabularijs, & galeotis leuiores facias, non existens memor, quòd Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, nisi mentiatur tuba Dei Paulus Magister gentium) sic est, cum Apostoli leguntur misisse Petrum, ac Ioannem. Sed de his aliàs. Satis est me comprobasse modò, quòd inferiores sæpè misere maiores, sicut hic populi miserunt Eleazari filius, ac decem Principes de singulis tribubus, & de Phinees primo Paralipomenon nono, Phinees fuit Dux eorum coram Domino. Ità & hic fortè factum esse creditur. Interim tamen ius prælationis non cadit in Petro.

CAP. XLVII.

Accusat Lutherus Nicolaum, quòd reliquos Coepiscopos non fratres, sed instrumenta fecit, sed facilè defendit à calumnia Faber.

LVTHERVS.

Sextus. Nicolaus Papa eadem distinctione, cap. Inferior volens robustissimè probare, quòd inferior non potest absoluere superiorem, intelligit autem Constantinopolitanam Ecclesiam inferiorem. Nam hæc multorum canonum causa fuit. Pro isto primatu inducit illud Esaiæ, 14. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam? His inquit ex diuina scripturâ commemoratis, solè clarius exhibuimus non posse quemquam qui minoris auctoritatis est eum qui maioris potestatis est iudicijs suis adijcere. Quis non miretur? Adeò iste auctor sub nomine Papæ scripturas tractat, appositè Deum facit ex Papa, cæteros Episcopos non fratres non homines saltem, sed instrumenta facit, hoc est nimirùm sole clarius exhibere idem tenebras effundere.

FABER.

Fuere nonnulli, qui hanc Nicolai similitudinem ex Esaia citatam non tam rectè quadrare dixerunt, assignantes hanc causam. Quoniam Esaiæ verba res inanimatas exprimerent, quas ad viuentia non conueniret referri. Ego prorsus contrariam dico sententiam, fretus auctoritate Hieronym. qui in Esaia, cap. 10. scribens, in primis hæc Esaiæ verba in regem Assyriorum scripta credit. Quicquid enim Assyrio dicitur, ad hæretieorum superbiam, & ad Diabolum referri posse putat. Nempè securis, & serra, & virga in scripturis appellatur, eo quòd per illum infructuosæ arbores succidantur, & diuidatur, atque serretur incredulorum duritia, & percutiantur virga, qui non recipiunt disciplinam. Hæretici quoque, vt idem Hieronymus ait, quorum os in cœlum ponitur, & lingua eorum pertransit in terram, sensu, quem adeò in bonam partem acceperunt, abutuntur in contrarium, atque peruersum, vt loquantur contra eum, à quo conditi sunt, & linguæ ministerium, quo laudandus est Dominus, verrant in blasphemiam. Et Ioathan in vertice montis Galisini, vt est Iudicum, 9. fecit loquentem oliuam, loquentem vitem, & demum hoc totum fabulas quasdam, & figmenta, vel Lucianica, vel Aesopea redolet. Sed quid? Ad Euangeliea propero. Dicitur Christus Leo, vocatur & multis alijs nominibus.

Sed hęc ex omni parte conuenire probat Gregorius Nazianzenus Diui Hieronymi præceptor. Ostendit & hoc per multa capita Augustinus, 16. lib. contra Faustum. Quòd si Hieronymo licuit talem facere comparationem, & frequentissimum est illud inter sacræ scripturæ doctores: Non ergo peccauit Nicolaus, potissimùm quia non potest inferior absoluere superiorem. Receptissima enim est apud iureconsultos ista sententia, quòd par in parem non habet imperium, longè minus inferior habet iudicare superiorem. Et scripsit hoc Iulius Papa ad orientales Episcopos, quòd nullo modo maior à minori possit iudicari. Sed quid? Inter hæc capita, quæ statuit synodus hæc sancta Nicęna accedentibus capitibus, quæ pronunciauit Osius Cordubensis Episcopus. Illud idem habetur, quod Nicolaus scripsit, quem & errasse credis. Nec tamen se Deum facit, immò Papa se dumtaxat Christi vicarium, ac successorem Petri agnoscit. Nec abnegat alios Episcopos dici fratres, velut ipse imaginatis, immò vt in alio loco me referente habes, se seruum seuorum Dei appellat. Desine ergo calumniari.

CAP. XLVIII.

Accusat Lutherus Nicolaum, quòd dixerit Ecclesiam Romanam omnium Matrem, cum Iudaica fuerit ante Romanam, sed hoc probat Faber ex Scriptura, ex Patribus.

LVTHERVS.

DEindè in fine Rom. Ecclesiam matrem vocat omnium Ecclesiarum, in quo mirum est, cuius filiæ, & discipulæ fuerunt Ecclesiæ Iudææ, de quibus Paulus ad Galatas dicit. Eram igootus Ecclesijs Iudææ. Et quæ Ecclesia fuerit, quam Paulus vastabat? Siquidem Roman. Ecclesia tunc erat io lumbis patris sui Petri, qui Hierosolymis erat. Quid quæso Hierosolymitana Ecclesia didicit à Romana? Cur mentitur Paulus Roman. 15. Pauperes sanctos in Iudæa iustè accipere collectam à Romanis, & alijs gentibus, quòd spiritualium illorum participes facti essent. Quo verò Apostolus Hierosolymitanam Ecclesiam matrem, matricem, radicem figuat omnium planè Ecclesiarum totius orbis, etiam Romanæ, quod & verum est. Quis enim poreft negare Ecclesiam gentium posteriorem esse Ecclesiæ Iudæorum, & ex hac illam natam? cum tot in locis hoc de gentibus prophetæ prædixerint. Cum enim in actibus discipuli dispersi solis Iudæis prædicasse verbum, & de gentium salute stupuisse leguntur. Et Paulus Rom. 15. Iudæorum ministrum fuisse Christum, & gentes misericordiam consecutos ad ruinam Iudæorum doceat. Sed & Christus, Ioannis 4. Salus, inquit, ex Iudæis. Modestè itaque dixisset matrem Ecclesiarum, sed matrem omnium Ecclesiarum hyperbole est nimia.

FABER.

Dem tibi hyperbolen hic esse, quam Hebræi *guzema* dicunt, quo Nicolaus Rom. Ecclesiam vocat omniū matrem. At noudum erat reijciendum. In geographia Ptolomæi reperitur id à quibusdam hyperbolicè dictum, quod est de distantia Garamantum, & Æthiopum. Et apud alios graues auctores multi sunt sermoues hyperbolici, immò teste Cyrillo, hyperbolicè dictum est, cum Ioannes inquit. Sunt alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse libros, qui essent scribendi. Nec quisquam absurdum putet in diuinis libris hiperboles esse, huius generis sunt illa. Facilius est camelum per foramen acus pertransire, quàm diuitem intrare regnum cœlorum, cum nihil aliud intelligi vellet, quàm esse difficillimum, vt diues obtemperet Euangelicæ doctrinæ. Item apud Lucam, vbi parabola iubet ad conuiuium adhiberi debiles, cœcos, & claudos, nihil aliud significatur, quàm abiectos, & calamitosos esse subleuandos beneficio gratuito. Et certissimum est apud Hieronymum io Ioelem, cap. 2. hic esse hyberbolen, quando dicitur. A facie istiusmodi locustarum terra fluctuare videatur.

Denique præ multitudine locustarum obtexentium cœlum, Sol & Luna conuertentur in tenebras, & stellæ retrahent lumen suum. Et aperta erat hyperbole, qua dicebatur Deuteron. 9. Audi Israel, tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas ciuitates ingentes ad cœlum vsque muratas. Origenes indicat hyberbolen esse, quod in Genesi scriptum legimus. Lauit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Quis enim abluit vestes suas in vino? Verum his verbis nil aliud intelligi voluit, quàm insignem, & exuberantem agni fertilitatem. Idem hyperbolen esse putat, quod Paulus scribit, Romanorum fidem prædicatam in vniuerso muodo, cum multis esset ignota regionibus. Et Hieronymus parem hyperbolen esse credit, cum Paulus ita scribit ad Galatas, capit. 4. In principio dilexistis, vt si fieri potuisset, eruissetis vobis oculos, & mihi vt omnium vestrū luminibus plus cernerem, dedissetis. Optabatis vos quidem cæcos esse pet ineffabilem in me charitatem. D. Augustinus in epistola ad Publicolam, quæ inter cæteras numero censetur centesima quinquagesima quarta putat in illis verbis Christi, quibus prohibet in totum ne iuremus neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quicquam, hyperbolen esse. Plus enim dixit, quàm sensit, quo vehementius perterreret à periurio.

Quòd si in his, alijsque scripturæ locis non reprobatur hyperbole, quid peccarem etiam, si hanc velim tueri hyperbolen? nolo tamen, ne contra verbum Apostoli videar esse litigiosus in re sacra, atque diuina. Et iam plus cordi est, ac enumerare placet. Ecclesia Romana pro sano intellectu cur mater dicatur Ecclesiarum, Marcus scribit ad Athanasium, & Ægyptiorum Episcopos sic dicens. Hæc sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauata succubuit. Sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide sine tenus manet, secundū ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui suorum discipulorum Principi in suis fatus est Euangelijs, Petre, inquiens, ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cibrat triticum, ego autem pro te rogaui, vt uon deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Immò Romana Ecclesia prima esse dicitur, quòd in ea præsedit Petrus. Cui Dominus iuxta verbum Ambrosij principatum dedit Ecclesiæ. Qui, secundum Chrysostomum, præsul fuit Ecclesiæ. Et ad verbum August. totius Ecclesiæ tenuit principatum. Hæc & alia de Petro dicta, si conferre volueris, longè maiorem habet hyperbolen, quàm quòd à Nicolao dictum est. Et licèt Hierosolymitana Ecclesia prima fuerit, at quia quamdiu vixerunt illic Apostoli, Petrus Princeps, & caput erat. Et numquid non potissimam illius Ecclesiæ partem lucratus est Petrus? Siquidem qui tot millia hominum vno

vno sermone conuicerit. Sed quòd Hierosolymitanam Ecclesiam matrem esse probas ex Paulo, quòd spiritualium participes facti sunt gentiles, non ignoro completam esse prophetiam de Sion. Exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Sed per id non simpliciter mater, idest superior dicetur. Quòd si Paulum obieceris, quòd Hierusalem sit mater omnium nostrum, dico id verum esse. At prius dixerat Paulus de illa Hierusalem, quæ sursum sit, De ea commentaria Hieronymi loquuntur, & alij. Et expressè Hieronymus hoc habet in epistolam ad Ephesios, cap. 4. Item Augustinus inquit in lib. de cathechizandis rudibus, cap. 21. Sicut Hierusalem significat ciuitatem, societatemque sanctorum, ita Babilonia significat societatem, ciuitatemque iniquorum.

Sed videamus an aliquid ex Euangelio pro illo primatu possimus habere. Legitur in Euangelio dixisse Dominum. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et idem paucis verbis mutatis inuenitur in Luca. Præsciuit itaque Dominus olim quid futurum esset illi ciuitati, vnde illi primatum dare non promisit. Addo quòd res non sine mysterio est, quòd legitur Christum non in, sed extra Hierusalem ascendisse in cœlum, illicque discipulos ad prædicandum, misisse. Vnde Matthæi vltimo. Vndecim discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt eum, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. [Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.] Lucæ vlt. Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Actuum primo. Cum videntibus illis eleuatus est,& nubes suscepit eum ab oculis eorum, reuersi sunt Hierosolymam. Cum itaque ciuitas pacis, seu eluitas visionis pacem habere, immò veritatem videre noluit. Vnde educti sunt discipuli extra ciuitatem, quasi non illic, sed alibi matrem Ecclesiarum fundare voluerit. Denique Iosephus, qui vernaculus est scriptor Iudæorum, asseruit illo tempore, quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi virtutum cœlestium erupisse voces dicentium, Transmigremus ex his sedibus.

Nec opus fuerit, vt per omnia conueniat, cum dicimus Ecclesiam Romanam Matrem esse omnium Ecclesiarum. Siquidem notissima est allegoria post Paulum per Adam intelligi Christum, & per Euam Ecclesiam. Qqomodo de Adam, & vxore eius omne hominum nascitur genus, sic de Christo & Ecclesia omnis credentium multitudo generata est, quæ vnum Ecclesiæ corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur; & costæ locum replet, & vnum viri corpus efficitur. Ipso Domino in Euangelio postulante. Pater da, vt quomodo ego, & tu vnum sumus, sic & ipsi in nobis vnum sint,

Et apertum est Cypriani testimonium, Petri Cathedram, atque Ecclesiam esse principalem vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.

Sed quod Ecclesia Iudæorum primò fundata legitur, & Iudæis primò prædicatum Euangelium, res est alteriùs mysterij. Cur enim putas Christum in Galilæam esse profectum, nisi vt sibi ex gentibus sponsam sumpturus Ecclesiam, filij Israel primam benedictionem haberent? Illis enim credita erant eloquia Dei, & promissio, & legislatio, & confectio testamenti. Verùm illi credere noluerunt ad Iacob minorem populum benedictionem esse translatam, innuit, neque tamen minorem filium penitùs fuisse despectum, quia cum subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet.

Primò Iudæis erat prædicandum, sicut & Apostoli primùm in synagogis Dominum nunciabant. Sed quia non recepere salutem, conuersi sunt ad gentes. Vndè actuum 18. Notum sit vobis, quia gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audierunt. Venerat lux in Mundum, & magis Iudæi dilexerunt tenebras. Vndè vt est apud Hieron. in Esa. c. 60. Lumen, quod super Hierusalem ortum fuerat, per Apostolos Dominus transmiserat ad gentes. Vndè actuum 1. Eritis mihi testes in Hierusalem, & omni Iudæa, & Samaria vsque ad vltimum terræ. Per hæc tamen nemo subinfert Hierosolymitanam Ecclesiam fuisse superiorem.

Sed quid opus est verbis, inquit, Petrarcha, cum res ipsa testatur? Petrus totius Ecclesiæ tenuit principatum, iuxta verbum Theophili, Augustini, & aliorum. Nimirum si Sedes illius principatum obtineat. Sed quòd contendis eapropter Hierosolymitanam Ecclesiam Primatum habere debere, ex eo, quod hìc primò cœperint prædicare discipuli.

Dic ergo an non eadem ratione Capharnaum Primatum habere deberet, ex eo quòd Matthæi 4. legitur. Iesus secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit, & inhabitauit ciuitatem Capharnaum maritimam in finibus Zabulon, & Neptali, vt adimpleretur, quod dictum est per Esaiam Prophetam. Terra Zabulon, & terra Neptalim, via maris trans Iordanem Galilææ, gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Egindè cœpit Iesus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum Cœlorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ. Et hoc idem habetur apud Marcum dicentem, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium Regni Dei, & *dicens, &c.* Et Lucas sic habet. Regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo, & ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur coram omnibus. Quòd si primum miraculum velis, & Chanam Primatum habere dices. Nam in Chana Galilææ fecit initium signorum, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Sed nec id factum est, sed ea Ecclesia Primatum consensu Patrum obtinuit, in qua Petrus Apostolorum Princeps, & Imperator

totius

totius Orbis Dominus præsedit, atque regnauit. Et hoc etiam fortè mysterium est, quòd omnia *Hierusalaim*, Hierusalaim in biblia hebræa scribuntur fine, iod finali, & perindè *Hierusalaim*, Hierusalaim, præter quinque, quæ scripta sunt integra, ratio est, quia dispersæ sunt gentes, & destructa est ciuitas.

CAP. XLIX.

Reprehendit iterum Lutherus Nicolaum dicentem Ecclesiam Romanam instituisse omnes Metropoles, Primatus, &c. sed respondet Faber etiam Dominum fundasse alias Ecclesias.

LVTHERVS.

Septimus. Nicolaus iterum dist. 22. cap. Omnes. De quo textu nescio quid dicam. Nam prope corrigo meam propositionem, & & dico Romanam Ecclesiam esse superiorem, probatur ex deliramentis cuiusdam ineptissimæ paleæ nomine Rom. Pontif. Ecclesiam Christi illudentis. Audi quæso per Christum quid dicat. Omnes, inquit, siue Patriarcharum, siue cuiuslibet apicem, siue Metropoles Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia. Illam verò ipse solus fundauit, & supra fidei petram mox nascentis erexit, qui beato Petro aternæ vitæ clauigero terreni simul, & Cœlestis Imperij iura commisit. Rogo te Lector de Romanis Pontificibus,& ipsa Romana Ecclesia tot millibus martyrum in Cœlo, & terra fulgente alia, quæ potes, sentias, modò propitius sit tibi Christus, ne hoc decretum credas editum ab vllo Romano Pontifice saltem sciente primum verbo Christi solam Romauam Ecclesiam fundaram garrit.

Hic impius quisquis est Rom. nominis ementitor. Cæteras autem, sequitur, non Christus, sed Romana Ecclesia fundauit, quia Romanam Ecclesiam supra fidei petram erexit, supra quam petram quæso alias Ecclesias erexit,an supra harenam? Non credunt idem Romana Ecclesia, & aliæ Ecclesiæ? Non sunt ipsæ etiam Ecclesiæ? Si sunt Ecclesia Christi, cur tu impijssimo ore resistis Christo dicenti, [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Non etiam Ecclesia Christi est? & Christus affirmat eam ædificandam supra petram fidei? Impio iam errore dicitur ad Ecclesiam Romanam pertinere, & non ad alias omnes.

Te nunc appello Lector, vt iudices, an hæc decreta modestè, vel immodestè frigidissima dixerim, quæ verius impijssima dicere debuissem, non quòd Romanorum Pontificum sint,sed quòd nomine eorum vulgentur & per ipsa iam multis annis adulentur Summis Pontificibus, has insanias nihil curantibus, quin & suauiter audientibus. Igitur Euangelium, hoc interprete, sic intelligemus, &locupletabimus.Ego supra fidei petram Ecclesiam meam Romanā,Romana autem ędificabit supra suā sententiamEcclesias suas, non meas, quia meam supra fidei petram ædificabo. Ecce nunc erant adulatores, & statuant nobis Scripturæ sanctæ interpretationem ad Romani Pontificis scribas pertinere.

Dein vide quid sit in curia Romana iuristas dominari, & sine theologis, ac sacris literis de sola potestate, & Spiritus sancti præsentia præsumere, hoc est per solam potentiam Scripturas tractare. Cæterum iuxta Augustini regulam, & Romanus, & omnis Pontifex cuiuslibet fidelis,etiam iudicio maximè in materia fidei subiacet.

FABER.

Diuus Augustinus in libro de doctrina Christiana cap. 19. pulchrè nobis ostenditur quomodo sit temperatè docendum,detestatur & eos in libro de ouibus cap. 8. qui pedibus suis aquam alioquin puram turbidam faciunt. Et tu mi Luthere hic si nos docere volebas, modestius facere debuisses. Deliramenta, ineptissimas paleas, ementitam adulationem, & id genus fulmina emitris? Ea cum nonnulli in ore tuo frequentissima esse audirent, ausi sunt te hanc vocare ollam succensam, quam viderit Hieremias, & maximè cum facies sit à facie Aquilonis. Sed dicis ad correctionem, hæc dico, credam tibi, sed id immoderatè agis, nec ea propter laudem, aut coronam habebis à Domino. Non enim correctionis debitas leges obseruas. Siquidem ad correctionem plura exiguntur. Fit enim sæpè, vt Hilarius in Matth. canone 5. ait: vt adsumamus nobis arguendi aliquas auctoritates sine vllo propriæ emendationis exemplo,& medendæ charitatis alienæ iactantiam præferamus,ipsi in tenebris corrupti luminis constituti, cum difficile sit quemquam præstare, quod exigat & optimum sit exemplo potius docere, quàm dictis. Cura ergo propriè est adhibenda cæcitati; quia & natura rerum est non priùs aliquem purgandæ de oculo fratris festucæ idoneum effici posse Doctorem, quam de mentis suæ lumine trabem perfidiæ grauantis eiecerit.

Quòd si hæc erga proximum quemque fiunt, quid putas erit erga Pontificem non Summum, immò inferiorem? Hæc non dico vt mea sint, sed vt olim non tàm gentilitiæ, quàm Christianæ modestiæ memineris. Dic mihi quid commune Christiana religio cum tuis illis spurcissimis ledorijs, & scommatibus habet? Tu si in aduersarium tuum sæpe luseris, ne obliuiscatur, quia salsamenta vendiderat, aut tu memineris quando se ille brachio emungebat, veluti est apud Macrobium in 7. quid pertinebit ad rem, an ad destructionem, an ad ædificationem? Dicent optimi quique satis hìc esse loquentiæ, sapientię parum.Brasidæ igitur modestia.cuius Thucidides non sine laudis præconio meminit, duxerim vtendum esse.

Sed immoderatum ingenium in quemcumque proruerit, modum non habet, vt est apud Apuleium de dogmate Platonis. Ideò aut semper ei deest aliquid, aut redundat. Quòd si nec adhuc obtemperaris, aut acquieueris, immò ità libuerit. Vide quam iniustè hanc satyram in Nicolaum Papam moueris. Scri-

Scribit Nicolaus de Romana loquens Ecclesia, quòd hanc ipse solus fundauerit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & Cœlestis Imperij iura commiserit. Hic subinfers hisce verbis tantùm intelligi, quasi Dominus alias non fundauerit Ecclesias, quod tamen ex Nicolai sententia extorquere non potes.

An non simile est, quod Deuteronomij 32. dicitur? Dominus solus Dux eius fuit. Numquid hic Dominum prohibemus Ducem fuisse Apostolorum? Et simile est, quod psalmo 135. dicitur. Fecit magna mirabilia solus. Numquid ex illa sententia, solus Christus Romanam fundauit Ecclesiam. Sequitur ergo. Alias Ecclesias Christus minimè fundauit. Forsan si ità dixisset Nicolaus, solam Romanam Ecclesiam fundauit Dominus, ergo non alias fundauit Ecclesias, staret, quod dicis, nec hic necesse fuerit, vt ex theologico fonte hic aquam haurias, cum non sit grammaticus quisquàm, qui non ista intelligat.

Sed quod addis in fine Romanum Pontificem etiam cuiuslibet fidelis iudicio subiacere, satis durum videtur. Noluit Constantinus Episcoporum causas iudicare. Sunt & sanctorum Patrum sanctiones, in quibus est pulcherrimus ordo de iudicandis presbyteris, atque Episcopis. Has infringere impijssimum esset.

Sed illa forsan tamquam frigida contemnis? Scis non absque causa scriptum esse Lucæ 12. dixisse Dominum. Homo quis me constituit iudicem? Quòd si & hoc Euangelij verbum in alium traxeris intellectum, scis in epistola ad Timotheum ità scriptum. Aduersùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.

Quòd si Timotheo soli non licuit accusationem aduersùs Presbyteros recipere, cur cuilibet Christiano liceret Rmanum iudicare Pontificem? vt quis rectè iudicet, non parua exigitur prudentia. Vndè Esaia 1. Quærite iudicium. Vbi secundùm Hieronymum, non est omnium rectè iudicare, sed eorum, qui prudentes sunt. Et Salomon in visione per somnium hoc à Deo postulauit, vt accepta sapientia, iustè populum iudicaret.

Vulgus hoc rude quomodo iudicabit, quod numquam didicit? Numquid non verum est, omnis, qui non didicerit iustitiam, super terram veritatem non faciet? Discenda ergo est iustitia, & magistrorum terenda sunt limina. Adeò hoc iudicium vulgare contemnendum esse credit Hieronym. vt etiam ad Pimachium scribens, primam monachi virtutem esse putarit, vulgi contemnere iudicia. Nolo hìc dicere de trabe, & festuca in Euangelio. Id vnum addo, aliena iudicare, ne sutor vltra crepidam periculosum est.

Sed breuiter apertissima contra te stat Hilarij, ac Ambrosij sententia, scilicet quòd in materia fidei nullus laicorum, etiamsi fuerit Imperator, possit iudicare. De eo, quòd iura Cœlestis, ac terreni Imperij habeat Petrus, ex Hilario probabimus.

CAP. L.

Damnat Lutherus illud dictum, quòd Cælestis Imperij, & terreni Christus iura Petro commisit. Respondetque Faber vt Christi Vicarium posse hæc facere.

LVTHERVS.

IAm illud, quàm Euangelicè dictum est, quòd Cęlestis Imperij, & terreni iura Petro commisit. Obsecro non est hæc res omnibus lacrimis digna, quòd hæc non modò legere, sed etiam credere pro oraculis Spiritus sancti vrgeamur, vt ignem minentur, si contra quid mutiamus? Atque ità fit, vt hæc maiore timore, & religione amplectatur, qua vllum, vel aliud fidei, vel morum præceptum Diuinum, vbi ignem nemo minatur, quin glorificantur, & adhuc bonum statum Ecclesiæ somniamus, nec Antichristum in medio templi agnoscimus. Igitur vox ista blasphemia est impijssima, quòd Petrus iura Cęlestis Imperij teneat, cum solùm ministerij verbi teneat in terra. Christus solus est Dominus Cœli, & terræ.

Deindè Imperium, & terrenum Christus docuit, & Petrus contemnere hìc non solùm non habere, sed etiam iura eius in manu Petri constituit. Hinc secutum est malum, quòd adulatores Roman. Pontif. in vtroque Regno dominiũ constituunt, quòd nec Christo quidẽ datum est, qui suum Regnum negat ex hoc Mundo esse. Mirum autem, quòd Petrus Neronem Principem passus est non modo in Roma, sed etiam in sua Cruce, qui potuit ei iura terreni Imperij auferre, aut certè friuolum; & impunem est, successorem Petri hoc præsumere, quod in Petro non fuisse cernitur.

Pereant ergo arrogantissima vocabula ista imperij cœlestis, & terreni imperij. Soli hæc Deo conueniunt. Ministro Ecclesiæ, & sacerdoti Christi seruo modestiora tribuantur. Sequitur eadem palea. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est Cœlum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Vide monstra. Aut hæc de sola Romana Ecclesia dicuntur. Et sequitur omnes alias Ecclesias esse terrena sententia statutas, & sine verbo Dei, sine quo nihil factum est. Et sic omnes aliæ Ecclesiæ sunt nihil, aut simul etiam de alijs Ecclesijs intelligendum est, esse scilicet eas per verbum Dei, quod omnia condidit statutas. Et sequitur hinc nihil singulare de Romana Ecclesia dici, nisi inanem pompam syllabarum, & ità Decretistam hunc, aut intelligibili impietate negare cæteras Ecclesias vnà cum Christo, aut seipsum sua inscitia manifestissimè irridere.

FABER.

Tota tua eò tendit oratio, vt Petrus dici non possit habere iura terreni simul, & cœle-

stis

stis imperij. Dic mihi Luthere, an non Pontifex possit excommunicare? certè iudicio meo hoc facere potest. Fecit hoc Paulus, qui Corinthium peccantem tradidit sathanæ in interitum carnis. Potuit hoc facere Petrus. Et tempore Cypriani Stephanus hoc fecit Rom. Sedis Episcopus. Ità est apud August. de vnico baptismo contra Petilian. cap. 14. Sed & excommunicare ius quoddam est, & quidem temporale, quamquam & spirituale etiam dicatur, & ad ecclesiasticum spectat principatum, vt est apud Origenem in Matth. Et propterea idem homil. 2. super lib. Iudicum sic ait; Non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent, non solùm soluendi, sed & ligandi traduntur peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à Christi corpore separantur. Et (vt mihi videtur) dupliciter traduntur etiam nunc homines de Ecclesia in potestatem Zabuli, vno modo, quo superiùs diximus, cùm delictum eius manifestum sit Ecclesiæ, & per sacerdotes de Ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, conuerso eueniat illi, quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.

Hæc sathanæ traditio numquid non quoddam ius terrestris imperij dicitur? aut si malueris, numquid non ob certa crimina quis à communionis consortio eijcitur? sicut est apud Ambros. in Psalmo 118. sermo 8. & nonuisi ad tempus admittitur, & hoc rectè fit ex ecclesiastico principatu, ea fiunt equidem super terram. Reprehenduntur tamen hi, qui dumtaxàt mortuis sepulturam negant, vt est apud Ambros. in lib. de Tobia. Taceo quòd excommunicationem ferant, quæ non nisi rarissimè etiam in gradientes super terram, ferenda est, sicut est apud Origenem in Matthæum homilia 12. Sed numquid non Petri potestas, quæ est in ligando, & soluendo, super terram exercetur, ità sonante Euangelio, & quod Petrus operatur in terra, Christus confirmat in cœlo. Non ergo tam grande peccatum committitur, si Petrus dicitur habeue iura vtriusque imperij. Sed & simile dixit Hilarius in Psalmo 131. vbi sic ait. Sed ante hanc requiem, & Apostoli cliguntur, & soluendi, ac ligandi & in terra, & in cœlo ius sortiuntur, & potestatem aduersùs virtutem omnem aduersariam sumunt, & Templum Dei sunt, & ipsi ex lege venientes, dignum Deo Iacob tabernaculum sunt repetti.

Et idem in Matthæum canone 16. sic ait. O beatus Cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas sit in Cœlo, vt quæ in terris ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo. Dic tu mihi an hìc Hilarius gallico suo cothurno damnetur, qui scribit apertè esse terrestre iudicium? Et tu mihi responde, cur dixerit ille, terrestre iudicium? An non ob eam rationem, quam supra signaui? Sed eò fortè dumtaxàt pergis, quòd sub Cæsare sit Pontifex, sub Rege sit Episcopus, sub principe sacerdos.

Ad hæc audi Ignatium à mille quadringentis annis ità ad Philadelphienses loquentem principibus; Subditi estote Cæsari, milites principibus, diaconi presbyteris, vt sacrorum administratoribus. Presbyteri verò, & Diaconi, atque omnis Clerus simul cum omni populo, & militibus, atque principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus verò Christo. Hæc sancta Ignatij anima in episcopalis dignitatis honorem dicere non veretur. Et tu quomodo dicis Pontificem iudicandum ab omnibus, & quòd laicorum etiam in materia fidei debeat expectare sententiam? Sed & iterùm audi quid scribat idem Ignatius ad Smyrnen. scriptum est. Honora fili Deum. Ego autem dico, honorate quidem Deum, & auctorem omnium, & Dominum, Episcopum autem tamquam principem sacerdotum, & imaginem Dei ferentem, principatum quidem secundùm Deum, sacerdotium verò secundùm Christum. Et post hunc etiam honorare oportet Regem.

Nemo enim porior est Deo, neque similis ei, neque Episcopo in Ecclesia honorabilior sacerdotium Deo gerenti pro Mundi salute, neque Regi, quis similis est in exercitu, pacem, & beneuolentiam omnibus principibus cogitanti. Qui enim honorat Episcopum, honorabitur à Deo, & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra Regem insurgens, damnatione dignus est, quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Episcopum aliquid egerit? hæc Ignatius non iampridem natus, sed Ioannis illius, qui recubuit supra pectus Domini, discipulus, qui & olim pro fide Christi Romæ pugnauit ad bestias. Sed quid multis moror? Quomodo Petrus acceperit iura cœlestis, ac terreni imperij, Christus declarat dicens; [Tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Si claues itaque habet Regni Cœlorum, numquid non ius habet Regni cælestis? Quòd si hoc ipse operatur in terris, dicente Chrysostomo, Deus confirmat in Cœlis. Numquid non vtriusque imperij iura habere dicetur? Nec quisquam contra dixit vnquam Domini esse terram, & plenitudinem eius Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Tamen in his, quæ ad munus soluendi, ligandique pertinent, Vicarius Christi agit, quod & iam in locis pluribus ostendi. Sed addis.

CAP. LI.

Arguit Lutherus, nulli Ecclesiæ dictum esse, debere fieri inferiorem Romanæ, sed probat Faber, Romanam esse Caput ex Scriptura, Patribus, & Historia.

LVTHERVS.

Quòd si de Constitutione Ecclesiarum iuxtà dignitatis gradus loquitur, non iuxtà substantiam, patet ex prædictis, quàm pre-

peruerse hoc verbum Christi de fide totius Ecclesiæ vniuersalis torqueat ad potestatem vnius hominis, Christus Ecclesiam suam super petram ædificare se dicit, hic verò non, sed dumtaxàt Romanam, hoc est cæteras Ecclesias nihil facere, & Christum negare. Porrò si cæteræ Ecclesiæ sunt terrena sententia statutæ, & hanc sententiam Romanæ Ecclesiæ esse dixie, suo ore sese damnat, suam sententiam esse terrenam, non diuinam dicens. Et vbi manet, quòd vocem Petri tamquam diuinam, non terrenam audire oportet? Porrò quis constituit Ecclesiam Hierosolymitanam, antequam Romana esset? An non Petrus verbo Dei Rom. Ecclesiam constituit?

Verùm si de dignitatis constitutione loquitur, non de substantia Ecclesiæ, tunc arguo sic. Romana Ecclesia est diuino verbo alijs superior constituta. Ergo necesse erit, vt eodem verbo cæteræ Ecclesiæ sint ei inferiores statutæ, quia non potest statui superior, nisi sint, quibus superior statui possit. Vbi ergo est, quod supra dixit, inferiores cæterarum Ecclesiarum ordines à Romana Ecclesia institui non verbo diuino, quo vult sola constitui ipsa. Nam quomodo Christus potuit statui Dominus, nisi simul gentes & termini terræ subijcerentur, & mons Sion, cui Rex præficeretur?

Adde his, siquis dicat. Si Romana Ecclesia diuino verbo fundator super omnes, oportet ergo, & eas certas nominari, quæ verbo diuino subijciantur. Age. Esto ergo hæc sententia diuina, Romana Ecclesia est alijs superior. Dic vbi scriptum sit eius Corollarium, Ecclesia Mediolanensis est eius inferior, aut alia? Si nulla nominatur, nulla subesse debet, præcepto saltem diuino. Quid hic meliùs dici potest, quàm quòd verbum Christi nec de superioritate, nec inferioritate Ecclesiarum intelligi possit, sed de sola eadem, inuictaque fide, & potestate omnium Ecclesiarum æqualiter. Vides ne quid sic sacras literas pro humano affectu, & sine timore Dei tractare?

Sequitur. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur. Vide quæ Corollaria inferat. Verbum Christi de fide ad potestatis significationem detortum priuilegium fic Romanæ Ecclesiæ in verbo, quod communiter omnibus Ecclesijs conuenit, quia Christus dicit; [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Meam inquit. Si Ecclesia quælibet est Ecclesia Christi, ipsa certè ædificata est super eandem petram, & nullum est vlli priuilegium. Si non est Ecclesia Christi, & sola Romana est Ecclesia, priuilegium non stat, quia nulla est Ecclesia, cui Rom. superior esse possit. Iterùm dico pronomen meam, aut significat solam Rom. Ecclesiam, aut omnem Ecclesiam, si solam, non habet priuilegium.

F A B E R.

Probatum est multis argumentis, ac auctoritatibus Petro creditas oues. Sicur & olim dixit ad Dauid Dominus, *Atah tidheb & hama & Israel*. Tu pasce populum meum Israel. Ostendi denique Petrum fuisse Capue Apostolorum ex Cyrillo, ex Augustino, imò Græcis, ac Latinis id euidentissimè patet. Et sunt, qui asserunt Hieronymum scripsisse quomodo Porphyrius etiam vocauerit Petrum, Principem Apostolorum, cuius tamen in præsentiarum ego non memini. Tamen certum est, quòd hoc Petrus obtinuit, non ex se, ità ve sese ille præfecerit, sed fideli testimonio Domini factum est istud. Non ergo humana, sed diuina sententia cæteris prælatus est Petrus. Hanc sancti Patres in Synodo Nicæna considerantes, ordinarunt absque Rom. Pontificis sententia nullum Concilium celebrari debere, quodque ad hunc tamquam ad superiorem fuerit appellandum.

Sed tu dic. Cur pro primatu pugnarunt olim Antiochena, & Romana Ecclesiæ? certè quia in vtraque præsedit Petrus. Quamquam Romana, & Constantinopolitana Ecclesia, pariter inter se, & diutissimè super primatu pugnarint. At Constantinopolitanus Episcopus potissimùm propterea primus esse voluit, quia secum resideret Imperator totius Orbis Dominus. Sed Antiochena Ecclesia iustiores causas habebat, tum propter Petrum, tum quòd huic & sancti, & doctissimi viri præfuerunt Lucas, Ignatius, Theophilus, Serapio, Babila, Lucianus, Euagrius, Ioannes, Eustachius. De quibus omnibus passim Diuus Hieronymus, Ignatius etiam, qui secundus fuit illius Ecclesiæ Episcopus, teste Eusebio in tertio Ecclesiæ hist. libro cap. 22. ad Antiochenses scribens, hortatur vt memores sint beatissimi Enodij pastoris, qui sit illius primus ab Apostolis antistes ordinatus.

Et quamquam Alexandrina Ecclesia fuerit à sancto Marco gubernata, & suæ prærogatiuæ causas habuerit non mediocres. Siquidem, & ipsa à Discipulo Petri instituta, viros sanctos, atque doctissimos habuit Panchenum, Clementem, Origenem, Dionysium Origenis auditorem, Machionem, Presbyterum Pierium dictum, Iuniorem Origenem, Athanasium, Didimum Maximum &c. Sed quid de vtraque putas esse factum Ecclesia? certè consensu, atque iudicio Patrum non Antiochena, sed Romana præponitur Ecclesia. Et Alexandrina Ecclesia Romanæ se gaudet esse participem. Et ego numquam crediderim si totidem sanctissimi viri non intellexissent Petro non terrena, sed diuina sententia deberi primatum, numquam passi fuissent Antiochenam, vel Alexandrinam Ecclesiam decreto Patrum aliquando subdi. Monstrauit hoc sat pulchrè Leo ille sanctissimus scribens ad Maximum Antiochenum Episcopum. Et cum ità in Leonis nomen incidimus, si perspexerimus epistolas, quas scripsit ad Episcopos Constantinopolitanos Flauianum, Anachorium, immò ad presbyteros Constantinopolitanos, ad *Dioscorum* Episcopum Alexandriuum, ad Synodum Chalcedonen. ad Synodum Ephesinam, Iulianum Episcopum Choensem Palestinos, Galliarum Episcopos per Campaniam, Nicceram, & Ianuarium Episcopos Aquilegien. Episcopos per Siciliam, & Italiam, ac Germaniam, & Gallias Viennensem, Arelatensem, Narbonensem, immò ad Episcopos intra Thraciam, & Hispaniarum. Et sic totius Orbis terrarum Episcopos facilè coniectare possumus, quid sibi voluerit, immò in omnibus his scriptis

Euan-

Euangelij verbum, & Nicenæ Synodi, quomodo Decretum obiecerit. Sed ad tua sermonem verto. Sic Romanā dicimus esse primam Ecclesiam, propterea quòd in ea præsederit is, qui præcipuus Princeps, & Caput fuit Apostolorum, primus Ecclesiæ, Præsul, & Pastor, cui totus Domini grex, immò totus Orbis terrarum commendatus fuit. Et fuit is Petrus velut alter Moses, de quo Exodi 18. & Num. 11. legitur Dominum dedisse de spiritu, qui erat in Mose septuaginta viris ab illo in adiutorium suum electis, per quod significatur potestas regiminis à summo Ecclesiæ præsidente, iuxtà Dionysij sententiam, in alios deriuanda.

Hoc intellexerunt procul dubio sanctissimi Patres, vndè primatum hunc in Petro, ac eius Ecclesia tollere noluerunt. Scis denique scriptum esse apud Ambrosium in priorem epistolam ad Corinthios cap. 12. Sicut idolorum imago in ministris eius est ordinem suum habens per singulos gradus, totum tamen hominis est. Ità & in lege Dominica gradus Charismatum sunt officijs Ecclesiæ, non vtique meritis humanis indulti, sed vt membra ad ædificationem Ecclesiæ pertinentia, quæ per se, & in se habent gloriam, sicut est etiam in humanis officijs. Scholæ enim sunt, quæ positis in se, dant dignitatem, ve loci honor hominem faciat gloriosum, non propria laus. Hæc Ambrosius. Non ergo tuum enthimematicum subsistet argumentum, quod de superiori, ac inferiori finxisti. Nam non solùm Mediolana Ecclesia fuit inferior, sed & aliæ post Nicænam Synodum fuerunt inferiores. Hoc recognouerunt Orientales, & Ægyptiorum Ecclesiæ, agnouit Cyprianus, non negauit Hilarius, & suo refugio sanctus testatur Athanasius. Quid quòd sanctus Hieronymus ad Cathedram Petri, tamquam ad sacram confugit anchoram, etiam propè Antiochiam habitans, vt est in epistola ad Damasum Papam. Non ergo sic de superiori, & inferiori acuto, quasi paralogismo argumentari oportet. Nam Ecclesiæ per partes diuisæ fuerunt, testante hoc etiam Gregorio Nazianzeno in monodia; immò creduntur per Apostolos esse diuisæ, vt infrà ex Hireneo Episcopo primitiuæ Ecclesiæ intelliges.

Quare non est necesse in rebus tanta antiquitate firmatis, spinosis, & per omnia captiosis vti paralogismis. Quid si damnationem Stephani, ac aliorum obieceris, mihi responde, quid hoc sit, Deuter. 4. ait Moses. Scitis, quòd docuerim præcepta, atque iustitias, sicue mandauit mihi Dominus Deus meus, sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere. Hic Hæbrei cum Latinis concordi sententia dicunt. Quomodò Israelitæ non fuerint obligati ad multa præcepta, nisi quando venerunt in terram promissionis, tunc enim primò obligati fuerunt, vt facerent quicquid præcepit eis Dominus. Ità & de Petro, ac illius successore dicemus, quamprimum, & quando promulgatum fuit in orbem, quid esset Petrus, quo in ordine locandus; immò quandò ecclesiarum fuit facta diuisio, iam omnes ligati fuerunt ea seruare, quæ promulgata, ac statuta fuerant. Quòd si contempsissent aliqui, non Petrum, non successorem illius dumtaxat spreuissent, sed & contempsissent Deum Israel, sicuti legitur in Regnorum lib. 1. de Samuele. Sed quid opus est verbis? Tu in omnibus fere actis Apostolicis depræhendes Petrum se talem gessisse, qualem Principem inter Senatores reliquos sese gerere optimè conueniebat. Nec mirum fuerit aliquem ab eo, quia via est, inter Apostolos reliquis fuisse præpositum. Cum tamen his, qui adhuc sub lege, & in vmbra viuebant, dixerit Dominus Deuter. 17. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram, & non lepram, & iudicium intra portas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui illo tempore fuerit, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus &c.

CAP. LII.

Sequitur Lutherus Nicolaum arguere, vt deprauatorem Verbi Dei: & probat Faber benè hæreticum dici, qui negat Priuilegium Romanæ Ecclesiæ.

LVTHERVS.

Sequitur iterum corollarium tali themate dignum, vndè non est dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit. Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum (vide hiatum istum stentoreum) auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. Ecclesia Romana non habet ius, sed priuilegium, quod? quod est supra petram fidei ædificata. Hoc enim solius Romanæ Ecclesiæ est, isto auctore. Deindè petram fidei intelligit prælationem hanc primatus terreni. Nam hæc duo perpetuo confundit hæc palea. Obsecro quanta patientia ista est, tolerare primum, sicut dixi. Si petra fidem signat, eadem est omnium ecclesiarum, nulla reliquo priuilegio. Si autem non omnium est, eadem sola erit Ecclesia Romana non habens, cui præfertur. Secundò, si petra fidei dignitatem significat. Iam sibi ipsi contradicit in eodem verbo, verbumque Christi adulterat, fidei significationem in potestatis significationem subuertens, & spiritum in carnem, Christum ad mundum trahens. Non ergo est hæreticus, qui negat hoc priuilegium Romanæ Ecclesiæ. Sed ille deprauator est Verbi Dei, qui per fidei petram intelligit priuilegium potentiæ temporalis.

FABER.

Abhorres hoc dictum, quo is in hæresim labi dicitur, qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium

gium ab ipso summó omnium ecclesiarum Capite traditum auferre conatur. Minùs horrebis, si hęreticum tamquam Leonem ex vnguibus agnoueris. Scis autem ab August. dictum lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 2. hæreticorum genus esse callidum, non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis asturiæ, quo solent hæreticorum feruere pręcordia, & pacem turbare sanctorum. Vndè figurantur per Cham medium Noe filium, qui callidus interpreratur. Vndè & Ambros. in Euangelio Lucæ lib. 7. cap. 4. scribens, hæreticis vulpes comparat. Vulpes enim plenum fraudis est animal, foueam parans, & in fouea semper latere desiderans. Irà sunt hęretici, qui domum sibi parare non norunt, sed circumuentionibus suis alios decipere conantur. Iacob domum habitat, hęreticus in fouea est, vt fraudulenta vulpis gallinę illi Euangelicæ dolum semper intendat hoc animal, neque mansuescit vmquam. Vndè, & Apostolus ait, Hęreticum post vnam correptionem deuita, neque vllius vsui est, aut cibo vtile. Non enim de hoc dixit Christus, Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, quin etiam eas à fructibus suis relegat dicens. Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, hoc est, quòd minorem vineam, non maiorem exterminent. Et ideò Samson ad caudas eorum faces ligauit, & dimisit in messes alienigenarum, eò quòd hęretici fructus incendere conantur alienos latratibus magis sonoris, quam vocibus excitati. Qui enim verbum negat, nec vocem habet, ad præsens ore liberi. Sed in futurum finem iam vincti caudæ facibus significantes sui finis incendium. Nec mirum est illos, hæreticos scilicet vocari vulpeculas vineam Domini demolientes. Nam & Hęrodi versipelli dicebatur? Ite & dicite vulpi huic. Et pseudoProphetæ vulpibus comparantur, referente Hieron. in Ezech. cap. 2. Quin & in lamia, quæ est in lamentationibus Hieremiæ, possunt hęretici accipi, qui humanam quidem faciem, sed beluina per impietatem corda gestant. Hi tunc mammam nudant, quando errorem suum liberè pędicant. Nam, vt est apud eumdem Hieron. in Esaiam cap. 19. in eo se lucrum putant consequi, si alios decipiant, & ipsi perditi, cæteros perdant. Plerumque enim in multitudine sectatorum confidunt, vt habet iterum idem Hieron. in eumdem Prophetam cap. 22. & hoc mira quadam astutia fingunt, & faciunt. Quapropter vulpibus comparatione accommoda comparantur. Quin etiam lupis comparantur. Bestiæ nempè sunt, quæ insidiantur ouilibus circa Pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam, aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò strangulent feræ rapaces, ijdemque natura corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere impetu quodam suo feruntur, & ideò sæpè luduntur. Tum pręthereà si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit exagitari, memorantur. Nonne lupis istis hęretici comparandi sunt, qui insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno. Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi scænæ nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est, fuscare conantur, explorant pastoris absentiam. Et ideò pastores Ecclesiarum, vel necare, vel in exilium agere contendunt, quia pręsentibus Pastoribus oues Christi incursare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini, & diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri, ac rigidi nequaquam solent à suo errore deflectere. Et ideò Apostolus ait, Hęreticum hominem post vnam, & alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est. Nec satis est illos in vulpes, ac lupos abijsse. Sed & multicolores sunt, & adeò vt eos agnoscere difficillimum sit. Vndè Hieronym. in Esaiam cap. 15. eos pardis comparat, quorum in Hieremia varietates, & maculæ non mutantur, vnde ex fructibus illorum cognoscimus illos, in Euangelio dicente Domino. Sed fortè mirabitur aliquis dicens: Qui sunt fructus illorum? dico ergo primò, sunt impudentissimi omnium. Vndè Hieronymus in Ecclesiasten. cap. 8. Omnis hæreticus, & falsum dogma defendens, impudenti vultu est, & odietur, immò semper fœnum habet in cornu, superbi sunt, vt pulchrè idem Hieronym. in Abdiam habet. Vndè gens eodem iterum Hieronym. teste in Esaiam cap. 19. vocatur excelsa propter superbiam, qui solent regi suo, vel Pharaoni dicere, Filij sumus sapientum, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt. Filij sumus regum antiquorum, qui appellantur reges philosophorum, & habemus scientiam scripturarum iunctam sapientiæ seculari. Secundò quòd hęretici prima victoria est patere, quæ tegebantur occulta. Ità Hieron. in Abdiam cap. 1. Vndè cum admiratione dicitur. Quomodo perscrutatus est Esau. Sed & hæc certissima est coniectura, si quando hæretici insectentur ecclesiasticos. Hanc coniecturam infallibilem Hieronymus habet, ac indicat non in vno dumtaxat loco in Abdiam, Amos, cæterosque prophetas. Vndè gigantes dicuntur, qui gaudent in errore suo, & tunc maximè gloriantur, quando Ecclesiæ contumeliam fecerint, vt est apud Hieronym. in Esaiam cap. 13. Et forsan ob id Nicolaus Papa hunc in hæresim labi dixit, qui priuilegium Romanæ Ecclesiæ auferre conetur.

Horum insectatio mirabilis est, itàut citiùs crocodili pietatem, ac hienæ astutiam deprehenderis. Siquidem Augustinus in Ioannem tract. 97. sic ait: Omnes Hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi *Dominus* ait: Adhùc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; quasi hæc ipsa sint, quæ discipuli tunc portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palàm docere, atque prædicare, quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus. Vndè Ignatius. Sunt quidam vaniloqui, & mentis seductores non Christiani, sed Christum mercantes, seductione circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij, & venenum erroris commiscentes dulci blandimento, sicut puto melli virus admiscentes, vt

qui

qui biberit illios potus sensuales illecebras, dulcedine captus, inobseruanter morti abdicatur. Nec illa sententia Nicolai tam ab Ignatij dissidet sententia.

Sed audi quid ad hæc Cyprianus dicat: Neque aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata suot schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur, cui secundùm mysteria Diuina ohtemperaret fraternitas vniuersa. Nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret. Nemo post Diuinum iudicium post populi suffragium, post Episcoporum consensum Iudicem se non iàm Episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet. Nemo sibi placens, ac timens, seorsum foris nouam hæresim conderet.

Hæresis etiam, teste Ambrosio, velut quædam hydra fabularum vulneribus suis creuit, & dùm sæpè reciditur, pullulauit. Igui debita, incendioque peritura, aut velut quædam monstruosi scylla portenti, in varias formas distincta perfidiæ velut supernæ vacuum Christianæ sectæ nomen obtendit. Sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia fidei repererit fluctuantes, belluinis succincta prodigijs terri dogmatis sæuo dente dilacerat. Cuios speluneam cœcis latebris inhorrentem, omnemque eius viciniam cæruleis canibus inter perfidiæ saxa resonantem clausa quodammodò aure prætetire debemus. Scriptum est enim: Sepi aures tuas spinis. Et alibi: Videte malos operarios. Et iterùm: Hæreticum post primam correptionem deuita, &c. Hæc Ambrosius libro 1. de fide cap. 4. Et in alio loco: Hæreticus Coraci comparatur apud Cyprianum in epist. ad Nouatianum hæreticum. Addo, quòd is hæreticus dici potest, iuxtà verbum August. in libro de vtilitate credendi ad Honoratum, qui alicuius temporalis commodi, & maximæ gloriæ, Principatusque sui causa falsas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. Quòd si hoc verum est, eum hæreticum rectè dicemus, qui Romanæ Ecclesiæ primatum totidem annis comparatum auferre conatur. Et forsan ea propter Augustinus contra Petilianum, contra Cælestium, ac alios quosdam ità excanduit. Nec Pontifex ille Nicolaus hìc tam de terreno, quàm cælesti iure Petro tradito debet intelligi. Hoc siquidem turbare, aut diripere impijssimum duxerim.

Nec opus fuit propterea, vti senserunt aliqui Ariani, hoc est Martialis tuæ sectæ professores vnam Synodum conuocare, innixus consilio. Diuus Augustinus in libro 4. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. vlt. quasi nulla hęresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit. Cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multò quoque sint, atque incomparabiliter plures; quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras euitandæ innotescere potuerunt. Quid quòd idem in libro 2. contra secundam Gaudentij epistolam, hoc hominum genus per imperatoriam curam corrigi debere ait. Ad Niniuitarum nempè Regis curam pertinebat Deum placare. Et Rex Nabuchodonosor, quamvis Propheta non fuerit, (Dan. 3.) eos tamen, qui blasphemarent Deũ Sydrach, Misach, & Abdenago religiosa sæueritate coercuit. Ità & quandoque Reges, & Principes terrarum structis hęresibus obuiare debebunt. His enim Propheta dicit Psalmo 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, &c. Hæc ob oculos tuos si veluti speculum posueris, iàm intelliges, quid sit in templo Appollinis *Gnoti se ayton.*

CAP. LIII.

Lutherus adducit Ambrosium dicentem Romanam Ecclesiam esse Matrem Ecclesiarum, sed non omnium, & Faber demonstrat oppositum ex eodem,

LVTHERVS.

Quòd autem in fine Ambrosium adducit, qui se Matrem Ecclesiarum asserit sequi Romanam. Vtinam & ipse idem faceret, cum Ambrosio Ecclesia Romana Mater est, sed non omnium Ecclesiarum. Nàm & Metropolis quælibet est Mater Ecclesiarum, iuxtà Patrum statuta. Deinde Romana Ecclesia numquam verbis Christi has contumelias fecit, quas hæc palea facit. Sed per petram fidem intelligit, non tyrannidis ambitionem.

FABER.

Hanc Ecclesiam Matrem esse supra ostensum est. Sed quid sanctus Ambrosius de ea sentiat in libro 3. de Sacramentis cap. 1. scriptum extitit, huius verba sunt hæc. Audistis lectionem, succinctus est Sacerdos. Licèt enim & Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerij à summo est Sacerdote. Succinctus inquam Sacerdos sumus, pedes tibi lauit. Quid istud mysterium audisti, vtique quia Dominus cum lauisset discipulis alijs pedes, venit ad Petrum. Et ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes? Habes hoc & alibi. Ioann. 13. Venit ad Ioannem, & ait illi Ioannes, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego sum peccator, & tu venis ad me peccatorem, vt tua quasi peccata deponas, qui peccatum non feceris. Vide omnem iustitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem. Nisi lauero, inquit, tibi pedes, non habebis mecum partem. Non ignoramus, quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, & formam. Hæc Ambrosius.

Sed qui Thomam incredulum agis, vide octauam epistolam quarti libri, quam scripsit Cyprianus ad Cornelium Pontificem Romanum; & ità, scriptum inuenies: Quidam mentes nonnumquam animos sermonibus suis turbant, dùm aliter quædam, quàm se habet veritas, nunciant. Nos enim singulis nauigantibus ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos

catos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, ac tenerent. Sed quoniam latiùs fusa est nostra Prouincia, habet etiam Numidiam, & Mauritaniam sibi cohærentes, ne in Vrbe schisma factum absentium animos incerta opinione confunderet, placuit, vt per Episcopos, retenta à nobis rei veritate, ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate maiore, tùm demùm scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omninò in Prouincia istà positos literæ fierent, sicut fiunt, vt te vniuersi collegæ nostri, & communicationem tuam, idem Catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, & tenerent. Quod Diuinitùs euenisse, & consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima est confirmatione fundata, vt ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos indè literas fecerunt, & ex relatione, ac testimonijs Coepiscoporum Pompeij, & Stephani, & Caldonij, ac Fortunati ordinationis tuæ, & origo necessaria, & ratio iusta, & gloriosa innocentia ab omnibus nosceretur. Hæc Cyprianus, quæ tu pro tua à Deo data gratia met considerare velis.

CAP. LIV.

Lutherus impugnat Anacletum, quòd dixerit Romanam Ecclesiam Sacrosanctam quasi aliæ non sint.

LVTHERVS.

OCtauus, vt finem faciamus horum deplorandorum Interpretum Scripturæ Diuinæ, est iterùm Anacletus eadem distinct. cap. Sacrosancta. Sic enim ausus est, quisquis fuerit iste barbarissimus notarius etiam tanto Pontifici tribuere tantam inscitiam, & temeritatem, sacrosancta Romana Ecclesia quasi aliæ non sacrosanctæ sint, etiamsi eadem fide, verbo, sacramento, spiritus, prorsusque eadem sanctitate sanctificentur. Non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore primatum obtinuit, sicut beato Petro dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Si aliquis Gentilium sic exponi verba Christi audiret, quando Christianus fieret? Igitur & hic primatum intelligit, Tu es Petrus, seu per hanc petram. Eligant autem, vt iterum eadem repetam, vtrum voluerint, petra hoc loco, aut significat fidem spiritus, aut primatum exterius. Vtrumque enim simul nequit significare. Si fidem, iàm omnes Ecclesiæ super eam sunt ædificatæ, quia Christus dicit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā. Ergo cuicumque conuenit dici à Christo, Ecclesia mea ad eamdem pertinet petra, & Petrus, super quam ædificatur. Itâ nihil proprium Romana Ecclesia habet, sed omnia sunt communia, quia vbi eadem fides, eadem quoque potestas clauium. Fidei enim & Petro datæ sunt claues, vt patet. Si potestate, iàm iterùm omnes sunt æquales Ecclesiæ, quia cuicumque dicitur à Christo, Ecclesia mea, simul dicitur, ædificabo te super petram, idest potestatem. Quare quælibet Ecclesia hoc verbo erit omnium prima, quia habet eamdem petram, qua Romana Ecclesia gloriatur se esse primam.

Itâ quoquo vertas te, semper occurrit, & resistit tibi Christus, dùm Ecclesiam suam supra petram ædificat, nec finit vlli particulari Ecclesiæ hanc petram appropriari, ideò nec Petrum.

Vides ergo, quòd vnicum hoc pronomen [meam] tamquam cristallus cælestis omnes has decretales infrigidat, vt antè faciem frigoris eius nulla sustinere possit, dùm communem petram, communem potestatem, communes claues, communem Petrum, & omnia facit. Itâ iure Diuino quicquid habet Romana Ecclesia, habet quælibet Ecclesia, quantumlibet parua sit, quia ad omnes dicit. Et Paulus 1. Corinth. 3. Omnia vestra siue Paulus, siue Apollo, siue Cephe, siue Mundus, omnia vestra, vos autem Christi.

FABER.

Plurimis antiquorum Patrum auctoritatibus probaui hæc verba: [Tu es Petrus,] in personam Petri posse referri; sed adhùc fortè non credis? Iàm aliud audi, quem hucusque non inuenies citatum. Est autem Fulgentius Apher ille Ruspen. Episcopus Doctor millenarius, qui scribens ad Trasmundum Regem in libro 3. sic habet, Christus Discipulos interrogat, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Cum illi opinionem vulgi prorinus indicarent, tunc propriè ab eis qualitas veræ fidei expetitur, vt erroris humani falsitas auferatur. Hæc est igitur Domini interrogatio consecuta: Vos autem, quem me esse dicitis? me vtique filium hominis? Ibi iàm Petrus Apostolus reuelationis Diuinæ firmamento subnixus, generalis salutis confessus est sacramentum: [Tu es Christus filius Dei viui. Quid est hoc? Quantum ad ignaros congruit interrogationi responsio. Petrus enim de filio hominis interrogatur, & ipse filium Dei confitetur. Numquid interrogantem Iesum vnus audiuit, aut ipse veritatem in confessione non tenuit? Absit: quomodò error hominis ore laudari poterat veritatis. Sed verè Christus fuerit, hoc interrogans, dixit: Et quòd verè Christus fuerit, hoc ex ore Petri confitentis audiuit. Filius enim hominis Christus Dei viui filius fuit. Nec immeritò Diuina voce promeruit beatitudinem, qui propria voce fidei protulit veritatem. Propter hoc audit: beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ipse Christus Dei se vtique iàm confessus est filium cum à patre suo, qui est in Cælis, Petro asseruit reuelatum.

Et Augustinus hæc Euangelij verba tractans in Psalmo 34. dein in Psalmo 39. expressè tenet hæc omnia, Tu es Petrus, ad Petrum dicta, ac ad Petri personam referri posse. Quare satis mirari non possum, cur impugnes, & nolis ad Petrum hæc esse dicta?

Quidquid idem Auguſt.ſcribens in Pſal.118. (quem locum & tu citaſti) teſtatur per hæc verba: Tibi dabo claues, &c. Petrum in Diſcipulis obtinuiſſe primatum. Vndè mihi non erit abſurdum, ſi id aſſeueraueto, quòd toties repetit, & firmat Auguſt.

Hoc itaque, quod hic habet Anacletus de primatu, non ſoli Anacleto, ſed & Auguſtino, ac reliquis ſacræ Scripturæ Doctoribus adſcribitur. Et, ni malè videam, non paruam ei facis iniuriam, quem barbariſſimum notarium vocas. Habitus eſt hic textus, vt ſit Anacleti, vltrà mille & quadringentos annos. Nec ea propter Eccleſiæ reliquæ ſanctæ non ſunt, etiamſi Romanam Eccleſiam ſacroſanctam cum Anacleto dixerimus.

Siquidem in libro 3. Eſdræ cap. 7. & 8. dicitur de ſacroſanctis operibus, & vaſis, tamen per id non prohibentur & alia opera, immò & alia vaſa, quæ non commemorantur in epiſtola Regis Artaxerſis vocari ſacroſancta. Ità & hic, & ſi aliæ Eccleſiæ ſanctæ dici poſſent, tamen hanc Romanam veluti caput, & matrem ſacroſanctam vocamus. Sed quomodò primatum obtinuerit, iterùm, ac iterùm oſtenſum eſt. Nec Gentilium quiſquam hanc rationem horteret. Si quis diceret ecce Rex, aut Princeps in hac Ciuitate, quæ alioqui totius Regni, vel Prouinciæ domina fuiſſet, ſedem ſibi elegit, an non reſponderet huic Ciuitati proin primatum deberi? certè hoc decernet. Et ità factū non dubites de Memphite ſecundùm Chaldæos, aut Nopide in Ægypto, Axumo in India, & Suſa Ciuitate, quæ fuit exordium Regni Aſſueri in Media, Damaſo in Syria, Babel in Aſſyria, Raba in Amon, Ar in Moab, Samaria ſub decem tribubus inter Philiſtinos cum Gaza. Et hodiè quando Turcarum Rex ſedem ſuam Conſtantinopolim poſuit, illi infideles Conſtantinopolim tamquam primam ſedem habere decreuerint. Ità & de Conſtantino factum eſſe non dubites, qui à Roma veteri Bizantium concedens, nouam Romam Bizantium, & à ſe Conſtantinopolim denominauit.

Ità de Petro dicere poſſumus, cùm ille eſſet Princeps Apoſtolorum, & Romæ, quæ fuit domina Orbis, totidem annis præſedit, vitamque illic martyrio finiuit, optimo iure huic Eccleſiæ debeatur Primatus. At quod poſteà ſubinfers de fide, ac poteſtate. Reſpondeo, quòd omnes Eccleſiæ ſunt ſupra fidem ædificatæ, Petro tamen, & non alteri dixit Dominus, [Pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.] Sed quando ſubiuſers. Ecce inique Eccleſiæ dicitur, [Ædificabo Eccleſiam meam.] Ergo quælibet habet æqualem poteſtatem.

Dic mihi an non Domini ſit terra, & plenitudo eius, an non Dominus numerarit gentes, & dominetur populis? Sed numquid non populum Iſraelem ſuum eſſe dicebat, & ità ſuum, quia non fecit taliter omni nationi, nec fuit natio, quæ haberet Deos ſic appropinquantes. Huic denique, & non alteri dicitur Exod. 19. Mea eſt omnis terra, & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale. Et Leuit.16. Vos eritis mihi populus. Etiam, & Deuter.7. ac 26. Elegit te Dominus, vt ſis ei populus peculiaris, Et Deuter.33. Beatus es tu Iſrael. Quis ſimilis tui populi, qui ſaluatis in Domino. Et Pſal.32. Populus, quem elegit in hereditatem ſibi. Hunc populum etiam per Prophetas ſuum ſæpè dicebat. Vnde Eſaiæ 1. Populus meus non intellexit. Eſaiæ 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, &c. Eſaia 32. Sedebit populus meus in pulchritudine. Hieremiæ 2. Populus meus oblitus eſt mei. Mich.6. Popule meus, quod feci tibi. Tamen etiā erat Dominus aliorum, alioquin non rectè diceretur Mach. lib. 2. Tu Domine vniuerſorum, &c. Illi autem quia erant electi, gloriantes in ſpiritu prophetæ dicentes, Nos populus tuus, & oues paſcuæ tuæ. Quare ipſi dicti fuerunt populi ſui, vel eius (ne peccem in Vallam,) ità & Eccleſiæ licèt omnes ſint Domini, tamē Eccleſia Petri plùs dicitur eſſe Domini, quàm quæuis altera. Licèt enim dixerit Dñus ad omnes Apoſtolos, [Vos amici mei eſtis, &c.] tamen ſoli Petro dictum eſt, [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Soli Petro dictum eſt, [Paſce oues meas.] Et iterum, [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Sed quid opus eſt multis? res ipſa probat me rectè ſentire. Vbi enim ſunt Eccleſiæ Ægypti, Alexandriæ, Penthapolis, Lybiæ, ſanctæ Sion, Antiochiæ, Syriæ, Chananeæ, Galilææ, Paleſtinæ, Conſtantinopolis, Laodiciæ, Phrygiæ, Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardis, Philadelphiæ, Aſtalonis, Cæſareæ, Nazaret, Tyberiadis, Tripolis, Gibibet, Tharſis, Edeſſe, Nicopolis, Hierico, Scitopolis, Ieropolis, Adraſſonis, Berſabeæ, Thabor, Sarreptæ, Beriti, Boſciæ, Nilonis, Chalcedonis, Nicomediæ, Theſſaloniæ, Athenarum, Selonæ, Betſaidæ, & in ſumma vbi ſunt centum quinquagintatres Eccleſiæ Cathedrales Patriarchæ Antiocheni? Vbi decem & nouem Epiſcopatus Cæſareæ, nouem Lybiæ, Arabiæ, trigintaquinque, Rectoriæ decem & nouem, Boſciæ octo, Ieropolis ſeptem, Apamnæ ſeptem, Laterie Armeniæ vndecim Damaſci? Sic dic vbi tot ſuffraganei Archiepiſcoporum Hieroſolymitani, Titen. Nazareni, Tarſenſis, Edeſſeni, Apparienſis, Conzen. Conſtantinopolitani, Nicoſien. Irachien. Patienſis, Aquiſicen, Variſien. Madicen. Maceen. Philippen. Setteu. Lariſſen. Neopaten. Thebani, Corinth. Patracen. Cambalien. Selonæ. Sed & in cuius manu ſunt Tiron, & Acchon, Gazariuum, & Varon, Gericum, Ebron, & alia, quæ Templariorum erant, de quibus toties in decretalibus mentio fit. Sed & in Aphrica, Numidia, & Mauritania, vbi ſunt illæ Epiſcopales Sedes, ex quibus Cyprianus tot ſanctos Patres in vnum collegit, quæ & totidem Conciliorum, quæ Carthaginenſia, & Aphricana vocamus, Auctores fuerunt. Dic mihi vbi ſint Eccleſiæ à Ioanne cæteriſque Apoſtolis olim ad fidem conuerſæ? nonne fera peſſima deuorauit eas? aut ſaltem maiorem partem illarum, quæ olim erant ſub patriarcha Antiocheno, Alexandrino, & Conſtantinopolitano. Sed quotquot ſine contradictione Petri Sedem agnouerunt, illi veniente diluuio ſaluati ſunt. Sic manſere, ac manent in hodiernam diem Germania, Hiſpania, Gallia, Portugalia, Scotia, Apulia, Vngaria, Anglia, Hybernia, Dacia, Sicilia, Aragonia, & alia Regna, quæ ſub nauicula

Petri multas huius Mundi procellas à pluribus retroactis seculis transiere. Nec ista miteris, omnia, quæ dixi. Nempè si considetes, quòd Iacob habuerit duodecim filios, & benedixit singulis benedictionibus suis, tamen pulchra fuit benedictio, quæ dicitur. Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum adorabunt te filij Patris tui. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fęmore eius, donec veniat, qui mittendus est. Sic pulchra similiter fuit benedictio, qua Ioannis vltimo dicitur ad omnes. [Accipite Spiritum sanctum, cui dimiseritis peccata, &c.] Tamen & hæc specialis benedictio omnium pulcherrima fuit, qua Petro dicitur. [Pasce oues meas.] Hic enim Petrum Principem, & Caput totius Apostolici Senatus creauit, illius Principatus Romana Sedes particeps facta est. Vndè elegit eam pte participibus suis.

C A P. LV.

Arguit à pari Lutherus omnium Ecclesiarum, sunt eadem Sacramenta, fides, vita, gloria, ergo & potestas; & Faber in hoc sibi repugnantem ostendit Lutherum,

LVTHERVS.

ESse sanè ridiculum, quòd omnium Ecclesiarum, idem est Baptismus, eadem Eucharistia, eadem Confirmatio, idem verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentiæ, Vnctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta, eadem fides, spes, charitas, gratia, mors, vita, gloria, & vna hæc temporalis potentia vni tributa esset per verbum Dei, quod commune est omnibus.

FABER.

Dum hæc scriberes, Martine in Domino charissimè, credidisti, cùm sacra Ecclesia non vnum dumtaxat, vel tria, sed septem esse Sacramenta, & re vera melius eo tempore sentiebas, quàm captiuitas Babilonica posteà docuerit. Siquidem numquam id defensare poteris, quod ibi conaris. Nam & si multa illic de Sacramentis expendas, ego tamen tibi credam quæcumque hic numeraueris, vtporè Baptisma, Eucharistiam, Confirmationem, Vnctionem, Matrimonium esse Sacramenta. Hic te habebo veluti alterum Pythagoram, quoties mihi fuerit obiectum Ordinationem non esse Sacramentum, matrimonium non esse Sacramentum, vnctionem non esse Sacramentum. Dicam te hic dixisse contrarium, & sat fuerit mihi quasi Pythagoreo discipulo, illis si respondeam, *aytos epha*, ipse dixit. Nec iustum fuerit in hac re pœnitere. Nam semel emissum volat irreuocabile verbum. Et à Socrate velut Apollinis oraculo rectè proditum est, melius esse rem non incipere, quòd turpiter à cœptis resilere. Quamquam difficile non fuerit hæc inter Sacramenta reponi, etiam si tu sententiam mutare didiceris,

Sed ea res dum toties contraria dicis, ac destructa ædificas, & denuò ædificata destruis non parum tuam auctoritatem minuit, eam quasi in aliquo Socratis speculo tibi proponam, vt olim visites speciem tuam, & cum Euangelio cœco olim clames, Domine vt videam. Certè negare non potes ab initio causæ tuæ dicebas indulgentias esse aliquid, & iuxta conclusionem tuam asserebas has dumtaxat soluere canonicas pœnas, quas statuissent Pontifices, ac Patres antiqui, in tua captiuitate. Et alibi dicis indulgentias prosus nihil esse, immò ad verbum sic ait. Indulgentiæ nihil aliud sunt, quàm meræ adulatorum Romanorum imposturæ, quibus fidei, Dei, & pecuniæ hòminum perduntur. Dicebas itaque canonicas pœnas per indulgentias posse remitti.

Et posteà scribis, nec Pontificem, nec Episcopos, immò nec Concilia in hominem quicquam statuere posse. Hic ponis septem Sacramenta in captiuitate tua, sic iniqui s Neganda sunt septem Sacramenta, & tantù m tria pro tempore ponentia. Quamquam ex vsu Scripturæ loquendo, non nisi vnum sit Sacramentum. Admiseras, & posuisti liberum arbitrium nihil esse contra vtriusque testamenti apertissima testimonia. Et sic peior es omnibus Manichæis, Pelagianis, ac Cœlestinis. Detestabaris Bohemos, quod ab Ecclesia recessissent, iam scribis in hæc verba. Non sunt hęretici, neque schismatici Bohemi, & Græci, quia Euangelijs nituntur.

Sed vos Romani estis hæretici, & impij schismatici, quasi non venerit Spiritus sanctus in Concilia contra eos habita, quorum tu, ne tuæ modestiæ obliuiscaris, impijssima aliqua dicis, & scribis. Volebas te, ac tua iudicio Romani Pontificis submitti, iam nec Pontificem audire vis. Appellabas otagustæ non sine maiestate aliqua ad futurum Concilium, cui te totum submiseras, huius decreto ex omni parte stare volebas, sed non solùm tibi fatalia labuntur, immò tu renuncias omni Conciliorum decreto, cum non verearis dicere Concilia esse humana decreta sibi contraria proin aspernanda.

Et iam non in vno libello dumtaxat Pontificem pro modesto Spiritu tuo Sathanam, Luciferum, & Antichristum vocas. Clamabas pro celebrando Concilio, iam omnia Concilia damnas, reijcis & impijssima vocas. Laudabas Nicænum Concilium tamquam omnium sacratissimum, nunc per omnia illi contraria scribis, ac dicis. Siquidem non prohiberes eum venire ad clerum, qui semetipsum excidit contra primum canonem:

Baptizatum gentilem in clero refutare non videris, contra secundum canonem.

Cohabitationem Episcopi cum muliere non curas, contra tertium canonem.

Rides Episcoporum ordinationem, cum Metropolitano nihil tribuas, contra quartum canonem.

Episcopum alijs superiorem negas, contra quintum canonem.

Romanæ Ecclesiæ suburbanarum etiam Ecclesiarum sollicitudinem adimis, contra sextum canonem.

Metropolitani potestatem cæteris præstare

ſtare diffiteris, contra ſeptimum, & octauum canonem.

Ordinationem ludis, contra nonnm canonem.

Epiſcopos, Presbyteros æquales facis contra decimum canonem prohibentem ne in vna ciuitate duo ſint Epiſcopi, cum tamen in vna ciuitate benè poſſunt eſſe vnus Epiſcopus & multi Presbyteri.

Ordinem ad Sacerdotium promouendi non curas, contra vndecimum.

Pœnitentiam ſeptem, aut tredecim annis ab his, qui lapſi fuerunt, irrides, contra duodecimum cànonem, & diſpenſationem Epiſcoporum tollis, contra eumdem canonem, quoniam in ſeptem, & tredecim annis cum pœnitente diſpenſari poteſt. Et ſimile circa tredecimum ſtatutum committis. Inter laicos, & ſacerdotes, dyaconos, & preſbyteros nullam differentiam habes, contra quartumdecimum, & vltimum canonem. Triennalem pœnitentiam cathecuminorum ridere videris, contra decimumquintum canonem. Eccleſias omnes pares in poteſtate, & nullam maiorem facis, contra decimumſextum canonem. Sacerdotes abſque ordinatione Epiſcopali facis, contra decimumſeptimum. Et vt finem faciam, credo nec vltimum, vigeſimum videlicet canonem admitteres, qui fuit ante Nicænum Concilium, de obſeruatione paſchæ, cum de obſeruatione paſchæ in biblia parum reperiatur.

Vide ergo, quàm pulchrè primitiuam ſtetues Eccleſiam, qui inter viginti canones tam ſacrati Concilij in decem, & octo pecces, apertè forſan etiam peccaturus in reliquos, ſi dumtaxat adhuc Pauliauiſtæ, aut Foriniani ſupereſſent. Non negaſti euchariſtiam dici ſacrificium: Iam contra Hireneum Hieronymum, Ambroſium, Chryſoſtomum, & alios dicis impiſſimus abuſus eſt miſſam dici opus bonum, & ſacrificium. Celebraſti miſſas priuatas, & iam libellum ſcribis de abroganda miſſa priuata. Honorabas Epiſcopos, & venerabaris ſacerdotes, iam dicis non eſſe dubium vniuerſos ſacerdotes, & monachos cum Epiſcopis, & omnibus ſuis maioribus eſſe idololatras, in ſtatu periculoſiſſimo agentes ob miſſæ Ignorantiam, abuſionem, & irriſionem. Liturgiam pro mortuis ſacram feciſti, nunc verò dicere non veteris manifeſtum, & impium errorem eſſe miſſam pro peccatis, pro ſatisfactionibus, aut quibuſcumque neceſſitatibus ſuis, aut aliorum offerre, ſeu applicare, immò addis quòd ſcandalum ſit, miſſam credi ſacrificium, quod offertur Deo, contra Hireneum, Chryſoſtomum, Ambroſ. Hieronym. immò contra totam Eccleſiam per totum orbem diffuſam. [Docuiſti baptizari in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, nunc ais, quocumque modo tradatur baptiſmus, modò non in nomine hominis, ſed in nomine Domini, verè ſaluum faciat, contra Euangelium, ac canonem Apoſtolorum.]

Circa ſacerdotes, & Epiſcopos non reprobaſti, & ad illos pertinere. Qui vos audit, me audit. Nunc ira ſubinfers hæc verba. Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, dumtaxat Apoſtolis euntibus prædicari Euangelium referri debeant, contra Hireneum, Tertulianum, Cyprianum, Hilarium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, immò ferè contra Euangelium. Nam in Luca habetur, quòd hæc verba non ad Apoſtolos, ſed ad ſeptuaginta duos diſcipulos dixerit. Cuius rei miror quomodo fueris oblitus, & ſic oblitus fueris, quòd etiam qui Paulinus es, non attenderis Paulum Theſ. ſalonicen. ita ſcripſiſſe. Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. Et is Paulus non fuit de illis, qui audierunt Chriſtum dicentem. Qui vos audit, me audit. Immò Chriſtus Ioan. 16. fruſtra ſecundùm te dixit, Alium paraclerum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum quidem veritatis. In decalogo tuo vota vouenda doces, in captiuitate verò cum deſiderio optas omnia vota religionis peregrinationum, ac quorumcumque operum tolli. Sacerdotem dixiſti miniſtrum eſſe Domini talem, qui poteſtate clauium confitentem abſoluat, iam dicis quòd Chriſtus Matth. 16. Quodcumque ligaueris, & in 18. Quodcumque ligaueritis, & Ioan. vlt. Quorum remiſeritis peccata, nihil de poteſtate, ſed de fide omnia agat.

Docuiſti in decalogo, quæ circumſtantiæ peccata grauent, in captiuitate iam doces in confitendis peccatis apud Chriſtianos vnam eſſe dumtaxat circumſtantiam, quæ ſit peccaſſe fratrem. Nulla enim perſona fraternitati chriſtianæ comparanda ſit. Nec aliquid aliud facias obſeruatio locorum, temporum, perſonarum, & ſiqua alia eſt inflatura ſuperſtitioſa, quàm vt magnificet ea, quæ nihil ſunt in iniuriam eorum, quæ omnia ſunt. Et ſic ſecùndum te non peccarunt illi, qui grauius domum orationis ſpeluncam latronum fecerunt. Neque peccarunt hi, qui ſacerdotem interfecerunt inter templum, & altare. Nec fornicatio illius Corinthij Sathanæ traditi maior eſt, quàm alterius. Aut Ioannes præcurſor Domini fruſtra dixit Herodi. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Hic Sacramentum confirmationem dicis, in captiuitate mirans quid tamen illis in mentem venerie, vt ſacramentum confirmationis fecerint ex impoſitione manuum.

Doces veteris legis præcepta non eſſe tenenda, & in captiuitate approbas gradus ex Leuitico in matrimonio prohibitos. Dicis nos non teneri ad alia, quàm quæ in noua ſunt lege præcepta, & incautè matrimonium inter aliquos arctiſſimo vinculo conſtrictos, admittis. Leges olim non damnaſti, iam imprudentiſſimè ſcribis te ſcire nullam rempublicam legibus feliciter adminiſtrari, quaſi omnes omnium Romanorum conatus fruſtra fuerint. Ordinem Sacramentum hic apertè dicis, in captiuitate tua ſic tuorum verborum obliuiſceris, vt dicas. Sacramentum ordinis Eccleſia Chriſti ignorat, inuentumque eſt ab Eccleſia Papæ, & iterum. Sacramentum ordinis pulcherrima machina eſt ad ſtabilienda portenta, quæ hactenus facta ſunt, & adhuc fiunt in Eccleſia, & iterum niſi fallor, ſi ordinis Sacramentum ruat, & commentum aliquando, vix ipſe ſubſiſtet Papatus. Et ſic cum Ethio hæretico, cuius Auguſtinus meminit, Epiſcopos & presbyteros pares, immò nullos facis. Nec tibi ſunt vicarij, ſed

vac-

vacearij Dei, vt tuis, ac tnornm verbis vtar. Factus es per manus Episcopotum facerdos, & iam nos facerdores Bethauen, immò idola voeas, quafi fpurciffima fimus idola Molech, vel Baal, aut Beelphegor, ita vt Cham exemplo omnia pudenda patrum tuorum reueles.

Extremam vnctionem hic Saeramentum affirmas, in captiuitate rua dicere non formidas. Si vfpiam deliratum fuerit, in extrema vnctione præcipuè deliratum eft. Papam beatiffimum voeas in epiftola dedieatoria tefolutiouum ruarum, in libro contra Ambrofium Catharinum eonelufum effe dicis Papam effe Antichriftum, & Romam effe laruam malotum, & quòd Papa fit miniftee Diaboli, eiufque Eeelefia fit fynagoga Sathanæ. Pœnitentiam pro Hieronymi intellectu prædicafti, iam dicis non effe pœnitentiam poft naufragium fecundam rabulam eontra toties à Hieronymo repetitam fententiam. Allegoriam in Paulo ad Galatas, ac in pluribus alijs fcripturæ locis non reprobafti, ad Ambrofium fcribens dicis. Non permitto, vt fcripturæ plures, quàm vnum fenfum tribuas, & folo literali fenfu pugnandum effe iterum ais, qui & vnicus fit per totam fcripturam.

Sic ergo nobis Deum ex electro, ac quafi ftatuam immobilem, immò Chriftum ouem balanrem, & quadrupedem facis. Sic quoque præputia cordis numquam erant Ifraelitis eircumeidenda, iuxta verbum Deuteronomij 11. Sie lacrimantibus oculis armare fleuit Dominus, Efaie 22. immò plorans plorabit iuxta vifionem Hieremiæ 13. Et fortè hebraicam fabulam patieris, quòd Dominus quotidiè per horam quoties templi Hierofolymitani recordatus fuerit, ingrediatur cameram cœli fecretiorem, quam Talmudiftæ *Miftarim* vocant, ne ab Angelis contriftatus effe videatur. Aut fortè Deum velut hominem rifibilem facies, ex eo, quòd dicat propheta. [Qui habitat in cœlis, irridebit eos.] Aut tu es folus ille, qui audeat interpretari lumbos Dei, de quibus in Ezechiele, cap. 1. In prima facie tuæ fectæ laudabas olim Epifcopos, illorumque iura falua effe volebas, iam in libello contra miffam priuaram Epifcopos credis Apoftolos Antichrifti. Quando Vitenbergæ profefforem agebas, placuere tibi gymnafia, nunc vbi in academia locum non habes, dicis gymnafia pro tua diuina modeftia effe Sodomam, atque Gomorram.

Et quod impudentius eft, vt facerdorem Beelphegor facrificantem agas, dicis effe lupanaria, quafi Chriftus reprobauerit difcentium fcholas, & non legerit Efaiam in fynagoga. Acerrimè fæpè pro facerdotio pugnafti, iam in hanc venis infaniam, vt dicas nullum effe in nouo teftamento facerdotium, nifi quod humanis mendacijs fit per Sathanam creatum, & caprorter nos furdas imagines vocas. Vis per omnia primitiuam fequi Ecclefiam, qui prius Eeelefiam tanto ftudio tuebaris. Montani errores euieafti, iam cum illo, vt eft apud Eufebium, vniuerfam blafphemas Eeelefiam, & nihil reuerentiæ illi defers, nunc tu concludis non nifi die dominica femel effe celebrandum, & communicandum, cum tamen in primitiua Ecelefia quotidiè communicarent. Iubes mifceri vinum eum aqua in confectatione, & rectè, cum tamen fcripturam de aqua nullam habeas.

Dicis primitiuam Ecclefiam effe imitandam, tamen tu, ac tui non venditis poffeffiones, & ponitis ad pedes difcipulorum. Et quod maius eft, non ieiunatis, immò ieiunium luditis, obliti quòd Antiochiæ prophetis miniftrantibus, ac ieiunantibus dixit illis Spiritus fanctus, & quòd per fingulas Ecclefias cum renouationibus conftituerent presbyteros. Sed & confeffionem articularem ab initio probafti maximè, nunc vero damnas, & ita refutas, vt etiam qui velint communicare menfæ Domini, non fit neceffe, quòd & confiteantur, modò dormiant multi & fint imbecilles non pauci, iuxta prophetiam Pauli, & quafi in actis Apoftolicis non venerint multi credentium confitentes, & annunciantes actus fuos, & tu fortè fcis folnere eum, cuius vincula nefcis. Sed & ab initio rei, fiue tragœdiæ tuæ nihil dictum effe putabas, nifi quod erat ex Cypr. Hier. Ambrof. Auguft. ac alijs firmatum, ab illifque tranfuerfo etiam digito difcedere grande nefas effe putabas, iam tanta tibi acceffit auctoritas, vt quemdam Pythagoram agas, tuifque difcipulis fat fuerit audite. Ipfe dixit. Et quafi tu fis ille, vel Gordias Leontinus, vel Hermagoras, qui pofita fella, poffis quafi ex tripode de omnibus reddere rationem. Immò quafi non fit alius propheta, cui reuelauerit Dominus verbum fuum contra prophetiam fanctiffimi Pauli. Et annus me deficeret, fi tuas recantariones, antilogias & contra pugnantia recenfere velim, adeò manca & confufa eft lex tua chryfippea.

Sed fcio vulneri huic adhibere malagma. Finge te per trigintafex millia annorum Platonis abfuiffe, & redi iam quafi denuò renatus. Vel reuertere cum filio prodigo à porcis illis, atque comeftis filiquis. Patrem enim habes Adrianum Pontificem omnium clementiffimum. Pete gratiam, & dabit tibi primam ftolam, dabit annulum Euangelicum, & calceamenta in pedes tuos. Quòd fi nec mihi tam fido confultori obtemperare volueris, immò tua dogmata perindè vt Apollinis oracula, feu fibyllina refponfa haberi ftatueris, vide quomodo tamen tuā legem, vbi nec caput cum cauda conuenit, feruare poffimus. Eft longè monftrofior, quàm hæc fœtura quam præfcribit Horatius pueris iam verfus ludere volentibus. Si tu Aaron quemdam agere volebas, numquid non congruebat vt in rationali iudicij *haudim vèèt hatumim* doctrinam, & veritatem haberes. Aut Thobiam faltem ageres, qui viam veritatis non deferuit.

Sed quia tuum regnum *in fe diuifum* eft, putas ne non *defolabitur*? Aut non audifti Salomonem dicentem, Doctrina fua nofcitur vir. Et iterum. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Eapropter reprehendit Dominus eos, qui Ioannem quærebant quafi arundinem vento agitatam. Et tu re vera illa arundo es, quæ omni vento doctrinæ blandulæ potiffimum agitaris. Tu es ille, qui crebro mutaris vt Luna, licet in vna re vifus es mihi omnium conftantiffimus, quòd in libris tuis nihil vmquam contra laicorum motes fcripfifti, fed fempet vibrafti gladium

in

in eos, qui rei Ecclesiasticæ præsunt, quasi non sit in alijs vlla macula, nec vllam rugam habeant. Tu ergo discas vt finem faciam, scribere cum illo iuuene tertio custode regis, Darij, & pone sub ceruical, quomodo super omnia vincat veritas. Vincet autem si non contraria tibi, ac scripturæ loqueris. Siquidem perpetuo stabit, quod Hieronymus in prologo Iosue dicit. Non potest verum esse, quod dissonat. Sed ad hæc historiam audi. Legitur in scripturis Hebræorum quomodo sub secundo templo Hebræi librum Salomonis, quem ipsi *Kohelèt* appellant, nos verò Ecclesiasten dicimus, damnare, & igni tradi voluerunt.

Huius rei duas rationes habebant, Prima, quòd videretur Salomon contradixisse patri suo Dauid. Is enim in psal.3. de beato viro dixit, Ab auditione mala non timebit in prouer. verò scriptum esset, Beatus homo, qui semper est pauidus. Dein non satis erat illi contradixisse patri, sed & sibimet contrarius esset, eò quòd Ecclesiastes 4. dixisset, Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & tamen in eodem lib. cap. 9. prædicasset, melior est canis viuus, Leone mortuo. Et nisi exorsus fuisset Ecclesiasten in vanitate vanitatum, ac clausisset librum dicens, Deum time, & mandata eius obserua, ac postremo nisi sanum vtriusque dicti intellectum alij dedissent, proculdubio abijssent illius libri in spongiam, aut igne cremari fuissent, maximè Ecclesiastes. Sed tibi quid putas olim continget, qui non solum patribus tuis, hoc est sanctis illis doctoribus, immò & tibi contrarius es totus. Malè ergo tuam turrim armasti, desunt illi propugnacula, mille clypei & armatura fortium, de quibus in canticis canticorum. Et si iudicare mihi liceat, timeo super harenam fundamenta ieceris. Et descendente pluuia incursantibus fluminibus ac flantibus ventis, peritura sint omnia. Consultius itaque egisses, si sacra numquam contigisses.

Sed vt ad priora reuertar, qualis erat iactura fidei, ac sacræ scripturæ propter vnitatem pacis, ac indiuiduæ communionis, quæ est inter maritum, & vxorem, etiam si matrimonium permiseris esse sacramentum. Sed & quod de pœnitentia dicis, tantùm abest à traditionibus patrum, & potissimum Augustini doctrinis, quantùm distat Ganges à Gadibus, & cœlum à terra. Ordinationem hic non repetam, quippè ex Euangelio & Paulo tibi probaui per hanc ordinationem dari gratiam, proin esse sacramentum. Quòd si te maiorem crediderit diuo Aurelio nostra firmanti, ipse videris, Addo quæ sunt apud Ambrosium in libro de dignit. sacerdotali cap. 5. Et iam scholasticos si non condicto agerem, aduolare videres sturnatim, atq; gregatim cum suis cornutis syllogismis. Quòd si Dionysium citaueris, qui sacramenta enumerans, tantùm sex posuerit, certè hac Herculis claua me nunquam prosternes. Nam si ità argumentari licuerit, tantùm duo supererunt sacramenta, aut vt reprobetur Ambrosius. necesse est. Nunquid non Ambros. libros scripsit de sacramentis? Sed vide an illic etiam tua omnia sacramenta tractarit. Nunquid admittes secundùm Ambro. pœnitentiam esse sacramentum? minimè terrarum. Iridem & ego de Dionysio si dicerem, quòd periculi immineret. At quod ad fidem attinet, plurimum tibi consentio, tamen vt totus inhæream ijs, quæ sunt apud Cypria. 4. libro epistolarum epi. 7. quæ scribitur ad Magnum. Sed de extrema vnctione id sentiam, quod habet Augustinus in 2. li. de infirmorum visitatione cap. 4. & in libro de rectitudine catholicæ obseruationis mihi in litera E. Tamen de his omnibus olim commodius. Ad tua redeo, Scio hæc esse omnia omnium Ecclesiarum communia. Sed proptereà non aufertur prælatio, quòd vt tibi demonstrem, pono iam. Si Romanus Pontifex deijciatur de sede veluti senes deijciuntur à ponte, præcipitetur in imum, supersint soli Episcopi, superstint, & presbyteri, putas ne cum sit vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, immò communia sunt sacramenta, an liceat presbyteris facere, quod solis datur Episcopis, nequaquam, vt infrà probabimus. Non enim possunt presbyteri sacerdotes ordinare, non possunt chrisma conficere Hoc probat Hieron. illud probat Ambr. Addo, quòd Cancellarius Parhisiensi diceret vereretur. Si non esset Episcopus, aut sacerdos aliquis; in toto terrarum Orbe, non posset consecrare quisquam christianus, nisi noua data lege, vel alia reuelatione facta à Domino. Vides igitur quod hoc tuum argumentum nihil probat, & ad nihilum valet, nisi quòd mittatur foras. Sed & in hac parte plurimum condoleo tibi, quòd toties contraria dicis.

CAP. LVI.

Vbi fides, ibi est petra immobilis, & sic Ecclesia, & potestas, ait Lutherus, sed respondet Faber esse hæc omnia cum ordine Hierarchiæ.

LVTHERVS.

Qvare vbicumque prædicatur verbum Dei, & creditur, ibi est vera fides, petra ista immobilis, vbi autē fides, ibi Ecclesia vbi Ecclesia, ibi Sponsa Christi, vbi Sponsa Christi, ibi omnia, quæ sunt sponsi. Ità fides omnia secum habet, quæ ad fidem sequuntur, claues, sacramenta, potestatem, & omnia alia.

FABER.

Vera sunt partim, quæ hic dicis, tamen per hoc non erit à te tollendus ille Ecclesiasticus ordo. Audi quid dicat Dionys. de cœlesti Hierarchia. Nonne diuinus Pontificum ordo primus quidem est, deinde ordinationum sublimissimus. Iterum idem, etenim in ipsum perficitur, & impletur omnis nostræ Hierarchiæ dispositio. Vt enim omnem Hierarchiam videamus in Iesu consumatam, sic vnamquamq; in proprium diuinum summum sacerdotem. Ipsa autem Hie-

Hierarchici ordinis virtus in omnibus locatur sacris vniuersitatibus. & per omnes diuinos ordines operatur propriæ Hierarchiæ mysteria. Discretè autem hinc vltra cæteros ordines in suam operationem diuina lex distribuit diuiniores sacrificationes. Hæ autem sunt perfectrices virtutis diuinæ imagines consumantes omnia diuinissima symbola, & omnes sacras dispositiones, & si. enim à sacerdotibus proficiuntur quædam honorabilium symbolorum. Sed certè aliquando sacram theogenisiam sacerdos operabitur siue diuinissimo vnguento. Neque diuinæ communionis proficiet mysteria, nisi diuinissimo altari communionis suppositiuis symbolis. Sed neque ipse sacerdos erit, nisi à Hierarchicis consummationibus in hoc sortitus, hæc Dionysius. Admitto ergo quod vbi sit fides, ibi sit petra, vbi petra, ibi Ecclesia, vbi Ecclesia, ibi Sponsa Christi, vbi sponsa Christi ibi omnia, quæ sunt sponsi. Tamen adhuc stabit illud, quòd post Christum Petrus dicebatur petra principalior, quàm vllus alius Christi fidelis. Sed ad sic fides omnia secum habeat, vt non oporteat etiam aliquid operari veluti ipse in multis testaris locis, in breui tibi ostendam.

CAP. LVII.

Claues vocantur Ecclesiæ, non Petri arguit Lutherus, sed respondet Faber datas Petro, & Ecclesiæ.

LVTHERVS.

QVæro etiam si soli Petro sunt claues datæ, & non vniuersali Ecclesiæ. Cur non vocantur claues Petri? cur non vocantur claues Ecclesiæ Romanæ? Cur ipsemet Pontifex in suis literis vocat eas claues sanctæ matris Ecclesiæ. Aut enim hæc vox communis totius Ecclesiæ iniuriam facit Romanæ Ecclesiæ in suo priuilegio sibi soli attrahentes claues, aut Romana Ecclesia schisma quærit, dicens, Ego sum Cephe, & toti Ecclesiæ rapit rem, quam ipsamet confitetur communẽ. Patet ergo testimonio olim publico non Petro, sed Ecclesiæ esse claues traditas, non Romanæ, sed vniuersali, & cuilibet. Præter hæc vide quàm rectè per petram intelligant potestatem. Nam potestas esse non potest, nisi Ecclesia sit prior fundata, quæ capiat potestatem. quomodo Ecclesia super potestatem, idest priùs ædificatur super posterius. Denique potestatem non per petram, sed per claues Christus intelligit, quas Ecclesiæ super petram, idest fidem prius ædificatæ tradit, vt clarè textus ordo probat. Vides ergo quam ambitio excæcat oculos mentis, vt clauium potestate non contenta, etiam ex petra fidei, quæ est Ecclesiæ substantia, potestatem faciat.

FABER.

Sexcentis ferè locis docui Petro, Ecclesiæ, atque sacerdotibus datas esse claues. Hos iterum commemorare longum foret. Sed ne pugnem quasi aerem verberans, Augus. induco. quem in hoc loco me citasse non memini in lib. de tempore Barbarico cap. 12. sic ait. Fili tu meus es, [Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam] Tu meus es, & omnia mea tua sunt. Tibi dabo claues Regni cœlorum. Apud te Petre sunt claues regni, dignare iam ad conuiuium intrare. Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus latro mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Si Petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, Regni cœlorum claues accepit, quia illuc introiuit latro ille iam non reus, nisi perlatus, quod aperuit Iudæus. Et nunc veniant omnes, qui amant Paradisum, locum quietis, locum securitatis: locum perpetuæ fœlicitatis, locum in quo non pertimescas, barbarum non habebis inimicum, venite omnes, intrate omnes, est qua possitis intrare patet latus. Quis non videret hic August. iterum non negare claues esse datas Petro? Sed quomodo fateatur se vti clauibus Ecclesiæ solius, etiam monstrare possem ex verbo Domini dicentis, Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me patris, nisi timerem me hic oportere in profundiorem tecum inire disputationem. Sed quòd priùs potestatem dederit, non miteris, quia & Moyses pariter legem dedit, antequam essent ingressi promissionis terram, nisi mentiatur, quod meipse dicit Deuter. 1. Ità non mirum fuerit etiam si Petro claues dederit antequam in cruce dixerit consumata esse omnia. At quòd Roman. Pontifex vtatur clauibus, en is quoties, & quando absoluit, ait authoritate Apostolorum Petri. & Pauli te absoluo. Vnde hic erras in facto.

CAP. LVIII.

Malè, ait Lutherus, Anacletus vocat Alexandrinam secundam, Antiochenam tertiam, cum sit ordo mutatus, & alioquin essent tales iure diuino, respondet autem Faber eum loqui, quales fuerunt.

LVTHERVS.

QVòd autem hic Anacletus Rom. Sedem primam vocat: & Alexandrinam secundam, & Antiochenã tertiã, seipsum iterum redarguit, non solùm quia iste ordo iamdiu mutatus est, verum etiam quod sequitur hinc aut Alexan. esse iure diuino secundam, & Antiochenam tertiam. Aut nec Rom. primam, quia eodem iure oportet esse primam, quo secundam, & tertiam. At manifestum est, quòd secundã, & tertiam suo iure ordinat Ro. ergo, & seipsam suo iure primam ordinat.

FA-

FABER.

An putas quando Israelitę captiui erant septuaginta annis in Babilone, eapropter tota corruerit lex, minimè, quia tunc Talmud maxima pars excogitata legitur, licèt non scripta vsque ad tempora secundi templi. Sic per id, quòd ordo Ecclesiarum iamdiu mutatus sit, eapropter non corruet primatus ille Romanæ Sedis. Certissimum est, quòd Antiochena Ecclesia metropolis fuit in Oriente. De Thessalonicensi Ecclesia, quale priuilegium habuerit, & maximè, quòd illic sederit vicarius Romani Pontificis iamdiu intellexisti. Sed & nemo ignorat, quòd fuerunt etiam in Aegypto & in Palestinæ locis, sicut & in Asia reliquorum metropoles, quę licèt in perfidorum manus venerint, & iamdiu fuerit ordo mutatus, tamen nihil, vel parum refert, siquidem commemorant illas historiæ non quales modò sunt, sed quales erant in ordine, & quales iterum fieri possent. Sed nunquid non Apocalypsim legimus? quanquam Sedes Ecclesiarum, quas vidit Ioannes & quarum meminit Aug. 20. lib. de ciuitate Dei c. 9. mutatæ sint. Ascalon in Phenicia nunquid non Episcopum habebat, qui & dici poterat episcopus Ascalonen. ad vocabulum Strabonis, vel Ascalonita iuxta Annij Viterbien. verbum. De Constantinopoli notissimum est à tempore Phocæ, qualis fuerit in ordine. Et quanquam in Turcæ diram tyrannidem venerit, attamen de ea disputantes loquimur, non qualis est, sed qualis erat, sed iam ad caput libri me verto.

Habes hanc propositionem Romanam Ecclesiam alijs Ecclesijs fuisse superiorem, probatur ex frigidissimis decretis Rom. Pontif. contra quæ sunt textus diuinæ Scripturæ, historiæ approbatæ mille, centumque annorum, & decretum Concilij Nicæni omnium sacratissimi. Sed quando semel probas in Nicæno Concilio statutum, siue prohibitum esse, ne Romanus Pontifex Sedem Romanam primam faciat. Iactabas te id factarum. Descendi vt videtem an opere complexeris, sed nondum fecisti? immò contrarium ego probaui, maximè quòd in Nicæno Concilio sit ordinatum, nullam Synodum absque consensu Romani Pontificis conuocari debere, & quòd ad hunc appelletur. Et alia multa sunt, quæ huic Romanæ Sedi conueniunt. Et quanquam aliquid attuleris ex Ecclesiastica historia, tamen illuc venientes, habebis, quo tibi respondeamus.

Ecclesiastica enim Ruffini historia tantùm viginti statuta Nicæni Concilij exprimit. Ego autem tibi monstrabo capita illius Nicæni Concilij esse plura. Sed quòd ad Romanam, Antiochenam, ac Alexandrinam pertinet Ecclesias, in breui audies ab Hirenæo, qui fuit non longè post Petrum, & Paulum. Quid circà Ecclesiarum regimina fuit ordinatum, paulisper ibi morare.

CAP. LIX.

Lutherus ait Anacletum errare in historia, cum scribat Ignatium successorem Petri, cum tamen fuerit Enodius; Faber autem demonstrat factum mediatè.

LVTHERVS.

Errat etiam in historia, quòd Ignatium scribit constitutum à Petro Episcopum Antiochiæ sipi successorem, cum in Ecclesiastica historia pateat Enodium Petro, & Enodio Ignatium successisse, ideò non est credibile huius Canonis auctorem esse Anacletum.

FABER.

Fodio hìc quendam acerrimè pugnare contra te, quasi Anacleto nulla salus fuerit, nisi diceret plus Anacleto, quàm Ecclesiasticæ historiæ tribuendum. Ego autem in primis, ità respondeo id Antiochiæ forsan contingisse, quòd Romæ contingit, vt certissima nobis tradit historia. Petrus enim, ità monentibus amicis ad declinandam inuidiam, & iram Neronis, via Appia ab Vrbe descendens, ad primum lapidem, vt Egesyppus loquitur, Christo fit obuiam, quem quidem adorans, rogat, Domine quò venis? Tum Christus, Romam iterum crucifigi. Extat sacellum eodem loco vbi hæc habita sunt verba. Tum Petrus de martyrio suipsius dictum existimans, quod in se Christus passurus videretur, ad Vrbem redijt, ac statim Clementem Episcopum consecrat, eique Cathedram, & Ecclesiam Dei commendat his verbis, Tibi eandem potestatem soluendi, atque ligandi trado, quam mihi Christus reliquit, spretis, ac contemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunæ, oratione, & prædicatione hominum saluti, vt Pastorem decet, consulere volens, &c. Et quanquam hoc Petrus post se reliquerit testamentum, immò, & Clementem consecrauerit Episcopum, huncque successorem futurum elegerit. Non tamen Clemens, sed Linus, cuius meminit Paulus in epistola ad Timoth. illi successit, teste Eusebio in chronicis. Immò, vt Hieronym. habet in suo cathalogo, Clem. IV. post Petrum Romæ fuit Episcopus, & tertius Anacletus. Tametsi plerisque Latinorum, secundum post Petrum Episcopum putent fuisse Clementem, tamen etiam Hirenæus, qui vixit tempore Victoris, dicit Linum II. & Clementem IV. fuisse Romanum Pontificem. Sed cum tam exquisitus, & rigidus es historiarum interpres, quid dicis ad hæc? Hieronym. ait Anacletum V. & Clementem IV. post Petrum fuisse Episcopos. Sed habet Ecclesiastica historia, quòd in Vrbe Roma 12. Anacletus annis exactis Sacerdotij sedem Clementi tradidit, vt tertius ab hoc Clemens. Ità in 3. lib. cap. 14. scribit Eusebius. Quod si adhùc non credideris, audi quid ea-

dem habeat historia in 5. lib. cap. 6. Fundata, inquit, & ædificata Ecclesia beati Apostoli, Lino officium episcopatus iniungunt. Cuius Lini Paulus in epistola ad Timot. meminit. Huic autem succedit Anacletus, post quẽ tertio loco episcopatum suscepit Clemẽs. Platina verò, & ferè omnes chronographi Bergamensis, & alij Anacleto V. & Clementi IV. locum assignant.

Vides igitur, quòd in vna re in vno successionis ordine Hieronym. Ecclesiastica historia, atque chronographi inter se omninò dissentiunt. Sed ad Anacletum venio. Scripsit is in hæc verba, quomodo Petrus Antiochiæ Ignatium Episcopum constituerit. Quid differunt hæc verba ab alijs, vbi dicitur Petrus Clementem Episcopum consecrasse, licèt non immediatè successerit Clemens, vt iam primum ostensum est. Quanquam Hieron. etiam non nominet Enodium, attamen dicit quomodò Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum fuerit Episcopus. Etiam Ignatius in epistola ad Antiochen. sic ait. Mementote beatissimi Enodij Pastoris vestri, qui primus vobis ab Apostolis antistes ordinatus est. Et hoc proculdubio nouit Anacletus.

Nam sub eo tempore, quo vixit Anacletus, Traianus tertiam persecutionem in Christianos concessit. Et sanctus ille Ignatius captus, & damnatus ad bestias Romam trahitur, vt pulchrè tradit Hieronym. Et quid opus est multis? loquitur de Ignatio Anacletus. Sed nonne meminit, & Ignatius Anacleti, qui in epistola ad Trallianos pulchrè scribit quomodò, S. Stephanus ministrauerit beatissimo Iacobo, & Timotheus, & Linus, & Anacletus, & Clemens Petro. Sed adhùc vnum addo. Si tantùm Ecclesiasticæ fidis historię, vide quomodo cum alijs conueniat, quæ Euaristum quartum dicit Romanum fuisse Episcopum, cum secundùm alios fuerit sextus. Sed & cum tuum Tetragonum, ità in plano proiectum habere velis.

Dic mihi an peccauerit Hieronym. qui in vita Egesyppi Anicetum X. ponit Episcopum, cum in alio ordine sit duodecimus. Nolim tamen hìc contra pugnare, quin Enodius primus fuerit Antiochen. Episcopus. Nam nisi id facerem, non tàm contra Ecclesiasticam historiam peccarem, quàm contra Hieronym. ac ipsum Ignatium. Sed hoc tantùm tueor, quòd rectè dixit Anacletus quomodò Petrus Ignatium instituerit Episcopum. Et certè fieri potuit, & factum credo, vt Enodio defuncto, Petrus, qui tunc vixerit, Ignatium Antiochenum instituerit Episcopum. A tempore enim Tiberij Claudij, cuius anno secundo Petrus Romam venit, vel potius ab vltimo anno Neronis, hoc est 14. quo Petrus affixus crucis, martyrio coronatus est, si numerauerimus annos, fieri potuit, vt inter hos 25. annos Euodius primus Antiochiæ Episcopus mortuus sit, quo mortuo, & Petrus instituit Ignatium, qui in primis sub Traiani temporibus fuit damnatus ad bestias.

Sed quòd tu Anacleti verba inuertis, non parùm minor. Dixerat Anacletus quomodò Petrus apud Antiochiam Ignatium Episcopum instituerit, & tu mox inuertis, quasi dixerit Ignatium constitutum à Petro Episcopum Antiochiæ successorem immediatum. Quid si dixisset de præcessore, & prædecessore quorum apud canonistas non modica differẽtia est? Gloss. in c. 2. de renunc. lib. 6. cum simil. Sed nec horum meminit, immò nec de successore dicit. Sed demus tibi dixerit Anacletus hoc, contra quam quæso gramaticæ regulam peccauit? Putas apud nullum reperiri historicum, quòd ille mereatur dici successor, qui interueniente alio succedat. Sed, vt mea probentur, en tibi recito verba Hieronym. in lib. aduersùs Iouin vbi sic ait. Ad hos, & Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnemque penè sermonem suum de virginitate, puritate contexuit. Hæc Hieronym. Vides iam plenè quod dixi, confirmatum esse, potissimùm, quòd is, qui non venit immediatè, etiam successor dici poterit. Monitus ergo meliora sequaris.

CAP. LX.

Nunquam Petrus ordinauit, nec misit, nec confirmauit Apostolos, vnde ait Lutherus non est maior. Sed conuincit ipsum Faber ex Patribus.

LVTHERVS.

IAm audi iterum securum affirmatorem, idem temerarium. Inter beatos Apostolos, inquit, quædam fuit discretio potestatis. Et licèt omnes Apostoli essent Petræ, tamen concessum est à Domino. Et ipsi inter se voluerunt idipsum, vt reliquis Apostolis omnibus præesset. Obsecro quæ fuit ista discretio potestatis? Nunquid Petrus ordinauit Apostolos? Nunquid misit Apostolos? Nunquid confirmauit eos? Vbi legisti belua, quòd à Domino concessum est Petro homini discretam potestatem ab alijs, quando hoc ipsi voluerunt.

FABER.

Nunquam te Danielem à Christo tandem nobis missum credidissem, quanquam tui scripserint, ac testati fuerint, nisi velut alter Daniel Anacletum hìc bestiam, vel beluam vidisse. Dic mihi mi Daniel, an sit hæc bestia grandis quasi leena, quæ alas habet aquilæ? An bestia similis vrso, cui sint tres ordines in ore, & in dentibus eius? An quasi pardus, cuius quatuor sunt capita? Sed forsan quartam Danielis bestiam esse dices, quæ sit terribilis, mirabilis, & fortis nimis, quæ dentes ferreos habeat, & cornua decem? Sed certè talis dici non meruit Anacletus, potissimùm, cum id etiam dixerit, ac scripserit, quod olim Iulius Episcopus, & Leo Pontifices Romani dixerint. Repeto quod habet, & ipse Hieronym. & ex Chrysost. dum ad Cephe vocabulum venerimus, aliquid ad id ostendemus.

Addo quòd Leo rotundis verbis habet, quòd in similitudinem honoris fuerit discretio

tio potestatis. Sic ergo sanctos Pontifices tres habes in ordine, qui vnam sententiam proferunt, & nec vno verbo murato. Sed quód omnibus præfuerit, habet Hilarius. Et expresse dicit Chrysostomus, approbat Hieronymus, non contra dicit Augustinus. Sed & Cyprianum audi, cuius verba sunt hæc in tertio tractatu de simplicitate Prælatorum. Loquitur Dominus ad Petrum. [Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Et quæ ligaueris super terram, &c.] Et idem post Resurrectionem suam dicit: [Pasce oues meas.] Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem tribuat, & dicat: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi, & cui tenueritis, tenebuntur.] Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit.

Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.

Dices ne tot Pontifices, immò totidem sanctos Viros fuisse mentitos? Non repetam id, quod habet Origenes in Matthæum, qui prorsus non audet Ioannem Petro præferre. Quis enim hoc faceret, inquit, quasi dicat, quis nisi mentis inops. Sed caducum habes argumentum, quo quæris vbi legerit hæc belua, quòd Petrus ordinauerit Apostolos, miserit eos, confirmauerit eos. Ostendi superiùs quomodò supremus ille Pastor Discipulos elegerit: [Vnde ego elegi vos, miserit eos. Vnde sicut misit me Pater, &c.] Et confirmauit eos. Quare non erat necesse de nouo illos eligere, mittere, vel confirmare. Sed ne me solum hominem loquentem habeas, audi quid dicat Chrysostomus in Ioannem homil 87. Siquis percontaretur quomodò Iacobo sedem Hierosolymis acceperit, responderem hunc totius Orbis Magistrum præposuisse. Tu pro tuo solerti ingenio interpretare hic Chrysostomum, & vide an non hic ille tibi rectè respondeat? Discretionem potestatis in alio loco tibi pleniùs ostendam.

CAP. LXI.

Vult Lutherus Petrum fuisse primum ordine sine auctoritate, cum Apostoli sine ipso prædicauerint, &c. Sed Faber ostendit Primatum Petri etiam inter Apostolos fuisé.

LVTHERVS.

Quin hic signa, Duplex est Primatus honoris, & potestatis. Quòd Petrus primus fuit in ordine, nemo negat. Nam & inter Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Doctores, Principes etiam si nullus alteri subiectus est, tamen necesse est, in conuentu primo loco vnum sedere, cum tamen nihil habeat præcipere illis, ità Petrum fatemur Principem Apostolorum, primum Ecclesiæ membrum, Caput Collegij Apostolici, & alia, quæ de eo sancti Patres dixerunt. Ità videmus Romanos Pontifices semper honoratos, vt successores, & primo loco habitos. Et in hoc loco rectè, & laudabiliter actum est, & agitur, agendumque est sine querela. Alter autem Primatus potestatis nunquam fuit Petro datus, quia quilibet Apostolorum sine auctoritate Petri prædicauit Euangelium, Episcopos, & Presbyteros ordnauit in locis suis. Omnes à solo Christo sunt æqualiter missi, & immediatè hunc Primatum isti honestissimi Canones ambiunt, & verbis Dei abutuntur in hanc tyrannidem stabiliendam. Nolunt enim vllum Episcopum in toto Mundo fieri, nisi pallium, & auctoritatem Romani Pontificis habeat. Et vbi Petrus se non extulit super Apostolos, ibi vnus Apostoli successor longè minor suo prædecessore; sicut Apostolus Apostulo non contentus honoris Primatu, omnium Apostolorum successoribus vult dominari in potestate, & violentia. Hanc rationem inuictam oppono omnibus, qui Romano Pontifici adulantur super totius Mundi dominio, & expecto cum fiducia quidnam contra possint mouere, aut gannire, Qua simul fretus, tanquam certissima, & omnibus notissima veritate cum fiducia proclamo, quòd decreta quæcumque aliter statuns, non modò frigidissima sunt, sed etiam contraria Diuinæ Scripturæ, Euangelio, & actibus, & epistolis Apostolorum, in quibus tam crebrè, tam aperte Apostolorum æqualis, & in Mundo diuersa commissa Prouincia describitur, vt ego non possim satis admirari esse potuisse vnquam, tam temerarios adulatores, qui contra hæc fulmina scripturæ fumum suum terrenum leuare auderent, hoc successori Petri Episcopo arrogantes, quod nec Apostolo Petro prædecessori vnquam permissum est. Nec tamen mirarer si id solum arrogarent, nec quererer, sed quòd huic arrogantiæ repugnantes Scripturas maluerint corrumpere, quàm repugnantibus temporalem hunc potestatis Primatum cedere.

FABER.

Distinctionem hic habes de primatu honoris, & potestatis antea à Leone dictam, ab alijs quoque receptam, licèt peruersè inducas. Cùm alijs enim dicere debebas in similitudinem honoris etiam esse similitudinem potestatis. Sed ne gloriari possis, hanc adductam rationem, vt dicis inuictam, & ne velut alter Gorgias Leontinus videaris, tibi respondere statui. In primis quando Petrum primum in ordine fuisse dicis, id nemo negat. Possem quidem in aduersum pugnare, si hic vocationis ordinem putes, sed nolo, vt sim breuior, Hoc tamen dico Simonem Petrum non solum in vocationis ordine fuisse primum, sed vt Cyrillus inquit, Petrus fuit ordine maior. Et hoc est, quod habet Origenes homil. 6. in Matth. quòd oportuerit aliquid maius habere Petrum. Sed quid est Petrum ordine maiorem esse? & quid est Petrum habere aliquid maius? Certè hoc est, quod habet Orig. reliquos Apostolos non esse

esse in tanta perfectione. Nunquid non hæc Primatum potestatis important? & non est Origenis reicienda cogitatio, qua ex demandato Euangelico Petrum potestatem ligandi, soluendique non in vno Cœlo dumtaxat, sed in omnibus Cœlis habere tradidit.

Reliqui verò tantùm in vno Cœlo habeant. Sunt ne hæc verba honoris tantùm, quæ apud iureconsultos non parium actionem? Sed dic quæso an non sint in Ecclesia quinque ordines, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, fidelium, & cathecumenorum? Certè dices hic me vera dixisse, immò non ego id dico, sed hæc dicit diuus Hieronym. in Esaiam cap. 19. Sed nunquid cathecumenum æquabis Presbyteri, siue Episcopo? minimè id facere poteris. Nam oportebit te imitari Moysem, qui separauit Sacerdotes à populo. Et postea ipse Dominus Moysem nubem intrare præceperit.

Et Ambrosius 1. lib. epistol. epist. 6. ad illud exclamat. Vides diuisiones nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque vsu & moribus inconditæ multitudinis, & licèt baptismus Sacerdotes efficiat. Sed hoc Sacerdotium laicale Sacerdotium dicitur; ità vt laici perpetuo absque noua ordinatione sint, ac maneant laici, quos Hebræi Goim vocant. Ità respondet orthodoxus aduersùs Luciferianos circa principium. Et licèt Hieronymus scribens in epistolam ad Titum cap. 1. contendat ex scripturarum sententia Episcopum, & Presbyterum esse vnum, audi tamen. S. Ambrosium, ità dicentem. Post Episcopum Diaconatus ordinem subiecit. Quare? nisi quia Episcopi, & Presbyteri vna ordinatio est, vterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est.

Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat. Sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit. Sed & Hieronymus ad Euagrium scribens, tolerare non potest, vt Presbyteros, atque Diaconos æquemus.

Et D. Aurel. Aug. in lib. quæst. vet. & noui testam. qu. 101. prorsùs admittere non potest, quòd Leuitæ Sacerdotibus, & Diaconi Presbyteris coæquentur, dicens multum distare inter Diaconum, & Sacerdotem. Liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti Diacono ab Apostolis ordinato. Miserunt, inquit, ad Petrum, & Ioannem, vt venirent, & ijs qui crederent, darent Spiritum sanctum per manus impositionem. Sed inscij credo scripturarum, aut immemores legis hoc defendunt.

Recordari ergo debet, qui ista putat asserenda, quid Leuitis acciderit cum taliter saperent, Numeri 16. Cùm enim nihil inter Sacerdotes, & Leuitas interesse præsumerent, Deo iudice, hiatu terræ absorpti sunt Chore, & consentientes ei, & ducentos quinquaginta viros torrens ignis similiter consumpsit, 2. Paralip. 26. Et Osias Rex cum opus sacerdotale præsumeret, lepra perfusus est, vt hoc vtique exemplo, &c. Sed & Episcopi, atque Presbyteri alia dignitas est, sicut mittentis, ac missi, teste Hieronym. in epistola ad Pamachium aduersum Ioannem Hierosolymitanum. Ex quibus omnibus liquet alterum altero ordine esse maiorem, & ità maiorem, vt non solùm honore sit maior, sed & potestate ad hoc totis viribus laborarunt Ignatius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, ac reliqua Sanctorum turma, vt Laici, atque Diaconi subsint Presbyteris, Presbyteri verò subsint Episcopis, etiam si olim Episcopi, atque Presbyteri vnum fuerint, sed & nomen hoc habet Episcopi. Cur enim quis nomen meretur Episcopi, nisi superintendat, & illius tanta est dignitas, vt sit Regi præferendus? teste Hieronym. ad Heliod. & illi Cæsar obtemperare debeat. Sed & Episcopi potestatem habent constituendi Presbyteros per Vrbes singulas. Aut mentitus est Paulus ad Timoth. ita scribens. Constituas per Ciuitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui. Sed numquid Presbytero sic ordinato parem cum Tito, vel Paulo potestatem attribues? 1. Thimoth. 3. Quòd si hic Presbyteros contenderis Episcopos, audi quid iam dicat Hieronym. Postquam vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto Orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Sed & non solùm inter Presbyteros vnus electus cæteris superpositus est, immò nec omnes æquales fuerunt Episcopi non modò honore, sed & potestate.

Dicas, an non fuit in Palestina metropolis Cæsarea, & totius Orientis Antiochia? Et vt Hieronymus ait de nominibus regionum locorum Hebraicorum Hierusalem metropolis quondam totius Iudææ fuit, quæ ab Ælio Hadriano Cæsare, quòd eam à Tito destructam restaurauerit, Ælia cognominata est, & Tyanam olim fuisse primæ Cappadociæ metropolim, cuius Episcopus ad se Cæsarienses Præsules trahere volebat. Nazianzenus Hieronymi præceptor in lib. de Monodia testatur. Sed & circa annum ab Orbe redempto nonagesimum apud Eusebium legimus Hermachoram Archiepiscopum fuisse Aquilegien. De reliquis Archiepiscopis modò prætereo.

Sed dic mihi Luthere cur fuerint electi Archiepiscopi? numquid, vt tantùm præessent sicuti fingis? certè ea propter Metropolitani fuerunt, quòd Presbyterorum, ac Episcoporum causas iudicabant, ad eos quoque tamquam ad superiores causæ referebantur. Hoc docent historiæ, & horum meminit Hieronym. ad Pamach. Sed fortè iam antiquiorem petis historiam, & quæ temporibus Apostolicis propius accedat. Nec id tibi denegare volo, & mihi sufficiat vnicum Hieronymi testimonium, cuius verba subscribam. Ait is, quòd postea vnus putans ex Presbyteris vnus electus est, qui cæteris præponeretur in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam, & Dionysium

fium

sium Episcopos Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Hæc Hieronym.

Habes hìc duo, vel tria, primò quòd à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos Presbyteri vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum eligebant. Et vnde putas hoc didicisse Marcum? Credo ego quidem à Petro. Ad hæc diuum audi Aurelium August. quæst. 110. contra inobedientes, immò & contra potestatum turbatores, in lib. quæst. veteri, & noui Testam. sic ait: Ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & vsque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum seruatum perturbant, ordinem sibi sine origine vendicantes, hoc est corpus sine capite profitentes. Vnde congruit etiam eorum Sedem Cathedram pestilentiæ appellare. Nec ideò impunè erit, quia sub Dei nomine hoc agunt. Constat enim suas illas causas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt, sed sibi locum volentes defendere. Hæc August.

An Hieronymus mentitus est, qui hanc ordinationem exorditur à Marco? Vel an errat Augustinus, qui hunc ordinem sumit à Petro? Stabit ergo inconcussè sententia, quam alibi habet August. lib. 1. aduersùs quæst. Ianuarij cap. 1. quòd ea quæ communiter seruantur in Ecclesia, ità sint à sanctis Patribus, immò ab ipsis Apostolis ordinata, vel constituta, etiam si in Euangelijs, aut alijs Apostolis scripta non sint. Alioquin quomodo quadragesimale ieiunium sustinebimus? Non enim id habes in nouo Testamento mandatum, sed vt Hieronym. inquit. Nos quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum ieiunamus, nec quadragesima iam pridem est instituta; immò de ea Origenes in Leu. homil. 10. sic habet. Habemus quadragesimæ dies ieiunijs consecratos; habemus quartum, & sextum septimanæ dies, quibus solemniter celebramus. Est certè libertas christiana per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed virtute. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidijs? Quomodo scientiæ, & sapientię student? Nonne per continentiam ventris, & gutturis? Quomodo quis seipsum castrat propter Regnum Cœlorum, nisi ciborum affluentiam resecet? nisi abstinentia vtaris ministra? Hæc ergo Christianis ieiunandi ratio est. Ità ad verbum Origen. Et post hunc Cyrillus in Leuit. lib. 10. sic ait: Et multa alia ab Ecclesia seruantur, quæ tamen in agiographis scripta non sunt. Et multa commemorat Hirenæus ille proximus temporum Apostolicorum in lib. 3. contra hæreticos.

Dein apertè Origen. in epistolam ad Rom. cap. 6. docet Ecclesiam ab Apostolis hanc suscepisse traditionem, qua paruulis baptisma detur. Volente quoque Domino ex Hyppolito Thebæo, Niceta, Nicephora, & alijs pulchrè olim intelliges, quàm ignarus sis historiarum primitiuæ Ecclesiæ. Et certè non parum miror, quòd non & id obseruandum statuas, quod in Actibus Apostolorum legitur, videlicet, quòd quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vt cum Hieronym. ad Demetriadem loquar, vendebant omnes possessiones suas, & pretia eorum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, dabaturque singulis, prout cuique opus erat. Sed ad Hieronym. redeo; is habet. Episcopum velut Imperatorem constitui. Sed Imperatorem elige talem, qualem habet Onosander, vel qualem habent iura ciuilia. Si fueris imitatus Onosandrum, numquam exercitum æquabis Imperatori. Ac ne more hæreticorum auctoritate propria dicere videar, Aurelium ad hæc audi Augustinum quæst. vet. & noui Testam. quęst. 101. Imperator vt Imperator appareat, ordinatur obsequio militari, non tamen melior, nec par est exercitus Imperatori. l. illicitas, ff. de off. Præs. Quòd si Imperatorem secundùm legem acceperis, dabis illi ius condendi leges, ius iubendi, vetandique, purgandi Prouincias à malis hominibus, animaduertendi in delinquentes, ac cætera id genus faciendi. Sed non in vno loco dumtaxat tradit Hieronymus vnum etiam inter Apostolos esse reliquis præpositum, vt schismatis tollatur occasio. Ità in memorata epistola ad Euagrium, in epistola ad Titum, & quampluribus alijs locis, immò idem Hieronymus in 1. lib. aduersùs Iouinianum sic habet. Dicis, Super petram fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.

An mi Luthere credis, quòd non præuiderit Christus etiam tempore Apostolorum hæreses? Quot schismata putas fuisse vsque ad mortem Ioannis Euangelistę, qui primum mortuus est temporibus Traiani? Vixit enim post Christi passionem annos 68. Nunc ergo ad Apostolorum tempora paulò propiùs veniamus. Apostolis adhuc in seculo superstitibus, apud Iudæam Christi sanguine recenti fantasma Domini corpus asserebatur. Galatas ad obseruationem legis traductos Apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes, pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus, & Menander discipulus eius, Dei se asseruere virtutes. Tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexagintaquinque æditionibus commentatus est. Tunc Nicolaus, qui vnus de septem Diaconis fuit, die, noctuque nuptias faciens obscænas, & auditu quoque horrendos coitus somniauit. Taceo de Iudaismi hæreticis, qui ante aduentum Christi legem traditam dissiparunt. Quòd Dositheus Samaritanorum Princeps Prophetas repudiauit, quòd Sadducæi ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negauerunt, quòd Pharisæi à Iudæis diuisi propter quasdam obseruationes superfluas, nomen quoque à dissidio susceperunt, quòd Herodiani Herodem Regem suscepere pro Christo.

Ad eos venio hæreticos, qui euangelia

lania-

laniauerunt, Saturoum quendam, & Ophitas, & Choiram, & Capocratem, & Cotiuthum, & huius successorem Hebionem, & cæteras pestes, quotum plurimi, viuente adhuc Ioanne Apostolo eruperunt.

Sed in hisce schismatibus, ac hæresibus quid præpositum habere oporteat, dic quæso. Respondet tibi Hieronymus, quòd necesse sit, quòd illi detur super alios eminens potestas. Hic perpende quid dicat Hieronymus. Non dicit quòd inter hæc schismata-s sat fuerit aliquem præsidere honotis causa. Sed quòd huic detur quædam eminens potestas. Hanc potestatem eminentem inter Apostolos habuit Petrus. Sed adhuc fortè incredulus es. Neque credes, nisi cum Thoma digitos immiseris in latus Domini. Scis esse scriptum quotquot possessores agrorum, aut domorum erant vendentes, afferebant prætia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.

Vir autem quidam nomine Ananias cum Sapphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de prætio agri, conscia vxore sua, & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de prætio agri? Nonne manens tibi, manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & afferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius nesciens, quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus. Dic mihi mulier si tanti agrum vendidistis? At illa dixit, etiam tanti. Petrus autem ad eam. Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit.

Habes in hac Apostolorũ historia Ananiã, conscia vxore, quandam partem ad pedes omnium Apostolorum posuisse. Sed tamen vnus scilicet Petrus damnauit Ananiam, damnauit, & Sapphiram vxorem. Nun dices ergo Petrum eminentem habuisse potestatem? De qua sententia Hieronymus aduersùs Vigilantium, legi ait sinceriùs Chananæi Petri seueritatem Ananiam, & Apostoli Sapphiram trucidantis.

Et idem ad Hedibiam, Ananias, & Sapphira oeruere sententiam, quia sua timidè reseruarunt. Sed, & aliam audi historiam. Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit enim pecuniam dicens, Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum, Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est enim tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.

Dic mihi an talem ab alijs Apostolis habeas sententiã? Simon non vni Petro, sed Apostolis pecuniam obtulit dicens, Date mihi hanc potestatem. Sed tu dic an non fuerint Ananias, & Simon de cætu Discipulorum? hos tamen solus Petrus damnauit, atque corripuit. Et alia multa sunt, quæ dixit, & fecit Petrus, quorum, & mentionem supra fecimus, quæ non tam prærogatiuam honoris, quàm & potestatis probant.

Taceo hic de Nicolaitis, de quibus agitur in Apocalypsi cap. 2. Nec mirum tibi videatur, quòd in hoc Apostolorum choro, quem Hieronymus vocat verè honorabilem; Deo dilectum, ex quo salus venit cunctorum hominum, atque populorum. Quoad fieri potuit, æterna sapientia patris hunc statuit ordinem, quem in Angelorum choro, vel in angelica hierarchia nouit ab æterno. Sed qualis inter Angelos sit præfectura, hic non dicam ex Ricardo, vel Bonauentura, immò nec ex Dionysio de diuinis nominibus, (quamquam si velim, id facere possem) sed ex Doctore Gentium, qui raptus in paradisum, didicit hic esse in principatum, potestatem, virtutem, & dominationem.

Credit Hieronymus eum ex Hebræis hæc nomina quatuor didicisse. Et quid per illa voluit? certè quòd intelligamus in cœlestibus esse principatus, potestates, dominationes, atque virtutes, & cætera ministrorum vocabula, quæ nec nos possimus nominare. Si autem sunt principatus, inquit Hieronymus, & potestates, virtutes, & dominationes, necesse est, vt subiectos habeant, & timentes, & seruientes sibi, & eos qui sua fortitudine roborentur. Quæ distributiones officiorum non solum in præsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt, & per singulos profectus, & honores, & ascensiones, & descensiones, vel crescat aliquis, vel decrescat, & sub alia, atque alia potestate virtute, principatu, & dominatione fiat. Quòd si inter hos mille miriades Angelorum, de quibus in Psalmis Propheta Regius ait. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis. Talis est præfectura, quàm nunc ipsi audiuimus. Nimirùm si in Apostolorum, ac discipulorum choro talis fuerit ordo, vt præsidentem haberent, cui & cæteri obedirent,

Ex reuelatione Danielis, etiam habetur, quòd quamquam omnes sint administratorij spiritus, tamen prouincijs singulis sui præficiuntur Angeli. Propter quod, & legitur Angelos recessuros ex templo Hierusalem claris vocibus dixisse, Migremus ex his sedibus. Sed putas ne, quando sedebunt super duodecim thronos Apostoli, de quibus Matth. 19. iudicantes duodecim tribus Israel non quodam prælationis ordine sessuri sint? An frustrà dixit Dominus. [Data est mihi potestas in cœlo, & in terra?] Proin vera est sententia Hieronymi, quòd omnes Apostoli, & Apostolici viri sint dati Pastores iuxtà cor Domini, qui pauerunt credentium multitudinem non in iudaicis cerimonijs, sed in scientia Christi, atque doctrina, qui in arca Domini, quæ custos fuit legis Mosaicæ, sed in euangeli-

gelica prædicatione fiduciam habuerunt, non cum errantibus Nazaræis sacrificia, sed spiritualem cultum sectati sunt. Inter hos pastores Petrus primus Pastor dicitur, vt est apud Augustinū in epistola ad Galat. immò totius Pastor Ecclesiæ dicitur, vt est apud eundem August. 22. lib. contra Faustum cap. 70. & ad hunc totius Ecclesiæ cura pertinuit. Si pares erant omnes in hoc pastorali officio, cur Petrus dicitur primus, & Paulus posterior? & semper hic ex Græco vocabulo *poimene* veritatem euangelicam repetitam habere volo. Sed & apud Gregorium in Canticis, & pastorali non propterea primus pastor vocatur, quòd sit primus in vocatione, sed quia ordine maior.

Cum ergo Apostoli pastores fuerint, vt suprà docuimus, & pulchrè tradit Hieron. in Hierem. 23. c. Numquid non dignum erat, vt pastor esset aliquis superior, vt si quando inter pastores iurgia fierent, sicut in Genesi contigisse legimus, hæc ille sua auctoritate ditimeret, atque sopiret.

Notissimum est quòd Apostoli sint custodes murorum Hierusalem, de quibus Esa. ait. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte perpetuo non tacebunt: sed putas non dignum fuerit, quòd inter custodes illos aliquis fuerit maior, atq; superior? cum tamen inter triginta octo millia leuitarum semper aliqui præpositi fuerunt.

Dicuntur Apostoli Doctores. Sed quid hoc sibi vult, quòd, vt est apud Augustinum, sicut in Christo fuerunt omnes causæ magisterij, irà, & in beato Petro Apostolo post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput esse eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Hæc non sunt mea, sed ab Augustino toties repetita. An dices Saluatorem in Discipulos nullam auctoritatem habuisse? Quòd si hoc magisterio Christi tribueris, tribues, & fortè aliquali ratione Petro. Quod si non feceris, turbabis omnia, quæ de instituenda adolescentia tradit Quintilianus. Destrues nobis non solùm scholas peripatheticorum, stoicorum, academicorum, sed omnes omnium professionum etiam sacratissimam Euangelij scholam. Et si in synagoga Iudæorum Archisynagogus erat, non fuerit mirum in hac schola, si etiam quispiam Primarius, ac Princeps fuerit. Apostoli dicuntur architecti Ecclesiæ. Sed numquid inter architectos non pones propositum aliquem? negare non poteris necessarium in constructione domus haberi præpositum, nisi Babylonem extruere velis. Quod licèt ex Vitruuio de architectura, ex Georgio Valla, ac demum ex Dyodoro Siculo de terdenis centenis millibus opificibus, ac architectis, quos Semiramis in extructione Babylonis habebat, multis possemus probare argumentis, tamen, cum theologo negotium habens, præposituram architectorum theologicè probo. 3. Reg. 5. ità scribitur. Fuerunt Salomoni septuaginta millia latomorum in monte absque præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium, & trecentorum, præcipientium populo, & ijs, qui faciebant opus. Hisce præpositis ius erat præcipiendi. Irà Genes. 39. Quanquam in domo, cui præerat Ioseph, fuerit multa familia, tamen Ioseph præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei credita fuerant. Sed ad architectos redeo. Putas ne sapiens ille architectus, de quo Paulus ad Corinth. architectos post se reliquerit absque ordine, vel absque magistratu? Addo ad hæc quòd præpositorum etiam officium est non modò præsidere, sed auctoritatem exercere. Quod olim expertus est Paulus, qui scribit, Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat Ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Prædixerat illis etiam Dominus Matthæi 24. Surrecturos multos pseudoprophetas, & seductores multos, immò exsurrecturos pseudoChristos, vt est Marc. 13. Et factum est illud. Vndè Actor. 13. cum perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam Iudæū, cui nomen erat Barieu, & ad Galat. subintrabantur pseudo Apostoli. Et de pseudoApostolis sæpe conqueritur Paulus. Sed, & 2. Petri 2. sic dicitur. Fuerunt verò, & pseudoprophetæ in populo, sicut, & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negant, superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis vobis negotiabuntur. Illos pseudoprophetas, quos Hieronymus Luciferi satellites vocat, Hos pseudoApostolos, quos Paulus vocat operarios subdolos transfigurantes se in Apostolos Christi, Collegium Apostolorum, vel quoduis aliud quomodo damnare potuit, nisi præsidenti data fuerit aliqua præcipua potestas? Et ad hoc hodie dicuntur electi Episcopi ad tollenda schismata, & hoc quoties hæretici, vel schismatici caput erexerint, necesse est, vt contrà hos homines, quos Hieronimus in Amos cap. 1. vocat Ammonitas, quædam superior exurgat potestas.

Nam hos Ammonitas, qui se parant, deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei, & rudes animas, quæ nuper Christi concepere sermonem, abrumpunt, & diuidunt, quis ferre posset? maximè cum Dominus communiter se muros Rabbe, idest multitudinis in die vlulatus, & belli commotionis, & turbinis incensurum, & regem eorum auctorem schismatis irecaptiuum, & Principes Ecclesiæ iugo colla submittere, vt id fieri possit, non simplex præsidentia exigitur, sed re vera superior, quædam potestas, & ob id ingenuæ Hieronimus Petrum fatetur caput inter Apostolos constitutum.

Hoc, & tacite nobis ostendit Aur. Augustinus 13. lib. contra Faustum. cap. 12. cum dixerit illud Hierem. 17. Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio. Perdix enim contentiosum animal notum est quanta auiditate ipsius contentionis currat in laqueum. Non enim disputare amant hæretici. Sed quoquo modo separare impudentissima peruicacia, vt congregent, sicut hic dixit, quæ non pepererunt.

Chri-

Christianos enim, quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illas diuitias suas non sanè cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligunt ibi esse veram, & salubrem, & quodammodo germanam, atque radicalem Christianam societatem. Vndè istos separauerunt, quos ad suas diuitias coogregatunt. Et quia de talibus dicit Apostolus. Sicut enim Ioannes, & Mambres restiterunt Mosi, sic, & isti resistunt veritati, homines mente corrupti; reprobi circà fidem. Sed vltra non proficient. Dementia enim eorum manifesta omnibus, sicut, & illorum fuit.

Sequitur, & hic propheta, & dicit de perdice, qui congregauit, quæ non peperit, in dimidio dierum eius derelinquet eum, & in nouissimis suis erit insipiens, idest, qui primo tamquam per pollicitationem, & ostentationem excellentis sapientiæ seducebat, erit insipiens, cum apparebit, quia dementia eius nota erit omnibus, hæc Augustinus.

Et hic quod de Petro, & reliquis diximus Apostolis, hoc de successoribus illius quo ad damnandos, & confutandos hæreticos, dicere possumus. Et tibi veteres reuoluenti historias sexcenties occurret, hæreticos à Romanis Episcopis potissimùm esse damnatos.

Itá Leo Secundus anathematizauit Macharium Antiochenum Episcopum vna cum sectatoribus volentibus vnam tantùm in Christo voluntatem fuisse, contra quos Agathon Vocus Concilium sub Constatino celebrauerat.

Ita Cœlestinus non solùm per se, sed & per Cyrillum Nestorium, & Nestorianos damnauit. Illum enim Cyrillum Cœlestinus, non solum Vicarium, & Præsidentem fecerat in Ephesina Synodo, tempore Theodosij, & Valentiniani, sed & illi per Orientem excommunicandi potestatem dedit. Quòd si par fuit omnium Episcoporum potestas, putas ne hoc permisissent Orientis Episcopi? Sed & hac opinione tua, nisi te prouocarem ad Iram, dicerem te omnibus hæreticis, & Nicolaitarum, & Ebionitarum, & Valentinianorum esse peiorem. Siquidem non inuenies ex centenis hæreticis aliquem præter vnum, qui non fuerit ingenuè fassus, non solum Concilium, sed, & Pontifices potestatem habere superiorem. Et si Miriades historiarum percurreris, non inuenies aliquem excommunicationem, itá vilipendisse, deiecisse, ac aspernatum fuisse, veluti ipse facis, imò vt plurimum inuenies, quoties illis anathema, vel Niceni, vel alterius sacri Concilij propositum fuit, iam toto corde tremebant. Eapropter, & multi ad veræ fidei pascua redierunt, ne excommunicationis grauem sententiam eos ferre oporteret. Itá Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus Agathoni cessit. Itá cesserunt multi in Ariminensi Concilio. Itá Orientales, quòd maius est, Pascha celebrare cœperunt iuxtà formam Romanæ Ecclesiæ, licèt aliud docuerit Ioannes Euangelista in Asia. Sed tu cum tuis potestatem sublimiorem spernendo fugis, ac miserè in censura stertis, atque sordescis, quod pauci hæreticorum fecere. Tamen procedo. Apostolos pincernis comparandos, Ioannes ille Chrysostomus asseruit. At de pincernis quid dices? Numquid eos dumtaxat honoris prærogatiuam habere dices? Quod forsan diceret Biberij, Caldij, Merones, Epicuri de grege porci semper ad pocula Leontini amphoræ pendentes Sybaritæ Syracusani? Sed non sic impij, non sic. Siquidem in Genesi narrauit prior præpositus pincernarum somnium suum. Et iterum succedentibus prosperis præpositus incernarum oblitus est interpretis sui. Et in Assueri conuiuio sic Rex statuerat præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque, quod vellet. Et licèt illic fuerit Assuerus, tamen vt Monarchiam rectam haberet, ex more regio semper ei aderant primi, & proximi Charsena, & Sethar &c.

Sed quid credis, an illi pincernæ tantùm præsederint, & ad nutum vniuscuiusque fuerunt elargiti, quicquid vsquam petitum fuerit? minimè. Sed illa forsan vmbratilia dices, eò quòd sint Veteris Testamenti historiæ. Festinemus igitur ad res gestas in lege noua. Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ; illic erat sponsus: illic & Architriclinus erat; & ipse Iesus, qui dicit eis: Haurite, & ferte Architriclino, & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset. Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architriclinus. & dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Habes hic inter pincernas fuisse præpositum, atque magistrum. Numquid ille magister per erat reliquis? nec ius haboit imperandi? Sed & Architriclinus cur dicatur, videre potes apud Erasmum in Annotationibus in Ioannem. Græca etenim vox est, & significat eum, qui præfectus est operando conuiuio. Triclinium locus tribus constratus lectis ad discumbendum. Habebant Apostoli hoc onus iniunctum, vt inniorent ad cœnam paratam, de qua Lucæ quartodecimo. Habebant & hoc officium, vt propinarent, ac nuociarent conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum. Vindemiæ defecata, vt est apud Esaiam, fuerunt omnes pincernæ, sed magistrum, immò Architriclinum habebant. Et is Petrus erat primus Pastor, & Pontifex. Quòd autem hic per Architriclinum, non simplicem quemque hominem, sed Pontificem intelligere possimus, firmat Cyrillus ille noster. Sanctus Patriarcha Alexandrinus, qui sic ait. Miratur tam optimum vinum Architriclinus. Quia Pontificum quisque, quibus Saluatoris domus committitur, huius mysterij ratione stupescit, cui primum vinum afferri Christus imperauit. Quia vt ait Paulus, Laborantem agricolam oportet primum fruges degustare. Hoc autem vnusquisque per seipsum intelligat. Vides & hic Pontificem Arcbitriclinum dici, quem verè introduxit Rex in cellam vinariam, vt est in Canticis. Et hic est ille Pontifex, cui ex mysterio superhumeralis credita sunt vniuersa legis mysteria, veluti Hieron. habet scribens ad Fabiolam de veste sacerdotali. Sed quid facere debet ille Architriclinus?

nus ? aut quid fecit Petrus ? inter pincernas reliquos curare debet, ne caupones misceane vino aquam, contra verbum Esaiæ, hoc est vt hæretici Euangelicam veritatem non corrumpant praua intelligentia. Ii nempe sunt caupones pessimi facientes de vino aquam, cum è contrario Dominus noster aquas in vinum verterit. Et tale vinum miretur Architriclinus, quale & Regina Sabba in Salomonis mirata est conuiuio, pincernas eius & ministros vini sua voce collaudans. Sed & Ecclesiastes ministeria vini, atque conuiuij sui mystico sermone describit. Petrum igitur sicut primum & beatissimum Apostolorum cum Augustino dicimus, ità & Petrum reliquorum pincernarum dicimus esse præpositum. Possem hic nonnihil tractare super Euangelica vocatione, qua Christus dixit ad Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et quomodo post insufflationem, ac potestatem ligandi, soluendique Apostolis traditam, quando simul erant Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Chana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Et exierunt, & venerunt in nauim. Et Lucæ 5. Cur Simoni Petro ad genua Iesu procidenti sit dictum, Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens. Tamen vt breuior sim, de hac piscatione hic nihil dicam, potius ad August. ac alios iam te remitto. Sed & nemo non nouit Apostolos dici fontes. Vnde Hieronymus ad Fabiolam sic scribit. Non dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxtà has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quas & ipsas secundi ordinis intelligimus præceptores. Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta Discipulos minoris gradus, quos & binos antè se Dominus præmittebat. De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primùm vndecim, deindè Apostolis omnibus, alios volens intelligi primos, alios secundos Christi Discipulos. Hęc Hieronym. Vides vbique maiores, & minores innui. Sed & domus, quæ est Ecclesia Dei viuentis, venatores, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, & milites habet, teste Basilio Magno. Nonne dignum est inter illos aliquem præponi? Omitto quæ Damascenus in lib. 4. de orthodoxa fide cap. 16. de Apostolis habet. Et quia Hieronymus testatur super montes Euangelium prędicari, idest super Apostolos, de quibus scriptum est; Appropinquate montibus æternis, & quorum doctrina illuminatio Dei est. Et in Psalmo dicitur. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Vndè exurgendum, ac abeundum est mihi cum Maria in Montana cum festinatione. Veniam saliens in montibus, sed non in montibus Gelboe, vbi nec ros, nec pluuia, vbi interfecti sunt incliti Israel, nec qui sicut cera fluxerunt à facie Domini. Sed veniam ad eos montes, vbi requieuit arca, immò ad eos montes, qui tacti non fumigarunt. Sed qui sunt ii montes? Certè Apostoli ii sunt montes, quales fuerunt Synai, mons Dei Oreb, mons Thabor. Et quamquam Apostoli omnes montes dicti fuerunt, tamen super vnum montium Christus fundauit Ecclesiam, & quis est ille mons? certè Petrus. Ità scripsisse Hieronym. plus semel docuimus. Et ob id fortè præ cæteris nomen petræ promeruit, de quo tamen infrà dicemus. Sed quid opus est foliatio agere responso? Apostoli duodecim lapides pretiosi dicuntur; duodecim fontes in Helim vinitores, aratores, agricolæ, notarij saluatoris. Sed quotquot de similitudinibus hisce leguntur scripsisse vnquam, Petro primarum non tantum honoris, sed & potestatis tribuunt. Ad hęc audi Bedam in Abacuc scribentem. Daniel vidit excisum lapidem sine manibus, idest Christum absque virili opere procreatum, qui regna mundi conterens, sui gloria nominis Orbem impleuit vniuersum. Qui videlicet mons rectè vmbrosus vocatur, & condensus, habens multa ligna fructifera, idest multos viros sanctos, & virtutum pomis onustos. Qui & nostræ mentis esuriem gustu suæ suauissimæ doctrinæ etudiant, & nostra fragilitate ne æstu tribulationum à virore internæ dilectionis arescat, præsidio suæ intercessionis obumbrent. Cui figuræ congruit, quòd Apostolus Petrus arbor, vtique huius montis eximia, non solùm fructu doctrinæ reficit esurientes, & sitientes iustitiam, verum etiam membra sui corporis saluat languentes. Verùm nunc satis, ea enim, quæ hic fuerunt neglecta inferius, ad satietatem vsque resarcientur. Sed quia tu callido quasi famine fateris oportere in vno Concilio aliquem esse prędsidentem, ne confusio fiat, id te dicere conueniebat. Sed dic cur in Concilijs Oecumenicis semper præsederit Romanus Pontifex, aut illius legatus, non Patriarcha Constantinopolitanus, non Antiochenus, non Alexandrinus, non Hierosolymitanus? Ità actum est in Synodo ducentorum, & trigintanouem Episcoporum sub Agathone Papa, & Imperatore Constantino. Cuius rei etiam meminit Nicetas Monachus Græcus, scribens de azimis sabbatis, & nuprijs sacerdotum. Ità factum est in Constantinopolitana quinta Synodo contra Theodorum. Sic in Epheso ducenti Patres sub Cœlestino, & Theodosio, & centum, ac quinquaginta Patres tempore Gratiani Damasum cognouerunt, contra Macedonium, & Eudoxium. Patres sexcenti, ac triginta in Chalcedonensi Concilio. Ità Romanum agnouerunt Pontificem Leonem, vt hunc ter beatissimum acclamarent, immò omnem rem ad illius confirmationem direxerunt, de quo plura apud Facundum Hermannensem Episcopum. Quid dicam de secunda Nicæna Synodo, quæ celebrata fuit tempore Constantini, & Hirenis matris octauo kalendas Octobris, indictione 11. in qua prędedit Petrus Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ sancti Petri, Ac alius Petrus Abbas Venerabilis Monasterij sancti Sabbæ Romæ sanctissimi, ac religiosissimi Adriani Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ Legati, vbi fuerunt Pathasius Archiepiscopus Constantinopolitanus, Ioannes, & Thomas Tyrij, Ioannes Ephesus, Episcopi Nicomediæ, Chalcedonis, Cretæ, Ponti, Sardiniæ, Pirrichiæ, Nicepolis, Seleu-

leuciæ, Syracusæ, Milleti, Chij, Trallæ, Magnesiæ, & sic trecenti, & quinquaginta Episcopi, tamen primam potestatem semper habuit vterque Petrus, immò semper in praxibus illorum prima subscriptio est, Petrus, qui erat vicetenens Adriani Romani Pontificis. Ità testantur hypomnimata eiusdem sacrosancti Concilij,quæ adhuc integra persistunt, & Græcè,& Latinè, quæ olim contra eos,qui imagines tollunt Sanctorum,pugnabant acerrimè. Et non indignum iudicas, vt quid ibi decreuere trecenti, & quinquaginta Episcopi, te solo & vnico auctore, diruatur. Sed de prima Synodo, quàm & tu sacratissimam & rectè vocas, in Nicæa Bythiniæ metropoli sub trecentesimodecimoctauo anno à trecentis, & decem octo Episcopis, teste Nicephoro, celebrato, notissima est historia Siluestri Papæ. Et, vt antiquiora dicam, vetustissimæ, & ad adhuc nec tibi, nec tuis cognitæ, ac visæ historiæ tradunt Victorem Romanum Pontificem non longè post Apostolorum tempora celebrasse Concilium in Alexandria Palestinæ cum Narcisso Episcopo Hierusalem,& Theophilo Cęsareæ, ac Hireneo Lugdunen. & firmari fecit Pascha celebrari debere die Dominico à quattuordecima luna Martij vsque ad vigesimam primam Aprilis, licèt Orientales omninò contrarium anteà sensérint. In his, ac alijs sacrosanctis Concilijs patres illi, non solùm honoris causa præsidentem habuere Pontificem Romanum, sed & illi potestatem eam, ac tantam dedere, vt ipse conuocaret Concilium, preponeret causas, prima vota dederit, primo se subscripserit, primum anathema pronuntiarit, consessum, & locum indixerit, & alia non solùm honoris, sed & potestatis signa peregerit.

Nec dubites si Constantinopolitanus Episcopus huuc honorem habere potuisset, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus chronographus ea scripsisset. At licèt etiam is Patriarcha quintam Synodum Constantinopolitanam descripserit, nihil tamen vspiam, quid tale deprehendo. Nec dubito in Concilio, quod celebratum fuit Antiochiæ temporibus Apostolorum, sicuti testantur acta secundi Nicæni Concilij, Petrus primas ibidem partes habuit. Sed quid opus est multis? ordines ecclesiarum negare non potes. Sed hos fecerunt Apostoli, nisi Hieronymus, Cyprianus, Tertullianus, Anacletus, Leo, immò Hirenęus Lugdunen. Phorini Episcopus, qui fuit Discipulus Discipuli Ioannis Euangelistæ, hoc est Polycarpi, mentiantur. Et qualis erat diuisio, certè talis, vt essent Presbyteri, Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ. Quòd si pares in potestate erant, cur Princeps, vel primarius Episcoporum dicitur Archiepiscopus? si idem erat presbyter, quod Patriarcha, cur Patrum Princeps Patriarcha Græcè dicitur? colligimus hoc nomen, non solum ex Suida, sed omnibus auctoribus Græcis.

Vanum est ergo mi Luthere, quod hic somnias, primatui videlicèt honoris non respondere primatum potestatis, cùm omnis ratio, omnes historiæ contrarium asseuerent. Et ergo iam in transcursu, & quasi obiter consensum ferè duorum millium Episcoporum contra te in testes statui, atque produxi. Veris itàque haurite aquam, sed reportas vasa tua vacua, iuxtà verbum Prophetæ. At quid iam te facere conuenit, fine stare Sanctorum imagines, iuxtà decretum secundi Nicæni Concilij, permittas Episcopum superiorem esse presbytero, iuxtà canones primi Nicæni Concilij, venerare Reginam Cœli, veluti Genitricem Domini, secundùm Synodum Ephesinam,sinas illam perpetuam Virginem, ne in Heluidij labyrinthum labaris incautè, celebrato Pascha, etiamsi in Euangelio solemnitatem illius minimè celebrandum inuenias, iuxtà decretum in Alexandria Palestinæ factum. Et sic adimplebis legem Christi, quia vt cum Augustino contra Faustum libro terciodecimo,capitulo quinto dicam, nostrorum portio librorum auctoritas tot gentium consensione per successiones Apostolorum Episcoporum, Conciliorumque roborata vobis aduersa est, vestrorum autem nulla est. Nec moueor, quòd dicis illa, scilicet Concilia errasse. Nam nisi aliter monstraueris, tibi non credam.Quòd si error fidem adimit, ità quòd erranti parùm credendum fuerit, iam tibi totiès erranti nihil credemus. Sed alibi de Conciliorum erroribus non pauca.

CAP LXII.

Tyrannidem vocat Lutherus reseruationem, quam facit Papa de confirmandis Archiepiscopis, sed ostendit Faber à millibus annis hoc fecisse Pontificem.

LVTHERVS.

Addo ad hæc, quòd nec in hoc rectè, & euangelicè fit à Romanis Pontificibus, quòd Episcopos è Romana Ecclesia propagatos, idest Ecclesiam Latinam sic administrant,vt soli ipsi ordinent, & confirment Episcopos omnes. In hoc enim non Christo, sed sibi Ecclesias Christi videntur arrogare, cùm Apostoli Pauli exemplo deberent alijs committere constitutionem Episcóporum, videlicèt Archiepiscopis, & vicinis. Deberent ergo illos Deo committere, & nequaquam negare, vt pro nouo Episcopo ad Vrbem mitterent.

Habet enim speciem non leuem auaritię, & tyrannidis, quæ dominentur fidei eorum, quod Paulus noluit sibi vsurpare in Corinthijs. Sufficeret enim semel Episcopum dedisse, & deinceps eos gratiæ Dei commendatos propagationi propriæ eos relinquere, aut solummodò curam gerere, ne à fide denegarent. Sicut Apostolus in Galatis monstrauit exemplum. Nunc videmus prætextu huius beneficij, & primatus omnium Episcopatus, & sacerdotia in voraginem Romanæ auaritiæ rapi, tot simoniæ impudentissimè monstris hoc vno operculo tectis.

FABER.

Circa Episcoporum ordinationem variam obseruationem fuisse legitur. Primò om-

omnium Christus ordinauit Episcopos; & fuerunt Apostoli. Vnde Episcopi sunt successores Apostolorum. Apostoli ius habebant, vt alios ordinarent Apostolos, & Episcopos. Ità Paulus in multis vrbibus peragratis, reuertensque Hierosolymam, à Petro, Iacoboque, & Ioanne Apostolus ordinatur. Sic scribit Hieronymus in cathalogo, & illic in vita Pauli. Ità Paulus Timotheum ordinauit Ephesiorum, & Titum Episcopum Cretæ. Ità Apostoli Iacobum, qui appellatur frater Domini, Episcopum Hierosolymorum, cui in Episcopatu successit Simon Chananæus, cognomento Iudas. Ità Barnabas Cyprius cum Paulo Gentium Apostolus est ordinatus. Sic Ioannes Apostolus Polycarpum ordinauit Smyrnæ Episcopum. Sic proculdubiò Petrus Enodium in Antiochia ordinauit Episcopum. Sed postquam in Nicæna Synodo Patres sancti conuenerunt, ordinatum est ità, vt is eligeretur in Episcopum, quem Clerus, & populus communis ille ad id dignum iudicaret, hunc quoque consecrarent in Episcopum Episcopi viciniores, quod & hodiè fieri solet. Ità actum esse cum sanctissimo viro Gregorio, Nissene, plerisque alijs inuenio. Sed sancti Patres illi viderunt multos ambire episcopalem dignitatem, cognouerunt denique quid ad Episcopum pertineret.

Vnde aliter composita res est. Siquidem scripserat Paulus ad Timotheum. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Siquis autem domui suæ benè præesse nequit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? non Neophitum ne in superbiam elatus, incidat in iudicium diaboli. Oportet autem illum testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Et ad Titum. Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eam, quæ secundùm fidem est, fidelem doctrinam, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Præuidentes itaque sancti Patres à præponendo Episcopo multa exigi, quæ hìc scripsit Paulus, & maximè quòd natura sit prudens, docilis moribus, temperatus, vita castus, sobrius, peruigil, humilis, affabilis, misericors, literatus, in lege Domini instructus, in scripturarum sensibus cautus, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, ac ante omnia, quòd possit esse fidei defensor, hæc inuenire hoc opus, hic labor est, ista tractare, perquirere superiori conueniunt, qualem Romanum Pontificem agnouimus, nec vnius anni consuetudo est. Nam Anacletum id statuisse, ac ità obseruatum esse legimus, ne Episcopus à paucioribus, quàm tribus Episcopis ordinaretur. Et Romanum Pontificem hoc ius ante mille annos habuisse, compertissimum est. Immò, vt supra ostensum est, Leo Episcopo Thessalonicen. de confirmandis Episcopis, hanc formam tradidit. Vnde ait, cùm de electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postulauerit, ità vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur & meritis, tantùm vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne ciuitas Episcopum non optatum contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit.

De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri, plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia benè placuit, scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque affirmet auctoritas, quæ rectis dispositionibus nihil moræ, aut difficultatis debet afferre, ne Gregibus Domini diù desit cura pastoris. Metropolitano verò defuncto, cùm in eius locum alius fuerit subrogandus, prouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum, atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, si quid ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut N. iustas electiones multis dilationibus volunt fatigari, ità nihil permittimus te ignorante præsumi. Et apud Hieronymum, Eusebium, Sozomenum, ac reliquos Græcos, ac Latinos historicos Auctores legimus sub Arriano tumultu plurimos Episcopos è proprijs Sedibus eiectos.

Et abiecto Machario Antiocheno Episcopo, surrogatus est Theophanius Abbas. Et notissima historia est, Eusebium Nicomediensem Constantinopoleos episcopatum inuasisse, vbi præsedit sanctissimus Alexander, & Eusebius præsulatum Constantinopolitanum tyrannicè obtinuit. De his, quæ in Nicomedia, ac Nicæa, ac post in Antiochia peracta sint, silentio pertranseo. Quid dicam de Athanasio viro illo sanctissimo, contra quem toti Arriani coniurarunt? Inter hos tumultus etiam ius aliquod habebat Pontifex ille Romanus. Nam Eusebius Constantinopolitanus, eiusque consortes calumnias in Athanasium factas, Romam destinarunt, qui etiam ipsos Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad iudicium euocauit. Et mira est tragœdia Homousianorum, & Arrianorum hisce tyrannicis eiectionibus, quia vix fieri posset, vt semper vicini Episcopi de causis rectè cognoscerent. Quare in Nicæno Concilio statutum, ac ordinatum est, vt Episcoporum causæ iudicentur ab Romano Pontifice. De qua re paulò vberiùs infrà dicemus. Quod & tranquillitati Episcoporum, ac Cathedrarum plurimum conuenire credo, vt sit quispiam superior, qui electionem, & causas disquirat Episcoporum. Sed nemo hìc putet, quòd tyrannicam exactionem tueri velim. Semper enim Simonem Magum illum Samaritanum odi. Giezitas quoque, simul omnes de redemptione pallij Ioannis Andreæ respondeat, qui se Romæ multa vidisse gloriatur in lib. quem Prouinciale vocant. De hoc

non pauca sunt in decreto sub dist. 100.

Sed & Romę hoc dico, quod scribit Hieronymus in 2. libro aduersus Iouinianum, Roma Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxtà Hebræos, Serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum est. Squallet Capitolium. Templa Iouis, & ceremoniæ conciderunt. Cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant? Adhuc sub Regibus, & adhuc sub Numa Pompilio faciliùs maiores tui Pythagoræ continentiam, quam sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt. Ad priora venio. Circumferuntur concordata, quæ principum vocant, ea inter Pontificem, ac principes candidè seruari, ne vtrique fluxa fides esset, fortè non foret inutile, aut tam inhonestum. Ego quidem inuenio Pontifices Romanos, Episcopos, & Archiepiscopos constituisse, & confirmasse longè ante mille annos.

Taceo hîc de diuersis Legatis, quos in diuersis concilijs semper habuerunt Romani Pontifices, maximè quando illi non interfuerunt. Et si non fuissent Romani Pontifices Antiocheno, Cæsariensi, Constantinopolitano, ac Alexandrino maiores, credo vix toties ad Occidentem Athanasius ex Ægypto fugisset. Sed quid putas (vt me totum in hac re aperiam) Romanum Episcopum legimus à pluribus seculis Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & reliquos certos Prælatos confirmasse Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Portugalliæ, Apuliæ, Vngariæ, Noruegiæ, Britanniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Daciæ, Scotiæ, Aragoniæ, Cathaloniæ, Granatæ, Aquitaniæ, Romandiolæ, Lombardiæ, Gotiæ, Tusciæ, Picardiæ, Sclauoniæ, Corsicæ, Campaniæ, Cretæ, Suetiæ, Burgundiæ, Calabriæ, Sardiniæ, Sabaudiæ, Siciliæ, Achaiæ, Dalmatiæ, Castellæ, Rhodi, Chij, Rusciæ, Liuoniæ, Syriæ, Lothringiæ, Istriæ, ac aliorum Regnorum, & Prouinciarum. Et licèt totidem Reges, & Principes totidem seculis obedientiam Romano fecerint Pontifici, tamen tu omnia conaris euertere. Tu graue saxum Sysiphi voluis, sed vide ne olim in lapidem te impegisse dicamus. Tu nimis emungis. Siquidem vt Romi Græcè, teste Suida, *ischys* est, ità Romanus Pontifex *Romaleos est*. Sed fine mi Luthere hic me tecum in fine eorum, quæ obijcis simoniæ mentionem facis, quam vti non dubito in eo consistere putas, quòd pecuniæ pro beneficijs aut dentur, aut recipiantur. Si hoc senseris, certè & hic te errasse credo.

Quandoquidem ex historia Simonis id probare non potes. Simon enim, vt est Act. 8. non beneficia, sed Spiritum sanctum emere volebat. Vnde Lucas ait. Cùm vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi potestatem hanc, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Vides hic nihil de episcopato, altari, siue beneficio, sed solo Spiritu sancto, ac dono Dei petitum. Non ergo secundùm te peccat, aut simoniam committit, qui pecuniam pro beneficio dederit, cùm nihil credere velis, nisi quod ex omni parte in lege fundetur, aut quadret vbique. Romani ergo secundùm te non peccarent dantes, vel recipientes pro beneficijs pecunias. Sed hac de re aliorum esto iudicium. Satis est hic ostendisse à millibus annis Rom. Pontificem alios confirmasse Episcopos.

CAP. LXIII.

Irridet Lutherus, quòd Anacletus Petrum vocet Cepham, idest Caput, sed demonstrat ex Auctoribus, Faber eum benè dixisse.

LVTHERVS.

Sequitur & Cephas, idest caput, & principium teneret Apostolatus, vel hic locus ostendit magno affectu potestatis, quàm veritatis studio hunc primatum quæsitum. Quomodo enim tot falsis argumentis vterentur, si semel & solidam haberent causam? Multis autem eget mendacium, vt verum appareat. Itàque tam inscius est iste scænicus, & poeticus Anacletus, vt Cepham caput interpretetur, contra euidentissimum, & Apostolicum testimonium Ioannis Apostoli, qui dicit Io. 1. Intuitus eum Iesus dixit. [Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] Pudet me quòd super hoc errore crassissimo tantum negotium struitur, in quo simul indiligentes se fuisse Euangelij lectores. Ideò non mirum, quòd & falsos intellectores ostendunt. Meliùs Leo supra petram soliditatem intelligens vocabulum Cephe, benè nouit. At hic nec Euangelium, nec Canones rectè intelligit. Est autem Cephe, teste Hieronymo, syrum vocabulum significans soliditatem, quam Græcus Petrum, vel petram, idest saxum, vel rupem firmam transtulit. At noster hic nugator Cephalen pro Cepha accepit, & tamen inter sacros Canones, vel primus habetur.

FABER.

Hîc contra te mi Luthere vix hisere audeo, qui adeò fremis, vt etiam Anacletum inscium, scænicum, nugatorem, atque poeticum voces. Mirum est quòd non, & hunc Beroticum appelles, sed forsan iratior, quàm consideratior hoc dicis. At fine, videamus aliqua de Cepha. Hieronym. in Hebraicis nominibus tractans de his, quæ sunt in Ioan. sic ait. Cephas Petrus syrum est. Et iterum in epistola ad Corinth. Cephas Petrus Syrum est. Et iterum ad Corinth. Cephas Petrus Syrum est. Habemus itaque iam quid sit Cephas. Sed Luthere dic ex Hieronym. quid sit Petrus. Est ergo Cephas Petrus. Sed quid est Petrus? Ecce vno & eodem libro vtpotè in lib. de nominibus Hebraicis scribens Hieron.

ron. de ijs, quæ sunt in Luca, respondet & dicit. Petrus est agnoscens, deindè ad acta Apostolorum, Petrus idest dissoluens. Et ad Galatas inquit, Petrus idest discalcians. An & hìc Hieron. dices inscium, & nugatorem, & scænicum hominem, qui Petrum fecerit agnoscentem, dissoluentem, & discalciantem? An hic Hieronymus in Petri vocabulo plus peccauit, quàm Anacletus in Cepha? Sed dic quomodo hic Hieronymus cum Augustino conueniat, qui Petrum à petra dictum esse contendit. Sed & quid quòd apud Hieronymum *Petros* in græco saxum est. Et Petrus per eumdem pro soliditate accipitur. Tu qui tam nasutus es, iam compara quod dixerint illi, cum iam Petrum agnoscentem, dissoluentem, discalciantem, saxum, soliditatemque significare, nemo negare potest. Quis scit an Cephas itidem in Syro significat? Nam Cephas etiam, vt ipse testatur, Syrum vocabulum est, & significat id, quod Petrus. Quid quod Nicolaus Cusanus Germaniæ lumen, ac decus Cephas etiam caput esse dixit.

Et ferè idem Rabanus habet in 4. libro de vniuerso. Et fortè non tantum hìc oberrauit Anacletus pro *cephali* Cephas, intelligens quantum Rheticius Augustudineu. Episcopus, qui quondam à Constantinopolitano Imperatore sub Syluestro Episcopo, ob caussam Montensium Romam missus est, qui & in commentarijs super cantica canticorum, teste Hieronymo ad Marcellam, autum ophao significare scripsit, quia Cephas in Euangelio idem Petrus sit appellatus. Sed dem tibi quòd hìc Anacletus in Syrorum dictionario errarit, & *cephali* quid sit ex Græco lexico non intellexerit, propterea tot conuitijs post mille, & quadringentos annos non erat lacessendus. Sed si potes, responde an non verum sit quod Hieron. in Abacuc prophetam capite 2. scribit, vbi Paulum ingenuè fatetur ad Romanos, abusum testimonio septuaginta citans illud prophetæ, Iustus ex fide viuit. Sed excusationem eò meretur, quòd ipse Romanis scribebat, qui tunc scripturas Hebraicas nesciebant, nec erat ei cura de verbis, cum sensus esset in tuto, & damnum ex eo præsens disputatio non habebat. An non credis ex errore scriptorum id contigisse, quod legimus in vno Euangelista Dominum nostrum hora sexta crucifixum? cum tamen rursus in Marcum scribatur hunc hora tertia crucifixum.

Sicut & errorem esse fatetur Hieronym. in Psal. 77. vbi pro Asaph legimus Esaiam. Et antea monstrauimus, quod & præmonuit idem Hieron. in epistolam ad Ephes. cap. 5. Apostolos, & Euangelistas non eisdem verbis vsos in testamenti veteris exemplis, quibus in proprijs voluminibus continentur. Siquidem testimonium istud, quod Paulus ad Ephesios ex Genesi citat. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Apostolus pro eo, quod habetur *enecen toyton* propter hoc posuit *anti toyton*. Omitto de pronominibus ablatis. Quod si hoc fecerunt Apostoli, fecerunt Euangelistæ. Nimirum si labitur errore Anacletus modò, si error censeri debet, attamen excusatur eò quòd Hieronym. scribit primitiuam Ecclesiam de imperitia congregatam fuisse gentibus, & maximè ijs, qui forsan Syrum nesciebant. Sed quòd in vocabulis, ceterisque sententijs Aquila, Theodorion, Symachus, & primò omnium septuagiota peccarint, non in vno loco dumtaxat Hieronymus ostendit. Exemplo sit in primia de alma veterum dissensione, de qua re abundè idem Hieronymus in Esaiæ, cap. 7. & in prophetas scribens, hisce rebus resonant omnia commentaria.

Tamen sanctus ille vir alioquin non parum habens de cholera, numquam eos propterea scænicos, & nugatores vocauit. Siquidem non ignorauit, quòd in ijs excusationem merentur omnes quotquot olim in Hebræa lingua lapsi fuerunt, & maximè eo tempore, quo Christi fides cœpta est prædicari in terris, quòd forsan eo tempore in detestationem iudaismi pauci studuerunt linguæ hebrææ, aut forsan habentes bibliam, non habuerunt illam punctatam, licèt & forsan fecerunt sicut septuaginta, non reddentes litteram literæ, nec verbum verbo, sed in plerisque sententiam reddere voluerunt. In vna ergo dictione si Anacletus etiam errauit, non erat adeò insaniendum. Nam etiam in lingua Latina primarij, & optimi oratores aliquando lapsi fuerunt, sicuti castigationes Hermolai Barbari, annotationes & miscellanea Politiani, & multa multorum opera testantur. Et fortè si tuos locos Hebræos in psalterio tuo ad vnguem excurrere vellemus, vix repræhensionem effugeres etiam in his, vbi ex fratre Felice te felicissimum esse putasti. Addo quòd nuper quidam ex tuis sectatoribus in odium sedis Romanæ egregiè lapsus est, qui verbum Matthæi sedecimo, Tu es Petrus, interpretari volens, quædam planè ridicula de Petro protulit. Hæc autem non ex latino, sed hebræo Matthæi Euangelio sese accepisse iactitabat, quasi ipse Euangelium Matthæi ex India cum Pantenone ad Demetrium Alexandrinum attulerit, aut à Nazaræis, qui in Bersabeæ Berosa vrbe Syriæ descripserit, aut forsan ex bibliotheca Cæsariensi contra voluntatem Pamphili martyris obtinuerit. Errauit autem insigniter in eo quòd Petrum à dictione Hebræa *petèr* venisse dicebat, volens nescio quam stultam apertionem inducere. Vtcumque tamen sicuti Petrus tria significare potuit, immò potius tria, vel quatuor significat, ità forsan apud Syros cepha significauit. Quamquam non desunt, qui credant Petrum fuisse filium cuiusdam Cephe ex familia dicti *Cepha*, & ad id alluserit Dominus, eum Cepham appellans, quod an verè subsistat, ignoro. Et rabbi Nathan Romanus auctor, qui inter Hebræos antiquissimus fuit, dictionarium composuit Chaldaicum, quod Aruch dicitur, idest ordo, hic ponit quòd Cepha inter dictiones Chaldaicas numeranda sit, inter cætera dicens, *Cepha barda pherus èbèn barad*, idest Cepha grando expositio, lapis grando. Vide quæ de Cepha multifariè dicantur. Sed ad eos, qui familiæ nomen esse putarunt, id faceret, quòd fortè apud Hebræos erat id, quod apud Romanos, vbi Cicerones à ciceribus, Fabij à fabis, Pisones à pisis, & Lentuli à lentibus serendis nomen meruerunt.

Sed

Sed quid opus est multis? oportet in his quandoque ætates, & conditiones temporum aduertere. Nemo negat, aut negare potest septuaginta græcè, & hæbraicè fuisse doctissimos. Sed nonne in psalmo 64. vbi Hebræi legunt, *lèca dumijah tebibal Elohim Betzijon*. Ipsi græce fecerunt, *soi prépèi ymnos ò Théos en sion*. Vnde nos legimus. Te decet hymnus Deus in Sion. Credit & rectè in primis post tot sæcula Angelus Politianus in prima centuria Miscellaneorum, capit. 68. Tibi silentium laus Deus in Sion, esse legendum. Et multa sunt illius generis, in quibus nos patientiam habere oportet. Sed vis vt ingenuè dicam quid sæpè cogitarim? certè ferè omnibus, qui in Ecclesia primitina vixerunt, videtur impingendum, quòd non solùm erant non syriacè docti, immò nec ad perfectum Hebræi. Nam in vocabulis multi errores commissi fuerunt, qui nec in hanc horam sublati sunt omnes.

Vnde legimus Abinadab pro Ahinadab, Achitob pro Abitob, Beniamin pro Meniamin, Beri pro heti, Anan pro Ana, Bersabe pro Bethsabe, Delbora pro Debbora, Chanaan pro Maon, Cherubin pro Cherub, Damascenus pro Datanascenus, Ethan pro Ethnan, Hus pro Iehus, Ioel pro Iolole, Iechonias pro Chonias, Iesus pro Iesaias, Iobad pro Iob, Obed pro Oded, & toties Sunamitis legimus, & canimus omnes pro Sulamitis. Et vt ad testamentum nouum veniam, nemo est ferè qui non legat Acheldemach pro Hahaldema, & Geraseni pro Gadareni, Iason pro Mnason, Ioseph pro Ioses, Iulia pro Iunia. Et nescio in actis Apostolicis melius esset pro Mitylene Melita. Et infinita sunt illius generis Hebræa, in quibus siquis calumniator esse velit, nos errare diceret. Taceo quod interpres primus qui bibliam nobis latinam reddidit, sæpè *r* legit pro *d*, vt in psalmo 18. vbi legimus. Ab alienis parce seruis tuis, quando est *zadim* debebat esse *zarim* idest superbis. Et in psalmo 4. vbi legimus, Filij hominum vsque quo graui corde vt quid diligitis vanitatem, sunt duo egregij errores, legitur enim beleh pro caph, & duo verba legis interpres pro vno. Et canticorum 1. tres insignes errores admisit interpres, vti mihi videtur. Quæ omnia si recensere velim, dies me deficeret.

Hæc tamen omnia sustinuimus, & longè ante tépora Hieronymi forsan illa erant. Siquidem Cypriani, Hirenęi, Tertulliani, ac aliorum libri testantur bibliam iam diù ante tempora Hieronymi Latinam fuisse. Et vt ad Anacletum demum reuertar, te vera multis ex causis Anacletus excusationem meretur. Siquidem Cephas non græcum, quod Anacleti tempore vigebat plurimum, sed tam hebræum, quam syrum erat. Scito vero Syrum difficultatis esse maximæ, quod certè nobis indicat historia in quarto Regum. vbi Eliachim, & Solna, & Ioha dixerunt ad eum, quem miserat rex Assyriorũ *daber na èl haua-rèca aramit*, idest precamur, vt loquaris nobis seruis tuis Syriacè. Siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis iudaicè audienti populo, qui est super murum. Addo quòd multa est varietas scripturæ hebreæ in exprimendo petram. Siquidem aliquando dicitur *sèlab*, vt in psalmo centesimo quadragesimo, Iuncti sunt petræ iudices eorum *nismethu bide selah sophetbehem* aliquando *tzur*, vt psalmo 77. *hen haca tzur vaiazubu maim*, Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ. Aliquando *Cepha*, vt Hieremiæ 4. *baan behacim vbacèphim*. Ingressi sunt ardua, & in rupes. Et sicuti variarunt Hebræi, ità Chaldæi, vel Indiani, de quibus supra fecerunt, qui aliquando petram Chnhohn, aliqnando alijs nominibus appellant. Attamen Cephas etiam Petros esse dicunt.

Sed, & hoc notandum est duplex esse targum, scilicet Chaldæum, Babylonitum, & Hierosolymiticum, primum super quinque libros Mosi fecit Vncalas, secundum vero Ionathan Akilles, hæc in pluribus differunt, sicut in hac dictione, siquidem *sèla* hebraicè dicitur saxum, & Vncalas semper dicit *thinra* Ionathan vero *Cepha*. Vnde & nobis dum est in psalmo. Statuit supra petram &c. ibi hebraicè est *sèla*, & est in Targum *Cepha*. Sic Psalm. 77. Eduxit aquas de petra, ibi hebræum Sela, Targum kepha. Sic Esaiæ 42. Quare hic potius tibi considerandum erit, cur Petrus hoc vocabulo vocetur à Domino? rationem Cyrillus dicit. Respicit, inquit, vt Deum decet, qui corda, & renes scrutatur, videtque, qui nihil ignorat, ad quantam & fidem, & virtutem discipulus peruenturus sit, & antequam aliquid de eo quæsiuisset, tam ipsum, quàm patrem eius nomine appellat. Et hac re discipulum instruit eum esse, qui cuncta etiam antequam fiant, nouit. Nec Simon iam fore nomen sibi, sed Petrus, prædicit vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tamqnam petra, lapideque firmissimo suam esset Ecclesiam ædificaturus, sed fortè Cyrilli sententiam, quam contra te militantem audis, nauseas? Audi arietem muros tuos fortiùs quatientem. Chrysostomus in Ioan. homil. 18. sic ait. Animaduertendum autem quòd non omnia, quæ euentura erant, ei, hoc primo congressu prædixit.

Non enim appellauit eum Petrum, non dixit super eam petram ædificaturum Ecclesiam, sed dixit, Tu vocaberis Cephas. Illud enim maioris erat & potestatis, & auctoritatis. Ea enim Christus nunc continuit humiliùs, à principio loquitur. Cùm verò Diuinitatem suam monstrauit, maiora narrauit, inquiens, Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu iàm pro tua industria hìc expende Chrysost. verbà, quid hoc sibi velit, Tu vocaberis Cephas, illud maioris erat, & potestatis, necnon etiam auctoritatis. Et res est non parui momenti Petro mutari nomen. Nàm quoties scriptura nomen alicui mutat, grande aliquid præseferre videtur. Vndè Abraham pro qualitate prioris, & consequenter conditionem sortitus est nominis. Sicut Hieronymus in Esaiam scribit cap. 63. Iacob quoque, vt appellaretur Israel, multò ad id labore peruenit. Ità & de Simone, coi dicit Dominus, Tu vocaberis Cephas, considerare oportet magni aliquid hìc voluisse Dominum. Et potiùs nominis erat consideranda imitatio, quàm lapsus vnius Anacleti. Et quia Cephas à saxo, vel petrus à petra, quasi impositio nominis di-

dicitur, putas id frustra factum fuerit? An non mihi persuadere possem hic iidem de nomine Petri contigisse, quod & 1. Paral. 22. de Salomone prædicitur? Filius, qui nascitur tibi, erit vir quietissimus, faciam eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitū: & ob hanc causam pacificus vocabitur, & pacem dabo in Israel cunctis diebus eius, & Abraham. Numquid non Abraham dicitur, quia futurus esset pater multarum gentium? Sic Petrus si dicitur à saxo, vel petra, aut ergo, quia in omnibus constanter stabat, ac intrepidè, & sic eum petram dictum esse tu ipse negas. Quamquam & hic tibi partim adversser, aut à petra dicitur, quia super illum Dominus voluit ædificare Ecclesiam.

Quòd si nec illud admiseris, redde mihi rationem tu, qui omniscius es, cur Petrus à petra nomen habuit? An non pari mysterio, quo Deus quibusdam nondùm natis, infelicia, & inauspicata nomina dedit: quibusdam verò natis nomina non sine causa mutauit. Sic & Simoni filio Iona nomen dedit, quod Kepha, & aliàs Petrus dicitur. Sed hic tu, quia negare non potes, cùm ipse fateris, quòd Petrus fuerit,& sit caput Apostolorum, cùm quis caput in Scriptura constituitur. Numquid non propterea caput dicitur, quòd sit cæteris & honore, & potestate superior? Sed negabis forsan, si non ex aperto ostendam illud,quod dico. En Deuter.28. dicitur; Constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam,& eris semper supra,& non subter. Numquid non hebraicè *raos*, & septuaginta posuerunt *eis cephalin*. An fortè putas Psalmo 17. propterea scriptum sit: Constitues me in caput gentium, quasi subesse, non præesse debuerit. An frustra legimus Lucæ 20. de lapide, quem reprobauerunt ædificantes, quomodò sit factus in caput anguli. Et ad Ephesios: Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. An non hic vbique sic caput intelligimus, quasi superiorem etiam in potestate prædominantem? Ità re vera Petrus caput est, & Pastor talis, cui similiter veluti Dauid dicitur, Tu pasces populum meum Israel, & eris Princeps super eum. 1. Paralipon. 11. Quòd si caput est, & Princeps, iuxtà mentem omnium, cur illius Principatum euertis? Putas non æqualis cura Domino fuit de Christianis, qualis de Israelitis, quibus suos Principes dedit? Vnde legitur, quòd de filijs Caath Vriel Princeps fuit, & fratres eius ducenti, viginti de filijs Merari. Asaia Princeps, & fratres eius duceuri triginta. De filijs Gerson Iohel Princeps,& fratres eius centum triginta. De filijs Elisapham Semeias Princeps, & fratres eius ducenti. De filijs Hebron Elihel Princeps, & fratres eius octuaginta. Et numquid non super omni tribu, iuxtà veritatem hebraicam, Iudas Princeps erat? Sed tu licet illæc sane intelligas, tamen audire non vis, & magis est cordi, vt ex *raus* capite mutata aleph in vau, & *rous* venenum facias. Sed iàm satis est. Mali culices, tanæque palustres auertere somnum. Horat. in sat.

CAP. LXIV.

In Lege veteri scriptum est Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, non primò inquit Lutherus, sed euidenter demonstrat Faber eos fuisse primos.

LVTHERVS.

Sequitur. Et non solùm in nouo Testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit, sicut scriptum est. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus, idest primi inter eos fuerunt. Quid audio? quàm non frustrà hos canones lego, quàm egregiè dico scripturas intelligere. Primùm, quia vnum solùm summum Sacerdotem in veteri Lege noui. Nunc didici duos fuisse primos. Secundò, etiam grammaticam nouam vide in Sacerdotibus eius. Idem est, quòd primi inter eos fuerunt, cùm hucusque hoc versu Psalmi intellexerim, nihil aliud dici, quàm Moysen, & Aaron Sacerdotes, vel de numero Sacerdotum fuisse, sicut Samuel inter inuocantes nomen eius, nihil de primitate, vel cogitans.

FABER.

Parum abest herbam tibi porrigerem, nisi contra te, & Origenem, & diuum Aurelium Augustinum aperto Marte pugnantes agnoscerem. Sed forte non credis? Audias ergo quid Augustinus habet in tertio libro quæstionum super Leuiticum quæstione 23. Huius verba sunt: Cùm videbatur ab Aaron cœpisse summum Sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen? Si ergo Sacerdos non fuerit, quomodò per illum omnia illa gerebantur? Si autem fuit, quomodò summum Sacerdotium ab eius fratre cœpisse definimus?

Quamquàm etiam Psalmus ille, vbi dictum est, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, auferat dubitationem, quòd Sacerdos fuerit, & Moyses, vestem tamen illam Sacerdotalem, quæ magnum continet sacramentū, Aaron iubetur excipere, & successores eius summi Sacerdotes. In Exod. Antequam omninò aliquid de sanctificandis, & quodammodò ordinandis Sacerdotibus præcipiatur? Cùm Moyse ascendente in montem, iubetur non ascendere Sacerdotes, quos intelligere alios non possumus, nisi filios Aaron, non quia iàm erant, sed quia futuri erant, hoc eos iàm tunc scriptura appellauit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum. Nàm & filius Naue Iesus appellatus, cùm longè postea hoc nomen ei scriptura narret impositum. Ambo ergo summi Sacerdotes erant Moyses, & Aaron. An potiùs Moyses, Aaron verò sub illo? An ipse summus propter vestem Pontificalem, ille verò propter excellentius ministerium. Nàm & principio ei dicitur. Ipse tibi, quæ ad populum, tu illi, quæ ad Deum. Quæritur etiam, post mortem Moysis, quis vngebat successorem summi Sacerdotis, qui succedere, nisi defuncto, non vtique poterat? an quia iàm vnctus erat inter secundos Sacerdotes. Idem

quippè

quippè oleum fuit, quo & summus, & quo secundi vngebantur. Vestem tantùm sumebat ille Pontifex, quo eius sũmitas appareret. Et si ità est, vtrum ipse sumebat?, an eum alius induebat? Sicut & post eius mortem Moyses filium fratris sui. Si ergo ille ab eo vestiebatur, numquid non poterat summus à secundo? præsertim, quia talis erat vestis, vt eum ab alio indui necesse fuit. An sic induebatur priùs, vt etiam postea? Non enim semel indutus non eam ponebat, aut cum posuisset, non eam resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, vt secundi vestirent primum, obsequendo, non excellendo. Vnde autem apparebant, quisnam filiorum summo Sacerdoti succedere deberet? Non enim primogenitum, aut maiorem scriptura definiuit, nisi intelligamus aliquo Diuino iudicio fieri solere, siue per Prophetam, siue quolibet alio modo, quo consuli Deus solet, quàm ex contentione res peruenisse videatur, vt posteà. Propterea fuerunt plures summi Sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus litis finiendæ caussa, pluribus honor ipse tribuebatur. Hæc Augustinus.

Habes hìc Moysen, & Aaron summos appellari Sacerdotes. Non ergo tam Anacleti illius beatissimi viri, quàm Aurelij Augustini sententiam confundis. Ad hæc non parum confert, quod Gregorius Naxianzenus habet in oratione verè diuina, quam fecit pro Gregorio Nisseno. Age igitur, inquit, quis inter omnes Legislatores illustrior: Nonne Moyses? quis Sacerdotum sanctior. Nonne Aaron? ambo germani fratres. Non tam sanguine, quàm veri Dei cultura erat Moyses à Deo constitutus Deus Pharaonis, & Israelitici generis Dux, & Legislator, qui solus, & in nubes ingressus Deo colloquebatur. Mysteriorum nouorum vnicus inspector, & Sacerdotum creandorum sacer Princeps, & veri tabernaculi celebrandorum sacrorum designator, in quo se habitare Deus promiserat quod ipse profecit Deus, non homo. Sacerdotes tamen ambo erant. Ait enim regius propheta. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius. Ecce Princeps Principum, Sacerdos Sacerdotum. Nihilominus vtitur lingua ipsius Aaron. Etsi ea, quæ ad Deum referenda erant, Moyses ipse præstaret, Aaron verò post illum proximus multa præ alijs dignitatem in his, quæ Dei culturam exigebant, & ceremonias sequebatur. Ambo plagis concusserunt Ægyptum. Ambo mare intersiccantes, &c. Plura Gregorius Nazianzenus in dicta oratione, quam habuit in laudem Gregorij Nisseni, quam altero die electionis suæ ad confirmandum ipsum superueniret.

Sed adhuc fortè non credis, antiquiorem tibi citabo auctorem, & Origenem, filij Leui, inquit, dicuntur esse Caath, & Merari, & filij Caath fuerunt Amran. Moyses, & Aaron de Caath quidem plebis pars effecta est Sacerdotalis, quæ est Aaron, & filij eius. Moyses autem aut in Sacerdotali ordine, inquit Origen. aut siquid etiam plus à Sacerdotali esse potest, habendus est, Alia vero ratio est de filijs eius, & sequitur. Prima sors exijt Caathis, & facta est filijs Aaron Sacerdotis, qui erat in Leuiticis, cuius primam sortem exire decebat, cui oportebat Primatum dari, nisi Aaron primo Pontifici, primo in ministeriis, primo in honoribus, & virtute, & sequitur. Caath accepit sortem primus in filios Leui à parte Orientis, cum illis tribubus, quæ ipsæ Primatum omnium tenuerunt. Vide ergo, inquit Origenes, quomodo vniuersa conueniunt in quatuor partibus, certum est Orientalem plagam nobiliorem videri, in qua nobilior omnium reliquiarum Iudæ tribus habebatur. Et filij Caath Sacerdotis primam ducunt in primis, & tribubus, & Orbis patribus sortem, &c.

Habes igitur Moysen, & Aaron dici summos, ac primos, nisi subethico somno oppressus videre non velis. Sed fortè id times, quod in 12. Metaph. scribit Aristot. quem tam inuitus cito, quòd noluit entia malè disponi oporteat, itàque vnum esse Principem. Nam pluralitas Principum stare non valet. Possem hìc pro te citare, quæ in ff. habentur de Remo, & Romulo, & illud poetæ, non benè conueniunt, nec vna in Sede morantur Maiestas, & amor. Et alterius, omnisque potestas impatiens consortis erit. At non est, quòd timeas, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, exponit Hieron. Vnus legis, alter Sacerdotij regulam tenet, tamen vterque aduentum Domini Sacerdotali præconio, vel in legalibus tubis, vel in vestis tintinnalibus nunciauit.

Sed quod subdis, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, non est iterum, quo timeas, quasi etiam hunc Sacerdotem facere velimus. Eapropter necesse est, vt pariter paululum hìc tecum in harenam descendam. Dices ne Samuelem Sacerdotem, aut natum, aut factum, aut dices eum esse prophetam? Et aduerte quò tendam. Si Sacerdos est natus, forsan erit ex semine Aaron, extrà cuius progeniem constituit Dominus Deus non fieri Sacerdotes. Nec alicui præter filios eius concessum est, vt poneret in altare incensum. Quòd si dixeris Sacerdotem illum factum esse non natum, dic mihi, cùm chore non esset ex filijs Aaron, & voluisset super altare ponere incensum, hiatu terræ absumptus est cum socijs suis. Ozias Rex cum non vtique esset ex semine Aaron, sed ex tribu Iuda, & præsumpsisset agere Sacerdotium, stans ante altare percussus lepra in fronte est, & expirauit.

Sed nec minùs id dicere potes, quòd Samuel non fuerit natus, aut factus Sacerdos, tamen vices egerit Sacerdotis. Nam licèt scriptum sit, obtulit Deo sacrificium Samuel, sed per id Sacerdotem, nec vicem Sacerdotis egisse cognoscitur, vt pulchrè probat Augustinus, Samuel quoque propheta fuit, & cum dicit fiant Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, &c. dicit Augustinus, quis non aduertat ex hac distinctione diuisas esse personas dignitatum caussa, vt Moyses, & Aaron Sacerdotalem dignitatem adepti noscantur? Samuel verò inter prohetas Deo dignus extitisse habeatur.

Sed quid fecit Samuel? Samuel indicauit filios Israel, Leuita, & adhuc puerulus succinctus erat Ephod. Alia ergo est ratio in Moyse, & Aaron, ac Samuele. Nam Moyses, & Aaron Sacerdotes fuere, non infimi, sed summi, & primi. Aut tu mihi dicas, qui

sub

ſub lege Moyſi, non dico de lege naturæ, ante hos fuerint primi, aut ſummi. Samuel non erat Sacerdos, nec natus, nec factus, ſed cognouit vniuerſa Iſrael à Dan vſque Berſabeæ, quòd fidelis Samuel propheta eſſet Domini, iudex is fuit, vt dixi. Et cum ſenuiſſet, poſuit filios ſuos Iudices ſuper Iſrael. Vides ergo qualem tu comparationem feceris.

Sed quia de Aaron cœpta proſequeris, vndè te priùs loquentem audiam, dein Moyſen per dies octo Sacerdotem fuiſſe monſtrabo.

CAP. LXV.

Summus Sacerdos Legis veteris, ait Lutherus, fuit figura Chriſti, non Romani Pontificis, reſpondet Faber fuiſſe Chriſti, & Romani Pontificis.

LVTHERVS.

Tertium documentum, quod Summus Sacerdos veteris Legis fuerit figura Romani Pontificis. Apoſtolus enim ad Hebræos me mirum immodum decepit cum vniuerſis Eccleſiæ Doctoribus, docens non Romanum Pontificem, ſed Chriſtum ſolum fuiſſe pee Summum, & vnum Pontificem ſignificatum, vt hoc omittam, quòd illis omnia in figura contigiſſe ſcimus. Et nouo teſtamento figuram denuò ille reuocat, vt ſit ſimilis figura vtriuſque Teſtamenti, nihil iam vtrumque ab vtraque differre. Vtor ergo diuinas literas ab his porcis, tam impudenter conculcari, præſertim ſub nomine Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ. Quid autem hoc eſt, quòd duos primos Sacerdotes in veteri teſtamento ſtatuit magno ſui Primatus detrimento. Imitare quod dicis, & ſi falsè ſtet ſimilitudo, & dat etiam nunc duos primos. Vides ergo hos homines eo fuiſſe, qui ſimplicitate fidei noſtræ abuti auſi ſunt ſtatuere quicquid, vel ſomniare potuerunt. In fine concludit, & eadem dexteritate Romanam Eccleſiam cardinem vocat, in quo omnes Eccleſiæ reguntur, Domino diſponente, & tamdem ſit finis hic. Nam veteres Conones, quæ eadem ſpirant, horum nimirum influxu infecti ſic ſpirant.

FABER.

Fertur hîc quendam Heliam mire contra tuas aſſertiones hallucinatum eſſe. Cum illo hîc nihil contra te mihi commune erit. Antequam tamen hîc tecum agam, primò omnium liberè, & ingenuè fateor cum Euangelij tuba ad Colocen. 1. Chriſtum in omnibus Primatum tenere. Et quod ad propoſitum attinet, Dominus Ieſus iuxta dictum Origenis, ſicut in Pontificibus, Pontificum Princeps eſt, & ſicut in Paſtoribus Princeps Paſtorum eſt, ità & in Presbyteris, vel ſenioribus Princeps Presbyterorum putandus, & in Epiſcopis Princeps Epiſcoporum. Et omne quodcumque honorabile nomen eſt primum in hoc Principe eſſe credendum eſt Saluatore, quia ipſe eſt caput omnium. Attamen, & hoc verum eſt, quòd per Moyſem, & Aaron rectè intelligere poſſumus legem, & Sacerdotium, opera, & cultum Dei, quorum alterum altero indiget.

Ità Hieronymus ad Fabiolam de 42. manſionibus circa principium. Sed hoc etiam verum eſt, quod idem ſcribit Hieronym. ad Euagrium, vt ſciamus, inquit traditiones Apoſtolicas de veteri teſtamento, quòd Aaron & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt. Hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri vendicant in Eccleſia. Numquid hic Hieronym. peccauit in Deum? Sed & ſi percurramus eiuſdem ſcripta, quæ ſunt ab Fabiolam de veſte Sacerdotali. Iterum, ac iterum, quæ dicta ſunt de Aaron, & quæ ſub illius veſtitu myſtica ſunt, ad Chriſtum, ac Eccleſiam duodecim Apoſtolorum rectiſſimè conſeruntur. Et in quamplurimis locis, quando Hieronymus de ordine Eccleſiaſtico agit, totum id ab ordine veteris illius tabernaculi deſumit. Vnde nimis abſurdum fuerit hanc figuram, Aaron filiorum, ac Leuitarum non ſolùm ad Chriſtum, (quamquam illi poriſſimùm, quæ de Aaron dicta ſunt, conuenire poſſunt,) ſed ad Epiſcopos, Sacerdotes, ad Leuitas etiam in Eccleſia miniſtrantes referri. Quòd ſi ad Epiſcoporum quempiam, quiſquis is fuerit, Pontificatus Aaron conferri poterit, quale erit inconueniens, vt ſeruetur ordo tabernaculi, ſtet Hierarchia Chriſti, ſi præfecturam quæ in Aaron erat, conuettamus in Petrum? Cum tamen Aaron non vnius Chriſti tantùm, ſed & reliquorum Epiſcoporum inferiorum figura fuerit, quamquam præ omnibus Chriſto id conueuit, qui ſolus verè Sacerdos eſt magnus, qui poteſt dimittere peccata, qui Pontifex eſt ille, qui non per ſanguinem taurorum, & hircorum, ac vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ſemel introuit in ſancta ſanctorum æterna Redemptione inuenta. Et anteà citaui quomodo Cyrillus Patriarcha Alexandrinus pulchrè probet tabernaculum Moyſi fuiſſe figuram Eccleſiæ, & dein re ipſa Sacerdotium Hebræorum fuerit figura noſtri Sacerdotij.

Sed & quantum ex Hermanenſi Epiſcopo licet elicere, Epiphanius ille Cypri Epiſcopus in epiſtola, quam miſit ad Theodorum de Sacerdotio Aaron ſcribens, aſſertioni quidem noſtræ minimè aduerſatur, & non ſine cauſa credo, Hieronym. fuerit animatus ſcribere. Aaron vetus Sacerdotium noui figuram fuiſſe. Quod ſi obieceris, cur ergo Pontifici virginem ducere non licet, ſupra partim oſtendimus. Et ratio eſt, inquit, Theophilactus, non mediocris, cur in veteri lege licuerit Sacerdotibus, atque Leuiris ducere vxores, ſed modò Pontifici Romano, immò Sacerdotibus iſta minùs conueniunt. De quibus omnibus profuſiſſimè tradit Ambroſ. in epiſtolam 1. ad Thimotheum cap. 3. Etſi ſtabit ſententia Hieronymi, Apoſtoli, poſequam in Apoſtolatum aſſumpti fuerunt, reliquerunt officium coniugale, ità vt etiam beatiſſimus Petrus Apoſtolorum primus poſt Apoſtolatum coniugale reliquerit officium.

Sed ad reliqua tua, quæ objicis, reſpŏdere neceſſarium eſt. Licèt Aaron fuerit figura futuri

turi Sacerdotij, non tamen opus erat, vt rei figuratæ per omnia respondeat, nisi per omnia serpentem, quem exaltauit Moyses in deserto, velis æquiparare Saluatori Mundi. Dein & si vendirio Ioseph venditionem Domini præfigurauit, tamen hic dumtaxat pro viginti argenteis, ille verò triginta vendirus est.

Et licèt immolatio Isaac mortem Christi præfigurauit, tamen Christus non habuit arietem, cornubus in vepribus hærentem, nisi allegoriam capias. Et Melchisedech figura fuit Domini secundum Paulum. Tamen non legitur per omnia posse illi assimilari. Dein quamquam met dixerit Dominus, sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Dominus in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Tamen vix video similitudinem illam per omnia quadrare. Nam in ventre ceti Ionas fuit viuus, aliàs non orasset Dominum Deum suum de vtero piscis, Christus verò mortuus, & sepultus est.

Nec id solùm in testamento Nono, sed Veteri inuenitur. Nam Exod 7. legitur, quòd similiter fecerunt malefici sicut Moyses, tamen certum est Moysen fecisse per manum Domini, illos verò per artem magicam. Et Sanson postquam in segetes Philistinorum trecentas vulpeculas immiserat, inter cætera ait, sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Tamen non legitur Philistinos itidem & prorsus simile fecisse. Omitto hic de præcepto Leuit. 24. vbi dicitur, sicut fecit, sic fiet ei. Satis est ergo in præsentiarum ostendisse non semper figuram, seu, & similitudinem ex omni parte respondere oportere.

Sed vt ad tua redam, Moyses, & Aaron fuerunt iustissimi iudices, alter legis, alter ministerij. Ità Hieronym. in 2. libro contra Pelagianos, & ea propter etiam Sacerdotes dici poterant. At quid erit necesse hic necteum agere multis? non solùm omnes docti Hæbræi, sed & Penthatheuci historiæ docuere per dies octo Moysen ante Aaron Sacerdotem fuisse, quod clarè Exod. 29. & Leuit. 8. depræhenditur. Vndè Leuit. 9. sic legitur. Facto autem octauo die vocauit Moyses Aaron, & filios eius, ac maiores natu Israel, dixitque ad Aaron, &c. Et numquid non duplici lege egemus? Ecclesiastica, vel spirituali, ac alia, quam temporalem vocant, aut si ità volueris ciuilem, primæ præest Episcopus figuratus in Aaron. Ille enim est qui duos lapides gestat in superhumerali, qui significant literam, & Spiritum, in quibus continentur legis vniuersa mysteria, in dextra Spiritus, in leua litera est. Temporali præest Imperator. Et hi duo fratres ità se gerere debent, vt alter alterum adiuuet. Ea propter forsan Imperator vngitur. Quod & sanctissimi Patres diutissimè obseruarunt. Præfertur itaque Aaron Moysi, quia superior est.

Sed fortè ridebis, si audieris Sacerdotem legis honoratiorem Principe fuisse. Audi ergo historiam, quæ est in numeris cap. 27. Respondit Moyses prouideat Dominus Deus Spiritum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absque Pastore. Dixitque Dominus ad Moysen, tolle Iosue filium Nun virum, in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, & audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc siquid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.

Vides nunc, quid honoris Eleazar filius Aaron, ac primus Sacerdos habuerit præ Iosue, qui post mortem Moysis gubernauit populum. Quæ omnia, ac alia multa, si æquo iudicio inter se collata fuerint, depræhendemus Anacletum, non tàm absurdè de duobus, qui fuere primi, ac Summi, & deindè vno dixisse Pontifice.

CAP. LXVI.

Impugnat Lutherus iuramentum, quòd exigit Romanus Pontifex ab Episcopis, sed illud definit Faber.

LVTHERVS.

NOn possum autem obmittere, quin aut decretalem vel vnam adducam, vt appareat, quid prosit Ecclesias regere, & sacras scripturas non intelligere. Sunt enim & decretales quamplurimæ frigidissimæ, hæ maximè quæ sunt vsu. Transeo illam de constitu. cap. Translato, quam puto sic à me vindicatam antea, vt necesse non sit recipere, assumere onus illud cap. Significasti de elect. vbi Archiep. Panormitanus cum rege, & regno Siciliæ iustissimè miratur, quòd pallium accepturus exigeretur iuramentum. Et vbi pulchra modestia contrà hanc infœlicissimam exactionem adduceret præceptum Christi, & statuta Conciliorum, talem accepit responsionem, & interpretationem scripturæ sanctæ à Paschale Romano Pontifice. Mirentur, inquit, Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum omnium suorum curam Petro committeret, conditionem apposuit dicens. Si diligis me, pasce oues meas &c. Adcò proculsi sunt Papæ, & Romanæ Curiæ præterea vnius huius Episcopi interrogatione, vt quid responderent non inuenirent, donec spiritus Domini eos hic rotaret, vbi omnibus ostenderent in lege Domini, nec voluntatem, nec meditationem eis fuisse. Agam interim partes Archiepiscopi, Si exemplum Christi placet, & vale apud te ò Paschalis, cur non imitaris?

Cur tu quoque non contentus quærere, an diligar Christum, sine iuramento committis oues Christi? Cum placeat exemplum, cur non sufficit, & conditio? An melior, & sanctior est conditio iuramenti, quàm amoris? An plura speras eum facturum, qui coactus iurat, quàm qui sponte amat? Christus soluit Petrum à lege, & coactione voti, & iuramen-

menti, solā libertatis, & societatis, solā liberaris, & charitatis, quærens. Ideò quærit fidem. Et tu libertatem tollis, lege iuramenti tegis. vbi est exemplum Christi? vbi conditionis similitudo? Est per vnum diligere intelligendum iuramento. Numquid Christus à Petro iuramentum exigit pro Romana Ecclesia? Quid hoc ad oues Christi, quòd tibi iuratur, & Ecclesiæ tuæ? tuæ sunt oues, an Christi?

FABER.

Satis, superque super hoc textu Paschalis respondimus. At vt nostra paulò validiùs roboremus, ad id adijcimus, quòd pallium, quod datur Archiepiscopis, institutum est non nouum iampridem natum, nec sub tempore Paschalis, qui vixit circà annum Domini 822. inducta est pallij receptio. Sed res est, qua vsi fuerunt Romani Pontifices, etiam dudum ante tempora Leonis Secundi. Quod certè probant ea, quæ scripsit Gregorius Magnus ad Maximum Episcopum Salouitanum Græcum, Sebastianum, Risinum. De pallio Anastasio Patriarchæ Antiocheno misso. Dein ad Episcopos Dalmatiæ aduersùs Ioannem Rauennæ Episcopum, ad Virgilium Episcopum Arelaten. Brunichildem reginam Francorum, Leandrum Hispaniarum Episcopum, quæ omnia in secundò, quartò, & septimò registrorum Gregorij libris inuenies. Et Ioannes Quintus Pontifex Romanus ante octingentos annos librum scripsit de pallij dignitate. Ex quibus omnibus manifestum est vsum pallij rem non esse nouam. Antiquissimam igitur consuetudinem infringis. Sed fortè conditio tibi non placet, quæ nec Panormitano placuisse legitur.

Scis verò conditionem istam in Sacra Scriptura receptissimam. Vnde Exodi 15. Si audieritis vocem Domini tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedietis mandatis eius, custodietisque omnia præcepta illius, cunctum laborem, quem posui in Ægypto, non indicam super te.

Exodi 19. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in periculum de cunctis populis.

Deuter. 11. Si obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra, dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam, & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum & oleum, frumentumque ex agris ad pascenda iumenta, vt & ipsi comedatis, ac saturemini.

Deut. 28. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet Dominus Deus tuus te excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, venientq; super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprædeudent te. Si tu præcepta eius audieris, benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum, benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.

1. Reg. 7. Si in toto corde vestro, &c. 3. Regum 3. Si custodierint filij tui vias. Lucæ 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obedient vobis. Et multa sunt illius generi, in quibus conditio adiecta est. Sed quod ad iuramentum attinet, vnius rei tota est summa.

Si Romano Pontifici subsunt Archiepiscopi, subsint Episcopi, sicut verè subiciuntur, superest vt solitum ab illis iuramentum exigatur. Quid enim Reipublicæ Christianæ obest, etiam si iurarint Christianæ fidei tutores se se futuros, hæreses, & schismata in Ecclesia Dei non admissuros, in honestis mandatis Apostolicæ sedi obtemperaturos. Cum tamen id faciant Vasalli Dominis, Religiosi Prælatis, Serui Dominis, Sacerdotes Episcopis, & rarò superior est, qui non exigat iuramentum ab inferiori. Quid quòd longo vsu didicit Ecclesia multos Episcopos quandoque fuisse rebelles, non solùm Pontifici, sed Imperatoribus, ac sacris Concilijs. Vnde pulchrè Facundus Hermanensis Episcopus recitat in eo, quem scripsit libro ad Iustinianum Imperatorem. Quomodo Gratianus, Valentinianus, & maior Theodosius ad Auxenium proconsulem Asiæ de restituendis Ecclesijs itá scripserint. Soli illi habeant Ecclesias, qui communicant Nectario Episcopo Constantinopolitano, & Timotheo Alexandrino, & Pelagio Laodiciæ Orientalis, & Diodoro Tarsi, & totius Concilij, sub vicario Asiæ constituti, & Amphilochio Episcopo Iconij, & Optimio Antiochiæ, & Pontico vero Concilio, Helladio Episcopo Cæsareæ, & Episcopo Melitinæ, Orreio, & Gregorio Niseno, & Terentio Scythiæ, & Martyrio Marciopolitano. Qui verò, & eandem fidem non honorant, veluti hæretici ab Ecclesijs excludantur. Vides hìc multos à fide, & obedientia defecisse, alibi de pluribus audies. Sed forsan non tàm id quæris, quàm exigis dilectionem in Pontifice Romano.

Scis quid sæpe tibi responderim. Si non diligit pastor, & tu considerare debebas. Si videris sacerdotem indignum, non ob id etiā calumniari sacerdotium debes. Nec enim calumnianda res est, vt inquit Chrysostomus, & Augustinus in secundo libro contrà Petilianum sic habet. Si velles imitari Paulum, intus esses falsorum fratrum tolerator, non foris Innocentium calumniator.

CAP. LXVII.

Prosequitur idem argumentum.

LVTHERVS.

At tu optime Pater an Christum diligat, prorsùs nihil curas. Sordet hæc tibi, vt vilissima conditio. Tibi, vt fidelis sis, iuramento astringis. Adhuc stat interrogatio Archiepiscopi, non satis fecisti. Adhuc quæritur quo iure hanc fidelitatem extorqueas? Tua responsio profundiùs te mergit, & capit. Deinde, cui quæso tu iuras fidelitatem? Cur facis, & imponis alteri onus, quod digito non vis mouere? contrà charitatem, & legem naturæ.

FABER.

Nisi cessatis, olim te totus Orbis Momum alterum clamabit, à quo Sandalia Veneris etiam tuta non sint. Semper habes, quos vellices. Eapropter qualis possis iudicari, Hieronymus habet in vita sancti Hilarionis. Hanc vitam percurre, & te ipsum videbis. Quid hæc tua vellicatio prodest? numquid ad ædificationem? Sed iuxtà verbum sapientis. Nonne qui moderatur labia sua prudentissimus est? & qui profert contumeliam, insipiens est. Prouer. 10. Sed, & prohibitum in lege nostri, ne quis sit criminator, aut susurro in populo. Leui. 19. Ar dicito quæso cur in Exodo legitur, Non ascendes per gradus altare meum, ne reueletur turpitudo tua? Quòd si tu turpitudinem Pontificis etiam vsque ad nates denudaueris, an ne duxeris imitandum Cham filium Noe patrem Chanaam, qui videns veneranda patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras, an rectius fecerint Sem, & Iaphet, qui pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, facies eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. Numquid non iustè super impudentissimum Cham, aut saltem filios suos grauissima seruitutis maledictio venit? Sed ad Sem dicitur Benedictus Dominus Deus Sem, & ad Iaphet. Dilatet Deus Iaphet. Numquid legisti quid fecerit Anon? Inuenio ego 2. Regum 10. hunc omnium impudentissimum tulisse seruos Dauid, rasisseque dimidiam partem barbæ eorum, & quòd præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos. Sed quale factum hoc erat? certè grandis contumelia. Ità 1. Paralip. 9. scriptum est. Tu dispeream rem non minorem facis, vbi semper pessima quæque de Pontifice dicis, Quamquam hic satis modestè respectu aliorum locorum egeris.

Sed non parum miror, qui etiam linguæ sanctæ hoc est Hebreæ quandoque studueris. An non didiceris vnquam, cur lingua tamen Hebræa sancta dicatur? & eo maximè quòd nihil impudicum, lasciuum, aut turpe illic facilè reperiatur. Quod licet multis tibi probare possim, tamen tribus dumtaxat locis ostendam.

Dic mihi cur Deuteronomij vigesimo octauo legitur *veis acher iscabenah* extrà verò *isgbalenah* cum nos dicimus, vxorem accipias. & alius dormiet cum ea. Sed cur primo Regum 5. intus legitur *vaiac outam cabaphelim*, extrà verò *bathecherim*. Cum noster interpres ait, percussit in secretiori parte narium, & azotum, & fines eius. Et quarto Regum decimooctauo cur legitur dicito quæso intus *leochol & chorehem*, extrà verò *tzoatam*. Taceo de alijs, quæ tibi in mille locis ostendere possem, quæ te, ac tuos sectatores, si diuini esse velletis, docent, non ità oportere, neque debere sacra tractare, sicuti vos impudentissimè, & spurcissimè dialogos ludiris, & quicquid in buccam venit, turpissimè emouere soleris, etiam in optimos quosque.

Hic ergo scrutamini scripturas, & ad nos venite, non in gladio, non vt abundent ora malitijs, & sedeatis aduersùs fratrem loquentes, nec sint linguæ vestræ sicut gladius acutus. Si placuit, vt hic citares hoc Euangelij verbum, Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Cur non & illud adiungis, quod ante hoc dixerat Dominus, super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi?

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm verò opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Vbi Chrysostomus in homilia septuagesima tertia dicit. Ne quis dogmata negligat, neue in sacerdotes insurgat. Id summopere iubet, solum verum etiam facit. Non enim à docendi gradu corruptos deiecit, vt nullam audientibus occasionem inobedientiæ relinqueret, & maius illis iudicium præpararet. Sed scis quid fieri speremus in Domino. Misisti super nos Balaam ad maledicendum nobis. At conuertet proculdubio Deus noster maledictionem in benedictionem.

CAP. LXVIII.

Sequitur idem argumentum, & cur veteres Pontifices non exigerint iuramento?

LVTHERVS.

Deinde adhuc quæstio etiam illa stat. Cur præcedentes Pontifices non exegerunt iuramentum? Cur alij non præstiterunt? Vnde noua ista exactio? Vis dicam? ex malè fidei possessa potestate conscientia metuit, iustitia non suffragatur. Ideòque quæritur vbique solatium, & firmamentum. Itàque hodie pontificari non licet, nisi iuret Romano Pontifici fidelitatem. Iurata autem fidelitate, mox dignus es pontificati, siue diligas, siue pascas. Has enim conditiones, Christus requirit? Quid de ijs nostro sæculo? nec hoc curatur an sanctus, an doctusque sit, an minus, solus sit seruus Romanæ Ecclesiæ. Non licet Christo libertatis magistro seruire, nisi prius tu facias iuramentum, fiasque mancipium Romanæ curiæ.

FABER.

Deciperis, in quampluribus locis, qui credis multa in Ecclesia seruari, quasi iampridem à Romanis Pontificibus nata. Et omnibus veteres recensentibus historias, demùm manifestum sit ea ante mille annos, immò, in primitiua Ecclesia fuisse, sicut est apud Sozomenum de consuetudine psallendi hymnos, de abstinentia carnis, ouorum, ac casei sub certis diebus.

Sed vt ad tua veniam, dic mihi vbi; vel in Euangelio, vel Epistolis Pauli, seu reliquis scripturæ locis hoc iuramentum, quod baptizandum facere oportet, inueneris? Velles autem hoc etiam ab vsu Sanctæ matris Ecclesiæ tolli, cum nullibi scriptum inuenias? Sed tu dic an non in Nitria fuerint fere quinque millia Monachorum diuisis cel-

lis

lis habitantes? An non in Ægyptto tria genera Monachorum, Cœnobitæ, Anachoritæ, Romeboth? Sed qualis illorum ſtarus fuit, res ſecundùm quoſdam manebat integra, licèt commigrandi, remigrandique quoquo vellent, poteſtas manebat, dulciſſimum, ac liberrimũ otium ad ſtudium, ieiunia, pſalmos, vigilias, aut ſuopte incirabantur animo, aur exrmplis inuitabantur, non cogebantur hominum conſtitutiunculis, veſtitus erat ſimplex.

Nec is tamen præſcriprus, ſed ſuo cuique arbitrio ſumptus, non qui prodigioſa nouitate faceret inſignem, & digito notandum, ſed qui ſimplicitatem Chriſtianam præ ſe ferret, votorum nulla vincula, denique ſi quem fortè ſui inſtituti pœnitentia cepiſſet, tota demùm pæna erat inconſtantiæ nota. Sed mihi viſum eſt rem aliter ſe habuiſſe, quòd licèt olim ex Græcis tibi, ac alijs, qui vitam monaſticam adeò ſpretam facitis, olim oſtendere velim. Ad præſens tamen rogo videre non dedigneris duas Hieronymi epiſtolas, quarum altera eſt in Suſannam Virginem à Dyacono corruptam, altera verò eſt in Sabinianum Dyaconum lapſum. Has amore Fabri quæſo perlegas, ac diligenter penſare non graueris, & inuenies Suſannam virginitatem publicè profeſſam, ante altare velatam, & ſic caſtitatem vouiſſe, vt iam ſancto velamine accepto, illi nubere non licuerit. Nam immortali iuncta erat viro, vndè adulterium committere non potuit, aut nec debuit. Sed & vide an illi à monaſterio in ſeculum redire licuerit? Eo ſolo tibi probatum eſſe volo, quòd res non eſt noua, moniales caſtitatem vouere, quod in vidua Pauli, & alibi agnoſcere potuiſſes, niſi ad id forè natus eſſes, qui poſt mille & ducentos annos votum caſtitatis à religioſis ſanctimonialibus ſolus auſerre audeas. Sed & dices ne ſanctos patres primitiuæ Eccleſiæ erraſſe, quòd votum caſtitatis monachis iniunxerint? etiam ſi hoc verum eſſet: quod tamen adhuc certum non habeo. quòd potuerint impunè monachi renunciare caſtitati, ac redire in ſeculum. Tamen id ſi dicatur, facile non credo Nempè inuenio ego quòd primi monachi Aegyptiorum lingua dicebantur Nonni, ideſt caſti, & nonnè, ideſt caſtè, ità apud Hieronymum. Et quomodo Nonni dici potuerunt, ſi caſtè non viuebant? Sed reſponde ſi potes Nonne dixit Dominus Deuteronomij duodecimo. Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam. nec minuas. Dein licèt antea ordinarit ſabbatum ſanctum eſſe. vt eſt in Exodo, tamen pro intellectu maiori, ac obſeruatione ſtrictiori eſt ſcriptum ſecundo Neemiæ tertiodecimo, quomodo Neemias etiam prohibuerit non ſolùm non calcari torcularia in ſabbato. portare aceruas, & onerare ſuper aſinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, ſed etiam dum quieuiſſent portæ Hieruſalem in die ſabbati, & ipſi clauſiſſent ianuas, præcepit, vt non aperirent eas vſque poſt ſabbatum, immò & emere, ac vendere prohibuit. Sed vt manifeſtius aliquid aliud dicam, ambulare in ſabbato non erat prohibitum. Sed & ambulare in ſabbato vetat Eſaias, vt eſt in eiuſdem libro capitulo quinquageſimo octauo. Vndè & in Euangelio fortè legis iter ſabbati. Sed & Hieremiæ decimoſeptimo ſcriptum habes. Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati, nec inferatis per portas Hieruſalem: & nolite eijcere onera de domibus veſtris in die ſabbati. Vides ergo quomodo circa vnum & idem præceptum, ſcilicèt ſabbati, Neemias, Eſaias, & Hieremias egerint. Ità & in alijs multis actum eſt, vbi ad generale præceptum aliqua ſpeciatim explanata ſunt, quæ & ſapientes hebraicæ *ſeiag* vel *gheder* ſepem vocarunt, Ità cum lex noſtra Euangelica in pluribus generaliſſima ſit.

Vndè patres antiqui ex ſpiritu ſancto ordinarunt aliqua ſtatuta, regulas & ordinationes, ſicuti fecit Baſilius Magnus, ac alij, quibus putabant voluntatem domini peragi poſſe. Et hoc eſt, quòd decretum, decretales, ac alia ſanctorum patrum Concilia habent. Ità in vita monaſtica ſeruatur, quod dicit Dominus, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, & da pauperibus. Ità multa alia ſeruantur, quæ primam originem tamen habent ex Euangelij fluentis. Non ergo valet argumentum, id in primitiua Eccleſia, vel etiam poſt ducentos, aut trecentos annos aliquid non eſſe ſtatutum, vel prohibitum. Ergo quod poſteri ſtatuerunt, irritum erit. Meminit Ignatius miſſarum, quas ſuo tempore celebrarunt Epiſcopi, atque presbyteri. A tempore Ignatij multa ſunt addita, quorum partim meminit Ambroſius; & partim Auguſtinus. Nunquid ea propterea reijciemus, quia primis patribus, aut triginta, vel quadraginta Romanis Pontificibus addita non ſint? Et tu neſcio quid contra confeſſionem auricularem muſſites: cum tamen hæc fuerit longè ante tempora Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini, qui ſcribens ſeptem gradus remiſſionum, inter reliqua verba ſic ait. Eſt & adhuc, & ſeptima, licèt dura, & laborioſa per pœnitentiam, & remiſſio peccatorum, cum lauat peccator lacrimis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrimæ ſuæ panes die, ac nocte, cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam ſecundùm eum, qui ait. Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtiam meam, & tu remiſiſti impietatem cordis mei, in quo impletur illud, quod Iacobus Apoſtolus ait. Siquis autem infirmetur, vocet presbyteros Eccleſiæ &c. hæc Cyrillus. Leuitici ſecundo, Placet ergo quod diuus Aurelius Auguſtinus habet in ſecundo libro ad inquiſitiones Ianuarij ad mouendum piè, & accendendum diuinæ lectionis affectus varia conſuetudo eſt. Et hoc ab Eccleſia reijci non debet. Quòd ſi dixeris, Nulli me præcepto ſubdam, niſi quod eſt in noua lege mandatum, nec mihi prohiberi permittam, quod non eſt in Euangelio, vel Paulo prohibitum, En hic te Paulo ſtrictius vrgebo. Dic mihi, vbi ſit prohibitum de lege. ne pater filiam ſuam accipiat vxorem? non quidem Leuitici 15. non in Euangelica lege, non in Paulinis inſtitutis. Et tu in tua captiuitate, ſeu lege Babylonica (niſi malè viderim) non prohibuiſti. Credis autem peccaſſe patres, qui hoc matrimonium inter patrem, & filiam interdixerint? minimè terratum. Sed dabis ne inter patrem & filiam

non

non sit impedimentum perpetuum? At quando hic negotium canonistarum agitur; vnde Theologum respondere permittam. Theologum inquam doctum, & non pœnitendum ipsum sanctum Ambr. Huius verba sunt hæc. Non reperies prohibitum sermone legis, ne pater filiam suam accipiat vxorem. Numquid ideò non licet, quia non est prohibitum? minimè. Interdictum enim est naturæ iure. Interdictum est lege, quæ est in codicibus singulorum. Interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis. Titulo necessitudinis, quanta huiusmodi inuenias, non esse interdicta lege per Moysen edita? & interdicta sunt quadam voce naturæ. Multaque sunt, quæ licet facere, sed non expedit. Omnia enim licent, sed non omnia expediunt, omnia licent, sed non ædifican. Si ergo etiam ab ijs nos reuocat Paulus, quæ non ædificant, quomodo faciendum putamus, quod, & non licet legis oraculo? & non ædificat discrepantes pietatis ordine, & illa ipsa vetera, quæ fuerunt duriora, temperata sunt per Euangelium Domini Iesu. Transierunt modò vetera. ecce facta sunt noua, hæc Ambr. Vides hic tibi non licere omnia, quæ tamen in lege scripta non sunt, nisi quendam Cynicum agere velis, vt olim cauarur.

Inter socraticos notissima turba cinedos.

Iam quod aliud est, addo, quod nec Ambrosius admittere voluit, vt Paternus filio neptim ex filia copularet. Licet hæc olim ordinata non fuerint, tamen dum ordinata sunt, contemni non debent. Ità licèt de hoc iuramento non omnes Pontifices Romani statuerint, per id tamen castum non erit. Septingentis etenim & pluribus annis hoc iuramentum seruatum est. Nescio an iusta tibi sit causa, vt illi reclames, nisi velis euertere, ac diruere omnia.

Sed tu eo quo statuta pactū adeò friuolè, & temerariæ reijcis, ac damnas, videris nos quibusuis Iudæi velle facere deteriores, immò & inconstantiores. Siquidem Iudæi olim sub captiuitate Babylonica dedere præceptum, ne quis Hebræorum cum extraneo biberet, id longè post illius mortem etiam sublata causa seruarunt. Hoc & partim in Daniele notatur, qui regium vinum bibere recusabat. Hoc & nostri Germani Iudæi in hanc horam seruare videntur. Sed & Rabi Gerson inter Hebræos vna cum reliquis olim Moguntiæ ordinauit, ac statuit ne Iudæi quamdiu inter Christianos manerent. duas ducerent vxores. Hoc non solùm Germani, sed Hispani, Itali, ac omnes Hebræi susceperunt. Etiam ij seruare tenentur, qui ex Turkia quandoq; ad christianas prouincias veniunt. Sed nunquid non potuissent habere Iudæi plus quam vnam vxorem? sicut est Deuter. 21. & Deut. 18. tamen ex causa hanc legis libertatem renunciant. Quòd si tanta est obedientia inter Hebræos, alioquin in hac parte suæ legis libertate viuere potentes, mirum ergo non fuerit, si etiam inter Christianos aliqua statuantur, quæ in Dei honorem, ac salutem nostram maximè tendunt. etiam si forsan aliud ex libertate, quam nobis Christus dedit, facere possemus, maximè dum ex captiuitate carnis sequatur vita animæ. Sed sic dum blandula, & placentia, vt est in Esaia, prædicas & loqueris, tollendo ieiunium, remittendo vota, bona cassando opera, tollendo obedientiam, nullas gehennæ flammas comminando, sed mox post luxuriam, & delicias Paradisum pandendo, & alia id genus permittis. Nonne hoc est. quod apud Hieronymum in Esaiam cap. 30. legitur, vbi dixerunt. Noli nobis videre, quod nolumus, noli nobis interdicere viam Aegypti, nec quæ recta sunt prædices, sed loquere quod nobis placet, vt pergamus in Aegyptum, quod cumulet peccata. peccatis Quid nobis ingeris, quod non libenter audimus. Quid monstras viam. per quam ingredi nolumus? Quid frequenter ingeminas auribus nostris? hæc dicit Dominus sanctus Israel. Cesset à nobis ista prædicatio.

CAP. LXIX.

Sequitur idem argumentum:

LVTHERVS.

Satis est ab exemplo Christi didicisse quālibet conditionem fratribus etiam iniquissimam in ponere pro libito, ipsam verò Christi conditionem ne syllaba quidem meminisse, Sed respondet adhuc semel Paschalis. Tuo te iudicio pete, si Christus conditionem ibi posuit, vt dicis. Iam tuo ore diffinimus nullum esse Romanum Pontificem, nisi diligat & pascat. Quia pactum & commissio conditionales, si conditio non stet, non valet. Vt ergo enthimeme vtar: Archiepiscopus Panor. sine conditione iuramenti præstiti in facto non est Episcopus. Ergo nec tu Papa, nisi in facto primùm præstes conditionem amoris, & pascuæ. Quæ si vera sunt, iam in sexcentis annis non habuimus Papam. Nullus enim docuit nos verbum Dei. Nec sufficit quòd promittas te amaturum, quia tibi non sufficit promissio iuraturi. Sed sicut tu a fratre exigis conditionem in facto, ità nos in nomine Christi maiorem hoc conditionem exigimus in facto, aut tua autoritate Papam negamus. Quid hic facies? Vides ergo quàm impatiens scriptura sit corruptionis, quàm vanos ostendat eos, qui se maculant. noluit Paschalis vinci interrogatione, nec malè egisse videri. Et ignarus se ipsum toto Pontificatu indignum redarguit: Dumque festucam fratris eruit, trabes suas nobis ostendit. Ista est pascua, quòd Romani omnia sibi inflectunt, omnibus omnia imponunt, omnibus se subtrahunt, & quod atrocius est, non ad Christum, sed ad seipsos nos cogunt. Non exigunt conditionem, qua Christi libertatem promittamus, sed qua sibi seruitutem iuremus. Quæ autem maior miseria Ecclesiæ, quàm non amare: sed vi conglurinari Pontifices non beneuolentia, sed potestate imperare. subditos non amore, sed odio & timore coactos seruire.

FA-

FABER.

Hieronymus ad Ruffinum ità scribit. Cuius est humanitatis, cuiusue clementiæ insultare aliorum miserijs, & vulnera cunctis aliena monstrare. Siccine te docuit ille Samarites feminecem ad stabulum repoetare, oleum plagis infundere, mercedem stabulario polliceri? Si reuectam ouem repertam drachmam, prodigum filium legis esse susceptum, & tu ex totidem Pontificibus nullum Papam dicere fuisse volebas, cur saltem inter centum vigintisex Pontifices, qui fuerunt à tempore Bonifacij sexti, non quadam pietate, ob patriæ amorem, Gregorium quintum natione Saxonem Papam fuisse permittis? Quid hic Saxo in te peccauit? Quid malefecit Otthoni Imperaroti? An in Pontificibus etiam id tolles, quod Gregorius ille quintus ordinauit? Et quid ordinauit? vt essent septem electores Imperij, Archiepiscopus Moguntinus Germaniæ, Archiepiscopus Treueren. Galliæ, Archiepiscopus Colonien. Italiæ. Nonne ordinauit vt essent quatuor Principes, Marchio Brandeburgen. Imperatoris post electionem camerarius, Comes Palatinus, qui dapes. Dux Saxoniæ, qui ensem fert. Regem Bohemiæ pincernam esse voluit. Vnde ipse Ignatius hanc sanctionem his verbis expressit. Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato. Principes sex, sacri ordinis tres, prophani totidem eum deligunto. Ii, si discordes fuerint, Bohemiæ Regem coaptato. Sed mirum est, quòd tu eo tempore cum tua tragœdia Saxoniam turbas, atque confundis, quo sunt, ac viuunt eiusdem nominis Pontifex, ac Imperator, quorum conatibus Saxonia ad fidem conuersa est. Tempore enim Adriani Romani Pontificis, qui fuit compater Caroli Magni, Saxoniam ad fidem perfectè conuersam. Carolus Magnus in primo libro contrà eos, qui tollebant sanctorum imagines, ingenuè testatur.

Et tu iam nobis contigisti sub eo Adriano Pontifice, qui patet disciplinæ fuit Caroli nostri Imperatoris. Et mirum est, qui non priorum temporum memor sis, & à septingentis annis à Saxonibus creditam fidem non potius confirmes, quàm quòd nouam religionem hucusque nec à Græcis, nec à Latinis receptam plantare non erubescas. Et re vera tuæ religionis præcepta sunt mira, qui iam Vittenbergæ facis Episcopos, quos olim sacerdotes dumtaxat simplices agnoscebamus. Miror quis sit illis infulas daturus. Hæc quasi obiter dicere lubuit, ad priora rediens. Quid in te peccauit Clemens 2. Bambergen. olim Episcopus anteà Syndegerus vocatus? Quòd si Leonem X. ex albo, ità delere decreueras, cur non à Leone IX. abstinebas? Germanus is fuit, qui & anno Domini millesimo quadragesimo nono pontificatum iniit. Sed numquam legisti, sicuti Platina fuit censor malorum Pontificum, ità bonorum fuit præco egregius. Sed quid ait is de Leone Nono?

Ad Leonem inquit redeo virum certè pietate, innocentia, benignitate, gratia hospitalitate adeò insignem, vt eius domus peregrinis, & pauperibus semper patuerit. Nam cum semel ante fores leprosum pauperem inuenisset, eumque præ miseria collocari in lecto suo mandasset, apertis mane à ianitore foribus, nusquam pauper inuentus est. Christum pauperis nomine eo loci recubuisse creditum. In rebus propterea ad religionem pertinentibus, tanta diligentia, & solertia vsus est, vt & in Concilio Vercellensi Berengarium hæreseos auctorem damnauerit, & Constantinopolitanum Imperatorem suis monitionibus impulerit sepulchrum Domini Hierosolymis à Barbaris diruptum restituere. Vides quantam iniuriam Germanis hoc vno inferas, qui dicis nos in sexcentis annis non habuisse Papam.

Quid si forsan Bonifacius VIII. apud te nomen Papæ non meruerat, ex eo quòd in Prouerb. de Bonif. Ioann. Andreæ c. de renunc. lib. 6. cesserit hunc intrasse veluti vulpem, regnasse Leonem, & mortuum veluti lupum. Boni tamen, ac sanctissimi viri Cœlestini V. Bonifacij prædecessoris meminisse debueras, ad cuius coronationem interfuere ducenta millia hominum. Cuius si Pontificatus tempora, moresque perpenderis, nihil in hoc homine vsquam inuenies, quòd non miram vitæ sanctimoniam præseferat. Nolo iam amplius aliorum Pontificum reddere rationem, nisi me prouocaris. Supra tibi ostendi defunctis gratiam non prohiberi. Et quòd monachorum sit prima conditio, nihil de Episcoporum causis iudicare, nisi hoc dicto mentiatur Hieronymus. Quòd si omninò ità contenderis eos Papas dumtaxat esse, atque vocari, qui diligant, aut qui sint in charitate Christi perpetua. Vide quot annis Ecclesiam Pastore destituas, & idem argumentum, quod contra Rom. Papam affers, etiam contra reliquos Episcopos, atque presbyreros locum habebit. Nam non solum Romanum Pontificem Papam, sed & alios Papas dictos fuisse legimus. Vndè Hieron. ad August. scribit. Sanctum, & venerabilem fratrem nostrum Papam Alipium, vt meo obsequio salutes, obsecro. Tamen hic non sisto. Christus peruersum honorauit Pontificem. Paulus percutere contra legem iubentem veneratur. Etiam non solùm bonis, sed & discolis obedire iubemur. Et alibi ostendi non mox charitate amissa petite prælationem.

CAP. LXX.

Sequitur idem argumentum de iuramento.

LVTHERVS.

Sed sequitur digna applicatio similitudinis. Si conscientiarum factor, & cognitor secretorum hac vsus est, nec semel tantùm, sed & secundò, & vsque ad conéristationem, qua nos oportet similitudine tantam Ecclesiæ prælationem imponere fratribus, quorum conscientias non videmus. Nec mirum certè, quia Petrus, Paulus, & alij Apostoli non erant tàm solliciti tanta sollicitudine, quanta nunc sunt Romani. Deindè quia cognouerunt fortè conscientias illorum, quos sacerdotes constituebant, nec exemplum

Chri-

Christi adeò curauerunt? Nonnè hoc est ipsum videre? Sed nec Christus, cuius oues sunt propriæ, licèt pro eis se traderet, non tamen fuit tam sollicitus, vt iuramentum à Petro exigeret, sed velut dormitans ad lectionem tantummodò rem sanè leuissimam exigit. Quandoquidem nisi iuramentum Paschalis charitatis præponeret, sine dubio exemplo Christi contentus esset, ne se oporteret magis sollicitum esse quæreretur, quàm Christum ipsum. Vides enim, vt arguit minori Christus exegit, quantò magis nos, quasi verò hoc aliquid ad rem pertineat, quòd Christus conscientias nouit, Romanus Pontifex non nouit, cum Christus exemplum præbuerit in hoc omnibus imitandum, Denique & nos non nouimus conscientias Romani Pontificis. Iuret ergo, & nobis conditionem Christi saltem. Iterum quæro si ex ignorantia conscientiarum sola est causa exigendi iuramenti, cur non cogis, vt iuret se rectè iurasse, idque sine fine, cum in nullo iuramento conscientiam eius noscis, rectè ne iuret, an secus? Si autem ignorantia ista conscientiæ non mouet ad exactionem iuramenti, qua fronte ignorantiam conscientiarum pro causa adducis? Quæ est ista mirabilis in vno homine super eodem homine patientia? & impatientia ignorantis conscientiæ?

FABER.

Hic iterum contra te loqui vix audeo, non ignorans hoc Pythagoræ symbolum. Ignem gladio ne fodias; hoc est iratum, & tumidum animum, sicut interpretatur Hieronymus, verbis maledicis ne lacessas. Sed & tacere vix possum. Et licèt puer ego sim, tamen adhuc faciam olitoris officium, qui & quandoque est valdè opportuna locutus. Totum, quod hìc habes, quod & in priori textu dixisti, conditionis est enthimema. Vndè constantissimè inferendum putas. Si non dilexerit Petri successor, Papa non sit. Possem hic ex iureconsultis disserere, si velim de triplici conditione, post Baldum de conditione in l. 1. §. Sin autem C. de caducis toll. si servabis post Salicetum de discrimine conditionis, & modi in l. final. C. de non num. pecun. post Alexandrum de Imola, de pulchra materia verborum conditionem importantium, in l. impossibile de verb. oblig. post Bartholum in l. 1. ff. de condit. & demonst. & Bald. in rub. C. de instit. & substit. sub condict. fact. Quæ omnia aptissimè huic proposito conuenirent, sed cum homine Theologo Theologicè mihi balbutiendum video, vndè ista prætereo. Sed numquid non mi Luthere Salomon Rex fuit in Israel? Illius officium erat ambulare in via Domini. Dixerat enim Dominus ad Dauid Patrem illius. 3. Regum 2. Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, & in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. Sed quid fecit Salomon Rex? 3. Regum 2. Adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cetheas, de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel. Non ingredi emini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos eorum. Iis itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore, fueruntque ei vxores Reginæ quasi septingentæ, & concubinæ trecentæ. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos; nec erat cor eius perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris eius. Sed colebat Salomon Asterthen deum Sydoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Amonitarum; fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit, vt sequeretur Dominum, sicut Dauid pater eius. Et tunc ædificauit Salomon Phanum Chamos Idolo Moab in monte, qui erat contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Amon. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis. Et licèt hæc Salomon fecerit, immò pactum cum Domino initum non custodierit, tamen non mox de throno regali ebore grandi, auroque fuluo vestitum illum Dominus deiecit. Nec Salomon mox dum hoc faceret, Regis nomen, ac dignitatem amisit. Sed ità dixit Dominus Salomoni. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis, non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud. Nec totum Regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Hierusalem, quam elegi. Vides quòd non mox etiam, ob tam grande idolatriæ peccatum Rex ille Salomon fuit à Regno excussus, immò in sua megaloprepia, hoc est magnificentia diutiùs mansit. Ità & si Petri successor non dilexerit, nec in mandatis Dei ambulauerit, propterea Pontificatum non amittit, nisi tu in quosdam errores priùs damnatos cadere, aut quadam impietate genitum hunc per Ezech. 18. prænunciatum, non modò Pontifici, sed cuilibet peccanti promissum, auferre velis. Cogitare debebas duodecim esse horas diei. Nihil hic dicam de Dauid peccante, ac de multis alijs, sit ille tibi vnus ex mille. At cum tu putas sat esse, si absque iuramento commiserit oues. Iam tibi respondebo postquam tua verba ex ordine posita fuerint.

CAP. LXXI.

Sequitur idem argumentum de iuramento,

LVTHERVS.

SI accepto iuramento tantam administrationem ei cedis, cur non, quòd leuis erat, iuramentum cedis? An putas quòd maior res sit iuramentum tibi præstitum, quàm tantæ Ecclesiæ administratio? Ad hæc ignorara conscientia debuit te, quàm tutissimum facere ad imponendam prælationem, vt eo magis relinqueres iuramentum, quo minùs con-

ſcientias noſti, ne fortè ad periurium cum coageres, gaudendum tibi fuit hanc tibi à Chriſto relictam libertatem, vt poſſis ei oues committere, quorum corda non noſti. Nunc per iuramentum ſecreta exploras, aut in periculum fratrem adducis, quorum vtrumque grauiſſimum eſt; idque ſine cauſa, nec propter Deum, ſed propter fidelitatem Romanæ Eccleſiæ. Demum ſi ignorantia eſt cauſa iuramenti, ſequitur ſi ſcires conſcientiam, malè te exegiſſe iuramentum. At cum quiſque de quolibet debeat optima præſumere, & charitatis ſit omnia credere, hæc ipſa fides tui fratris bonitate certior eſt omni ſcientia, quòd etiam ſi ſcites, diu ſcire non poſſis, credere autem ſemper poſſis.

FABER.

Numquam legiſti Luthere in Eccleſiaſtis 4. ſcriptum; Funiculus triplex non citò rumpitur. Et ſit tibi, quòd in Chriſtiana anima ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non citò rumpetur iſta ſodalitas. Quod autem non citò rumpitur, inquit ibi Hieron. tamen aliquando rumpitur. In Iuda enim Apoſtolo triplex fuit iſte funiculus. Sed quia poſt buccellam introiuit in eum Sathanas, funiculus iſte diruptus eſt. Hæc Hieron. Ità & in Epiſcopo dicere poſſumus, ſit licèt Chriſti fidelis, conſtantē fidē habeat in corde, & ore confeſſionem faciat ad ſalutē. At facilè contingere poteſt, vt ex Apoſtolo fiat proditor; ſicut & facilè fieri poteſt, vt fiat è Publicano Diſcipulus, & ex latrone filius Paradiſi. Quid fecit Cœleſtinus? quid Pelagius? quid Paulus Samoſaten.? quem etiam in gratiam Nicæna Synodus recipere noluit. Pollicitus eſt multa Cœleſtius, ſed non ſeruauit. Et nolens, ac inuitus dicam, quod Hieronym. de Praga, licèt huſſiticos errores abiurauerit, ac ſuper hac re iuſiurandum ſolemne præſtiterit, fidem tamen fregit. Ità multos hæreticos periuros factos eſſe legimus. Sed hic dicito, qui curioſus es hiſtoriarum ſcrutator, an numquam in ſcriptura legeris, quòd Archiepiſcopi, & Epiſcopi deſciuerunt non ſolùm à Concilijs ſanctorum Patrum, ab obedientia Romani Pontificis, immò ab ipſa fide, & in pernicioſiſſimas hæreſes prolapſi ſint? Sed & numquam cogitaſti cum Epiſcopis fieri poſſe, quòd in Reguorum lib. 3. cap. 2. Legitur Sem filio Gera, qui Dauid maledixit maledictione peſſima, quando ibat ad caſtra, cui licèt dixerit, ac præceperit Salomon, Ædifica tibi domum in Hieruſalem, & habita ibi, & non egredieris indè huc, atque illuc. Quacumque die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum, ſanguis tuus erit ſuper caput tuum; licèt poſt hæc aſperrima verba Sem reſponderit. Bonus ſermo, ſicut locutus eſt Dominus meus Rex, ſic faciet ſeruus tuus; tamen id non diu ſeruauit, immò poſt tres annos, ſtrauit aſinum ſuum, & exiuit Hieruſalem ad Achis Regem in Geth. Ità & in nouo teſtamento ſæpè talia contigiſſe legimus, videlicet quòd aliqui certas abiurarunt hæreſes, quas tamen poſteà iterum fouere cœperunt. Id de Achatio, ac alijs infrà docebo. Nunc ad hanc rem omiſſis illis, quæ circa Oneſymum Alexandrum, Galatas, ac alios peracta fuerunt, etiam tempore Pauli, ſaltem aliqua ex parte me redimam, aliquot commemorabo hiſtorias. Primò, hanc, quæ eſt de Auguſtino, ac Felice Manichæo. Siquidem Auguſt. accepta charta ſcripſit hæc verba. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ iam anathematizo Manichæum, & doctrinam eius, & ſpiritum, qui per eum tàm execrabiles blaſphemias locutus eſt, quia ſpiritus ſeductor erat non veritatis, ſed nephandi erroris. Et nunc anathematizo ſupradictum Manichæum, & ſpiritum erroris ipſius. Ec cum eandem chartam Felici dediſſet, etiam ipſe manu ſua hæc verba ſcripſit. Ego Felix, qui Manichæo crediderām, nunc anathematizo eum, & doctrinam ipſius, & ſpiritum ſeductorem, qui in illo fuit, qui dixit Deum partem ſuam genti tenebrarum miniſtraſſe, & eam tàm turpiter liberare, vt virtutes ſuas transfiguraret in fœminas contrà maſculina, & ipſas iterum in maſculos, contrà fœminina dæmonia, ità vt poſteà reliquiæ ſuæ partis configat in æternum globo tenebrarum. Has omnes, & ceteras Manichæi blaſphemias anathematizo. Hoc anathema à Felice per Auguſtinum extortum, num conueniebat reipublicæ, an non? certè ſubſcriptionem, ac abiurationem illam nemo bonus damnabit vnquam.

Præcognouit Auguſtinus Manichæorum ingenia, quàm verſatilia eſſent. Quare ne Felix in priſtinos laberetur errores, cautè prouidit. Et hanc abdicationem non ſoli conſcientię credidit, ſed, & ſcriptura firmauit. Quod, & patres in ſecunda Nicæna ſynodo feciſſe legimus. Sic, & noſtris temporibus quandoque factum fuiſſe perſpectiſſimum eſt, & verba Hieronymi ſunt ad Alipium. Quicquid in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegar, in hoc opere confitetur. Et in aperto Hieronymus habet, quòd inuidia, & contumelijs clericorum Romanæ Eccleſiæ Tertullianus ad Montani dogmata delapſus eſt. Vtinam hodie nihil tale contingat. Sed hìc quid tam diù immoramur? Neminem eſſe credo, qui indignè ferat, etiam ſi Epiſcopus electus, & iam confirmandus, hoc iuramentum fecerit, quod ſupra traditum eſt, ac ſeruat Eccleſia Romana. At dudum ſubodoraui quò tendas, ad quod nihil aliud dicam, quàm illud Virgilianum.

Frigidus o pueri fugite, hic latet anguis in herba.
Attamen illius caput hic contundere nolo.

CAP. LXXII.

Sequitur idem argumentum de iuramento.

LVTHERVS.

Vltimo numquid poſt iuramentum noſti eius conſcientiam? Cur ego non toto tempore tibi iurat, qui toto tempore cauſas iuramenti tibi præſtat? Hoc dixi vt videamus quid ſit verbo Dei nolle credere, & ſcripturas ſuo ſenſui aptare. Quomodo ego ſpetem apud Romanos Pontifices eſſe ius in-

terpretandæ scripturæ? qui tam manifestè scripturas in alieno sensu tractant? vel quid non obtineant in terra Romani? Quid non audeant eorum nomine adulatores? Si hæc persuasio eorum nos ceperit, & euertetit, non licere scilicet errorum dicta cum iudicio legere, & eis solis interpretandæ scripturæ iure concessa esse, (vt enim (vt Augustinus verbo abutar) verè sine periculo primatus huius in Ecclesia luditur. Sed mirum si non Deo, & nobis illuditur, absit absit plùs quàm babylonica captiuitas.

FABER.

De conscientia hìc ex scholasticis multa axiomata possem adferre, at non audeo. Paulinis ergo sententijs vtar. Quid hoc est apud Paulum ad Romanos. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Sed quid illo vult Paulus ad Titum scribens. Habentes mysterium fidei in conscientia pura. An non cum illo conueniet, quo scribit ad Titum? Oportet Episcopum esse tamquam dispensatorem ministeriorum Dei.

Quid putas exigitur? certè mysteriorum dispensatores, vt nos docuit in Epistolam ad Corinth. Theophilactus. Haud temerè debent Dei sermonem omnibus impartiri. Sed tempus per eos, & opportunum,& modus seruandus, cum illum impartiunt. Quin etiam nec mysteria ipsa aperienda sunt cunctis. Non enim vel prudentis est viri, vel rectè credita dispensantis, passim illa, & sine delectu omnibus patefacere. Hanc sententiam Greg. Nazianzenus pulchrè tuetur in libello de Arianis, quòd non liceat semper, & publicè de Deo contendere. Dein ad dispensationem Dei exigitur vt sit fidelis, ità vt candida fide spiritualia ministret. De qua ministratione pulcherrima tradidit nobis Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ. 7. post Petrum Apostolum Episcopus. Et sanctissimè disserit Hierony. in 6. quæst. vbi Algasiæ respondet super parabola Euangelica, quæ est de villico iniquitatis. Sed & ad dispensatorem istum exigitur, vt Ecclesiasticos redditus benè dispenset, illius non ego sum auctor. Sed hanc dispensationis normã nobis tradit Origenes homil. 3. in Matth. Hæc & alia sunt Episcoporum officia, quæ Rom. Pontifices non quidem ex se, sed in primis ex Paulo didicerunt. Non enim abs re Paulus inquit. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hìc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quòd si vlli fidelium dispensatoris nomen conuenire potest, Episcopo in primis conuenier.

Hoc dicere nos Paulus docuit, 1. Cor. 4. scribens ad Titum. Vt igitur sit memor Episcopus officij sibi traditi, & vt hoc scribat in tabulam cordis sui, semperque fidei domesticus inueniatur illius conscientia, meritò per iuramentum astringitur, vt semper habeat torsiones ventris. De quibus apud Esa. imò vt sit ille fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det in tempore tritici mensuram. Nec opus est semper iurare, quàm diu viuit, satis fuerit semel iurare, ac quamdiu vixerit, seruare. Ità in Exodi. c. 24. Venit Moses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: responditque cunctus populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Et iterum: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Nihilominus tamen. 4. Reg. 10. legitur, pepigit Ioiada fœdus inter Deum, & Regem, & inter Populum; ità etiam vt quilibet discat seruare legem, & in obedientia stare sui superioris iuramento, quasi fœdere obstringitur.

Hinc etiam Episcopus iurans quemadmodum Petro fidem seruare tenetur, licèt tu successori nihil tribuere videatis, quasi vetus Moses non ordinarit antequam moreretur in terra Moab, non reliquerit post se Iosue, qui regeret in populo. An non id Romano Pontifici licet, quod olim facere licebat meretrici Raab ad eos, qui missi fuerunt per Iosue in Hierico? Quos iuramento obstrinxit, vt saluarent domum patris, & matris, fratrum, atque sororum. Sed & de adultis baptizandis, nonnè semper vniuersalis seruauit Ecclesia? vt etiam illos non solùm propriæ conscientiæ relinquat, sed & quasdam abrenunciationes enumeret? An velles, vt nemo obedientiam Domino fœudi, in litem, aut de pace tenenda iuraret, sed quiuis relinqueretur propriæ conscientiæ? Quod licèt maximè probarem, eò quòd nihil sit, quod tam rectè Christianum deceat, quasi illius sermo fuerit, est est, non non. At quia respublica forsan aliter, & sine iuramento persistere commodè non potest, vndè melius ità videtur, vt iuramentum exigatur in his, vbi de fide vacillante dubitaudũ fuerit. Sic Ephesina Synodus iursiurando obstrinxit Nestorium anathematizare hæresim. Sic Hysichius ad fidem eum iuramento reuertitur.

Er semper, Haymaro Remorũ Episcopo de Sinodis referente, redeuntes hæreticos Ecclesia Romana suscepit. Nec opus est, vt semper iuret Episcopus; satis est hunc semel iurasse; conscientiam habet, quam mille testes vocare solemus; hæc semper vigilat, semper torto-tis vicem gerit. Vndè Hieronym. in Ezech. cap 16. lib. 5. ad hanc rem pulchram sententiam habet. Secunda, inquit, post naufragium tabula est, cum peccaueris, erubescere, & non illi iubiacere increpationi, quæ contra Hierusalem dicitur, Facies meretricis facta est tibi; nescis erubescere? Portat autem tormentum suum, qui propria torquetur conscientia, & in isto seculo sustinet propria voluntate eruciatũ, ne æterna tormenta sustinear. Corrumpimusque fratres nostros, vel sorores peccatis nostris, quando per nostra peccata ad maiora scelera prouocantur. Quod dico, ità fiet manifestius. Finge aliquem in sacerdotali culmine constitutũ, nõ benè viuere, & deturpare operibus dignitatẽ. Nonne imitatione viriorum eius laicus corrumpitur? Nam, & qui vnum de minimis scandalizauerit, mola collo alligata præcipitetur in profundum. In Esa. cap. 14. Sorores quoque Hierusalem Sodoma, & Samaria iustificantur, non quo per se iustè fint, sed vt diximus comparatione peiorum. Ex his & alijs habes hanc captiuitatem non esse Babyloniam, nisi forsan ex Roma Babylonem feceris, quod tamen non vndequaque admittis, maximè si Petrum contendas non fuisse Romæ. De hac

hac te Hieronym. in Esa.cap.47. Addè quòd ab his verbis, quæ Pascalis hîc habet, non dissimilis est huic negotio sententia apud Augustinum in libro de ouibus cap.9. Et vtinam adeò sanctæ Scripturam tractares, veluti Pontifices Romani fecerunt, & non esset inter Germanos tanta tragœdia. Sed pergo,

CAP. LXXIII.

Sequitur idem argumentum de iuramento.

LVTHERVS.

SEquitur oppositorum dissolutio. Aiunt omne iusiurandum à Domino in Euangelio esse prohibitum, nec ab Apostolis post Dominum, nec in Concilijs inueniri posse statutum. His ictibus insuperabilibus postratus, quid dicat, audiamus. Quid est ergo quod Dominus subsequenter ait. Quod amplius est, à malo est? Hoc enim amplius vt exigamus malum, nos illo permittente compellit. Quod Christus prohibet & negat, hîc affirmat, & præcipit. Christus dicit: [Quod amplius est, à malo est.] Idest non debet fieri. Loquitur enim de pronitate iurandi, fine necessitate fratris, hoc est de libidine iurandi, sicut mulierum concupiscere prohibuit; qui tamen debitum coniungibus reddendum non prohibuit. Hic dicit. [Hoc amplius cogit nos.] Idest fieri omninò oportet. Sed audiamus hoc malum, quòd nullus in verbis Euangelij cogitauit vnquam.

FABER.

Hilarius in explanatione Matthæi eractans hoc Euangelij verbum, ait hic Christum superstitionem contumaciæ veteris damnasse.

Hieronymus credit Dominum pessimam consuetudinem iurandi Iudæis reprobasse; addens in fine, quòd Euangelica veritas non recipiat iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iurando sit.

Augustinus in varijs locis hunc locum Euangelicum variè tractat. Sed tu dic, vbi hîc Pascalis, quod Christus prohibuit, affirmauerit? Nunquid non eos reprobat, qui aiunt omne iusiurandum à Domino in Euangelio prohibitum esse, & neminem ad iurandum admitti debere? Vtcumque tamen certè istius dicti Euangelici sit sermo vester. est, est, non non. Quod autem abundantius est, à malo est; difficilis est intellectus.

Hoc testatur Chrysostomus 17. homil. super Matthæum 5. Cuius verba si rectè intueatis, cum Paschalis interpretatione fac benè conueniunt. Sed hic cum sit sermo de malo, cuius contrarium est bonum, de quibus in Psalm. 36. [Declina à malo, & fac bonum, &c.] Vnde priùs ostendere oportet quid sit malum, quid ve bonum. Propriè malum dicitur, quod vitandum; bonum, quod facere debemus.

Ità Hieronymus in epistolam ad Galat. Quòd si malum vitandum est, & malum, immò pessimum est ab vnitate Ecclesiæ recedere, hæreticos per Gog, & Magog figuratos non compescere, ac alia id genus admittere; iuramentum itàque ne ab vnitate discedatur Ecclesiæ, iustè exigitur, intellectos etiam illius Euangelici dicti cum pulchro Theologorum ænigmate conuenit. Est autem ænigma hoc. Si iurauero benefacere, & non faciam, peccati reus sum. Et si iurauero malefacere, & non fecero, pariter peccati reus sum. Sed quomodò sphingis ænigma soluemus? Docet nos origenes super Leuit. homil. 3. dicens. Malefacere, aduersari alicui est, & non indulgere ei, vt faciat, quod vult, & nos venientes ad Deum, iuramus nos carnem castigaturos, & ei malefacere, atque in seruitutem redigere. Illius autem vox est; non quod volo, ago, sed quod odi, facio. Quòd siquis, ità iurauerit, & non fecerit, certè peccati reus est. Quòd siquis carni malefecerit, spiritui benefacit; propter quod cum Paulo bene dicere non potest. Cum infirmor potes sum; nec potest vni eorum benefieri, nisi alteri malefaceris. Hoc est quod ait Dominus. [Ego occidam, & viuere faciam. Quid occidit Deus? Carnem vtique; & quid viuere facit? Spiritum sine dubio.] Et rursum ait. [Percutiam, & ego sanabo. Quid percutit? Carnem. Qui sanat? Spiritum:] Prorsus vt illa deficiat, iste proficiat, vt faciat aliquem mortificatum carne, viuificatum spiritu. Et hîc est Ordo, quo aliquis iurat malefacere; & id seruare tenebitur. Et iterum quo quis benefacere iurat, & pariter seruare tenebitur tale iuramentum, secundùm Origenem. Hæc obiter dixisse velim, vt ab hoc ænygmate obscuro iuramenti materiam disceres esse perplexam; proin Pascalem minùs errasse. Sed hîc quid dicam? fuit hne iuramentum antè multos centenos annos; & non fit ex libidine iurandi, sed necessitate reipublicæ in suo ordine conseruandæ. Quare dum non fit peccatum, id fieri prohibere non velis.

CAP. LXXIV.

Sequitur idem argumentum de iuramento.

LVTHERVS.

NOnne malum est, inquit ab Ecclesiæ vnitate, & à sedis obedientia resilire? & contra Canonum statuta prorumpere? quòd multi etiam post præstitum Sacramentum præsumpserunt. Ego putabam, quòd hoc malum esset interpretaturus, non diligere Christum, non pascere oues; & horum sollicitudine exemplo Christi torqueri ad iuramenti exactionem. Verùm hoc Christus à Petro requirat. Hodie curandum ne ab obedientia Sedis Apostolicæ resiliant Episcopi. Tunc ego, Episcopus meus nondum quicquam illorum fecit. Vt quid ergo exigis iuramentum? An quod ignoras eum non facturum? Cur non in omni præcepto Dei exigis iuramentum? Cur hîc te non compellit malum? An non est malum à præceptis Dei resilire, quin Ecclesiam reples nonnisi iuramentis? Si autem in Dei præceptis, tam patiens es, vt te tot mala

quæ in conspectu dominantur, etiam in domesticis tuis ad iuramentum non compellunt; in tuis præceptis mala, nec præsentia, nec forte vnquam futura te compellunt? Nonne perspicuum fit, quod amor sui, quo magis se se venustat, magis seipsum prodit. Prorsus nulla reliqua ratio est. Quid si in tuis præceptis iuramenta exigas, pro Dei commodo. Aut si hic non facis, non sine culpa ibi facis. Habes ergo, quod Rom. in Euangelio intelligunt; quod est suspitio mala de fratribus bonis. Nam transgressiones mandatorum an malæ sint, alij viderint oculus ambitionis, & auaritiæ.

FABER.

Dic mihi Luthere, Nunquid bonum sit ab Ecclesiæ vnitate, & à Sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? Væ tibi si hæc dixeris. Nam facies bonum malum, immò nutries in sinu sorores peccatricis Hierusalem. Legisti ne vnquam, quæ sint sorores peccatricis Hierusalem? de quibus apud Origenem in Ezechielem 16. Si non legisti, videre poteras in homil. 9. Sunt quidem schisma, & hæresis; & harum fautores teste Hieronym. sunt Sacerdotes in Samaria.

Sed & audi quid ibi dicat Orig. Vbi schismata, ibi hæreses ibi dissensiones. Vbi autem virtus, ibi singularitas, ibi vnio. Ex quo omnium credentium erat cor vnum, & anima vna. Et vt manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo. Principium autem bonorum coangustatio, & à turbis in singularitatem redactio, vt putà nos omnes, si saluandi sumus ad vnionem, vt perfecti efficiamur in eodem sensu, & in eadem sententia, & simus vnum corpus, & vnus spiritus. Si verò tales simus, vt non nos vnitas circumscribat, sed & de nobis dici possit. Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephe: & adhuc à malitia scindimur, atque diuidimur. Non sumus futuri. Vbi sunt illi, qui rediguntur in vnionem? Nam & pater, & filius vnum sunt. Sed qui vnum spiritum habent, in vnionem coarctantur. Ait quippe Saluator: [Ego & pater vnum sumus.] Ità & isti in nobis vnum sint.

Et in Apostolo legitur, Donec occurramus omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis in vnitatem Christi. Et rursum, Donec perueniamus omnes in vnitatem Corporis, & Spiritus Christi. Ex quo significatur Ecclesia, quia virtus ex plurimis vnum faciat, & necesse sit nobis vnum per eam fieri, & fugere multitudinem. Hæc Origenes.

Sed quid hic Origenem voluisse puras? Certè crediderim virû hunc magnum eò tendere, vt seruetur vnitas Ecclesiæ, vt ab hac nullus vnquam recedat. Et vulgatissimus est locus August. in 7. lib. de baptis. contra Donatist. cap. 49. & 50. Quo pacto Cyprianus commendauerit vnitatem Ecclesiæ; & quòd habitantes in domo Domini concordes, ac vnanimes esse debeant, loquente Psalm. 67. Spiritu sancto & dicente. [Deus qui in habitare facis vnanimes in domo:] Et alibi. [Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.] Quòd si qui litigiosi habitent in Hierusalem, cum Barraba seditionem facientes, non veri fratres dici merentur, sed falsi sunt fratres; de quibus tot ies conqueritur Apostolus. Ex his & alijs scripturæ locis, nemo nisi mentis inops intelligere potest rectè facere Romanum Pontificem, si iuramento astrinxerit Episcopum, ne ab Ecclesiæ vnitate recedat.

Sed forsan id facilè dares, si non esset Sedis Apostolicæ obedientia. Vnde hic tibi vnum obijcio Cyprianum. Quid hoc sibi vult, quòd Sanctus ille martyr, & Carthaginensis Episcopus antè mille & trecentos, ac septuaginta annos Presbyteros, atque Diaconos, tam piè fuit exortatus, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, atque tenerent. Sed quid putas hoc sibi velit, quod in epistola ad Cornel. 4. lib. epistolarum epist. 8. Romanum Pontificem, ità scribit. Sic nunc Episcopatus tui, & veritas, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima est confirmatione fundata, vt ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos literas indè fecerunt, & ex relatione, ac testimonijs Coepiscoporum Pompeij, Stephani, Caldonij, ac Fortunati, ordinationis tuæ, & origo necessaria, & iusta ratio, & gloriosa quoque innocentia ab omnibus nosceretur.

Quod, vt simul cum cæteris quoque Collegis nostris stabiliter, & firmiter administremus, atque Catholicæ Ecclesiæ concorditer vnanimitatem teneamus. Proficiat diuina protectio, vt Dominus, qui Sacerdotes sibi in Ecclesia sua eligere, & constituere dignatur; electos quoque, & constituros sua voluntate, atque opitulatione tueatur, gubernantes inspirans, & subministrans, & ad improborum contumaciam frenandam, vigorem, & ad lapsorum fouendam pœnitentiam, lenitatem. Hæc Cyprianus.

Omittò hic, quæ erga Romanam Ecclesiam à multis seculis sancti, & doctissimi viri agnouerunt. Sed adhùc fortè in Canonum statuta stomacharis? Hic tibi historiam obijcio, quæ est apud Hieronymum in dialogo aduersùs Lucifer. Numquid mentitus est orthodoxus narrans sub Rege Constantio, Eusebio, & Hyppatio Coss. nomine vnitatis, & fidei infidelitatem esse scriptam? & eo tempore nihil tàm pium, nihil tàm conueniens seruo Dei videbatur, quàm vnitatem seruari, & à totius mundi communione non scindi. Erat autem eo tempore Valens Mursen. Episcopus, qui professus est se Arianum non esse; is in Ecclesia apud Ariminum, hoc est in Ariminensi Synodo, vbi tanta fuit multitudo Episcoporum, & laicorum, vt penè in prouerbium abierit. Numquid non super certis articulis cum reliquis Episcopis respondit, Anathema sit. Laudatur eapropter Valens, & ad Cœlum laudibus tollitur. Non illic sola Synodus Ariminensis, sed & Valens condemnauit. Sed quid factum? cicatrix malè abducta incocto pure dirumpitur. Cœperunt etenim posteà Valens, & Vrsacius iactitare se filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen aboletur, Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse mira-

miratus est. Periclitabatur nauicula Apostolorum, vrgebant venti fluctibus, latera tundebantur, nihil iam supererat spei.

Huius tragœdiæ dic mihi, quid fuit in causa? Numquid non quòd Valens sanctorum Patrum Canones seruare nolebat? Quod si seruasset, non totus esset commotus Orbis. Ne quid ergo tale contingat, sanctissimè prouisum est, ab Episcopo hoc præstari iuramentum. Ac vt finem rei faciam, consecrando Episcopo partim ex Carthaginensi Concilio, ità Romano Pontificali restauti præponitur, an Diuinæ Scripturæ sensibus se accommodare velit, ac quæ ex Diuinis Scripturis intellexerit plebem verbis docere, & exemplo, an traditiones orthodoxorum Patrum seruare, an Petro Apostolo, ac illius Ecclesiæ fidem, & subiectionem præstare, mores proprios ab omni malo temperare, ac ad omne bonum commutare, castitatem, sobrietatemque custodire, negocijs Diuinis interesse, terrena fugere, humilitatem sequi, pauperibus, & peregrinis misericors esse velit? Cæterum ab eo interrogantur articuli fidei, an illos seruare proponat? Et postremo vt anathematizet omnem hæresim extollentem se aduersus sanctam Ecclesiam Catholicam compellitur.

An putas in his peccet Romanus Pontifex, dum ista proponit? certè vt verum fatear, vix video te iustè hic posse conqueri quicquam, & si dicere auderem, faterer ingenuè propterea, quòd Græcis Episcopis non tanta maturitate hæc omnia fuere proposita. Eapropter fortè Græciam sub ditionem venisse Mahumeticam. De Bohemia, ac Thabaritis habitantibus in ea, de quibus elegantem scripsit historiam Æneas ille Siluius, alias Pius II. nihil hic dicam. Sed illa dissensio, immò hoc schisma quot cædes, quot homicidia, quot monasteriorum euersiones causarit, ex quadam pulcherrima declamatione, quam in Concilio Constantiensi fecit quidam Leodiensis Episcopus, præsente, & audiente Ioanne Wicleff, intelligere potui. Hæc non è specu Throphonij, vel somnio quodam Endimionis dico, sed experientia teste loquor.

Ad te redeo mi Luthere vnitatem Ecclesiæ modis omnibus seruandam credo. Huius vnitatis fuit tanta mysteria, vt etiam Talmucistæ, ac in primis Cabalistæ non sine causa credant ad opus secundæ diei non esse adiectum, Et vidit Deus, quòd esset bonum. Quamquam ad reliquorum omnium dierum opera id dictum sit. Genes. 1. 2. Vnde & in arca Noe bina, & bina introducuntur immunda. Sed res est non sine mysterio, quòd Dominus passus est, nequaquam sub vno Principe, sed sub duobus Anna, & Caipha, vt religionis Iudæorum, teste Hieron. in Ezech. cap. 11. scissum monstraret errorem. Hic non dicam de tunica inconsutili, quam diù gestauit Dominus. Et sublime, & augustissimum est Christi, Ego & pater vnum sumus, hoc vt num maneant, vnum persistant, & concordia stabilita sit sub vno Principe Romano iuramentum vnitatis exigitur. Sic inter Episcopos concordia seruatur, quòd si malignus sit Princeps, sit familia triobolaris, aut etiam si ità volueris, sint serui trium literarum, vt est in Plauto.

Tamen supra ex Cypriano ostendi, quòd propterea vnitas gregis diuidi non debeat. An non rectè dixit Salustius. Concordia res paruæ crescunt; discordia magnæ dilabuntur. Sinas ergo nobis, quò ad fieri potest, hanc vnitatem, quam iurant Episcopi, stabilem, & inconcussam, non tàm proprio commodo, quam publicæ vtilitati hoc iuramentum inseruit. Noli Sacerdos esse Samariæ. Non est res noua, sed multorum annorum. Et caue ne diuisionem facias. Scis enim schisma nullatenus esse faciendum, quod Cyprian. in 3. lib. ad Quirinum cap. 86. ità probauit. Siquidem apud Salomonem in Ecclesiaste ait. [Scindens ligna periclitabitur in eis, si exciderit ferrum.]. Et in Exodo: [In domo vna comedetis, non eijcietis de domo carnem foras.] Item in Psalmo 132. [Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.] In Euangelio Cath Matthæum. Qui non est mecum, aduersum me est; & qui mecum non colligit, spargit. Item in epistola Pauli ad Corinth. Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadem sententia. Item in Psalm. 67. [Dominus, qui inhabitare facit vnanimes in domo.] Hæc ob oculos mentis tibi proponas, & non facias nobis schismata, sed sequere vestigia antiquorum tuorum, quibus etiam contigit spiritus Dni.

CAP. LXXV.

Sequitur idem argumentum de iuramento exigito.

LVTHERVS.

NVmquid etiam pro fide Christi, pro obedientia Dei, pro vnitate fratrum? non. Sed hoc vnum Ecclesiæ bonum, & necessarium est, vt Roma securè dominetur, & cæteræ omnes seruent captiuitatem. Proindè Christiani in India adhuc magno malo laborant. Ità suspitio pessima de optimis fratribus est causa exigendi iuramenti, quam tamen non habent in præceptis Dni, in quibus præsumitur omnia seruari. Etiam hic vnitatem Ecclesiæ, fidem, & obedientiam Romanæ Ecclesiæ intelligit, non fidem, spem, charitatem, sacramenta, verbum, & cætera, quæ eadem sunt. Sed hoc singulare, quòd nullæ Ecclesiæ conuenire volunt, nisi suæ, & tamen vnitatem vocant. Sola Romana Ecclesia hoc habet hodie, vel summum bonum, & tamen cæteræ omnes in eo ipso conueniunt, quod non habent, & sinne vnum in re, non communi, sed singularissima, & vni homini tributa. Sic enim discenda sunt noua vocabula nostris temporibus in scripturis, & Ecclesia Dei, quanto rectiùs Cyprianus vnitatem hanc charitatem intellexit, sicue & Christus rogauit Ioann. 17. vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus. Vnum, inquit in nobis, non in Ecclesia Romana.

FABER.

Quæ promittat ordinandus Episcopus, de quibus interrogetur, ad quid commoneatur, ex Pontificali Romano te docui. Vnde hìc de errore conuinceris. Cæterum non ex suasorijs Senecæ, sed alijs non pœnitendis auctoribus, immò veris historijs tibi probaui sæpè memoratum licere iuramentum, causam quoque illius esse honestissimam, tuam interpretationem proprio sensu, immò propria docta auctoritate. Sed nosti quid dixerit Helisæus, postquam minister nunciauit adesse equos, & currus, & robur, exercitus ait. Plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Et nosti quid in Paralipom. libro scriptum sit, quomodo dixerit Ezechias. Viriliter agite, & confortamini, nolite timere, ne paueatis Regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo; multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Et hic pro iuramento præstando in re, quæ est fidei, quotquot supra citauimus, nobiscum sunt, nobiscum est Ecclesiæ antiquæ consuetudo, non intra quadringentos, sed ante plurimos annos nata. Sed & Ambros. huius iurisiurandi Sacramentum, ac vinculum partim firmare videtur scribens in Psalm. 118. Super hæc verba Dauid iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Et Hieronym. in Hierem. iusiurandum admittit modò tres comites habeat veritatem, iudicium, atque iustitiam. Vides hìc mecum esse mortuos. Possem hìc si velim in aciem vocari viuos. Antesignanum itàque illorum omnium audi nostrum Erasmum, ità loquentem. In negotijs huius mundi pro prædijs, pro nummis iurare fortasse non sit ingenuè Christiani. Cæterum cum agitur negotium Christi, tunc non fit nefas interponere iusiurandum. Neque enim Christus vetuit simpliciter iurare, vt vulgus tamen iurabat. Noluit nos esse diuites, vt diuitum vulgus tamen erat, & nunc ferè est; noluit vocari Rabbi, tamen vocabantur, noluit appellari patres, vt vulgus hominum omnem gloriam, omne subsidium collocans in patentibus, &c. Vides ergo non modò mortuos, sed & viuos in hac re tibi aduersari. At quòd Cyprianus hìc vnitatem intellexerit charitatem, respondere dedignor, non quòd ignorem, quamquam sim quouis surdo hebetior, sed quòd argumentum tuum tale est, quod & quiuis in triuio diluere potest. Nam nemo est, qui nesciat quomodo sancta vnitas, & charitas sunt vicinæ, proximæ. Vnde Deus charitas est, & qui manet in eo, &c.

CAP. LXXVI.

Vult Lutherus Concilia non esse facta auctoritate Papæ, quod tamen ostendit Faber.

LVTHERVS.

IN fine ait. Aiunt in Concilijs non inueniri statutum, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vllam præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint; & in eorum statutis patenter excipiatur Romani Pontificis auctoritas. Quis hæc feret quæso? Nunquid Nicænum Concilium robur accepit? aut factum est auctoritate Romanæ Ecclesiæ? Nunquid & multa alia per August. & olim Cyprianum in Aphrica habita? Denique etiam si statuta exciperent Rom. Pontif. tamen ipse debet nolle excipi pro ædificatione Ecclesiæ. Hìc autem gloriatur se nemini quicquam debere, vt & Deus ei nihil debeat.

FABER.

Quòd ad Concilium Nicænum attinet, supra ostendimus illud auctoritate Romani Pontificis celebratum, licèt non defuerit Constantini maiestas. Tamen accedente Domino, rem pauló vberius infrà absoluemus. Sed nunquid in tripartita historia inter venationem tuam non esset hanc feram deprahendisti? Quod tempore Nicæni Concilij Iulius Romanus Episcopus propter senectutem defuit; erantque pro eo præsentes Virus, & Vincentius Presbyteri eiusdem Ecclesiæ. In eo tamen pedem non figo. Palàm tibi monstrabo Siluestrum Pontif. huius sacri Concilij fuisse auctorem.

Hoc probatur ex literis Constantini Imperatoris ad Constantinopolitanum Episcopum directis, immò quod in hoc textu reprehendis, à viro quem nemo sanctus dubitat, antè mille annos scriptum esse digito, dum ità exegeris, monstrabo. Sed nunquid, & hoc non legisti, quòd Eusebius legationem misit ad Iulium Romanum Episcopum, rogans, vt contra Athanasium iudex esset. Sed quæ de Athanasio decreuerat Iulius, Eusebius non occurrit agnoscere; quia dum paucum tempus vixisset, & post Concilium vita priuatus est. Quapropter Constantinopolitanam rursus in Ecclesiam Paulum introduxerunt. Demum quod de August. & Cypriano commemorans, & miror cur feceris. Nescis quando Augustinus, Cyprian. ac alios Patres in Carthaginensi Concilio congregatos excusset?

An ignoras quòd quicquid statuerit, quicquid ordinauerint, in beneplacitum Pontif. Rom. posuerunt?

An non es memor 12. epistolarum, quas Ciprian. scripsit ad Rom. Pontif. vel forte oblitus es nauigationis illius, quam ex Aphrica, viuente adhùc Cyprian. nonnulli Romam fecerunt?

At ne tu mihi elebatis, audi quid dicat Hieronym. aduersùs Lucifer. Conatus est, inquit, beatus Cyprianus contritos lacus fugere, Stephanum tunc Rom. Vrbis Episcopum, qui à beato Petro vigesimus sextus fuit. Super hoc Aphricanam Synodum dixerit; sed conatus eius frustrà fuit.

Sed & nunquam legisti Hipponensem Episcopum agnoscere Romanum Pontificem celsiori residere fastigio?

An non inter quæstiones veteris, & noui Testamenti Romanam Ecclesiam Caput esse fatetur. Sed tu putas cum epistolam Sil-

ucstri

uestri ad Constantinum, dein in vitam beati Siluestri etiam à Gelasio appobatam, ac alia in Saxonia non videris mox tibi cedendum. atque credendum veniat, in omni eo, quod asseris in hac re.

Quare antiquiores historias consule, & inuenies, quòd in Concilio Chalcedonensi præfuerunt Paschasius Lucensis Episcopus Bonifacius Presbyter.

In sexta Synodo fuerunt legati Papæ Theodotus, & Gregorius Presbyter.

In Ephesina Synodo fuerunt à Leone destinati Iulius Episcopus, Hilarius Diaconus, & Dulcicius notarius.

Ad Sardicense Concilium fuerunt per Pontificem Romanum missi Osius Cordubensis, Fortunarianns Aquilegiensis, & Vincentius de Capua.

In octaua Synodo, vt finem faciam, pro parte Sedis Apostolicæ Romanæ missus est Donatus Episcopus Ostiensis Episcopus, Stephanus Ephesinus Episcopus, Martinus Diaconus. Et hi primi in omnibus erant. Indè dicitur omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem accepisse robur.

Sed quod de Aphricanis Concilijs affers, mirum est te adeò incautè labi, qui non perpendas in Aphrica Synodos fuisse particulares singulis annis, etiā iuxtà decreta Patrum celebratas, ad quas Romanum Pontificem mittere non erat necesse, maximè post statuta Nicæni Concilij.

Sed & aliæ Synodi siquid ordinarūt, ad Pōtificis Romani decretum, ac appobationem statuerunt. Quare hic lato Cœlo erras, qui libros historiarum, vt video, legisti minimè.

CAP. LXXVII.

Sequitur de iuramento exigito ab Archiepiscopo Panormitano.

LVTHERVS.

EGo sanè Archiepiscopo Panormitano non tam duro, & fragoso, plenoque contentionis, & tumore respnndissem sermone, quo furor, & odium suscitatur, sed dixissem, sustine frater interim, res magna est, tua solius gratia hoc tam subitò cessare, quæ nos non statuimus. Sic enim pax, & charitas aleretur. At ista decretalis meram superbiam, & præfractam fiduciam spirat.

FABER.

Vtinam in pletisque alijs visitares speciem tuam, ac considerares illud Apollinis, quod è Cœlo cecidisse Iuuenalis ait. Et alterum Salomonem, immò Socratem alterum te iudicare vellemus, ac aurea piscatorum mensa te olim donare. Hic rem facis certè Theologo dignam. Si ità te agnoueris, veluti hæc anima, quæ est in Canticis 1. [Cubabis in meridiè, pascere gregem Domini.] Quod si non feceris vagari incipies, post greges sodalium tuorum, & tibi dicetur. [Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hedos iuxtà tabernacula Pastorum.] Scis autem hedos, vt est apud Orig. in Cantica homil. 2. esse inquietum animal, ac vagum, & peccaris deputatum. Proin rectè facis, quod hic furorem tuum agnoscis. Docuit hæc Paulus Doctor Gentium, ac vas electionis, sic scribens ad Ephes. 4. [Omnis amaritudo, & furor, & ira, & clamor, & blasphemia auferatur à vobis cum omni, malitia.] Et in Psalm. dicitur. [Quiesce ab ira, & dimitte furore.] Quòd si iustam causā doloris ea obtexeris excusatione, quòd in Ecclesiaste 7. scriptum sit, Melior est ira, quàm risus, quia in mœrore vultus emendabitur cor; & melius est audire increpationem sapientis super virum audientem carmen stultorum, considerare debebas quid in eodem capite magnus ille concinator habet; mox enim sic ait. Ne festines in spiritu tuo, vt irascaris. Et antea dixerat. Melior est patiens super excelsum Spiritu. Superiùs iram concesserat; hic patientiam refrenant. Paulum itaque ad Collocen. rectè post se reliquisse credo, cum ait: [Deponite vos omnem iram, & indignationem, & malitiam, & blasphemiam, & turpem sermonem ex ore vestro.] Et non est sine mysterio dictum in Psalm. [Irascimini, & nolite peccare.] Et nunquam excidendum est illud Architæ Tarentini, quod & Hieronym. ad Saluinam citat. Denique ad villicum negligentem Iam te verberibus euocassem, nisi iratus forem. Sed heu vitijs sine nemo nascitur. Optimus est, qui minimis vrgetur, velut si egregio spectes ispersos corpore neuos.

CAP. LXXVIII.

Decretales vult Lutherus sunt tantum traditiones hominum, & spernit Papam, quem cum Sacerdotibus optimè defenderit Faber.

LVTHERVS.

SVnt præter hanc, & aliæ quædam præsertim illa de maior. & obed. cap. Solitæ, adeò sine theologia, vt me misereat Ecclesiæ illius tantùm traditionibus hominum occupatæ, vt purissimum sensum Euangelij videre non permittat. Sed abstineo hoc tempore. Sat habes ostendisse cur ego me sufficientee honorasse videae Romanum Pontificem, si eius decreta tolero, non autem consensum tanquam solum, & verum secutus fuero, ne fortè si pluribus ea examinem, existimet studio delectationis tanti verticis dicta carpisse. Nolo eam damnari; nolo etiam cis cogi contra scripturæ veritatem.

FABER.

In hoc capite displicuit, vt vidi, quòd Ecclesiasticæ dignitati tantum honoris, ac laudis tribuitur, hanc rem, immò Sacerdotalis ordinis dignitatem ex Chrysost. & Ambros. satis, superque vindicatam credo. Sed adhùc audi duas historias. Valentinianus dum

dum initio Regni de Vrbe Constantinopolitana per Thracias properaret ad Romam, tunc Episcopi Hellesponti Bythiniæ, & quicunque consubstantialem Patrem, ac filium prædicabant, legatum miserunt Hypatianum Heracliæ Periuchij præsulem, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis inter esse. Is cum audisset Imperatorem, & Episcoporum legationem intimasse, respondens Valentinianus ait. Mihi quidem cum minimus de populo sim, fas non est talia perscrutari. Verum Sacerdotes, quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur vbicumque voluerint. Cumque hæc ità respondisset Princeps, in Lampsacum conuenerunt Episcopi. Hæc Sozomenus. Iam secundam historiam audi, Scis in Thessalonica Ciuitate grandi Theodosium Imperatorem tanta percitum ira, vt ob rem paruam occidi fecerit septem millia hominum. Cladem hanc magnam audiuit Ambrosius. Vnde cum Theodosius Mediolanum venisset, per Pontificem prohibetur à templo, & sermone satis acri corripitur; ad pœnitentiam vocatur. Et longa est illius pœnitentiæ historia.

Siquidem pronus in pauimento iacebat, manibus capillos euulsit, lacrimarum guttis terram aspersit; nec tamen ad Sacerdotum interiora recipitur. Et iniquè non tulit, quando audiuit purpuram Imperatores, non Sacerdotes facere. Is magnus Imperator Constantinopolim rediens, Nectareo Episcopo Constantinopolitano præsuli sic inter cætera dixit. Vix potui discere, quæ differentia sit inter Imperatorem, & Sacerdotem, vix veritatis inueni magistrum. Hoc magnum Theodosij verbum, Valentinianique responsum, immò Sacerdotale culmen, & quàm celso fastigio residerent Sacerdotes, si tu (quod te maximè decebat) paulò intimius considerares, immò tractares honestius, non esset, quo cap.Solitæ, tantum horreres, exploderes, & demùm nos Sacerdotes quibusuis canibus viliores redderes.

Sed timeo in te olim hæc faba codatur, vbi didicisti,quòd nos idololatras Sacerdotes Bethanen, & alijs horrendis, ac inuidiosis nominibus appellas?

Sed non idcircò frater relinquenda est nobis Ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis soluenda censura, quoniam conuitijs infestamur, aut terroribus quatimur, cum occurrat, & scriptura diuina dicens. Ille verò qui præsumit, & contumax est, vir sui iactans, nihil omnino proficiet, qui dilatauit tamquam infernus animam suam. Et iterum. Verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in stercora erit, & in vermes. Hodiè extollitur, & cras non inuenietur, quoniam conuersus est in terram suam,& cogitatio eius peribit. Et iterum. Vidi impium exaltatum, & extolli super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Exaltatio, & inflatio, & arrogans, & superba iactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per prophetam Dominus, & dicit. Tu autem dixisti in animo tuo. [In cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam,] sedebo in monte alto super montes altos. In aquilonem ascendam super nubes, & similis ero altissimo. Et addit dicens. Tu verò ad inferos descendes in fundamenta terræ, & qui videbunt te, super te mirabuntur. Vnde & parem talibus pœnam scriptura diuina loco alio comminatur, & dicit.

Dies enim Domini sabaoth super omnem iniuriosum, & superbum, & super omnem elatum, & excelsum. De ore itàque, & de verbis suis vnusquisque statim proditur, & vtrum Christum in corde suo, an vero Antichristum habeat, loquendo deregitur, secundum quod Dominus in Euangelio suo ait. Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis nequam? De abundantia enim cordis os emittit. Bonus homo de bono thesauro emittit bonum, & nequam homo de nequam thesauro emittit nequam.

Vnde & diues ille peccator,qui de Lazaro in sinu Abrahæ posito,atque in refrigerio constituto, implorat auxilium, cum in tormentis cruciabundus flammæ cremantis ardoribus aduratur, inter omnes corporis partes magis os eius, & lingua dat pœnas, quia scilicet lingua sua, & ore peccauerat. Nam cum scriptum sit. Neque maledici regnum Dei consequentur. Et iterum in Euangelio suo Dominus dicit. Qui dixerit fratri suo fatue, qui dixerit racha reus erit gehennæ ignis.

Quomodo possunt censuram Dei vltoris euadere, qui talia ingerunt non solùm fratribus, sed, & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur,vt quisquis sacerdoti eius,& ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, statim necaretur? In Deuteronomio Dominus Deus loquitur dicens. Et homo quæcumque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicē, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus, cum audierit, timebit,& non aget impiè etiam nunc. Item ad Samuelem cum à Iudæis sperneretur, Deus dicit. Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et Dominus quoque in Euangelio. Qui audit,inquit, vos, me audit, & eum, qui me misit, & qui reijcit vos, reijcit eum, qui me misit. Et cum leprosum mundasset, vade, inquit, & demonstra te sacerdoti. Et cum postea tempore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis, cumque ei dixisset. Sic respondes Pontifici? Aduersùs Pontificem Dominus contumeliosè nihil dixit, nec quicquam de sacerdotis honore detraxit, sed innocentiam suam magis asserens, & ostendens. Si malè; inquit, locutus sum,exprobra de malo, si autem benè, quid me cædis? Item in actibus Apostolorum. Postmodum beatus Paulus cum ei dictum esset. Sic insimulas in sacerdotem Dei maledicendo? quamuis Domino iam crucifixo sacrilegi, & impij, ac cruenti illi cœpissent, nec iam quicquam de sacerdotali honore, & auctoritate retinerent, tamen ipsum inane nomen, & vmbram quamdam sacerdotis cogitans, expauit. Nesciebam fratres inquit, quia Pontifex est. Scriptum est enim. Principi plebis tuæ non maledices, cum hæc tanta, ac talia & multa alia exempla precedant,quibus sacerdotalis auctoritas, & potestas diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & con-

contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri vltione terrentur. Neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm quòd sacerdotibus Dei non obtemperatur.

CAP. LXXIX.

Affirmat Lutherus decreta Roman. Pont. intra 400. annos orta, quod euidenter falsùm ostendit Faber.

LVTHERVS.

AD tertium. Ad rationes vbi illud primum tractandum, quòd decreta, quibus primatus Ecclesiæ Romanę probari à me dicitur, dixi intra quadringentos annos nata, & contra hoc esse historias mille centum annorum.

FABER.

Miror te tantæ lectionis, immò tanti ingenij virum non plurimum vereri, vt asseras intra quadringentos annos in primis Rom. Ecclesiam primam esse natam. Dic mihi quæso vbi sint illi canones, vbi illa decreta, quibus primatus Ecclesiæ Roman. in primis post totidem annos fundatur? Non legisti in vita Simplicij Pontificis, qui vixit circiter annum Domini 471. Platinam in hæc verba scribentem. Romanam sedem esse primam omnium Ecclesiarum declarant Acharij Episcopi Constantinopolitani, & Timothei viri doctissimi scripta, quibus rogatur Simplicius Pontifex maxim. vt Petrum Alexandrinum Episcopum Euthicetes imitatorem hæreseos damnet. Quod etiam factum est, hac conditione tamen vt pœnitenti tempus adscriberetur, in Constantinopolitano Concilio, quod celebratum est sub Theodosio pijssimo Imperatore, quo beatus Nectareus Episcopus est ordinatus, centum & quinquaginta patres conuenerunt, & canones aliquot statuerunt, vbi in canone mihi in ordine secundo, ità scriptum inuenio. Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propreteà quòd vrbs ipsa sit iunior Roma. Et Sozomenus ità scribit, Athanasius relinquens Alexandriam, Romam profectus est.

Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Constantinopolitanum Pontificem illic vna concurrere, & Marcellum Ancyræ, Asclepiumque Gasæ, qui dum Arrianis esset aduersùs inscriptionem, passus ab his quasi subuertisset altare, damnatus est, pro quo Gazearum Ecclesia Quintiano committitur. Lucianus autem Adriopolitis Episcopus ob accusationem Ecclesia sua priuatus degebat in vrbe Roma. Cognoscens ergo Rom. Episcopus crimina singulorum, & omnes Nicæno Concilio concordare, compertiens eos, in communionem suscepit, tamquam omnium curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulisque reddidit suas Ecclesias, & orientalibus scripsit Episcopis, culpans quia non rectè tractassent viros inculpabiles de suis Ecclesijs expellentes, & constituta Nicæni Concilij minimè conseruarint, quorum paucos ad certam diem sibimet adesse præcepit, vt coram eis ostenderet se iustum super eos protulisse decretum, quod de cætero non se passurum interminatus est, nisi ab huiusmodi turbis, & nouitate cessarent. Sed mihi responde, quando credis Sardicense celebratum esse Concilium? in quo fuerunt multi Episcopi diuersarum prouinciarum, ac ciuitatum, in quo fuit Osius Corduben. Gaudentius, ac alij.

Numquid non ter, aut quater Iulium Roman. Episcopum tamquam superiorem recognouerunt? En ita statuerunt in tertio canone. Si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum Concilium renouetur, si vobis placet, sancti Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab ijs, qui causam examinauerunt Iulio Romano Episcopo. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur, ea, quæ acta sunt, quæ decreuerit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet, synodus respondit, Placet. Iam ad antiquiora tempora venio, & maximè illius sanctissimi Niceni Concilij. Antequam tamen rem illam aggrediar, id præmittendum puto, quod scripsit Hincmatus Remorum Archiepiscopus, quòd in hoc Nicœno Concilio fuerint viginti capitula potissimè statura, ac confirmata, reliqua verò eiusdem Concilij capita fuerint per Osium Corduben. Episcopum ex Romanis legibus mutuata. Ea in prædicta synodo recitata quidem fuisse ait, sed à sanctis patribus in hac Nicæa Bythiniæ vrbe congregatis, quamquam audita fuerint, non tamen æquè cum alijs accepta. Postea verò sedis Apostolicæ legati in supradicto Sardicen. Concilio recitata confirmauerunt. Indè factum est vt quidam dixerint septuaginta capitula esse Nicœni Concilij, quidam viginti. Ego verò satis mirari non possum in hac re, quid mouerit Ruffinum, quòd is in epitome sua posuerit illius Niceni Concilij dumtaxat viginti capita, cum tamen in gestis antiquis compertissimum sit, ac receptum ferè ab omnibus, fuisse vigintiseptem.

Vndè post hæc vigintiseptem, vt in libris septingentorum librorum inuenitur, mox adijciuntur ea, quæ legit Osius Corduben. ac Iannarius Beneuentanus. Ità & Niceni, & Sardicensis Conciliorum patribus in Sardice congregatis fit ea connexio, vt mox post Nicæni Concilij vicesimumseptimum canonem reponatur vicesimus octauus canon, qui alioquin in Sardicen. Concilio primus esset. Et hoc est quod Iulius ante mille, ac ducentos annos scripsit ad Eusebium, Theoginum, Theodotum, Berinthum, ac cæteros orientales Episcopos, plura quàm viginti commemorando statuta, siue capitula, quorum mentionem facit memoratus ille Hincmatus Remorum Archiepiscopus, & doctor egregius. Sed quantum in præsentiarum satis fuerit in Ecclesiastica historia pro sexto canone Nicæni

ni Concilij ità scriptum esse reperio, vt apud Alexandriam, vel in vrbe Roma vetusta consuetndo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic suburbanatum Eeelesiatum sollicitudinem gerat. In alijs vetustissimis duobus quidem libris scriptum inuenio pro sexto canone in hæc verba. Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptuoi, Libyam, & Pentapolim, ità vt Alexandrinus Episcopus harum omnium habeat poteslatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Sed in tribos libris longè antiquioribus, quibus Nicæni Concilij gesta plenius scripta inuenio pro decimo canone in hæc verba dicitur. Ecclesia Romana semper in omnibus babuit primatom.

Teneat autem Ægyptus Libyæ, & Pentapolis, ità vt Episcopus Alexandriæ harum omnium habeat porestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Tu iam vide Luthere quid dicas. Accipe Ecclesiasticæ historiæ sextum, vel alium cauonem Nicæni Concilij, & te non rectè sentire, clamabunt omnes. Vis vt ea confirmem? Tempus igitur sequens, & præcodens tibi in mentem reuoco. In Sardicensi Concilio, quod mox post Nicænum Concilium habitum est, pro tricesimoprimo canone pulchrè positum est, quòd depositus Episcopus potest ad vrbem Romanam appellare, & quòd Episcopus Romanus possir mittere presbyterum vti legatum, qui etiam Episcopi causam examinet. Et in eiusdem Concilij, 37. canone staturum est, quomodo grauati possunt ad Episcopum abire Romanum. Sed forsan tempus expectas, quod fuit ante Nicæuum Concilium. dabo hoc, nec tibi negabo. Atramen oportet, vt tibi totius orbis Christiaoi Ecclesias in duas partes ordinem.

Sunt itaque aliquæ orientales, & quædam occidentales. De occidentalibus cum ad Aphricam, & Europam venero, tibi monstrabo semper Ecclesiam Romanam Aphricanis, & occidentalibus fuisse superiorem. Ea forsan hueusque cogitare noluisti. Iam de Orientalibus dicam. Scis circa annum Domini 318. propter Arrium presbyterum Alexandrinum in Nicæa Bythiniæ vrbe præsente Constantino 318. patres ab orientali, & occideotali parte congregatos. Congregati autem sunt per Constantinum Imperatorem, tamen sollicitante Syluestro Romauo Episcopo, immò in primis Syluestro consentiente. Ità pulchrè testatur epistola, quam scripsit Constantinus ad Episcopum Constantinopolitanum.

Et postquam hæc magna fides homousiana lecta fuit, primò omnium ità subscriptum inuenio. Victor & Viccntinus presbyteri Romani pro venerabili viro Papa, & Episcopo nostro Syluestro subscripsimus, ità credentes, vt subscriptum est. Sequuntur post hos multorum nomina Episcoporum. & maximè orientalium (Apud occidentales etenim hæc hæresis Arriana nondum adeò diuulgara erat) Et licèt hæc non paruam Roman. sedi tribuant auctoriratem, tamen ad vetustiorem historiam venio. Scis quid de Victore decimoquinto Romanæ vrbis Episcopo Eleutherij successore scribant historiæ? Dicunt nonnulli Victorem Papam propter Pascheę celebrationem excommunicare voluisse Episcopos in Asia residentes: tradunt aliquæ, sicut est in tripartita historia. Et forsan verius hæc fecisse Victorem, propterea ab Hireneo Lugdunen. Episcopo Victore scriptum. Vnde Hieron. in vita Hireneį sic haber. Feruntur aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstioue Paschæ epistolæ, in quibus commoner eum non facilè debere vnitatem Collegij scindere. Siquidem Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui decimaquarta luna cum Iudæis pascha celebrabant, damnandos crediderat, in qua seotentia ij, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus, hæc Hieronymus. Sed quid dices ad hæc? Victor ille vixit sub tempore Seueri, vt Hieron. habet, immò sub tempore Helij Pertinacis 19. Imperatoris, & in Pontificem electus est anuo Domini 191. & longè hoc est centum annos ante Nicęnum Concilium, tamen, vt audis, quosdam orientales excommunicauit Episcopos.

Vide ad hæc candidè lector tripartitam historiam lib. 9. cap. 38. Et re vera, nisi peruersissimè errem, si non ex Apostolica scriptura, ac ex Ecclesiastico ordine Victor sciuisset aliquam sibi potestatem in reliquos esse coutraditam, numquam Episcopos in Asia excommunicasset, aut saltem à communione fidelium excludere tentasset. An putas quòd ignorauerit Egesippum sub Anicero XII. Roman. Pontifice venisse Romam, ac illic perstitisse, quò ad fuerit mortuus Sother 13. Et electus Eleutherius 14. Et licèt multa tentata fuerint, at Victor illis cedere oolebat. Ao putas quòd ignorauerit Victor, quæ contra illum scripserit Polycrates Ephesiorum Episcopos? cuius epistolæ synodicæ copiam nobis fecit Hieron. At Victor adhuc cedere nolebat, immò contra quartodecumanos ageos in Asia censuratum fulmina parauit.

Et licet ex illis satis superque probatum existimem Ecclesiam Romanam longè ante quadringentos annos habuisse primatum, tamen, vt tua etiam altera manu confundam, en hic contra te duos potentissimos testes citabo serenissimos quidem Imperatores, Iustinianum videlicet, & Carolum Magnum, Iustinianus talem legem promulganit.

Sancimus iuxta sanctarum synodorum constitutiones sanctis. antiquioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum. Beatissimum verò Episcopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum ordinem habere debere. Iam Carolum Magnum audi in primo lib. quo agit contra eos, qui sacras iconas tollere, ac aspernari volebant, is in capite sexto quando probat quòd sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia cæteris Ecclesijs prælata pro causis fidei, cum quæstio surgit, omninò sit consulenda, sic ait. In canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimum auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas sedes, & epistolas accipere meruerunt.

Nam cum his cunctis per orbem constitutis sedibus Apostolica generaliter præferatur sedes, multò magis illa omnibus præferenda est, quæ & iam cæteris Apostolicis prælata est. Sicut igitur cæteris discipulis Apostoli, & Apostolis omnibus Petrus emiuet, ita nimirum cæteris sedibus Apostolicæ. &

Apo-

Apostolicis Romana eminere dignoscitur. Hæc enim nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est,sed ipsiusDomini auctoritate primatum tenet, dicentis, [Tu es Petrus, & super hanc petram &c.] Et iterum idem in officiorum celebratione venerandæ memoriæ genitoris nostri illustrissimi, atque excellentissimi viri Pipini regis cura, & industria, siue aduentu in Gallias reuerendissimi, & sanctissimi viri Stephani Romanæ vrbis antistitis est ei etiam in psallendi ordine copulata, & vt non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi. Et quæ vnitæ erant vnius sanctæ legis sacra lectione, essent & iam vnitæ vnius modolaminis veneranda traditione. Nec seiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat vnicæ fidei pia deuotio. Quod quidem, & nos,conlato à nobis à Deo Italiæ regno,fecimus,sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium sublimare cupientes, & reuerendissimi Papæ Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, & scilicet vt plures illius partis Ecclesiæ, quæ quondam Apostolicæ sedis traditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæserant fidei munere, adhæreant quoque psallendi ordine. Quod non solùm omnium Galliarum prouinciæ, & Germania, siue Italia.

Sed & iam Saxones, & quædam Aquilonalis plagæ gentes per nos, Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta conuerse, facere noscuntur. Et ità beati Petri sedem in omnibus sequi curant, sicut illò peruenire, quò ille claniculaius extat, desiderant, ad quam beatitudinem perueoire, & io sanctæ Ecclesiæ consortio, & vnione ille nos faciat perseuerare, qui Ecclesiam suam in Petro dignatus est fundare, & ipso interueniente, cuius cathedræ sumus sequaces regni cœlorum, cuius ille clauiger factus est, mereamur effici conpotes. Habes hìc duos potentissimos testes contra te, quasi armata manu progredientes. Iam quid dicent olim Saxones ab idololatria etiam ad veræ fidei vnitatem sub Carolo conuersi? Vbi te intellexerint ad id sudare, moliri quoque, vt sub nostro Carolo omninm maximo illos ab vnitate Ecclesiæ post septingentos annos abscindas.

CAP. LXXX.

Dicit Lutherus pro Primatu ante mille annos certatum, sed nil vel parùm demonstrat Faber.

LVTHERVS.

PRimò sciebam hæc offensura, & manifestissimè omnium falsa videri omnibus. Certum est enim esse decretis Romanorum Pontificum ante mille annos certatum pro hoc primatu.

FABER.

Nihil, vel parùm refert pro primatu certatum esse. Nempè nisi nos historiæ fallant, fuere multa bella iniusta. Ità Chore cum suis complicibus surrexit aduersùs Mosen. Sic Absalon contra Dauid cursus, & equites instruxit. Sic Philistini contra Israelitas iniustè bellarunt. Omitto de bello Ammon, & Iephte Iudicum 11. Et quod maius est, Iosias in Hierusalem regnauit triginta, & vno annis, fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulauit in vijs Dauid Patris sui, non declinauit neque ad dexteram, neque ad sinistram, sicut est 2. Paralipomen-34. Tamen egrediens contra Pharaonem Regem Ægypti, qui quòd claudicaret, Nechao dicebatur, vnde iudicio Dei vulneratus à sagitta demùm interijt. Sic & de illa contentione, licèt aliqui pro primatu pugnarint, tamen bellum fuit iniustum.

Quare considerare debebas, quòd verissimè scriptum est, ac à mille annis receptum, quòd prima Sedes est Romana. Hanc Apostoli Petrus, atque Paulus suo martyrio consecrarunt. An tibi iustum videtur, quòd Alexandrina Sedes primatum habeat? An dices Petrum Marco,vel Marcum Petro fuisse maiorem? Tu asseris Petrum nullum discipulorum misisse. Ego autem contrarium modis omnibus dico. Petrus enim Marcum ad Alexandriam misit. An putas, quòd præceptor discipulo in Ægypto residenti primatum dare voluerit? Qui tamen Romam venit, & illic 25. annis præsedit, ac felici martyrio vitam clausit. Vnde Victor ille doctissimus Antiochiæ presbyter super Marcum sanctissimè scribens, sic exorditur, vbi in principio vitam Marci describit, fuit Romæ cum Petro, sicut in prima eius epistola scribens ait. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Clemens sexto informationum libro hunc librum Marci Euangelistæ commendat, cui attestatur Ieropolites Episcopus nomine Papias. Romæ verò Petrus creauit eum Episcopum, & in Ægyptum transmisit, ibi Ecclesiam Alexandriæ confirmauit. Hæc Victor ille omnium doctissimus.

Sed fortè Hierosolymitanam putas. Nescis autem, quòd Iacobus à Petro, Iacobo, & Ioanne fuerit Hierosolymorum Episcopus ordinatus, ità vt hìc Petrus primus tamquam caput nominetur? Sed Ecclesiæ Hierosolymitanæ primatum dare non potes alium, nisi cuiusdam honoris. Et ità statuerunt sanctissimi Patres in tam sancto Nicæno Concilio, sicut etiam in ecclesiastica habes historia. Et fortè non sine causa diù Hierosolymitana non meruit obtinere, quòd Patriarcham haberet. Sed & tu dicas vnde Valerius, Eucharius, Maternus, ac alij in Germaniam venerunt? Aut quis conuertit Nemetes, Treuerenses, & cæteras Germaniæ Prouincias? Putas omnes tam serò ad fidem conuersi fuerint, sicuti boni illi tui Saxones, quos iam ante diem à sincera religione auertere conaris. Ad Ephesinam venio Sedem,vbi præsedit sanctus Ioannes Euangelista. Quamquam hìc vixerit vsque ad tempora Traiani, ac omnes

Asiæ fundarit, ac rexerit Ecclesias, teste Hieronymo. & in primis mortuus fuerit in Ephe-so sexagesimooctauo anno post passionem Domini, tamen suæ Ephesinæ Ecclesiæ primatum numquam vindicauit.

Omitto quæ tibi de Egesippo Asiano obijcere possem. Sed forsan Antiochenam putas Ecclesiam? Dic mihi, cuius authoritate hoc asserere, aut dicere velles? An non iustiùs Petrus in vrbe, quæ Orbis Domina fuit, Cathedram post totidem annos elegit, quàm Antiochiæ, cui præfuit annos septem Apostolus? Sed forsan omnes Orientales putas. Et hîc scopum quæris, quòd Orientales Ecclesiæ Romanum Pontificem agnoscere recusarint. Hîc tibi dabo, quòd sub hac Arriana factione nonnulli fuerint, qui Romanum Pontificem agnoscere noluerant. Vnde & Orientales per ironiam Iulio propter Athanasium respondisse leguntur, præter hunc nullum mihi monstrabis locum. Ego verò dum ità dabitur, solidis historiarum locis tibi probabo Romanum Pontificem Orientales excommunicasse, deposuisse, notmamque viuendi, ac sanctiones illis communicasse. Quòdque fuerit illorum iudex, & ab Orientalibus ad Romanam Sedem fuerit appellatum.

Tamen vt priora nostra pleniùs confirmem, adduco tibi Hugonem Etherianum Græcum, qui tempore Manuelis Imperatoris Constantinopolitani tres libros in Latinorum sententiam scripsit de processione Spiritus sancti, vbi inter cætera Petrum Coripheum Apostolorum fuisse, ac Romanæ Sedis primatum probare volens, sic ait. Quibus ex rebus liquidò claret, quòd Petrum, eiusque successorem Principem Christus, & Caput non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis, ac Septentrionis vniuersi, verùm Armeniorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, Amalechitarum; & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis limites vniuersi Petri successorem extunc sibi Dominum recognoscunt, & sub illo Præsule diriguntur, quod omnem ab vtero matris errantem facere opportuunum est.

Petrus enim magnus Christi Apostolus in omnibus ferè ciuitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellades, Epyri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, ac extremitatum Episcopos ordinauit. Etenim Iacobus eius fauore Hierosolymorum thronum tenuit. Dein Euodium Antiochiæ, Tharsi Vrbanum, Epaphroditum Lyciæ, Figellum Ephesi, Smyrnæ Apellem, apud Philippis Olympam, Thessalonicæ Iasonem, Silam Corinthij, Patras Erodiana, Tauromenij Magnum ordinauie. Ampliùs autem in Niceæ, Nicomediæ, ac Thraciæ partibus, atque Occidentalium Regionum similem apparatus est ordinem, & eadem factum iri suis successoribus commendauit. Au non demùm resipisces Luthere, qui toties tibi demonstro Petri, ac illius Ecclesiæ primatum? An hîc inuenîes non plures, quàm quadringentos annos? Prohibe ergo linguam tuam à malo, & fac bonitatem, inquire pacem, & persequere eam.

CAP. LXXXI.

Affirmat Lutherus numquam Papam fuisse super Ecclesias Aphricæ, & Asiæ, quod demonstrat Faber manifestè falsum.

LVTHERVS.

Ego autem hoc expectaui, quòd Romana Ecclesia numquam fuit, nec est, nec erit vnquam super omnes totius Orbis Ecclesias, licet super plurimas sit. Nec enim vnquam super Græciæ, Aphricæ, Asiæ Ecclesias, nec eorum Episcopos confirmauit, sicut modò nostros confirmat, vt satis probant historiæ. Deinde sunt sine dubio Christiani in Oriente, cùm Christi Regnum sit Orbis terrarum, iuxtà Psalmum secundum, & tamen Episcopi eorum non constituuntur è Roma, nec est necessarium.

FABER.

Certè siquis Andabatarum more tecum pugnaret, numquam sentirer, nec videret, quantum hîc erres. Tu hic credis, & asseris Ecclesiam Romanam numquam fuisse super Asiæ, Græciæ, & Aphricæ Ecclesias. Quod ad Aphricanas attinet Ecclesias, ante reliqua videre necesse est. Primò itaque omnium nihil ex me, sed antiquissima scriptura quædam in contrarium dicam. Scis Innocentium Primum Romanum fuisse Pontificem, & vt historiæ tradunt, quadragesimum secundum? Is ante mille, & centum annos ità scribit ad Decentium Eugubinum Episcopum. Quis nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro, Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod authoritatem non habet, aut aliundè accipere videatur exemplum? præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam, Aphricam, atque Siciliam, vel Insulas interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi vel eos, quos venerabilis Episcopus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes, aut legant, si in ijs prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia numquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Hæc Innocentius.

Vides ergo modò quàm incautè dixeris Romanam Ecclesiam numquam super Aphricæ fuisse Ecclesias. Et tempore Cypriani nonne Basilides Aphricanus per Romanum Pontificem se restitui laborauit? Sed iterùm responde, quid hoc sibi vult, quod scribitur ad Innocentium Papam Vrbis Romæ, quomodo Patres in Concilio Carthaginensi congregati nihil definire voluerunt (quamquam permissione Niceni Concilij id facere potuissent)

sent) nisi rem totam significarent Innocentio. Eaprotet & pulcherrimam epistolam illi scripserunt, cuius epistolæ exordium est. Domino beatissimo,& honoratissimo sancto fratri Innocentio Papæ. Et finis est, ora pro nobis domine beatissime Papa. In eadem epistola sic scribunt. Pelagius episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam si tuæ venerationi iustè visus fuerit absolutus; Error tamen ipse, impietas quædam multos adsertores habet per diuersa dispersos, etiam auctoritate Apostolica anathematizanda est. Consideret enim sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus.

Vides iterùm primatum Pontificis Romani inter Aphricanos Episcopos. Iam nulla vel locorum, vel temporum habita ratione tibi nonnulla referam, quæ sub diuersis Romanis Pontificibus erga Græciæ, Asiæ, & Aphricæ Ecclesias facta fuerunt. Iulius ante 1100. Orientales reprehendit Episcopos, maximè verò Arrianos, quòd sine iussu Romani Pontificis Antiochiæ Concilium indixerant, cum id sine eius auctoritate fieri non possit, eò quòd Romana Ecclesia cæteris præesset. Vnde Zosimus ad Catthaginense Concilium Faustinum Episcopum, duosque Vrbis Romæ presbyteros misit, vt ostenderet nil vnquam publicè agi debere sine consensu Romanæ Ecclesiæ. Erat tempore Vigilij circiter annum Domini 503. Constantinopolitanus quidam Antonius, tamen hæreticus, quem Theodora Augusta omninò restitui voluit, ad id quoque Vigilium cogere nitebatur, sed Vigilius facere recusauit; immò quamquam cæsus miserè fuerit, ac inhumanissimè tractatus, antequam id faceret, mori elegit.

Habet Eusebius de Dionysio Episcopo Corinthiorum, quomodo Sotheris Episcopi Romani, ac aliorum statuta libenter custodire, & amplecti velit. Et certè tradunt historiæ Nicæni Concilij, patres nihil concludere voluisse, nisi id Syluestro Episcopo vrbis Romæ placeret. In eo quoque Nicęno Concilio fuerunt Orosius Cordubensis Episcopus Hispaniæ, ac Victor, & Vincentius presbyteri vrbis Romæ, sicut in alio loco tibi recensui. Et notissima est epistola, quam Liberius ante 1100. annos scripsit Orientalibus orthodoxis Episcopis, quæ non parùm auctoritatis præbet Romano Pontifici. Nec parua res est, quòd in quibusdam Concilijs celebratis, & maximè in his, vbi statutorum recepta est auctoritas, semper præsederunt Episcopi Romani, aut illius legati. Vnde in Chalcedonen. Concilio præsederunt loco Pontificis Romani Paschasius, & Lucensis Episcopi, Bonifacius presbyter. In Concilio Ephesino Iulius Episcopus, Hilarius Dyaconus, & Dulcicius notarius. In Sardicen. Osius Cordub. Fortunatianus Aquilegiensis, & Vincentius de capua.

Et Sozomenus pulchrè tradit, quare in Antiochena synodo propter senectutem abfuerit Iulius Romanus Episcopus, tamen pro eo præsentes fuerint Vitus, & Vincentius presbyteri eiusdem Ecclesiæ. Nec hic dicam quæ Socrates habet, quando scribit de Sardicensi Concilio. De Cœlestino quid dicam? Certum est hunc Ephesinæ præfuisse synodo. Sed & in hac magna congregatione Chalcedonensi tempore sanctissimi Leonis Episcopi in hæc verba subscriptionem inuenio. Paschasinus Episcopus Vicarius Domini mei beatissimi, atque Apostolicæ vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis synodo præsidens statui, consensi, & subscripsi. Lucensis Episcopus ciuitatis Ecclesiæ Austulanæ Vicarius Domini mei beatissimi Apostolici viri Vicarij vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis in synodo græcè lecta subscripsi. In Charthaginen. Concilio sub gloriosissimis Honorio, & Theodosio congregati fuerunt, 217. Episcopi vbi Faustinus Episcopus plebis Pontentianæ prouinciæ, Italiæ, Piceni legatum egit Ecclesiæ Rom. Quid egerit, quod quoque obtinuerit, infrà monstrabimus. Theodoricus Damasum vrbis Rom. Episcopum laude dignum virum mirabilem semper ornatum adserit. Is certa anathematis capita emisit, quo Sabellianos, Arrianos, Eunomianos, & Macedonianos anathematis vinculo subiecit. Et vt ità sentiret Paulinus Episcopus in Macedonia Thessalonicæ idem Dam. omninò voluit, atque præcepit.

Sed & in 9. lib. tripartitæ historiæ c. 15. pulcherrima est epistola eiusdem Damasi, quam scripsit ad Orientis Episcopos, qua omninò vult, vt Timotheum Apollinaris hæretici discipulum ex iudicio sedis Apostolicę, præsente Petro Alexandrinę ciuitatis Episcopo, damnatum, habeant, nec rursùs causam damnationis quærant. In hac etiam epistola Orientis Episcopos filios vocat. Ex his, & plerisque alijs, quæ tamen paulò profusiùs infrà tractabimus, obiter id dictum esse volo, quòd longè ante mille annos Pontifex ille Rom. fuerit super Aphricæ, Asiæ, Græciæque Episcopos. Addo quòd semper maior fuit Ecclesiæ Roman. auctoritas, quàm quarumcumque aliarum Ecclesiarum, quod eo maximè probatur, quòd in hac tam grandi materia de rebaptizandis hæreticis Asiani, & Aphricani cesserunt opinioni, atque sententiæ Rom. Pontificis. Ità scribit Dionysius ad Stephanum Episcopum Roman. Omitto hic quæ contigere sub Adriano secundo, cuius sententiæ subscripsit octaua synodus Constantinopolitana sub Basilio Imperatore, & Constantino.

Sed adhuc illa adijcio, quòd sedes illa Rom. in cæteras iudicandi potestatem habuit, ità vt ante mille annos Gelasius Papa scripserit in hæc verba. Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus Paulus, & Ioannes, ac cæteri non solùm vnus, sed plures nomen sacerdotij præferentes, sola sedis Apostolicæ auctoritate deiecti sunt, cuius rei testis etiam ipse docetur Achatius. Post hæc tu mihi responde vbi sit Antiochia, vbi sit Alexandria, ac aliæ nunc enumeratæ Ecclesiæ? Nonne ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, ac Dionysio discere potes illas partim in Asia, partim in Aphrica sitas esse? Forsan adhuc vnum expectas, & id maximè, quod ad confirmationem attinet Episcopalem? Scis Dioscorum Episcopum Alexandrinum apud Chalcedonam olim fuisse damnatum, cui Proterius Cathelinus in Episcopatu successit. Habuit is Dioscorus sectatores duos Timotheum presbyterum, & Petrum Dyaconum.

Ij mortuo Principe Martiano, collectis turbis hæreticorum veniunt Alexandriam, ac per eos sanctæ memoriæ Proterius in baptisterio occiditur, laniatur, eijcitur, & funus incenditur, cineresque ipsius exparguntur in ventos.

Hoc factum immò tam grande facinus Leo Imperator ità detestatus est, vt fecerit hunc Timotheum hæreticum expelli, & alterum Timotheum in Episcopum præfici. Is catholicus Timotheus tam diù quietè sedit, quamdiù Imperator Leo vixit. Leone mortuo Basiliscus occupauit imperium, & per Timotheum hæreticum Timotheus catholicus eijcitur. Redit Imperator Zeno ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, vt pulso peruersore Timotheo damnato morte præuento, Petrus Dyaconus à quodam hæretico Alexandrinus Episcopus ordinatur, quem nihilominus deijci iussit Imperator, & reduci Timotheum catholicum. Defuncto Timotheo Episcopo, à catholicis Ioannes catholicus Episcopus ordinatur. Mittit Ioannes Episcopus synodicam suam. Superuenit etiam Vrbanus sub aduiua contra Ioannem, sacra Principis deferendo, vt ab Episcopi illius Papa Simplicius se confirmatione suspenderet.

Sed & quia in eisdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnauerat, fecerat mentionem, hæc pars omninò est abnegata. Vndè visus est Imperator offensus, hæc sunt historiæ verba. Nunc verò videre oportet quo tempore gesta sint hæc. Leo cessit imperio Orientali Zenoni genere Isaurico anno Domini 476. Et Papa Simplicius patria Tiburtus Hilarij successor eligitur anno 462. Hæc non intra quadringentos annos facta sunt, sed plus quàm mille anni interfluxerunt. Ex quibus habes etiam Romanos Pontifices alios confirmasse Episcopos. Sic Adrianus primus Tharasium Archiepiscopum Constantinopolitanum confirmauit. Iam hic non dicam de confirmationibus Episcoporum, quos Gregorius ille Magnus ante nongentos annos firmasse legitur. De quibus tamen mox aliquid adijciam, vbi ad Gregorij 9. & Bonifacij 8. historiam venero. Nunc verò de Christianis in Oriente quid velis, aut quo tendas, nescio. Id vnum tibi respondeo, quòd Indiani illi, quibus præest ille, quem nos Prete Iohan vocare solemus, Petrum Apostolorum Coripheum fuisse ingenuè fatentur. Et, quod plus est, supèrintem potestatem Rom. Pontifici tribuunt.

Hac etiam fiducia animatus, dum Syria christiana adhuc esset, sanctissimus ille Effrem Syrus, quem è Syro sermone quidam Ambros. latinum fecit, in sermone de armatura monachi sic ait. Sinapis granum leue prorsus, ac rotundum est, nullam habet scissuram, nullum angulum, sed vt diximus omninò rotundum, concitumque feruorem habet insignem. Hac fretus Princeps Apostolici ordinis Petrus, cum filium Dei viui esse Christum Iesum confessus esset, claues regni cœlestis accepit, potestatemque cœlestium, terrenorumque omnium adeptus est. Sed quo ad regnum, prouinciasque Christiani imperij non sine mœrore dico me non ignorare, quòd Aphricæ, quæ tertia pars mundi est, sunt prouinciæ illæ, Mauritania, Numidia, Marmarica, Libya, Æthiopia, Mero. Deinde, quod secundæ partis, hoc est ipsius Asiæ regiones sunt illæ, Byrhinia, Lycia, Gallatia, Pamphilia, Cappadocia, Armenia, Cilicia, Sarmacia, Colchis, Iberia, Albania, Cyprus, Syria, Palestina, Arabia Petrea, Mesopotamia, Arabia deserta, Babylonia, Assyria, Media, Susiana, Persis, Parthia, Carmonia, Arabia felix, Carmonia maior, Hircania, Margiana, Bactriania, Scythia vlterior, Scythia citerior, Serica, Aria, Aracosia, Gedrasia, India citerior, Syria Taprobana, quæ si comparentur ad nostras regiones, modica portio appatet. Et sic, vt est apud Platinam in vita Bonifacij 5. tota Asia & Aphrica, magnaque pars Europæ Mahumetanis principibus est subiecta.

Instant nunc Turci terra, marique, vt nos tamquam cuniculos ex his Europæ latebris, eruant, vtcumque tamen, istæ regiones, & Asiæ, & Aphricæ saltim, quæ Christianæ fuerunt, olim Romanum agnouere Pontificem, Quod vt iterum plenius intelligas, venerabilem, ac Deo sacrum Prosperum Reginum Episcopum, qui fuit tempore Xisti Tertij. Et sic ante mille, & ferè centum annos adduco hic scribens contrà librum Cassiani, qui protectio Dei inscribitur, in fine ità subinfert. Parua sunt vnius seminis gramina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. Non ergo cum istis noua acie dimicandum est, nec quasi contrà ignotos hostes speciali sunt ineunda certamina, tunc illorum agmina fracta sunt. Tunc in superbiæ suæ socijs, ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nephandi dogmatis capita Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium ad proferendum in se, suosque sententiam Palestinorum Episcoporum synodo coarctauit. Quando Aphricanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armauit Antistitum. Quando sanctæ memoriæ Bonifacius Papa pijssimorum Imperatorum catholica deuotione gaudebat, & contrà inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, verùm etiam regijs vtebatur edictis, &c. Cœlestinus quoque, inquit idem Prosper, Cœlestium totius Italiæ finibus iussit extrudi, adrò, & præcessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabilitèr seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniori cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quoniam quosdam inimicos gratiæ solùm suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto Oceani exclusit, & ordinato Gothis Episcopo cum Romanam insulam studet seruare catholicam. Fecit etiam Barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt. Quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis antistiti gloriosissimo catholicæ fidei defensori, ad excidendam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio. Vides iterum ex vna Prosperi sancti sententia Pontifices Romanos in Asia, Aphrica, & Europa potestatem exercuisse, pontificalem. Tu ergo perpende quid

quid dixeris affirmans Romanam Ecclesiam numquam fuisse super Græciæ, Aphricæ, & Asiæ Ecclesias. Quid putas olim dicturi sunt Saxones illi tui, postquam intellexerint sese tuis figmentis tam egregiè deceptos? Sed, & quid dicent, vbi olim acceperint tuas opiniones toties illi Christianissimo regi Carolo Magno aduersari? quem omnes historiæ testantur fuisse primum, qui Saxones ad fidem Christi conuerterit. Sed fortè miraris in quibus te Carolo aduersari inuenerim? Ecce ante septingentos annos contrà certos hæreticos Imperator ille græcè, & latinè doctissimus opus scripsit in quatuor libros partitum, cuius copiam Reuerendissimus, ac omnium pientissimus Dominus Laurentius de Puccijs titulo Sanctorum Quatuor Coronatorum cardinalis ex innata, ac mihi perpetuò miranda pietate, pro tranquillo reipublicæ Christianæ statu ex vaticana bibliotheca mihi fieri fecit. In eo itaque opere Carolus ille Magnus quoties de Petro sermonem facit, eundem Pricipem vocat Apostolorum, aut Pastorem Ecclesiæ. Et quod maius est, quandoque solidissimam hanc petram, super quam Christus fundarit Ecclesiam. Et tu Saxonicæ fidei nouus plantator apertissima euangelij verba negas in Petri personam posse referri. Carolus multis nominibus sui sæculi Adrianum Romanum Pontificem, ac illius sedem veneratur, extollit, & laudat.

Tu verò secundus Saxonum Apostolus pro tua solita modestia sexcenties Pontificem Satanam, & Antichristum vocas. Gloriabatur olim rex ille omnium optimus sese Ecclesiæ Romanæ terras ab hostibus recuperasse.

Tu verò obsequium te præstitisse Deo putas, si non solùm patrimonium Petri, sed & omnes omnium Ecclesiarum dotes in Pharaonis seruitutem subieceris. Placuit olim catholico illi Principi per omnem Germaniam, ac Galliam Romanum ritum, & ordinem in psallendis diuinis officijs seruari, tu fortè Battalogiam fugiens, non solùm non psallis, sed & psallentes rides. Præcepit ille diligens fidei plantator synodos vniuersales recipi, quæ pro diuersis fidei, siue religionis causis diuersis locis, siue temporibus à doctis, & catholicis viris celebratæ fuerunt, tu verò concilia spernis, atque refutas, quasi solus sis homo missus à Deo, qui possit, ac debeat testimonium perhibere de lumine. Indignatione grauissima commotus est, aduersùs eos, qui in Memphite Ægyptiorum Nicæa Bythiniæ, Constatinopoli, ac alijs Orientis vrbibus sanctorum tollebant imagines.

Tui verò in hac re adeò horrenda admiserunt, vt etiam ea honoris causa commemorare non audeam, neque velim. Docuit is pro defunctis spiritibus parentum, & amicorum deprecari dominum, ac etiam per missarum solemnia Deo sacrificium offerre.

Tu iam post totidem sæcula sacrosanctum illud mysterium corporis, & sanguinis Domini sacrificium posse vocari pertinacissimè negas. Et vt vbique templum Domini violes, spurcissimum de abroganda missa priuata libellum in publicum edis. Iubet ille sancta loca, ac sanctas aras ab Episcopis consecrata venerari debere.

Tu verò diruis altaria, quasi super illis sacrificemus Deo Baal, aut idolo Moloch. Exorcismos salis, & aquæ ab antiqua consuetudine laudabat Carolus.

Tu verò hæc omnia rides. Scribit ille beatum Petrum Apostolum in Vrbe Romæ Simonem magum à Philippo diacono baptizatum Omnipotentis Dei virtute eiecisse.

Tu Saxones illos dubitare causas, Petrus Romam venerit, nec ne? Inter doctissimos nobilissimus Rex liberum arbitrium esse aliquid sæpe testatur. Iam vt etiam in Gallorum ante mille annos reprobatos incidas errores constantissimè dicis liberum arbitrium nihil esse. Inter nobilissimos doctissimus ille Rex virginitati centesimum fructum ex Euangelio promittit. Tu virginitatem adeò obscuras, vt etiam barbatum nostrum Hieronymum egregium virginitatis præconem acerrimo scommate non erubueris vellicare. Testatur Alcuinus Carolum Magnum cœnobia ad numerum literarum alphabeti fundasse, ac copiosè prædijs, alijsque bonis dotasse.

Tu verò non solùm monasteria non extruis, sed etiam solo æquare, aratro euertere, ac demùm sale conspergere conaris. Vide nunc mi Luthere quàm dissimilis sis Carolo Magno Principi numquam satis laudato. An non iustius Saxones illi tui in prima fide persisterent, quam te contrà totidem sæcula pugnantem audire? Quòd si mihi credere nolueris, memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuũ, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicenc tibi. Sed vt tandem ad priora reuertar, responde si potes, quare defecit Achaia, vbi Andreas, Asia, vbi Ioannes, India, vbi Thomas, Persis, vbi Simon, & Iudas, Æthiopia, vbi Matthæus, Hierosolyma, vbi Iacobus, Græcia, vbi Paulus, Phrygia, vbi Philippus? Sola immobilis perseuerat cathedra Petri, quam tu solus euertere conaris. Sed conatus tuus erit frustrà. Non enim super harenam, sed petram fuit ædificata. Credo itaque iam tibi iterum probasse Romanam Ecclesiam super Græciæ, Aphricæ, & Asiæ fuisse Ecclesias.

CAP. LXXXII.

A Gregorio Nono additæ sunt, ait Lutherus innumeræ leges infelicissimæ, & leges cæperunt vltimis temporibus, quod falsum ostendit Faber.

LVTHERVS.

Deinde ab hoc tempore cœperunt multiplicari leges, & iura. Nam Gregorius Nonus, Bonifacius Octauus, Clemens Quintus, nisi consquamassent, & alias recisas, alias additas epistolas scholis legendas, & docendas tradidissent, sine dubio tot maria glosarum, & infelicissimum iuris studium non esset. Deliuissent autem tam decreta, quàm decretales magno Ecclesiæ lucro, & Euangelij commodo intrà areas Romani Pontificis.

Nunc

Nunc autem quæ sit facies Ecclesiæ vigore istarum legum, satis plus videmus, nec hæc satis. Augescunt in dies huiusmodi libri.

F A B E R.

Apostolorum canones quinquaginta fuisse, testatur Clemens. Quot in Niceno concilio facti sunt canones, supra ostensum est. In Ancyrano Concilio 24. canones reperio. In Neocæsariēsi Concilio 14. regulæ positæ sunt. In Gangren. Concilio 20. In Antiocheno Cōcilio 8. In Concilio verò, quod erat apud Laodiceā Prygię, vbi conuenerunt patres ex Asia, canones 58. statuti sunt, & à 150. Episcopis, qui sub Theodosio in Constantinopoli conuenerunt 4. In Chalcedonensi Concilio 27. regulæ. In Ephesina Synodo, vbi præses fuit sanctæ memoriæ Cœlestinus Romanæ Vrbis Antistes Canones facti fuerunt numero 24. In Sardicensi 21. In Carthaginensi Concilio sub Honorio, & Theodosio Canones 33. in Aphricano Concilio pariter non nulla statuerunt. In Hipponensi Concilio, quamquam fuerint illius breuiata statuta, tamen definitiones sanctorum Patrum, ità ereuerunt, vt essent non minùs, quam 25. Sed & Aquirani Concilij statuta fuerunt etiam totidem, hoc est 25. Et totus me dies deficeret, si reliquorum Conciliorum, vtpotè Arelaten. sub Martiano Augusto, Valentini sub Gratiano, & Valentiniano, Aretusini sub Theodosio minori, Elibertani sub Constantino Imperatoribus statuta, ac Canones tibi velim enumerare. Sed id præterire non possum, quòd ante mille, & plures annos Pontifices illi Romani sanctis Patribus in Aphrica, & Asia constitutis, multas leges seruandas esse statuerunt. Vndè Innocentius Victricio Episcopo Rothomagen. misit normam, ac regulam viuendi in certo libro, quem idem Victricius, quasi didascolicon, vt Innocentij verbis vtar, habere debebat. Extant in eodem lib. 15. regulæ, quas non solùm in Rothomagen., sed & in vicinis regionibus insinuari, ac seruari præcepit. Et facta sunt hæc ante 1106. annos. Normam Ecclesiasticam per sedecim capita dedisse Syricium Vrbis Romanæ Pontificem Himerio Episcopo Terraconen. certissimum est. Sed quid de Zosimo tibi dicam? qui circiter annum Domini 424. Episcopo Salonitano, quid agere debeat, iniunxit, & ità iniunxit, vt ità scripserit. Ad te potissimum direximus scripta, quæ in omnium fratrum nostrorum faeies ire notitiam, non tantùm eorum, qui in ea Prouincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ Prouincijs adiunguntur. Sciet quisquis hæc postposita Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtius iudicandum. Itidem Zosimus facit erga Presbyteros, atque Diaconos Rauennæ morantes. Et Cœlestinus, qui vixit antè mille, & centum annos, vndecim regulas viuendi tradit Episcopis per Viennen. & Narbonen. Prouincias constitutis. Sed & idem Cœlestinus regulas aliquas tradit vniuersis Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis, vbi in finem sic adijcit. Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, sententiæ censuram Sedis Apostolicæ minimè defuturum sciat. Quæ enim solà admonitionis auctoritatē non corrigimus, inquit, necesse est per seueritatem congruentem regulis, vindicemus. De Gelasio, quem tu non semel mirè vellicas, hoc scriptum inuenio, quòd multa statuerit, ac ordinarie..

Magnæ denique immò maximæ fuerit auctoritatis, quod apertè testatur Epistola ad Anastasium Imperatorem ratione reddita, cur sic damnatus Achatius. Et mira Epistola est, quæ data fuit ad Episcopos Orientis, vbi de Calendione viro multa commemorat. Possem hic adducere, quæ Damasus habet ad Antiochenum Episcopum. Sed & Leo ille beatus ad omnes Ecclesias Orientales fidem misit de incarnatione seruandam, hanc quando acceperunt Orientales Episcopi non possum obmittere, quæ pro tanta gratia rescripserint in hæc verba. Respiciat conseruando Apostolorum vestrum misericors Dominus Ecclesiam suam toto Orbe diffusam. Vobis enim ità inuigilantibus, & hi, qui curam animæ suæ gerunt, solidiores in fide redduntur, & hi, qui paulò desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo, quod nos antè oculos semper habentes, non desinimus Domino Deo nostro gratias agere, ac pariter supplicare gratulantes, quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæquæ doctrinæ Apostolicæ Sedi, vndè religioni nostræ propitio Christo, fons, & origo manarit, antistitem dederit, petentes etiam vt datum, concessumque munus Pourificium in nostri longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid (quod absit) tamen Ecclesiam Catholicam prophana infestatione tentetur, paratissimi sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc auctori salutis nostræ, & largitori æternitatis impendere. Et se subscripserunt 44. Episcopi Orientales, vbi inter cæteras subscriptiones, aliquæ sic habent. Rusticus Episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans, & vt digneris pro me orare, supplex rogo. Salutat Venetius te Domine in Christum Reuerendissime, salutat Constantianus Episcopus beatitudinem vestram. Salutat Horus Episcopus beatitudinem vestram in Domino venerans. Salutat Samnus Episcopus, beatitudini vestræ me repræsento, & adorationibus Apostolatus vestri memorem quæso. Iustus Episcopus coronam vestram venerandam salutat. Hæ & his similes subscriptiones leguntur ab ijs sanctis Patribus in Oriente constitutis factæ. Sed & Gelasius vniuersis Episcopis multas ordinationes fecit de ordine monachorum, de locis Basilicis, de Baptizandis, de Presbyteris, de Diaconibus, de Ordinatione, de sacris virginibus, dein quoque de viduis, de seruis sine dominorum voluntate non ordinandis, de negotijs clericorum, de literatis, & illiteratis, de his, qui seipsos absciderunt, de his, qui implicantur criminibus, de his, qui demonia vel similibus passionibus occupantur, de sacris virginibus, & his, qui eis sociantur, de viduis nulla benedictione velandis, de his, qui ad alias Ecclesias conuolant, de his, qui prætio ordinantur, de locorum consecratione sanctorum, de fœminis, quæ ministrare præsumunt,

sumunt, de Episcopis scientibus, vel ignorantibus, de redditibus Ecclesiarum. Et post consulatum gloriosissimi Honorij, ac Constantij fuit congregatum Concilium in Ecclesia Apostolorum plebis Thelensis, in quo Concilio per notarium Epistola Papæ Siricij lecta est, in qua Canones non pauci traduntur Episcopis per Aphricam constitutis.

Sed & hic transeo, quæ Leo scripsit ad Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum, ad Flauianum Constantinopolitanum, ad Anatholium Thessalonicen. ad Atichum veteris Epyri Metropolitanum, ad Episcopos per Campaniam, per Siciliam constituros, immò ad Palestinos, ad Mauros, ac demùm ad Synodum, quæ fuit apud Ephesum. In quibus omnibus certæ sanctiones leguntur. Nec est prætereunda epistola Leonis ad Pulcheriam Augustam. Hæc omnia facta, & scripta sunt longè antè mille annos. Hæ & aliæ sanctorum sanctiones, & auctoritates, quoniam in confusissimo fuerant ordine, nec, vt dicitur, caput vlla in parte cum cauda conueniebat. Quare si in vnum digesta sunt per Gregorium IX. cur quæso vituperas? An vituperabis Iustinianum Imperatorem in eo, quòd olim cum videbat tantam legum esse multitudinem, quòd librorum fuerunt duo millia, versuum autem tricies centena millia, in ordinem redegerit meliorem? An non putas in hisce Canonibus pro temporum varietate quædam addenda fuisse, cum plura sint negotia, quàm vocabula, vt Imperator ait. Sed quid in hoc peccauit Gregorius ille 9. qui 3. lib. Decretalium, quid honestum sit, quid imitandum, quidue fugiendum sit Clericis, ac Monachis, ordinauerit? In 5. verò Decret. lib. dic mihi, an non rectè statuerit quomodo crimina puniri debeant? Si præsidis officium est prouincias à malis hominibus purgare, per l. illicitas, ff. de offic. præsidis. Nimirum si Gregorius in vnum congessit, quæ circa crimina punienda sancti patres statuere. An non tibi videtur, non optimè esse factum, vt iuxtà mensuræ delictum, sit & puniendi modus? Cum tamen in Deuter. scribatur pro mensura peccati, erit, & plagarum modus? An non iniquum videeur innocentes damnari? Sed forsan displicuere tibi, quæ sunt in 2. Decret. lib. vbi de iudicijs, de foro competenti, de libelli oblatione, de litis contestatione, de testibus, iureiurando, ac alijs agitur. Certè si iudices illi sęculares de Clericis, ac eorum bonis, immò de viduis, atque pupillis omnibus iudicare possent, fortè Decretorum liber prorsus esset inutilis? Sed quid hic nos faciemus? tu quicquid tentaueris, quotquot brutos excitaueris, non permittemus nos auelli ab eo priuilegio, quod sancti Patres ante mille, & ducentos annos de consensu Imperatorum, Regum, ac Principum nobis gratiosè dederunt. Ac ne videat hæc tantum ex Gregorij 9. Decretalibus dicere, quorundam sanctorum Patrum statuta ciabo.

In vetustissimo quodam libro datum est mihi videre quamdam epistolam Clementis ad Iacobum Episcopum Hierosolymitanum, vbi Petrus post se reliquisse, scribitur in hæc verba. Si qui ex Patribus negotia habent inter se, apud cognitores sęculi non iudicentur, sed apud Presbyteros Ecclesiæ quicquid est dirimatur, & omninò obedient statutis eorum.

Sed quia forsan hanc apocrypham iudicabis, vndè ne ad nouam contentionem eccum venire oporteat, alia adducam. Eusebius circiter annum Domini 309. instituit ne prophani (quos laicos vocant) Episcopum in iudicium vocarent.

Siluester quoque statuit, ne laicus Clericum coram Iudice sęculari conueniat.

Iulius dein I. ordinauit ne Sacerdos aliquis, quàm apud Iudicem Ecclesiasticum causam dicat.

Caius denique Papa anno Domini 382. per omnia statuit, ne laici sacris initiatos coram sęculari Iudice conueniant.

Et Gelasius Papa scribens de anathematis vinculo, omninò contendit, vt vel Imperatores, vel Reges de Clericorum rebus, atque negotijs, immò de rebus Diuinis iudicare non præsumant.

Quòd si nec illa satisfacere videantur, ecce in Chalcedonensi Concilio pro 9. Canone ità statuitur: Si quis Clericus aduersùs Clericum habet negotium, non deserat Episcopum proprium, nec ad sęcularia pertrahat iudicia; sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium; vel certè concilio eiusdem Episcopi. Dein iterùm, si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat potestatem appellandi ad beatissimum Episcopum Romæ; & nec solùm de personis Clericorum ordinatum est, vt ad iudicium sęculare minimè trahantur, immò & de bonis Ecclesiæ.

Ea propter pro Canone 24. eiusdem Chalcedonensis Concilij scriptum est: Quæ semel dedicata sunt Monasteria concilio Episcoporum, maneant perpetuo Monasteria. Et ecs, quæ ad ea pertinent, Monasterijs reseruari debent; nec posse ea vltrà fieri sęcularia habitacula. Et in Carthaginensi Concilio pro Canone 26. item placuit, vt rem Ecclesiæ nemo vendat; quòd si redditus non habet, & aliqua magna necessitas cogit, hanc Insinuandam esse primati Prouinciæ priùs, vt cùm statuto numero Episcoporum vtrùm faciendum sit, arbitretur. Quòd si tanta vrget Ecclesiæ necessitas, vt non possit antè consulere, saltèm vicinos testes conuocet Episcopos. Curandum est ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates. Quod si non fecerit, reus Deo, & Concilio venditor honore amisso teneatur. Et in Nicæna Synodo, vel saltem Sardicensi, vt ad Clericos redeam, omninò prohibetur clericis, ne ad comitatum redeant. Hìc de viduarum afflictione, ac de pupillorum molestijs nihil dicam. Vides ergo quàm iniustè clericos in manu sęcularium contra tot sęcula tradideris. Quòd si forsan illos in causa propria iudices, ac in rem suam legislatores fuisse contendas, id quoque minimè licere putaueris, cogitare debebas quanta immunitate Cōstantinus ille Magnus Episcopos, atque Presbyteros omnes gaudere voluerit.

Poteras illa videre in primò Tripartitæ historiæ lib. 9. Tempore Constantis, vt est in quarto libro eiusdem historiæ, scis validissimè reclamatum, ne vel Imperator, vel quisquam alius in causa clerici iudicaret.

Et Sozomenus de Valentiniano scribit, quòd quando Episcopi Prouinciatum, apud Principem instarent, vt dumtaxat Ecclesiasticæ rei interesset, respondit, Mihi quidem, cum minimus de populo sim, fas non est talia perscrutari. Verùm Sacerdotes, quibus hæc cura commissa est, apud semetipsos congregentur, vbi voluerint. Possem & alios Christianissimos principes in medium citare, quorum non paruus est numerus Cod. de sacrosanct. Eccles. de Epis. & cler. At in Colophonem præsentis nostri sermonis adijcio quotquot Clericis priuilegia incõcussè seruarunt, plerumque fœlices exitus habuere. E conuerso, qui clericos insectati sunt, mala morte vt plurimùm perierunt.

Hoc vnius Iuliani monachi probat historia. Is cum factus esset Imperator, teste Sozomeno, clericis omnia priuilegia, honores, consuetudinesque subtraxit, & leges positas priores soluit, ipsosque curiæ tradidit, simul & virgines, atque viduas, quæ pro penuria inter clericos pascebantur, iussit exigi ea, quæ dudum à publico accepisse videbantur: Constantinus enim Imperator disponens rem Ecclesiarum vnicuique ciuitati prospexit, vt clerus sufficientiæ emolumenta perciperet, & hoc lege firmauit.) Sed vis illius audire finem? & quàm fœlix fuit illius exitus, inuenies quidem apud Socratem ita loquentem, Iulianus cum vniuersa Deo dicata vasa, & pallia Ecclesiæ Antiochenæ collegisset. Et proijcens hæc in terra, contumelijs, & iniurijs, & voluit, super ea quoque sedit, & cumulum auxit iniuriarum, moxque verenda eius,& loca semotibus circumposita ferũtur esse percussa, & ad tantam vsque peruenit putredinem, vt vermes crearet, medicis laborantibus, nec valentibus vincere passionem. Conficiebantur enim omnimoda preciosa medicamina ex pinguibus volatilibus, vt eorum crassitudine corrupta, & putrida membra linirentur. Hoc facto vermes ad superficiem prouocabant, quia in profundo ebullientes, viuas serpebant in carnes. Et donec moreretur, non fuit ab hac passione securus. Propter quod & Theodoricus narrat eum iaculo vulneratum, & mox manum sanguine suo compleuisse, & in aerem proiecisse dicendo, Galilæe vicisti, & in corpore confessus est cum blasphemia victoriam.

Et multa his similia, quæ fidem satis horrendum testantur, ijs contigisse legimus, qui Christos Domini tetigerunt, ac in prophetis malignari non erubuerunt. Et re vera, nisi destiteris, maius piaculum nobis afferes, quàm fecerit nobis olim Maximinus Imperator. Scis hunc tanta impietate commotum, vt sanctissimis Episcopis, atque cõfessoribus Pafnutio Ægyptiorum,Spiridioni Cypriorum Episcopis oculos dexteros euulserit, & sinistras suras inciderit.

Numquid & tu non tales facis nobis Presbyteros, aut saltem Arimaspos vnoculos, aut claudicantes Tirteos? Parce quæso, si forsan tecum acerbiùs,quàm par fuerit, egi. Omninò si ità libuerit, inter Scythas, & Gethas, aut alios populos tibi mansionem eligito. Te nempè misera clericorum cohors pati non potest, sed veluti alterum draconem Nomot heten legis sanguine scriptas ob crudelitatem tulisse olim prædicabunt. Desine itàque saltem lacessere probos, quòd si choraces in hac turma fortè se misceant, non erunt ante tempus zizania euellenda, ne & triticum cum lolio infęlici perdatur,

CAP. LXXXIII.

A Gregorio Nono ortæ sunt leges ait Lutherus, sed respondet Faber eas in ordinem redegisse.

LVTHERVS.

PRoindè traditiones Romanas numquam ità sensit Mundus, vt in annis istis quadrigentis, ideò totum eorum pondus, & omnem vim Gregorio Nono tribuendum existimo, per quæ velut natæ sunt, & ortæ. Ab hioc enim vsus eorum robur accepit, & inualuerunt, vt legibus istis à traditionibus istis ità sunt omnia officia, statuta Ecclesiæ, ordinationes in vnum chaos confusa, inter istos quadringentos annos, vt Babylone ipsa confusior sit hodierna Ecclesia. Nemo in ordine suo incedit, quilibet sibi ex vrbe legem emit, qua viuat.

Ille exemptus, iste priuilegiatus, ille familiaris, iste officialis, iste nescio quo titulo omnem libertatem quilibet essendi, faciendi, audendi habet per has Romanas leges, nec Romæ aliud curatur, quàm vt hac Ecclesiæ summa calamitate roboretur potestas, & dominatio sua in omni iudicio sola, & hunc Ecclesiæ occasum, siquando gemimus, si dolemus, si querulamur, heretici sumus, irreuerentes in Romanam Ecclesiam sumus,scandalosi, seditiosi, procaces sumus, quia videlicet querulari non possumus, nisi Romanum Pontificem, tum iuratam potestatem, immò tantas iniurias populi Dei simul tangamus.

Nam hic fons est, aut seruandæ, aut perdendæ Ecclesiæ. Cum autem hodie omnia in vrbe inquinatissima, & corruptissima & agentibus impijssimis adulatoribus, de ipsis nihil liceat, vel murire, nisi quòd portenta laudet, iustificet, glorificet. Quid mirum si sub venerabili Romanæ Ecclesiæ nomine tot mala inundauerint, omnem Ecclesiam pleno impetu, & præcipiti, & cui nemo resistere possit, gurgite?

FABER.

Hic Gregorio Nono nescio, quæ mala im pingas. Gregorius ille Nonus non tàm suas, quàm aliorum sententias in vnum redegit. Nec illius sunt decretales omnes, sed hic sunt statura Honorij, Alexandri, Lucij, Clementis, Cœlestini, Gregorij, Paschalis, Vrbani, Eugenij, Gelasij, sunt ibi sanctorum Patrum Scripturæ, Addo quòd ex Pictauiensi, Toletano, Aphricano, Aureliensi, Lateranensi, Moguntino, Triburiensi, Parisiensi, Marteciensi, Arelatensi, Sardicensi, Chalcedonensi, & alijs Conciliis illic statuta mul-

ta

multa reperiuntur, putas ne totidem millia sanctorum Patrum statuta propterea conscripta sint, vt Cimerijs tenebris essent perpetuo damnata, ac quòd numquam ederentur in lucem? An putas ea voluerint haberi veluti symbola Pythagoræ, aut cabalisticas traditiones, quas septuaginta seniores nunquam inuulgandas putarunt? Res erat iustitiæ, quæ exigebat, vt redderetur vnicuique, quod suum erat, nisi mentita fuerit l. 1. ff. de iust. & iur. Quæ si in Cartario: vel Archiuo Pontificis in perpetuù desituli sset, quis per totum Orbem Christianum iustitiam facere potuisset? Re vera Archiepiscopis, Episcopis, & iudicibus quibusuis Ecclesiasticis Gregorius Nonus rem laude, ac tanto Principe dignam mihi fecisse videtur, vt ea, quæ profusissima erant, in vnum opus redigeret, quo vniformis esset ordo iustitiæ. In quo ergo Gregorium culpas? In hoc ego maximè probo, non quòd Decretales Euangelio comparem, (quis enim hoc faceret?) sed quo clericis, viduis, atque pupillis exactam possemus facere iustitiam. Scio per omnia Euangelicam legem itâ seruandam, vt nulli illa scriptura possit præferri.

Sit quoque lex illa, in qua meditandum est die, ac nocte. Nec ignoro eos iustè reprehendi, qui traditiones humanas legi diuinæ præponunt. Hos enim in Euangelio increpat, & obiurgat Dominus dicens. Reiecistis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Quare contra illos cum Cypriano ad Pompeium exclamo. Quæ est ista obstinatio, quæuè præsumptio, humanam traditionem diuinæ dispositioni anteponere? nec animaduertere, indignari, & irasci Deum quoties diuina præcepta soluit, & præterit humana traditio.

Sed & non ignoro etiam ea seruari debere, quæ tamen scripta non sunt, vel in Euangelio, vel in Apostolis, aut actis illorum. Hoc & mihi permittit Paulus in secunda epistola ad Thessalonicenses cap. 2. sic scribens. Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Hinc sanè perspicuum est, ait Theophilactus, pleraque Paulum sermone dumtaxat viua voce, non epistolis solùm his tradidisse. Non enim secus illa, atque hæc fide sunt digna.

Itàque Ecclesiæ traditionem dignam existimemus, cui præstanda sit fides, vt siquid ab ea sit traditum, nihil vltra perquiras. Hæc tu quomodo seruaueris, iudicent alij. Tu inquam, qui nihil recipis, nisi quod apertè sit scriptum in biblia, cuius contrarium omninò sentio. Quod enim Apostolos instituisse, docent historiæ, vel fide digni auctores, minimè negandum, aut aspernendum puto. Nunc ergo vide quid doceat diuinus Dionysius Areopagita sancti Pauli auditor, ac Hierothei discipulus in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. sex sacramenta ponit, quamquam sanctus Epiphanius etiam septimum addiderit in tractat. de laude Eucharist. Tu verò nonnisi tria, imò pro vsu Scripturæ nonnisi vnum esse dicis.

Docuit sanctus ille diuinorum mysteriorum scrutator sacro baptismo initiandus, quomodo susceptorem quærere debeat, quo modo Pontifex illi manum imponat, ter baptizandus abrenunciet, toties crucis signo Pontifex illum muniat, ter tingendus mergatur, veste candida induatur, vnctione chrismatis signetur, ac demum in libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. Tradit etiam ab Apostolis deriuatum, vt oblati paruuli parentes puerum alicui ex fidelibus tradant, quem præsul spondentem puerum iuxta sanctam educaturum vitam, requirat, vt abrenunciationem proferat, fidemque confiteatur, & hanc consuetudinem, ait, sanctos tradidisse Apostolos libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. parte 3.

Tu verò nullam consuetudinem, aut cerimoniam talem recipis, nisi eam ex aperto bibliæ loco monstrare valeamus. Pontificum ordinem sacratiorem esse, primum, summum, & vltimum, in quo desinic, & impleatur Sacerdotij nostri distinctio omnis, ingenuè fatetur diuinus ille Pauli discipulus.

Tu pro tua impudentissima licentia dicis Summum Pontificem Orbis esse Sathanam quemdam, & Antichristum. Docuit Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. ritum consecrandi præsulis, & Sacerdotis, atque ministri.

Tu nos idola vncta vocas. Et quod peius est, absque omni ordinatione Sacerdotes facis. Super cœlestium rerum indagator egregius inter homines Angelos dicit esse Sacerdotes.

Tu nos idololatras vocas. Diuinarum rerum decentissimum ordinem esse indicat Dionysius, vt priùs Hierarcha communicet, dein mysteria distribuat, ac sua manu tradat. Et tu Vittenbergenses tuos subditos pulchrè doces, ac facis, vt iam pollutis manibus sacra Domini contrectent. Petro Primatum negas, & hunc, scilicet Petrum, Dionysius supremum decus, & antiquissimum theologorum columen in libro de diuinis nominibus apppellat Monachatum tempore Apostolorum in maximo honore fuisse tradidit egregius ille sanctæ religiouis plantator, immò docet mysterium monasticæ consumationis itâ perfici, vt Monachum Sacerdos consignet crucis signo, ac tondeat trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans, exutumque veste omni, aliam induat, & cum sanctis alijs, qui astant viris ipsum salurans, diuinorum mysteriorum Principem efficiat.

Tu verò monachatum non solùm damnas, sed tamquam Apostata post sedecim etiam annos fugis, & alios facere id, iubes; volens cum Esopica illa simea omnes tibi similes esse, at fieri. Repræhendit Demophilum monachum sæpè memoratus Dionysius, quòd procidentem Sacerdoti impium, atque peccatorem contra disciplinæ ordinem, calce abiecisset, ac repulisset, cum ille verecundè, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse, vbi sacra illa ex homologesis etiam apostolorum tempotibus in vsu fuisse depræhenditur.

Tu verò non solùm confessionem confundis, sed verba ad Apostolos dicta de ligandi, soluendique potestate sic torques, vt velis ea dumtaxat de fide posse, ac debere intelligi. Sanctorum cannonizationem pulcherrimo, ac religiosissimo ritu temporibus Apo-

ftolorum fuiffe tradit Dionyfius in cap.7.Hierarchiæ Ecclefiafticæ.

Tu verò fanctam illam confuetudinem in Romano illo Pontifice omninò rides, ac deteftaris. Hæc & multa alia ab eximio Paulo fe didiciffe fatetur toties repetitus Dionyfius, quem & non femel fuum præceptorem agnofcit, maximè dum de cœleftibus fubftantijs,facramenti quoque commemoratione tractat.

Quando denique functionem baptifmatis abfoluit. Huic reuera non eft adhibenda fides mediocris, fiquidem antequam vt eft in Apoftolicis actis, adhærere cœpit Paulo ignotum Deum apud Athenas prædicanti, vti nobis tradunt hiftoriæ, ac eiufdem fcripta ad Apollophanem philofophum indicat, philofophus erat omnium doctiffimus. Et in Eliopoli Ægyptiorum fecretiorem philofophiam didiciffe præfumitur. At dein eodem lumine folis diuinæ gratiæ illuftrato factus eft fupercœleftium fecretiorum longè doctior. Nec ad inueftiganda illa diuiniora deferunt illi præceptores communes Paulus fcilicet, & Hierotheus. De Paulo magiftro gentium, vt multa dicamus, non eft neceffe, cum Chryfoftomum hac de re profufiffimè loquentem habeas. Hierotheum fuiffe virum & fanctum & doctum nemo ignorare poterit, qui Dionyfium de diuinis nominibus faltem horaria lectione peruiderit. His itaque ex caufis fanctus ille Chryfoft. Dionyfium hunc noftrum volucrem cœli exclamat.

Cæterum Maximus, & Andreas Cretenfis hunc magnum virum, & Dei Angelum appellant. Quanto in honore fuerit apud Origenem, teftatur idem Adamantius homilia quadam in Euangelium Ioannis, [In principio erat verbum.] Eufebius Cæfarienfis bis illius mentionem facit egregiam, quomodo Gallorum fuerit Apoftolus,totus Orbis agnofcit. Quis illi poft ab Athenis receffum in Ecclefia fucceſſerit, ex Eufebio coniectare licet. Taceo de fuauiffima, ac omnium dulciffima Dionyfij epiftola,quam fcripfit ad Ioannem Euangeliftam, dum effet in infula Pathmo, quæ fuit de cycladibus infulis vna in Afia, ad quam Euangelifta ille fententia Domitiani deportatus fuerat, ex qua denique à Nerua per Afiam demum demiffus eft liber. Et quia hic in tempora Ioannis incidimus, vnde videamus an tua fcripta cum difcipulis Ioannis Euangeliftæ conueniant, Polycarpum Ioannis Apoftoli difcipulum audi in epiftola ad Philippen. tam impensè à Diuo noftro Hieronymo laudata. Scribit is in hæc verba.

Subiecti eftote presbyteris, & Diaconis ficut Deo, & Chrifto, Virgines in cafta confcientia ambulate. Vnde notatur, quòd etiam tempore Ioannis Euangeliftæ fuerunt aliquæ, quæ caftitatem profeffæ fuerunt. Indè legitur in Æthiopia Matthæum Apoftolum Iphigeniam regis filiam facro velamine confecraffe Domino, ficut eft in libro catalogi fanctorum. Quare Ignatius ille fanctus Antiochenus poft Petrum Epifcopus Polycarpi fuperioris difcipulus in epiftola ad Antiochenfes ex Philippis fic ait. Populus fubditus fit Presbyteris, & Diaconis, Virgines agnofcant, cui fe confecrauerunt, ac iterum inter viduas, & virgines difcrimen ponit ad Tarfenfes Pauli ciues, dum fcribit dicens: Eas, quæ in virginitate funt, honorate ficut facras Chrifti, viduas pudicas, vt facrarium Dei veneremini.

Et tu Virgines Deo dicatas re vera contra omnem veritatem Paulinam ex monafterijs diuerfis trahere non erubefcis, immò dicis virginitatem in Scripturis non laudari, quafi Cyprianus, Tertullianus, Hieronymus, Auguftinus, ac alij tam cæci fuerint, vt in totidem de virginitate libris non potuerint videre quantis laudibus effet extollenda virginitas. Et folius Ambrofij fuffeciffent tibi libri, quo prohiberi potuiffes, ne illa affirmares. Non fuifti memor trium librorum Ambrofij de virginibus, dein exortationis ad Virgines, inftutionis virginum, ad virginem deuotam, ad virginem corruptam, de lapfu virginis, in corruptorem virginis, ad virginem corruptam? Vide quam ftrennuè laborarit hic miles Chrifti Ambrofius, quo virginitatem ornaret, & vt procederet virgo tamquam fponfa de thalamo fuo. Et tu nullam Teclam, nullam Agnetem recipis?

Si non licuit Herodi habere vxorem fratris fui, quomodo licebit alicui habere fponfam Chrifti Domini? Sed melius eft, inquis, nubere, quam vri, refpondeo, & bonum eft homini mulierem non tangere. Eapropter dicit Apoftolus 1. Corinth. 7. Non nuptis, & viduis, bonum eft illis, fi fic permanferit, ficut ego.

Et vt ad comparatiuum veniam,qui matrimonio iungit virginem fuam, benè facit; & qui non iungit, melius facit. At dicis hic, de præfenti vita fcilicet locutum fuiffe Paulum. Cui ergo debent fructus centefimus? Nunquid hic,aut alibi? Et nonne expresfè dicit de fpadonibus, qui fe caftrarunt propter Regnum Cœlorum? Et fi virgo cogitat, quæ Dei funt, nonnè veluti Maria partem optimam elegit, quæ non auferetur ab ea? Quòd fi in benedictionibus in hac vita feminauit, cur non de benedictionibus metet? Cum tamen omnis homo quæcumque feuerit, hæc & metet. An non angelica vita eft in carne, præter carnem viuere? & qui fic viuunt, nec alibi nubent, neque nubentur, fed erunt ficut Angeli Dei.

Sed iam te fortiùs vrgebo, vt Orbis totus intelligat te torquere Scripturas, dic cur Paulus ad Corinth. dicat. Beatior erit, fi permanferit fecundum confilium meum. Vis ne aliquid apertiùs ex Paulo, qui hanc futuram beatiorem teftatur? Nonne confilium Pauli de virginibus erat, & iam illam dicit olim futuram beatiorem? Si fic fecundum illius confilium perftiterit, vide nunc,quàm egregiè conftent tua cum Paulo.

Sed & macte virtute fac vt Dina filia Liæ non intus maneat, potiùs egrediatur foras, quò Sichem filius Emor vi opprimat virginem. Et fic adimplebis legem Chrifti. Nulla tibi fit virgo prudens, quæ ardenti lampade fponfo veniente poffit intrare ad nuptias, fed fint omnes ftultæ virgines. Nonne in te quadrat, quod Hieronymus in Vigilantium inuehit dicens. Proh nephas, Epifcopos fui fceleris dicitur habere confortes, fi tamen Epifcopi nominandi funt, qui non ordinant Dia-

Diaconos, nisi priùs duxerint vxores, nulli cœlibi credentes pudicitiam, immò ostendentes, quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur.

Et nisi prægnantes vxores viderint clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? Quæ, aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt? Hinc docuit dormitantius libidini frena permittens,& naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerumque feruescit, suis hortatibus duplicans, immò extinguens coitu fœminarum, vt nihil sit, quo distemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus. Vide an non hæc Hieronym. Verba in te rectè reijcere possumus.

Sed & hoc præterire nō possum, laudi potiùs, an vitio duces etiam temporibus Apostol. consenuisse virgines? Nonne legis in Apostolorum actibus Philippo Euangelistæ quatuor fuisse filias prophetissas? At quales mortuæ sunt? Nonne inuenisti vmquam quomodo Polycrates Ephesiorum Episcopus temporum Apostolicorum vicinus Victori scribit Episcopo, duas ex his veluti virgines consenuisse, & vnam ex illis Spiritu sancto repletam mansisse in Ephesō? Et in dialogo Gaij, & Proculi nonne de sepultura illarum in Ierapoli mentio fit? Et Philo Iudæus, quem tempore Petri sub Imperatore Claudio Romæ fuisse legimus, cuius volumina è Græco in Latinum tempore Innocentij Octaui tradūcta sunt, in libro de vita theorica mire commendat primitiuæ Ecclesiæ monachos, quòd continentiam veluti firmamentum reliquarum virtutum posuerint, ac perpetuo in ea manendum probauerint.

Hæc licèt antiquissima sint, tamen adhuc fortè non credis, nisi & alium testem omni exceptione maiorem adducam. Præstabo id modò tuis votis obtemperem. Legisti ne vmquam Paulum ad Romanos ità scribentem. Salutate Hermam, & qui cum eis fratres sunt.

Sed & non es memor, quæ olim Hieronymus scripsit de libro illius, qui Pastor dicebatur, quòd suis temporibus apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legebatur, & quòd esset vtilis liber, ex quo licèt apud Latinos penè ignotus fuerit, tamen multi de eo scriptorum veterum vsurparunt testimonia. Is liber Romæ in Vaticano habetur. diuisus per visiones aliquas, atque mandata Pastoris, in eo plurima de ieiunio, sacris Virginibus, pœnitentia, ac alijs contra tuas assertiones inuenio. Videbis etiam illa, vbi is Auctor cum alijs olim editus fuerit; ex illo certo persuadeas tibi multa olim aduersatura.

Iàm ad Ignatium iterùm redeo. Quadragesimam obseruari debere ad Philippen. scribit idem Ignatius, tu verò eam prorsùs contemnere videris. Dominicam diem mirificè laudat ad Magnesianos, & Philippen. scribens, tu quòd fortè eam præceptam in noua lege non inuenis, vix tandem admittes. Ordines sacros Episcoporum, Sacerdotum, atque Diaconorum differenter enumerat. Et tu ex quouis laico Sacerdotem ordinas, immò absque consecratione, Sacerdotale officium facere permittis. Petrum, ac Paulum Antiochiæ fundasse Ecclesiam, & dein vtrumque venisse Romam, ac illic sacra præcepta dedisse. Deinùm Paulum gladio perijsse, ac Petrum crucifixum ad Magnesianos, Romanos, ac Tharsenses scribit. Itidem & Melitonem Asianum Sardensem Episcopum temporibus Apostolorum vicinum fecisse constantissimè crede.

Iàm & tu de Petro, qua morte, & vbi mortuus fuerit, tot millia hominum, contra totius Orbis consensum dubitare facis. Episcopo obediri debere, siue sint Presbyteri, seu Diaconi, siue laici, & sine illius consensu nihil fieri oportere scribit ad Magnesianos, Philadelphien. & alios. Tu hanc sanctam obedientiam vbique confundis.

Tempore Ignatij Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Hostiarios, Laborantes, Exorcistas fuisse notatur ex eiusdem epistola ad Antiochenses. Tu hæc omnia euertis.

Hæc, & his similia immò maiora obseruata fuerunt in Tralli Asiæ, Smyrna Lyciæ, Magnesia Aeoliæ, Tarso Ciliciæ, Philippis Macedoniæ, Philadelphia Mysiæ, Troia Propontidos, Antiochia Syriæ, Epheso, & Roma vnius Ignatij testantur epistolæ. Et tu ex Aquilone veniens maior his omnibus esse cupis. Proh pudor, & nephas, qui tantam seditionem facis in Orbe ob rem tam piè, tam religiosè ad nos cum successione temporum manantem.

Sed nunc & ad subsequentia primitiuæ Ecclesiæ tempora venio. En Cyprianum sanctum martyrem tibi propono. Hic passus est sub Valeriano, & Galeno in octaua persecutione. Quomodò denique dicat super Petrum ædificatam Ecclesiam, sæpè ostendi. Sacerdotem verò honorandum, in locis quampluribus docet, immò surgendum esse, quando Episcopus, aut Presbyter venerit, inter salutaria documenta reponit. Cum hæreticis non esse loquendum, sanctissimè monet. Sacramentum Eucharistiæ sacrificium esse dicit; Et fœminam sacra Domini proprijs manibus tangere volentem, prohibitam grandi miraculo scribit, virgines, illarumque statum miris preconijs extollit. Qui vos audit, me audit, non solùm ad Apostolos, sed & per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedunt, dictum esse fatetur. Inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos solemnem differentiam facit. Excommunicationem spiritualem gladium esse, quo superbi, & contumaces de Ecclesia eijciuntur, scribit ad Pomponium. Baptizari debere in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti constantissimè tradit. Dùm de Hæreticis baptizandis scribit ad Iubaianum, Ecclesiasticas regulas iterari Baptismum prohibuisse docet. Dein sacros Ordines semel datos, iterùm renouari, ac in Dominicis verbis nihil mutari debere tradit. Exhomologesin, hoc est confessionem fieri iubet à lapsis, atque Cathecuminis, necessitatis casum à communi separat.

Hæc omnia sunt apud Cyprianum, quæ tamen ità perturbas, atque confundis, vt videantur ab institutione tua multis millibus differre stadijs.

Et

Et sic talem te præbes, quasi in te vnum, ac tua præcepta omnia secula tam præterita, quàm futura pendere debeant.

Sed & nunc de ieiunio tecum agam. Miror cur tamen ieiunium damnes, cùm hæc tua opinio sit apertè contra verbum Domini, præceptum Pauli, obseruantiam Apostolorum, & totius Ecclesiæ consuetudinem. Nonne in Euangelio sic legitur, Matth. 9. Accesserunt ad Iesum Discipuli Ioannis dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere, quam diu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Lucæ 5. Venient dies cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in diebus illis. Et Marci 2. Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Iàm dicito quæso, an fecerint Apostoli, quod prædixerit illis Dominus? Re vera dubium non est, ea præstiterunt, quæ sciebant voluisse Dominum. Et hoc est, quod habetur Actuum 13. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus. Et Actuum 14. Cùm constituissent illi super singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino.

An qui Paulinus es, frustrà præcepit Paulus 2. Corinth. 6. dicens: In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs? 2. Corinth. 11. Aut frustrà gloriatur humiliter se plurima passum in fame, in siti, in ieiunijs multis? Aut vis nullum vnquam dæmonium eijci posse per orationem, & ieiunium? de quo Matth. 17. Et Lucæ 2. An frustrà laborauit Anna prophetissa filia Samuel de tribu Aser ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, & die.

Taceo hic de ieiunio Moysi, Heliæ, & aliorum. Matth. 4. Sed & putas ieiunium prohibuisse Dominum, qui in deserto ieiunauit quadraginta diebus, & noctibus, cùm tamen quantum ex humana fragilitate fieri potest, sit nobis faciendum secundùm exemplar, quod nobis est monstratum in monte. An in ventum formam, & modum ieiunandi præscribit Dominus, dicens: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; sed patri tuo, qui est in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Quòd si ex ieiunio nihil nobis sperandum fuerit, vt doces, duriorem Deum in lege gratiæ sentimus, quàm Niniuitæ senserint, qui iram Dei, vt à sese excuterent, tale indixerunt ieiunium, audito Propheta, Ionæ 3. vt etiam homines, & iumenta, & boues, & pecora, nec quicquam comederent, imò nec etiam aquam biberent. Sed fortè non credis, quòd viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et non solùm mirabiliter fraudati sunt Iudith, Hester, Dauid, Machabæi, tres pueri illi seruientes coram Rege. Sed & Io: Baptista Precursor Domini, cuius esca fuit locustæ, & mel syluestre, immò tot centena milia Monachorū etiā in primitiua Ecclesia, qui vitam arctissimam duxerunt in Ægypto, Lybia, Nitria, Palestina, Syria, & Arabia. Qualis fuit Antonius, de quo legitur in tripart. histor. lib. 1. cap. 11. quòd illius esca fuerit solus panis, & sal, potus aqua, prandij tempus, Solis occasus; frequenter enim duos, & ampliùs dies sine cibo manebat.

Præterea Paulum Antonij discipulum, Malchum, Hilarionem, Amonium, ac cæteros Patres mira abstinentia viuentes.

At quid dices ad hoc? Ioannes, quem diligebat Iesus, veluti scribit Clemens Alexandrinus cuidam adolescenti, qui factus fuerat dux latronum, crebris ieiunijs, indulgentiam impetrauit à Domino.

Et scribit Eusebius Cæsariensis Matthiam Apostolum diligenter docuisse libidini nihil concedendum, sed semper aduersùs carnem pugnandum.

Quòd si hi nihil boni operati fuerint, aut illos opera bona secuta non sunt, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Et mirùm in modum fraudari tot chiliades, & miriades Sanctorum.

Sed adhùc fortè à tam validis non moueberе exemplis, nisi Paulum nostrum communem Præceptorem manifestiùs loquentem audias.

Ad Paulum itàque Magistrum Gentium cedeo. Dic mihi cur Romanis 8. scripserit in hæc verba: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Et iterùm: Fratres debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et ad Galatas S. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

Sed & tu mihi responde, cur 1. ad Corinth. 10. gloriatur dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar? Numquid non sciebat eos esse Christi, qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs? Et hoc fortè est stigmata Domini Iesu in corpore portare. An fortè iudicio tuo mentitur Paulus, dicens: Bonum est non manducare carnes, & non bibere vinum, in quo frater tuus offenditur, &c. Aut frustrà 1. Timoth. 5. scribit, vt se castum custodiat, modico vino vtatur propter stomachum, & frequentes infirmitates? An plùs hi Deo placebunt, quorum Deus venter est. Et sic fiunt inimici crucis Christi, quàm illi, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ? Quòd si hæc in alium sensum traxeris, re vera verbum Dei adulteras contra verbum Apostoli. Quid enim apertiùs dicere potuisset pro mortificatione carnis, quàm ea, quæ modò audiuimus? An non illud idem Princeps Apostolorum voluit, dicens: Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est

eſt, in carne viuat temporis. Sufficit ei præteritum rempus ad voluntatem gentium conſumandam his, qui ambulauerunr in luxurijs, deſiderijs, vinolenrijs, commeſſationibus, & potarionibus.

Mille ſunt illius generis, quæ ab Apoſtolis verbo, & exemplo rradita ſunt, ea reijcere non debemus, neque licebit vnquam.

Ec iàm velim iterùm hæc præmonuiſſe, ſi particulatim, vt aiunt, in Euangelijs, ac cæteris Apoſtolis eſſent omnia declarata, ſuperuacaneum fuiſſet Apoſtolos primum celebrare Concilium, ac epiſtolam condere pro geutibus decreralem; fruſtrà quoque diceremus ſanctos Parres in Nicæna Synodo, in Sardicen. Chalcedonen. alijſque conueniſſe Conciliis. Quòd ſi ſcripturæ nulla fuit ambiguiras, cur tot habemus Interpretes? cur te interprerem anteſignanum quidam haberi volunt? Dein ſcis quomodò ſit in Euangel. dictum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. An non lex iſta generalis mulra eget declararione, & vos in Theologica claſſe repoſiri, negare non poreſtis, in his duobus præcepris pendere legem, arque Prophetas: Dilige Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut te ipſum.

Sed mihi dicàs, ſi ſatis erat, cur irà multiplicas loqui? cur tot chiliades, immò tot miriades nobis in lege Domiui nihil, vel parum inrelligentibus præponiris? numquid non reſpondere oporret ab hoc præcepro generali ad caſus indiuiduos irà deſcendere oportere, quaſi in iſagogis Porphyrij deſcendas ex genere ad ſpeciem, ac indiuidua, vel quaſi à ſenſu communi perrexeris ad iudiciū particulare? non hìc dicere audeo, quòd eſt apud vtriuſque philoſophiæ Philoſophos de cognirione confuſa, atque diſtincta.

Sed tu mihi reſponde, an ne errauerint Orientales, ac Occidentales Epiſcopi, Preſbyreri, atque Doctores, qui poſt Euangelium, poſt epiſtolas Pauli, formam, arque legem dederunt iuſtiriæ faciendæ? An non probas Martianum Imperatorem, qui prorsùs Epiſcoporum, ac Sacerdotum iudicia firmat? Si non errarunt hi, non errauit Gregorius, qui hæc in vnum congeſſit.

Sed nec nos tam ſtupidos eſſe arbitreris, vt ignoremus, quo ordine, qua dignitate, immò quali iudicio decretales legere poſſimus.

Scis, quid ſcripſerit Sóctates de Theophilo, qui libris Origenis abdicare nolebat: quamquam in aduerſus multos pugnantes habuerit, immò propter Origen. libros damnandos in Chalcedonia multi conuenerunt. Interrogabatur idem Theophilus cur tamen libros Origenis amplecteretur; & irà reſpondit: Origenis libri ſimiles ſunt prato vniuerſis floribus pleno; quicquid ergo in eis bonum inuenero, hoc decerpo; ſi quid verò mihi ſpinoſum occurrerit, hoc quaſi, quo pungor, obmitto. Ea propter & apud Hieron. ità ſcriptum legimus: Locutus ſum me ità Origenem legiſſe, vel legere, vt Apollinarium, vel cæteros rractatores, quos in quibuſdam libris non recipir Eccleſia; non quo omnia dicam eſſe damnanda, quæ in eorum voluminibus continentur, ſed quòd quædam reprehendenda confitear. Verùm quia operis mei eſt, & ſtudij multos legere, vt ex plurimis diuerſos flores carpam, non tam probaturus omnia, quàm quæ bona ſunt, electurus. Aſſumo multos in manus meas, vt à multis multa cognoſcam. Vides modò, quo pacto Theophilus, ac Hieronymus, Origenis, ac cærerorum libros legerint. Quòd ſi in Origene permittitur, cur in decretalibus id fieri vetas? Si ità proceſſeris, nemo leget Plaronem, cùm & in Platone ſint, quæ cauere oportet; nemo Lactantium Firmianum leget, cùm & in illo ſint, quæ iuſtè reijcias. Numquid non Lactantius in libris ſuis, & maximè in epiſtolis ad Demetrianum Spiritus ſancti negat ſuſtanriam, errore Iudaico dicit eum ad Parrem referri, vel ad Filium, & ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari?

Sed quis mihi interdicere poſſet, vt cùm Hieronymo ad Pamachium, & Oceanum loquar, ne legam iuſtitutionum eius libros, quibus contra gentes ſcripſit fortiſſimè. Quòd ſi nihil admiſeris, vel audire, vel videre, quàm quod Euangelium ſpirat (quod tamen omni ſcripruræ præponendum exiſtimo) dic mihi, quò demùm philoſophiam conijcias? numquid in latriuam, quam tamen totis viribus ſtudendam ſuadet Diuus Aurelius Auguſtin. Quòd ſi vnius Euangelij dumtaxàt vnum petis auditorium haberi, dic mihi, quis noſtros medebitur ægrotos, ſi nulli ſunr Medici, aut quis faciet iudicium, atque iuſtitiam, ſi nemo duodecim rabulas, Senatus conſulta legerit? aur nemo Vlpiani, Caij, Sceuolæ, Modeſtini, Pomponij, Iuliani, Hermogenis, Labeonis, Marcelli, Maſſurij, Papiniani, Caliſtrati, Florentini, Pauli, Calixti, Necatij, Alphonij, Africani, Triphonij, Proculi, Terrulliani, Neuiæ, Bririj, Manilij, ac aliorum Iuriſprudentum leges adoriri debet. Quòd ſi irà ſenſeris, citò inter duo fiet alterum, aut prærer Theologos damnabis ferè omnes, aut res publica tota corruet.

Hæc dixiſſe velim, non quòd aulæ Rom. viria probem, qui ex Luciano didicerim, quid eueniat his, qui mercede conducti, in diuitum familijs viuunt. Et ſcio, quòd vitæ aulicæ ſorores, aut potiùs pediſſequę ſunt ſpes vana, fallacia turpis, ſeruitus laborioſa, labor ingens, cana ſenectus, contumelia, ac tandem omnis ſalutis, ac fortunæ deſperatio.

Sed propterea non videntur mihi abolenda iura, quòd opportunum, ac neceſſarium viſum mihi fuerit in Epiſcoporum conſiſtorijs habere certam iudicandi normam, ne quod hìc iuſtum, alibi videatur iniuſtum. At tu id quæris, vt nos Sacerdotes contra tot ſecula iudicio ciuilium legum ſubijciamur? Hoc conſulat quiſquis velit. Ego numquàm accedam. Nunc ad te ſermonem verto.

Legiſti ne Conſtanrij Imperaroris, & Liberij Romani Pontificis dialogum? An non legiſti, quid hìc Liberius Conſtantio reſpondeat? Noli, inquit, per Epiſcopos vindicare tuas inimicitias. Aut numquàm legiſti dialogum Periliani, atque Auguſtini, vbi in libro 2. contra literas Petiliani cap. 8. ſic air: Verba legis dicitis, ſed in quos dicatis, non attenditis.

Quòd ſi Diabolus verba legis dicebat, tamen cui diceret non agnoſcebat. Ille caput noſtrum ſurſum aſcenſurum, deorſum volebat

drij-

deijcere. Nos autē corpus eiusdem capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redire. Certè ipse paulò antè dixisti nos legem nosse, & legaliter loqui. Sed in actibus erubescere. Dicis quidem ista nihil probans. Sed & si de aliquibus probares, de his cęteris non pręscriberes. Verumtamen si omnes per totumOrbem tales essent, quales vanissimè criminaris, &c. Mutes itàque sententiam, & nos de re mutare iudicium olim discemus. Iudicamus autem te osorem, & insectatorem omnium.

CAP. LXXXIV.

Impugnat Lutherus Leges, quod sint coactæ statuere in Concilio Animam immortalem, quod defendit Faber.

LVTHERVS.

DEnique eò deuenit legum Rom. studium, Euangelij neglectus, vt necesse habuerint statuere in Concilio nouissimo animam immortalem. Quid putas hoc decretum indicat?

FABER.

Numquid non contra Arium Presbyterum Alexandrinum pugnauit ex omni latere Euangelium? tamen homousion, idest eiusdem cum patre substantię filium patris credere recusauit, & vt nobis historiæ tradunt, in primis patres illud in Concilio Niceno firmissima sententia pronunciarunt. Huius symbolum forsan sępè legisti. Et licèt anathemate fuerit ipsius Arij damnata sententia, ac etiam per Constantinum Imperatorem roborata, tamen sequentibus temporibus non semel sancti Patres hanc Nicęni Concilij sanctionem firmarunt. Ità primus Canon Antiocheni Concilij testatur. Ità legitur factum in Ephesina Synodo, immò ferè nullum post hoc fuit celebratum Concilium, quod non decreta Concilij Nicęni firmarit. Sed & non ignoras, quid ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum scripserit Leo Papa contra Euticherem, & Nestorium? Huius Epistolæ tanta fuit auctoritas, vt nobis historiæ tradunt, quod Leo hanc suprà sepulchrum sancti Petri Apostoli posuerit, ieiunijs, & orationibus insistens dixit. Quidquid in hac Epistola errauì, tu, cui Ecclesiarum cura commissa est, emenda, atque corrige. Et post dies 40. oranti illi Petrus apparuit dicens: Legi, & emendaui. Accipiens itaque Epistolam Leo, inuenit eam manibus Apostoli emendatam, & correctam, quam ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum dirigere mox curauit.

Sed quoties hanc putas esse firmatam, ac repetitam, non eàm à Romano Pontifice, quā à sanctis Patribus in sanctissimis conuentibus congregatis? Ità & de anima, si ità factum fuerit, putas ne nulla possit excusatione tueri? Non est contra consuetudinem patrum rem antea diffinitam, denuò firmare, siuè damnare. Ac illius diffinitionis causa non erat, quòd hi animam immortalem, vel nescirent, vel dubitarent. Sed quia tu ipse scis à pluribus annis pro aris, & focis in philosophorum palestra disputatum fuerat, an in Aristotelis via animæ hominis esset mortalis, vel immortalis? Fuere nonnulli, qui immortalitatem animæ ex hoc dicto probare volebant, quo Princeps Peripateticorum ait, separatur hoc ab hoc tamquā corruptibile ab incorruptibili. Fuere deindè diuerso aliqui proferentes contrarias ex Aristotele sententias, & hæc conflictatio adeò communis erat, vt ferè nullus in philosophia congressus fieret, quo non hæc traherentur in dubium. Vndè ab abusionem illam, quam nemo bonus probauit, sic in Lateranensi Concilio decretum fuit. Leo Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Apostolici regiminis sollicitudo nos assiduè pulsat, vt medendis animarum languoribus, quarum nos ex alto omnipotens auctor curam habere voluit, ijs potissimùm, quæ instantius fideles nunc vrgere cernuntur, salutifero olei, & vini medicamine ad instar Samaritani in Euangelio sollicitam operam impendamus, ne nobis illud Hieremiæ obijciatur. Numquid Resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi.

Cum itàque diebus nostris (quod dolenter ferimus) zizaniæ seminator antiquus humani generis hostis nonnullos perniciosissimos errores à fidelibus semper explosos in agro Domini superseminare, & augere sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis, quòd videlicet mortalis sit, aut vnica in cunctis hominibus. Et nonnulli temere philosophantes, secundùm saltem philosophiam verum esse asseuerant. Contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, ac reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solùm per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone fœl. record. Clementis. 7. Prædecessoris nostri in generali Viennensi Concilio edito continetur. Verùm, & immortalis, & pro corporū, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit, quod manifestè ostentat ex Euangelio, cum Dominus ait. Animam autem occidere non possunt. Et alibi. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et cum æterna præmia, & æterna supplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit, aliàs incarnatio, & alia Christi mysteria nobis minimè profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac sancti, & miserabiliores essent (iuxta Apostolum) cunctis hominibus. Cumque verum vero minimè contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falsam esse diffinimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus.

Omnesque huiusmodi assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia vt detestabiles, & abominabiles hæreticos, & infideles Catholicam fidē labefactantes, vitandos, & puniendos fore decernimus. Insuper omnibus, & singulis philosophis

sophis in vniuersitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus districtè præcipiendo, mandamus, vt cum philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscuntur, auditoribus legerint, seù explanarint, quale hoc de animæ mortalitate, aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiusmodi, teneantur veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo, pro posse docere, ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resoluere. Hæc sunt huius Lateranensis Concilij decreta. Sed quid hìc deprehendes aliud, quam abusum in disputantium area reprobatum.

Dic etiam numquid non tibi, cæterisque licuerit explodere quæstionem à grauibus, etiã Theologis sæpè versatam, an Christus posuerit suppositati sub specie æquina, vel asinina? Et Luciani Icaromeni ppum nemo non laudauit, quo stultas philosophorum quæstiones de dyametro terræ, de athomis, de distantia terræ, & Lunæ, de duabus negationibus, vnam affirmationem facientibus, & id genus tricas Siculis giris vanio res irrisit. Ità mirum non fuerit, si ad exibilandam hanc vanam quæstionem, etiam in LateranensiConcilio patres, propter immortalitatem animę ità statuerint, maximè de hac re nemo in posterum, ità curiosè perquireret. Alioquin numquam eos rã crassi iudicij fuisse crediderim, vt immortalitatem animæ in dubium reuocarint, & illius sessionis decretum, licèt tibi displiceat, nostro tamen Erasmo, si diligenter quæsieris, mirum in modum placuisse inuenies, & maximè in scholijs Epistolæ ad Eustochium.

CAP. LXXXV.

Sequitur impugnare decretales Lutherus, & Faber defendere.

LVTHERVS.

Ità vnusquisque in sensu suo abundet. Mihi decretorum auctores sunt Gregorius. 9. Bonifacius. 8. Clemens. 7. & extrauagantium Pontifices, quòd his à gentibus in publicum sparsa, & præcepta sunt, & omnia stabilita, quę instar Gregorij, August., Hierony., Bernardi, & aliorum, vel in bibliothecis, vel in arcis, pro cuiusque arbitrio consulenda citra vllum periculum relicta fuissent, fœlicior esset Ecclesia. Nunc verò quando summis articulis fidei æquantur, ab adulatoribus autem, & præferuntur, fructum illarum habentes, ordinis Ecclesiastici confusionem, conscientiarum horrendas carneficinas, Euangelij ignorantiã, scelerum impientissimam licentiam, adulatorum Romanensium odiosissimam tyrannidem, donec id meruerint, vt sub vasto Cœlo non sit nomen odiosius, & graueolentius, quã nomen Romanæ curiæ.

FABER.

Patellæ vitiorum nullum faciam opeculum. Si ciuitas fidelis facta est meretrix, cum Esaia doleo; & forsan Esaias, 8. es, cui dictum est à Domino. Dissolue colligationes tuas, aùt synalagmata, idest commutationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Pateor in beneficiorum prouisionibus, tot clausulas, tot regulas, & derogationes esse vanas, atque superfluas, vt nisi cassarit eas, ac è medio tollat ille, qui nuper nobis solius Dei prouidentia Romanus contigit Episcopus. Non video res Ecclesiarum demum subsistere posse; ex eo tamen speramus conuerti praua in directa, & aspera in vias planas.

Interim tamen mi Luthere adhuc stat, quod est apud Hieronymum. Plangite Babylonem, & accipite resinam correctionis eius. Sed numquid resina non est in Galaad, aùt medicus non est ibi? Resinam autem oportet esse rationabilem, vt est apud Origenem in Hierem. 8. homilia. 2. ità vt malagma patemus, cui non desit oleum, quo sanetur misera ciuitas, & curata desinat esse, quod fuerat. Rationabilem autem etiam eam dicimus esse, quæ procul est à tumultuatia, siuè seuera correptione, de qua supra non nihil traditum est. Correptio autem, vt placeat Domino, citra iniuriam detractionis fieri debet. Et hanc normam per multa capita tradit Augustin. in lib. de conflict. vi. & vir. Dem tibi itàque quòd capere possis vulpes, imò iugulare, vineam Domini exterminantes. Sis & Daniel, qui possis increpare seruos peccantes. Aut alter Amos pastor caprarum, cui sit data libertas, vt in sacerdotum principes dicas quicquid in buccam venerit; tamen modus seruandus erat, nec erat transilienda statera. Vidisti forsan Epistolam Maxentij, Ioannis serui Dei ad monachos Scytarum, vbi inter cætera sic ait.

Qui quemlibet quasi errantem obiurgat, nec instruit, quid sequatur, non beneuolus doctor ostenditur, sed criminator inuidus denotatur. Vndè non est facilè credendum hanc illius Epistolam esse, cuius fertur nomine inscripta, præsertim cum in ea nihil, vti diximus, rationis consequentiæ reperiatur. Sed tota criminationibus, obtrectationibusqu e vanis (quæ solent ex rancore aduersantis procedere animi) videatur referta; hæc Maxentius. Sint itaque nonnulli Principes, veluti rugientes leones, iudices, sicut lupi Arabiæ, immanes prophetæ, vesani viri, infideles sacerdotes polluerint sanctum, iniustè egerint contra legem, vt est Sopho. 3. Tamen receptissima Hierony. sentẽtia est. Presbyteri mali, qui Susannã violare cupierunt, ceteros Presbyteros, qui benè vixerint, non condemnent. Et mali Principes, quos describit sermo propheticus non sunt bonis principibus contumeliæ. Memineris Nazianzeni in Monodia dicentis, faciliùs esse, quæ consistunt dissoluere, quàm iam collapsa restitenere atque aptare.

Quòd si te prouocatum à litigiosis esse dixeris, tibi Hiero. ad Titum respondeat dicens. Si sumus filij pacis, vt velimus super nos pacem requiescere, & accessimus ad Hierusalem cœlestem, quæ ex pace nomen accepit cum his, qui oderunt. Et quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacati simus, nõ solùm cum modestis, sed etiam cum rixosis.

CAP. LXXXVI.

Sequitur idem argumentum.

LVTHERVS.

Ex his credo intelligi me nõ fuisse tã crassę ignorantiæ, vt nescirem longè ante quadringentos annos decreta Romani Pontificis nata. Alioquin quomodo certos quadringentos annos, & non plus, aut minus potuissem recitare, quomodo iudicare, quod essent frigidissima, quomodo historias allegare, quomodo textum scripturæ contrarium asserere, nisi diligentissimè omnia prouidissem, & contulissem?

FABER.

Vtinam peruidisses omnia, & longè ante quadringentos annos, non paruam Ecclesiæ auctoritatem Romanam didicisses. Discere poteras, qui Augustinianus es, ex vnico libro Augustini de vnico baptismo contra Peti. c. 14. Cum tempore Cypriani Stephanus Romanus Episcopus, non solùm non rebaptizauit hæreticos, verùm etiam hoc facientes, velut fieret decernentes, excommunicandos esse censebat. Quæ res vna cum alijs multis veritati nostræ validum est argumentum.

CAP LXXXVII.

Sequitur idem argumentum.

LVTHERVS.

Ex his indicijs volui vafuto lectori satisfactum, vt me non sine causa posuisse cognosceret; nec ignorantia, sed industria sic locutum fuisse. Simul quòd insidiosæ, & adulatoriæ propositioni Echij, per omnia par referre volui. Qui cum asseruisset ante tempora Siluestri Romanã Ecclesiam fuisse alijs superiorem. Et ego persuasissimum haberem Echium non esse adeo impudentem, vt publicè mentiretur, nec tam ignarum historiarum, vt hæc vera crederet, insidias suspicatus sum, vt qui more sophistarum, & lubricitates istorum protheorum probè callerem, qui si volent, falsum facient verum, & verum mutent in falsum; cum interim in alijs enim loquendi rigorem exigant, vt nec verba Dei tuta coram eis sint; proindè volui animosiorem antè diem triumphabundum reddere, sicut ipse me formidabundum viuis est facere.

FABER.

Vtriusque hoc est Echij, ac tuas vices sæpè indolui. Sciebam esse scriptum ad Galatas. Si inuicem mordetis, & remordetis, videte ne ab inuicem consumamini, quod Pauli dictum Hiero. simpliciter accipiendum credit. Ne detrahamus inuicem, ne maledicto nos putemus vlcisci, ne contristati contristari cupiamus. Et similes bestiarum mordere pariter, & remordere, vt post sequatur interitus, atque consumptio. Sed vter alteri causam, aut primam latrandi ansam dederit, aliorum esto iudicium. Vtcumque tamen iuxtà Gelasij sententiam rerum principia sunt perquirenda. Vtrumque vt Præceptorem veneror. Tu me cartis non parum, Echius me viua voce docuit. Et ex Quintiliano didici, quid vtrique debeam. Sed heus tu Luthere cur Echium hic mentiri dicis? forsan hoc ex Paulo didicisti, qui Cretenses semper mendaces ex Epimenidis oraculo facit. Aùt ex Petro forsan didicisti, qui prædixit futuros magistros, qui in errore conuersati, libertatem illis promittentes, cùm ipsi sint serui corruptionis; quibus meliùs erat non cognoscere viam iustitiæ, quã post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illius traditum est mandato.

At de his aliàs, ad Ecclesiam Romanam venio, & quòd ad illam in præsentiarum pertinet. Liberè hoc dico, hoc sentio, quòd sancta Synodus Nicæna decreuit. Videris quidem esse non solum contra Concilia, sed & demum Imperatores Iustinianum, Theodosium, Constantinum, Valentinianum, Carolum Magnum, qui tibi contraria antè multa secula professi sunt.

Dein langues hic circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus secundum Paulum oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, & confutationes hominum mente corruptorum, dumodo circa Petri, ac Ecclesiæ Romanæ Primatum quæris an sit de iure diuino, nec ne? & ignoro hæc quæstio an rei conueniat? Docuit Paul. inanes quæstiones, & quæ rei non conueniunt, iminò quæ non edificant, & quæ maximè lites generant, omninò vitandas. Et rectissimè scripsit Constantinus Imperator ad Alexandrum, & Atrium. Huiusmodi quæstiones, quæ non cuiusdam legis necessitate proponuntur, inutilis vacationis tempus exquirunt. Et licèt causa cuiuspiam naturalis exercitij fiant, tamen debemus ea intra sensum claudere, & non promptè in publica, & conciliabula deportare, nec omnium auribus inconsultè committere. Quantus enim est vnusquisque hominum, vt possit itã magnarum rerum, & valdè difficilium virtutes ad perfectum inspicere, aut interpretari dignè. Idem Constantinus iterum ad Episcopos in Tyriorum Vrbe collectos scribens, omninò quæstiones iurgiosas secari suadet, ac iubet, ità concludens. Vos, qui sancta mysteria diuinæ clementiæ perferre videmini, decet custodire, ne talia agatis, quæ ad contentionem, & odia pertinere noscuntur, & vt absolutè dicam, quæ ad humani generis tendere videntur interitum.

An tu hæc seruaris? intra te cogitato. Quæstionem itàque rixosam, captiosam, & planè tumultuariam habes super Primatu Petri, an sit de iure diuino. Et iterim, quod dolendum est maximè, dum hæc in vtranque partem disputas, pessima quæque satis imprudenter, ne dicam impudenter, de Pontifice dicis; nec modò Pontificem taxas, sed & nec parcis Episcopis, reliquisque in sacris ministerijs quotidiè versantibus. Vide mi Luthere qualem hic theologum agerem, si pri-

prima facie velim inuestigare, an imperium, an etiam monachatus sit de iure diuino? Et antequàm finem rei darem, multa effutirem ineptè, licèt nihil hic fortè super monachatu curares, ità testante tuo libello de votis monasticis omnium arrogantissimo. Hæc missa facio. Videamus an aliqua sit eorum Canonum auctoritas, quibus Primatus Ecclesiæ Romanæ fundari videtur.

Primò omnium itàque præmitto, quòd in 36. Canone Carthaginensis Concilij cum Bisacinis Episcopis habetur. Ibi deciditur, vt præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ noui Testamenti Euangeliorum libri quatuor, Actus Apostolorum liber vnus, Pauli Apostoli epistolæ 13. eiusdem ad Hebræos, vna Apocalypsis Ioannis. Et in hoc Concilio quanquam sic definitum inueniam, tamen in Synodo secundùm Laodiciam Phrygiæ pacatione in 56. regula pro Canonicis libris etiam haberi inuenio. Epistolas Catholicas, Iacobi vnam, Petri primam, & secundam, Iudæ vnam, Ioannis duas. Ex his Scripturis Canonicis maximè ex Euangeliorum libris Primatum Petri firmatum esse dico, & maximè ex Euangelio Matthæi, ac Ioannis. Quòd si Euangelium omni careret interprete, à quouis etiam ignauo diceretur Matthæi 16. de Petri persona intelligendum, eritque sic de iure diuino. Sic ergo à Petri Primatu, qui est de iure diuino, Primatum Ecclesiæ Romanæ accepimus. Sed quòd Romanæ Sedis mentio in Euangelio aliquo facta sit, minimè contendo.

At hoc dico, quod habet Maxentius ad Hormisdam scribens, Quod Christiana fides Canonicis libris, & Synodalibus disciplinis, ac Patrum regularibus constitutis, stabili, & inconcusso tramite limitari debet, ea propter idem Maxentius anathematizat omnem sensum Pelagij, & Cœlestij, & omnium, qui his similia sapiunt, suscipientes omnia, quæ in diuersis locis contra ipsos acta sunt, & scripta à præsulibus Apostolicæ Sedis. Idest Innocentio, Bonifacio, Zolimo, Cœlestino, & Leone, Athico etiam Constantinopolitano, & Augustino etiam, Aphricanæ Prouinciæ episcopis. Et non grauatur sancta Synodus Orthodoxorum Episcoporum in Constantinopoli congregatorum scribere Damaso Papæ, ac reliquis sanctis Episcopis in hæc verba. Nos persecutiones, siue tribulationes, siue minas imperiales, siue crudelitates iudicum, siue alias quaslibet tentationes hæreticorum libenter sustinuimus pro Euangelica fide, quæ in in Nicæa Bythiniæ à 318. Patribus roborata dignoscitur; quæ si vera sunt, sicut nemo negare poterit hæc, quæ Nicæna Synodus de Primatu Rom. statuit Ecclesiæ, certè firma seruari debebunt. Et egregiè nos docet Origenes in Matth. scribens homil. 19. vbi verbum hoc tractat Euangelicum quorundam dicentium. [Ecce hic Christus, ecce illic; ecce in solitudine, nolite exire, ecce in domibus, nolite credere.] Et inter cætera sic ait. Quoties Canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere. [Ecce in dominibus est verbum veritatis.] Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successioné Ecclesiæ tradiderunt nobis. Hæc Orig.

Et Hieronym. hancce iidem se seruatutum ait, quam suxit ab vbere materno. Proindè licèt idem Hieronym. doctissimus fuerit omnium, quos ea ætas habebat, noluit tamen aliud in hypostasibus etiam diuinis asserere, quàm quod iuberet Damasus Romanæ Sedis Episcopus, Vide epistolam, & me vera dixisse reperies, & Augustinus. Propterea forsan auctoritati Ecclesiæ tantum tribuit. Quod ad me attinet, nihil saluti meæ minuet. etiam si pastores in mercenarios, ac oues in lupos abeant, efficiantur Neuri, siue Thanephij. Id enim cum Origene in Lucam homil. 12. dicam, Pastores Ecclesiarum, nisi ille Pastor venerit, per se benè gregem seruare non poterunt. Infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit, atque seruauerit. Dudum siquidem in Apostolo lectum est. Dei cooperatores sumus. Pastor bonus, qui imitatur Pastorem bonum, cooperator est Dei, & Christi. Et propterea Pastor bonus est, qui habet secum Pastorem optimum compascentem sibi. Quę Origenis sententia, si vera est, si Pastor est malus, immò pessimus in iusto Dei examine, propterea reddet rationem, & reddet illi Dominus secundùm opera sua. [Qui benè egerit, ibit in vitam æternam; qui verò malè, in ignem æternum. Tamen interim neminem suo iure spoliandum duco, & eo potissimùm, quod à tantis Patribus per totidem secula comparatum est.

Addo ad hæc non esse necesse, vt ex biblia probentur omnia. Siquidem, & veritati extrà bibliam modò ab Ecclesia recepta sit ex Auguguft. sententia non parum debemus.

Hoc totus probat August. liber de Ecclesiasticis dogmatibus. Et hac de re proprium est caput eiusdem August. in lib. de Assumptione Mariæ Virginis. Siquidem de Melchisedech Sacerdotis Dei excelsi iustitia, scriptura nihil loquitur. Nihil habemus de Helia, & Enoch vita fęlici. Quanquam raptos eos Scriptura testetur. Et de Assumptione Beatæ Virginis Scriptura nihil commemorat, nisi quod quærendum est ratione, quod conueniat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas. Et multa, ac propemodum infinita sunt illius genera, quæ tamen in Ecclesia cassari non debent.

At quòd te semper quantùm ex alto conceditur, primitiuam Ecclesiam, immò tempora Apostolica proprius ducam, en tibi tandem Hirenæum Lugdunensem Episcopum propono, quem tu etiá negare non audebis. Et forsan illum si tibi olim videre licuisset, non statuisses in animo tantam inter Germanos nostros mouere tragœdiam. Is quidem in 3. lib. cap. 3. contra hæreticos sic ait. Traditionem Apostolorum in toto Mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest prospicere omnibus, qui vera veline audire, & habeamus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.

Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsum, & latenter ab reliquis perfectos docebant, his, vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant, Valdè enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes, quibus emendatè agentibus, fieret magna vtilitas lapsis, aut summa calamitas.

Sed quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximè, & antiquissimè, & omnibus cognitis à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ: Eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & sententiam malam, præterquam oportet, colligunt.

Nota optime lector, quid hic Hirenæus habeat.

Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conueniri Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt, vndiq; conseruata est ea, quæ est ab Apostoli traditio. Fundantes igitur, & instruentes beati Adostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandę Ecclesię tradiderunt. Huius Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum, Apostolus meminit. Succedit autem ei Anacletus.

Post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit Apostolos, & contulit cum eis. Et cum adhùc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem antè oculos haberet, non solum cum adhùc multi supererant tunc ab Apostolis ducti.

Sub hoc igitur Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corintho essent fratres, facta scripsit, quæ est Romæ Ecclesia, potentissimas literas Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem annunciantem vnum Deum omnipotentem factorem Cœli & Terræ, plasmatorem hominis, qui induxit cataclismum, & aduocauerit Abraham, qui aduxerit populum de terra Ægypti, qui colloeutus sit Moysi, qui legem disposuerat, & Prophetas miserat, qui ignem præparauerit Diabolo, & Angelis eius. Hunc Patrem Domini nostri Iesu Chtisti ad Ecclesijs annunciari ex ipsa scriptura, qui velint discere, possunt, & Apostolicæ Ecclesiæ traditionem intelligere, cum sit vetustior epistola his, qui nunc falsò docent, & alterum Deum super Demiurgum, & factorem horum omnium, quæ sunt, commentiuntur. Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sistus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriossimè martyrium fecit, ac deinceps Eginius, post Pius, postque Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Sother, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio, peruenit vsque ad nos; & est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesijs ab Apostolis nunc sit conseruata, & tradita in veritate. Polycarpus autem non solùm ab Apostolis edoctus, & conseruatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, multùm enim persenerauit, & valdè senex gloriosissimè, & vilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vita. Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui vsque adhùc successerunt Polycarpo, qui vir multò maioris auctoritatis est, & testis, & fidelioris veritatis est testis, quàm Valentinus, & Marcion, & reliqui qui sunt peruersæ sententiæ. Is enim est, qui sub Aniceto, cum aduenisset in Vrbem, multos ex his, quos prædiximus, hæreticos conuertit, in Ecclesia Dei vnam, & solam hanc veritatem annuncians, ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesiæ tradidit. Et sunt, qui audierunt eum dicentem, Quoniam Ioannes Domini Discipulus in Epheso iens lauari, cum vidisset intus Corinthum, exilierit de balneo non lotus dicens. Ne timeat, quòd balneum concidat, cum intus esset Corinthus inimicus veritatis. Et ipse Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti, Cognoscis nos. Respondit, Cognosco te primogenitum Sathanæ. Tantum Apostoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem. Quemadmodum Paulus ait. Hæreticum autem hominem post vnam correptionem deuita, sciens quoniam peruersus est, qui est talis, & à seipso damnatus. Est autem, & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua & characterem fidei eius, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent suæ salutis, possunt discere. Sed & quæ est Ephesi Ecclesia à Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est veræ Apostolorum traditioni. Hæc Hirenæus.

Sed quis fuerit Hirenæus, partim hìc, partim ex Hieronimo habes, qui ingenuè illum etiam Polycarpi discipulum fuisse testatur. Ac quid hìc Hirenæus vlterius habet? certè quòd ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse sit omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles. Et quòd Clemens etiam vtriusque Apostoli discipulus Corinthios ad pacem, & fidem acceptam reparauit. Et tu ex Aquilone veniens, post mille, ac trecentos, & plures annos conaris tuo peruerso, aut saltem peregrino, vt mitiùs loquar, dogmate, illud Petro, illiusque successoribus eripere, quod etiam temporibus Petri, & Pauli Apostolorum habuisse, compertissimum est, id temeritatem, ac impudentiam esse dicunt aliqui. Ad priora nunc redeo mi Luthere. Tu dicis, & facis omnes Episcopos, & Sacerdotes æquales.

Cur

Cur ergo in trigesimo quinto Canone Apostolorum, sic legitur: Episcopos gentium scire conuenit. Quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant.

Et in Nicena Synodo, vnde antiqua consuetudo per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim venit? quòd Alexandrinus Episcopus omninm habeat potestatem. Vnde Vrbis Romæ parilis mos erat. Dic ante trecentesimum annum quis hoc ordinauit? Nonne Apostoli, teste Hirenæo? Et tu non solùm apostata, sed & omnium apostatarum seductor, quod inuitus me dicere cogis. Cur audes tantam præscriptionem infringere, quam nec vllus rusticus in decennalis agri possessione permitteret? Et quia sal es, quod iam euanuit, vnde nisi ingemueris, & conuersus fueris, ad nihilum valebis vltra, nisi quòd mittaris foras, & conculceris ab hominibus. Sed reuertere reuertere Sulamitis, reuertere, vt intueamur te.

CAP. LXXXVIII.

Affirmat Lutherus Episcopos, & Presbyteros esse eosdem, quia habent idem nomen, sed ex antiquitate refellitur.

LVTHERVS.

PRima est, Diuus Hieronymus in epistola ad Euagrium sic scribens. Legimus in Esaia: Fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris anteferat. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum, & viduarum minister, vt super eos tumidus se efferat, ad quorum preces Corpus, & Sanguis Christi conficitur? Quæris auctoritatem? audi testimonium. Paulus, & Timothæus serui Iesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis.

Vide aliud exemplum in Actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes, ità Paulus loquitur: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regatis Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, ac ne quis contentiose in vna Ecclesia plures fuisse Episcopos contendat, audiat aliud testimonium, in quo manifestè comprobatur eundem esse Episcopum, atque Presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretæ, vt quæ deerant, corrigeres, & constitueres Episcopos per Ciuitates, sicut tibi mandaui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopos sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.

Et ad Timoth. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, & per impositionem manuum Presbyteri.

Sed & Petrus in epist. 1. Presbyteros, qui in vobis sunt, precor ego Conpresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ, quæ reuelandæ est gloriæ particeps, regite gregem Christi, & inspicite non ex necessitate, sed voluntariè iuxta Deum, quod quidem græce significantius dicitur *Episcopoyntes*. Vnde & nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum testimonia virorum? Clangat tuba euangelica filius tonitrui, quem Iesus plurimum amauit, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit, Presbyter electę dominæ, & filius eius, quos ego diligo in veritate.

Et alia epistola. Presbyter Gaio charissimo, quem ego in veritate diligo. Quòd autem posteà vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista, vsque ad Esdram, & Dionysium Episcopos Presbyteri semper vnum ex se eligebant; & in excelsiore gradu collocabant. Quem Episcopum nominabant, quomodo si exercitus sibi Imperatorem faciat. Diaconi autem eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum nuncupent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romana Vrbis Ecclesia, altera totius Orbis æstimanda est, & Galliæ, & Britanniæ. Nam & Aphriça, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes vnum Deum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autem auctoritas quæritur Orbis, maior est Vrbe, vbicumque Episcopus fuerit, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Thanis eiusdem meriti est, & eiusdem Sacerdotij potentia diuitiarum, & humilitas paupertatis, vel sublimiorem, vel inferiorem facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Hæc D. Hieronymus.

Nihil de mutatione temporum loquor, nihil de iure positiuo hoc contendo; si vnus Episcopus iure diuino cæteris præfertur. Manifestè hic Hieronym. hæresim docet non solùm ipse (nam soli eo non crederem) sed Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, quos inducit irrefragabiles auctores. Quis ijs resistet? Cur adulator negat Romanum Pontificem cęteris esse Coepiscopum, cum primus Petrus se Compresbyterum appellet? Si successores sunt Petri, quid erubescunt titulum sui prædecessoris, si nomen superbissimum sanctissimi, summi, maximi Pontificis hæreditant ex recentibus. Cur non nomen Conpresbyteri, & Coepiscopi à primo? Obsecro an Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, & omnes Apostoli ignorauerunt quid verbum Christi voluit: [Tu es Petrus, & tibi dabo claues, & pasce oues meas.] Si me omninò hæreticum clamant, qui omnia, quæ volunt, tribuo Romano Pontifici, solùm ne auctoritate Scripturæ, idest mendaciter facere cogar; parcant sancto Hieronymo tantis auctoritatibus munito. Proclamat ille longè impudentius Episcopos potentia diuitiarum, & humilitate paupertatis inuicem esse, vel sublimiores, vel inferiores. Ego consensu fidelium, & decretis hominum id astruo. Cur non hunc irreuerentem, blasphemum, seditiosum bis septies comburunt? hæreticæ prauitatis prauissimi inquisitores, aut mecum

cum Hieronymo interim sapere sinant, aut me cum Paulo, Petro, Ioanne, Luca sentire. Si hoc non est satis, age, comburant sua decreta primùm. Nam hæc epistola recitatur in decretis dist.93. cap.legimus, legitur, auditur, docetur, & approbatur hæc ab vniuersis in Ecclesia Romana. Cur ergo vnus prohibeor dicere, & sentire, quod ipsimet omnes dicunt, sentiuntque, iubentque sentire? Hieronymus non modò Episcopos æquat inter se, sed & Presbyteros Episcopis comparat, alterum ætatis, alterum officij nomen esse pronuncians. Ego longè reuerentiùs loquens, nihil peto, nisi vt contra hanc veritatem non cogar scripturas, & verbum Dei illudere, si dent Romano Pontifici quicquid volueruint, modò auctoritate Scripturæ id non astruant. Sed & Scripturas eorum sensui aptari patiar, modò ne hunc esse Germanum, & solùm sensum contendant. Sat ergo est, quòd frigidissimis decretis primatus asseritur, qui feruentissimis Dei verbis negatur. Sed audiamus inter eumdem in commentario super epistolam ad Titum,

FABER.

Credis hìc te velut alter Hercules quendam aptum cæpisse Ætholicum? Sed certè te fallit inanis opinio. Siquidem nemo est etiam, qui primis duntaxat labris theologiæ sacra prælibarit, qui ignoret Episcopum etiam dici Presbyterum. Presbyteros autem hìc eos puto, de quibus Hieronym. in Esaia cap.4. Et tu si vidisses vnquam Græcos, inuenisses quomodo Suidas, ac alij Presbyterum interpretari soleant, vt tamen saltem honoratior sit, ac habeatur. Sed puras à Petro, ac Paulo, Ioanne, & Luca recesserint sancta Concilia, ac Romani Pontifices alios non vocando Coepiscopos, Compresbyteros, immò fratres? minimè. Quod vt manifestum fiat, multis id scriptis tibi probabo.

Tempore Constantini sic scriptum inuenio. Sanctæ, magnæque Dei gratia Alexandrinæ Ecclesiæ, & dilectissimis fratribus per Ægyptum, & Lybiam, & Penthapolim constituris congregari, & magnam, sanctamque Synodum in Nicæa celebrantes Episcopi in Domino salutem.

Et ex Sardicensi Concilio sic scriptum inuenio. Sancta Synodus Dei gratia Sardice congregata ex Vrbe Romana, Hispanijs, Gallijs, Italia, Campania, Calabria, Aphrica, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Hepiri, Thracia, &c. vniuersis Episcopis, & Comministris sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Sic etiam inuenitur in epistola Damasi scribentis in hæc verba: Damasus, & Valerianus, & cæteri Episcopi dilectissimis fratribus in Illyrico constitutis Episcopis in Domino salutem. Et iterum Domino fratri, & Consacerdoti Liberio, Eustachius, Theophilus, & Siluanus in Domino salutem; ac dein iterum dilectissimis fratribus, & Consacerdotibus Eustachio, &c. Et vniuersis Orientalibus orthodoxis Liberius Episcopus, & Occidentales Episcopi in Domino salutem. Et in alia epistola: Dominis honorabilibus, atque venerandis fratribus, & comministris Damaso, Ambrosio, &c. & reliquis Episcopis in Roma collectis, sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum congregatorum in maxima Ciuitate Constantinopoli in Domino salutem.

Ex Concilio Carthaginensi sancti Patres ad sanctum Innocentium Papam Vrbis Romæ ità scripserunt: Domino beatissimo, & honorandissimo sancto fratri Innocentio Papæ Aurelius Numidius, &c. quibus Innocentius Aurelio, & omnibus sanctis Episcopis, vel cæteris, qui in Concilio Carthaginensi adsuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Et ex Meleuitano Concilio ità scriptum est: Domino beatissimo, meritòque venerabili & in Christo honorando Papæ Innocentio, Siluanus in Domino salutem, &c. in qua epistola ponuntur hæc verba: Sanctus filius tuus frater, & Compresbyter noster Hieronymus.

Idem Innocentius ità orditur: Innocentius Siluano, Seni, Valentino, & cæteris, qui in Meleuitana Synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Et in eadem epistola sic legitur: Arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nùnc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse. Possem & multa id genus adferre testimonia. Sed sicut ante mille annos seruauit Innocentius, ità & in hanc horam seruat Romanus Episcopus, ità vt Episcopis scribat fratribus. Nec vmquam aliquis negauit, vt Pontifex Romanus non esset Sacerdos, Compresbyter, siue Coepiscopus. Per id tamen primatus ille Petri non fuit ademptus. At quid hoc sibi vult, quòd Episcopi, & Presbyteri vna est ordinatio? Vterque enim Sacerdos est; sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Ità Ambrosius in epistolam ad Thimoth. Et met hic fatetur Hieronym. quòd aliquid faciat Episcopus, quod non possit Presbyter. Sed de Paulo, & Timotheo hoc dico, quòd Paulus Timotheum Presbyterum ordinarum significat. Sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Et quia secundùm Hieronymum Presbyter ordinare non potest, eo quòd Episcopus Presbytero maior est. Vnde miror eur adhuc Episcopum per omnia æquare, velis Presbytero, nec minùs mirot cur ordinem non sinas esse Sacramentum.

Sed dic, quis præripuit hanc potestatem Presbyteris, ne possint ordinare? Ao iterum non credes, dum id in Euangelio non sit. An non demum asseres aliqua etiam vera esse, perpetuoque seruanda, quæ tamen scripta non sunt? Sed quid ad Chrysost. dices, qui in eadem epistola ad Timoth.hom.11. sic ait. Postquam de Episcopis dixit, eosque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necessum sit, dictans, omisso interim Presbyterorum ordine, ad Diaconos transijt. Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum, atque Presbyterum interest fermè nihil. Quippè & Presbyteris Ecclesiæ

cura

cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippè ordinatione sunt illis superiores, atque hoc tantùm plus, quàm Presbyteri habere videntur. Hæc Chrysost.

Responde mihi, quid hic sanctus ille vir velit. An putas hunc humana passum, quæ pulchrè tibi resoluit. Quare in epistolis ad Titum, & Timotheum Magister gentium non videatur fecisse discrimen inter Episcopum, atque Presbyterum. Sed fortè adhùc antiquiorem expectas.

Vide ergo Canones Ancyrani Concilij, quod ab Antiocheno,& Alexandrino Episcopis ante sacrum Nicænum Concilium celebratum fuit, & inuenies discrimen inter Sacerdotes, & Episcopos. Sed & Clementem, Ignatium,Hirenæum, & Dionysium tibi propono, discipulorum Domini discipulos, qui vbique discrimen inter Episcopos, & Sacerdotes faciunt, & vide Dionysium de ecclesiastica Hierarchia, & me vera dixisse luce clariùs deprehendes. Licèt ergo Paulus præcepta dederit pro qualitate Episcopi, tamen cum illa sat rectè presbyteris conuenire possint, iuxtà Chrysostomi sententiam, presbyterorum ordinem omisit, ac de eo nihil statuit, non quòd etiam in Paulo Episcopus, & presbyter per omnia idem essent. Nominis autem communionem eo venisse credo, quòd Episcopus, & presbyter nomina sunt officiorum.

Quod & Augustinus docet in 19. de Ciuitate Dei capit. 19. Et docet hoc Paulus dicens: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Et quando Paulus ad Titum scribit. Constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui, factum sit, vt ciuitatibus singulis singuli præficerentur Episcopi. Neque enim volebat insulam vniuersam, inquit Theophylactus, vni Episcopo demandari,sed vnamquamque Vrbem proprium habere pastorem iniunxit, existimans hoc modo leuiorem fore toleratu laborem, & diligentiùs hos populum curaturos. Id & in Actis Apostolorum factum esse legimus, vbi sic scriptum est. Cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros. Sed ad Paulum scribentem ad Philippenses in hæc verba. Paulus, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis, &c. Hic presbyteratum tollere non videtur. Vnde sic Vulgarius habet, Episcopos sacerdotes dicit.

Neque enim plures præter vnum erant Episcopi, qui singulis ciuitatibus præsiderent. Quippè cùm nondum essent huiusmodi nomina dispartita, sed Episcopi tantùm, diaconi, & presbyteri dicebantur, quemadmodum ad Timotheum, qui Episcopi munere fungeretur, scribens, sic inquit. Ministerium tuum, & diaconatum perficio. Et rursùm. Quod tibi traditum est,cum impositione manus presbyterij, hoc est Episcopatum. Neque enim sacerdotes Episcopum consecrabant, & contra presbyteri Episcopi nomen sortiebantur, vt qui curæ populi inuigilarent, purgarentque, & illuminarent, quos foret necesse. Cuius rei gratia ad Clerum nunc scribit, quod aliàs numquam egit. Miserant enim illi Epaphroditum, qui necessaria sibi detulerat, Hæc Theophylactus.

Habes itaque ex Chrysostomo Vulgariæ Episcopo, immò in hoc ipso Hieronymi loco non per omnia parem fuisse potestatem Episcopis, atque presbyteris. Siquidem ordinatunt, & consecratunt Episcopi presbyteros; sed non ordinarunt,aut consecrarunt presbyteri Episcopos. Et iste ordo videtur re vera ex Apostolica ordinatione seruatus, atque sic de iure diuino Paulus Episcopus erat, Timotheus pariter Episcopus erat, vterque sacerdos. Vnde scriptum est: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi cum Episcopis, &c. Quæ quidem epistola iuxtà mentem Ambrosij non ità debet intelligi, vt Paulus scribat ad Episcopos, atque Diaconos Philippen. sed quòd scribat ad plebem. Nam si Episcopis scriberet, & Diaconibus, ad personas eorum scriberet, & loci ipsius Episcopos scribendum erat, non duobus, vel tribus sicut & ad Titum, & Timotheum.

Sed quomodo Episcopum, & sacerdotem pares demùm facis? Numquid non in Arrij errorem iterùm laberis incautè, qui pariter episcopos, & presbyteros æquales esse volebat? Vtcumque tamen fuerit pro intellectu Hieronymi tres ex Hieronym. locos tibi obijciam. Dic mihi cur inter ipsos Leuitas, & sacerdotes, sancta sanctorum vbi Cherubim, & propitiatorium est, Pontifex solus ingreditur? Quare reliqui sacerdotes lineis tantùm vtuntur vestibus, & non habent indumentum auro, hiacyntho, cocco, purpura, byssoque contextum? Inferioris gradus Leuitæ, & Sacerdotes plaustra, & boues accipiunt. Maioris ordinis gestant arcam humeris suis. Si tollis ordinem tabernaculi Templi Ecclesiæ, si omnes, qui à dextris, sunt corpus vnum, & vt vulgò dicitur: *en conion* ne quicquam Episcopi frustrà presbyteri sine causa diaconi sunt.

Vides ne hic ordinem tabernaculi ità statutum, vt sic Pontifex, sint presbyteri, sine Leuitæ. Sed dic quæso, quæ sunt Pontificis? Pontifex capue suum non discooperiet, habet cydarim, & nomen Dei portat in fronte, diademate ornatus est regio, vestimenta sua non scindet, super omnem animam, quæ mortua est, non ingreditur, super patre suo, & matre sua non inquinabitur, de sanctis non egreditur, & non polluet sanctificationem Dei sui, vxorem virginem, viduam autem, & eiectam, & meretricem non accipiet. Hæ sunt leges, hæc sunt priuilegia Pontificis. Cum Pontifice conueninne quędam sacerdotibus communia, & hæc sunt fœminalia linea, quæ vsque ad genua,& poplices veniunt, &c. Non dicam hic de lamina aurea, de rationali, & superhumerali. Omitto tintinabula, & quare Pontificis gressus, & motus, & vniuersa fuere vocalia. Hæc omnia significabant mysteria noui Testamenti. De Abraham quomodo figurarit summum sacerdotem, supra docuimus.

Hieron. ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Sed quòd presbyteri signati fuerint per filios Aaron in hac eadem epistola, quam habemus in manibus, testatur Hieronymus ad Euagrium. Hoc idem tu addere debueras, nec omittere, & rectum intellectum, quisquis hæc legisset, habere poterat. Siquidem sic adiecit Hieron. presbyter, & episcopus aliud

æta-

ætatis, aliud dignitatis est nomen. Vnde & ad Titum, & ad Timotheum de ordinatione episcopi, & diaconi dicitur. De presbyteris omninò reticetur, quia in episcopo, & presbyter continetur, qui de minori ad maius prouehitur. Vt igitur ex presbytero ordinetur diaconus, & presbytero minor diaconus comprobetur, in quem crescit ex paruo. Aut si ex diacono ordinetur presbyter, nouerit se lucris minorem, sacerdotio maiorem. Et sciamos traditiones Apostolicas sumptas de veteri esse Testamento, quòd Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in Templo fuerunt, hoc sibi episcopi, & presbyteri, & diacooi vendicent in Ecclesia. Hæc Hieronymus.

Hic ex vtroque Hieronymi loco habes episcopos per Aaron, presbyteros per filios illins,& diaconos per Leuitas fuisse signatos. Sed dic quæso Luthere, an noo fuerit Leuita presbytero minor, & presbyter minor Pontifice? An non reoebis presbyterum ætatis, & episcopum dignitatis esse nomen? Quamquam & hic discedere nolim ab eiusdem Hieronymi sententia in Isaiam. Sed fortè adhuc non credis? Addam aliud ex Hieron. dictum. Verissimè Orthodoxus mihi dixisse videtur. Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet. Cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens deeur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, vt sine chrismate, & episcopi iussione, nec presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi, quod frequenter (si tamen necessitas cogit) scimos etiam licere laicis. Hæc Hieronymus.

Sed adhuc fortè non credis, nisi te arctiùs stringam? Responde si potes, an mentiatur Hieronymus de Petro scribens. Inter Apostolos vnus in caput præponitur cæteris, vt schismatis tollatur occasio. Quoties ergo tu mihi ex Hieron. obieceris in primis post longa tempora presbyteris episcopum esse præpositum, totiès tibi hic objiciam Hieronrorundo ore testantem, ea propter Petrum etiam Apostolis esse propositum, vt schismatis tollatur occasio. Sed fortè miraberis, quo pacto sanctum hunc virum, immò Petrum, Paulum, Ioannem, Lucam saluari velimus; certè id facillimè fieri potest. Siquidem presbyter est nomen eaotæ dignitatis, tantique præconij,vt nec Petrus, nec Paulus huius nominis vnquam erubuerint. Huius rei & si testimonia non pauca sint, hoc vnum tamen tibi sufficiat, quòd Moses iubetur eos eligere presbyteros, qui verè presbyteri sint. Et ea-propter forsan qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Et ità iubetur Titus constituere per ciuitates, presbyteros, quod Act.4. actum esse legimus.

Sed hic mihi responde, in sancto Christi cætu oumqoid non fuerunt Apostoli? fuerunt Discipuli? Apostoli 12. Discipuli 72. Sed dices ne Discipulos Apostolis æquales fuisse? Hoc ego dico quotquot de hac re vnquam scripserunt, inter quos, & Dionysius fuit. Apostolos episcoporum, & Discipulos sacerdotum figuras fuisse intrepidè testatur. Quicquid ergo hic dicitur, io nomine consistit. Nec tamen res ipsa, nec dignitas rei amittitur. Ità Theophylactus in dicta epistola ad Philippenses inferre videtur. Et hoc est, quod Hieron. habet in epistola ad Paulinum de institutione monachi, vbi dicit. Episcopi, & presbyteri habeant io exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorom honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Vbi per Apostolicos viros hic ex alio loco discipulos intelligo. Quòd si tu etiam inter Apostolos nullum potestatis discrimen fuisse contendis, dic mihi in actis Apostolorum ità legitur. Quidam descendentes de Iudea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis saluari.

Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ, aduersùs illos statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Numquid oon Paulus & Barnabas fuerunt Apostoli? & Paulus etiam Apostolus erat, qui didicerat Euangelium noo ab homine, sed à Saluatore nostro. Cur non hanc terminabant quæstionem, quæ de circumcisione mouebatur? Sed ad hoc responde si potes. Habet translatio nostra Paulum, & Barnabam ascendisse ad Apostolos & presbyteros io Hierusalem, & dein quòd suscepti fuerint ab Apostolis, & senioribus, vbi in Græco est *Synichthisan de oi Apostoloicai oi presbyteroi idem peri toy logoy toytoy*. Quod noster Erasmus ita transtulit. Conuenerunt Apostoli, & presbyteri, vt dissereret de hoc oegotio, & iterum placoit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, ac demùm Apostoli, & seniores Apostoli, & fratres his, qui sunt Antiochiæ. Si hoc, omninò erant Apostoli, quod presbyteri, & hoc presbyteri, quod Apostoli, cur de Apostolis, atque presbyteris quasi de diuersis dicitur? Numquid non eum iureconsultis dicere possem, si idem sunt testamentum, & codicillus, quare ego diuersa nomina habent?

Et hic non omittendum puto, quod io eodem loco dicitur. Cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Hic attende quod coripheus Apostolorum dicit Petrus, scilicet per os meum. Et in canonibus Apostolorum in 1. canone scriptum inuenio. Episcopus à duobus, aut tribus Episcopis ordinetur, presbyter verò ab vno Episcopo, & Diaconus, & reliqui clerici. Et hæc ordinatio quoad Episcopum in Nicæna synodo recepta est, quod tamen in Carthagin. Concilio quantum ad Tripolim, parrim remissum est, vtcumque tameo, alia est forma ordinandi Episcopi, alia ordinaudi presbyteri. Ità vt etiam à temporibus Apostolorum, quantùm attioet ad ordinationem, sit discrimen non modicum. Addo quòd & hic Hieron. expressè fatetur ordinandi potestatem esse Episcopis, non presbyteris, licèt tu alibi ordinandi potestatem tribuere videaris etiam agricolis.

Nec parua res est, quòd in 35. canone Apostolorum scriptum est. Ouium presbyterorum causas ad Episcopum referri debere, immò vt in 39. canone dicitur. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat. Et Ignatius ad Trallianos scribens inquit. Necessarium est vos nihil propter Epis-

Episcopum facere, neque aliquid agere, sed & presbyteris subditi estore, sicut Apostolis Iesu Christi spei nostræ, in quo perseuerantes, in ipso inueniamur. Sicut enim Episcopus est forma patris omnium, presbyteri vero sicut consessus Dei, & coniunctio Apostolorum Christi siue Episcopis in Ecclesia electa non est, neque collectio sanctorum, neque congregatio sancta. Et idem Ignatius in epistola ad Magnesianos, Episcopum sedere dicit in loco Dei, & presbyteros in loco consistorij Apostolorum. Et in epistola ad Tarsen. ita ait. Presbyteri subditi estote Episcopo, Diaconi presbyteris, populus Diaconis. Vide nunc ergo hic quale discrimen fecerit Ignatius inter Episcopos, presbyteros, atque Diaconos.

Sed quis fuit ille Ignatius? numquid non Ioannis Euang. discipulus, tertius à Petro Antiochenæ Ecclesiæ suffectus antistes? Putas non didicerit à præceptore quantum intersit inter Episcopum, presbyterum, atque Diaconum? Sed & hic Hieron. intentio potius, quàm verba debent attendi. Erat autem institutum Hieron. discrimen inter Episcopum, presbyterum, atque Diaconum non æqualitatem Episcopi, & presbyteri monstrare, quando ad Euagrium scripsit. Sed mirandum Protheum agis, hic Hieronymo fidis, & eum velut aliquid numen cœleste suscipis in libro tuo omnium impijssimo de votis monast. bonum hunc patrem odiosissimo scommate taxas, qui non verearis dicere à Hieronym. de virginitate locum indignè tractatum, & quòd feratur impetu, & feruore humano, & nimio studio obsequendi amicis, & in primis sue Eustochio, magisque præmat Iouinianum auctoritate, quàm solida eruditione, & quòd eos locos, quos Principes habet torqueat atque deprauet.

Et quia tam impudenter non solùm diuo Hier. sed & sanctis patribus opprobrium infers, vnde tibi cum tuis sectatoribus dicitur. Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & ità vt hic alterum Arrium agas, de quo diuus Aurelius Augustinus ait, quòd ad reliquos errores etiam illud addiderit, Episcopum non esse superiorem sacerdote, sed æqualem. Sed putas ne Sanctum Bernardum adulatum fuisse, eum sic scripserit ad Eugenium? Indage, mus diligentius (inquit) quis sis, quam geras pro tempore personam in Ecclesia Dei, quis es? sacerdos magnus, Pontifex summus, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraam, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum pastores. Sed tu tantò gloriosiùs, quantò differentiùs præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi assignatos greges singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. nec modò ouium, sed & pastorem tu vnus omnium pastor. Dices ne, & sanctum Bernardum hic adulatum fuisse? aut fuisse mentitum? qui tanta de Pontifice Romano ante totidem dixerit annos, quæ tamen omnia negas.

CAP. LXXXIX.

Sequitur idem argumentum, quod Episcopus sit idem ac Presbyter.

LVTHERVS.

Sed audiamus iterum eumdem in commentario super epistolam ad Titum. Idem ergo presbyter, quàm Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos, quos baptizarit, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam Episcopum, & presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, & aliud esse nomen officij, relegat Apostoli ad Philippen. verba, & cætera, quæ supra in epistola ad Euangelium induxit. Et in fine. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos. Ita ipsi nouerint se magis consuetudine, quàm dispensationis diuinæ veritate presbiteris esse maiores, & in commnni debere Ecclesiam regere. Hæc ille.

Vide ergo an propositio mea malè, vel benè dixerit esse contra scripturarum textum Romanam Ecclesiam esse alijs superiorem, eum etiam sit contra ipsa decreta. Nam, & hæc beati Hieronymi verba recitantur distinct. 96. cap. olim. Atque si non ibi approbarentur, tamen quia solidis pugnant diuinę scripturæ armis, etiam si totus mundus, & Angelus de cœlo contradixerint, nihil dixerint. Atque ita satis puto. & probatam nostram propositionem. & dissoluta omnia argumenta, quæ vel fingi contraria possunt. Stat sententia fixa non dispensationis diuinæ veritate, sed Ecclesię consuetudine Episcopos esse maiores bresbyteris.

FABER.

Apes imitari videris, hue, illucque volantes, floribus tamen non omnibus insidentes, & tu dumtaxat flores decerpis, quos tibi conuenire putas. Duos hic locos ex commentarijs Hieronymi citas, quos pro re facere credidisti. Sed quid eo sibi vult Hieronym. quòd ibi dicat. Audiant Episcopi, qui habent constituendi presbyteros per vrbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur. Nec putent Apostoli verba esse Christi, qui ad discipulos ait. Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Sic & qui vos audit, me audit, qui autem me audit, audit eum qui me misit. Hæc Hieron.

Numquid non possem ex illis inferre non

non tantum voce Apostoli, sed Euangelico præcepto Episcopos habere potestatem constituendi presbyteros. Hoc siquidem Hier. apertè testatur. Habet dein Hieronymus, & aliud verbum, quod fortè nec tibi fecit ad stomachum, nempè sic ait, Petrus qui ex fidei firmitate nomen accepit &c. Sed ne solùm tua improbem, imò diluam quantum necesse fuerit, post verba, quæ tu hic in medium affers. Dic mihi an non mox adiecerit Hieronymus. Philippis, inquit, vna est vrbs Macedoniæ, & certè in vna ciuitate plures (vt nuncupantur) Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & presbyteros appellabant, propterea indifferenter de ipsis quasi de presbyteris est locutus. Hæc Hier.

Dic Luthere an non hic tantum sit sermo de communione nominis, non potestatis? Tua vero, quæ subinfers, potestatis differentiam habent, cum tamen in vtroque loco Hieronymus tantùm de communione nominis pugnet. Sed hoc plurimum præstare putas, quòd Episcopi nosse debeant se magis consuetudine, quàm dispensationis dominicę veritate presbyteris esse maiores, sicut hic Hieronymus habet. Videamus igitur quo pacto tibi hic satisfacere possimus. Dem tibi in toto Euangelio non esse scriptum Episcopos presbyteris esse maiores. Numquid eapropter Episcopi non sunt, nec erunt maiores? Dic mihi, de Diaconis vbi Euangelium agat? vix mihi ostendes, vt scio. Aequabis autem Diaconos presbyteris? minimè gentium, nisi velis, vt tota cadat epistola Hieron. ad Euagrium, aut non rectè viderint, quid statuere debuerint patres in sancta Nicæna synodo congregati, qui prorsùs admittere noluerunt, vt diaconi sacra ministrarent. Vnde sic canon habet 15. Delatum est ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam, & ciuitatibus presbyteris Sacramenta à Diaconis dentur, quod neque regula, neque consuetudo tradidit, vt ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs, qui offerunt, corpus Christi porrigant.

Sed & illud innotuit, quòd quidam Diaconi, & iam ante Episcopum Sacramenta contingant, hæc omnia amputentur, & maneant Diaconi intra propriam mensuram, scientes quia Episcoporum quidem ministri sunt presbyteris inferiores. Accipiant ergo Eucharistiam secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel presbytero. Hæc sunt canonis Nicenæ synodi verba. Hæc si vidisses vmquam permisisses nobis plura Sacramenta, forsan, quàm habeat tua captiuitas. Non negasses contra sententiam Cypriani, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, & Ambrosij, Caroli Magni, etiam Hirenæi esse sacrificium corpus Christi, quod sacerdotibus offerre liceret. Et vt ad nostra veniamus, non faceres pares Episcopos, atque presbyteros, & ex aliqua regula statuta faceres Episcopum presbytero, & presbyterum Diacono superiorem.

Sed dic mihi quæso, vbi sit hæc regula, cuius mentionem facit canon Niceni Concilij? an in Ecclesiastica historia? minimè, cum nec totum hunc canonem in eadem inuenias. an in Niceno Concilio? nequaquam. An in Concilio, cui Origenes interfuisse legitur? Certè vix credo. Certè inter canones Apostolorum hanc regulam inuenies. Et fortè, quòd Diaconi sunt presbyteris inferiores. Hoc Apostolorum acta testantur. Siquidem elegerunt in Diaconos Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hi certè ministri fuerunt. Et quamquam illis sint impositæ manus, tamen reliquis inferiores habiti sunt, non ex dispensationis dominicæ veritate, sed Apostolica dispensatione. Et hanc perinde, ac si in Euangelio scripta esset, legis esse diuinæ dicere possemus. Quod si est vlla regula, si est vlla consuetudo, vlla historia ab Apostolis tradita, vel introducta, quæ faciat Episcopos presbyteris superiores, certè dabis quasi ex lege diuina Episcopum presbytero superiorem. Et id facilè continget, si canones Apostolorum intuearis, si perspexeris Apostolorum historias, si veterum scripta.

Sed audi Ignatium ad hæc ad Trallianos ità scribentem. Veneremini Episcopum vestrum sicut Christum, secundùm quòd vobis beati Apostoli præceperunt. Qui enim intra altare est constitutus, mundus est, propter quod obedite Episcopo vestro, & presbyteris. Qui vero extra altare est constitutus, extra Episcopum est & presbyteros, & Diaconos aliquid agens. Qui autem talis fuerit, pollutus est conscientia, & est deterior infideli. Quid est enim Episcopus, nisi omnem principatum, & potestatem illorum omnium tenens? Quemadmodum deceat hominem tenere imitatorem Dei factum secundùm virtutem? Quid est presbyterium, nisi institutio secunda consiliarij, & consessoris Episcopi? Quid etiam Diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes Episcopo? sicut Christus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam, quomodo sanctus Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus, & Linus Paulo, & Anacletus, & Clemens Petro? Qui igitur isti inobediens fuerit, hic sine Deo omninò erit, & impius contemnens Deum Christum, & ordinationem ipsius minorans &c. hæc Ignatius.

An non hic Ignatius inter Episcopum, presbyterum, atque Diaconum hoc discrimen facit, vt Episcopus sit presbytero superior, & presbytero sit Diaconus inferior; & hoc factum sit beatorum Apostolorum præcepto? Quod si nec adhuc credere volueris, Pauli epistolas, ac Apostolorum acta penitius intuearis, & inuenies quis Titum, quis Timotheum, quis Philemonem miserit. Numquid verò per omnia Titum, vel Timotheum, vel Philemonem æquabis Paulo? Aut quia Petrus Enodium post se reliquit, & Antiochenæ Ecclesiæ fecit Episcopum, Enodium Petro parem facies? An putas, quòd Marcus missus à Petro, ac in Alexandrinum electus Episcopum, se Petro prætulerit, aut parem fecerit? Aut mentitur tibi Dominus in Euangelio Ioannis dicens. Non est Apostolus maior eo, qui misit illum. Quod si iterum obieceris, Hieron. de disputationis Dominicæ veritate loquentem, nihil moror. Scis apud Chrysost. in homil. 1. super Matth. quid scri-

scriptum sit, Christus suum non scripsit Euangelium. Et ex tam multis discipulis duo tamen scribunt Apostoli, & duo eorum, qui Apostolos sunt secuti. Vnus autem Petri, alter Pauli discipulus post Ioannem, atque Matthæum Euangelia condiderunt.

Scis autem quid iterum Ioann. vlt. scriptum sit. Sunt alia multa (inquit Ioannes) quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Vnde multa sunt dicta, & facta, quæ tamen, nec Euangelistæ scripserunt, sicut hoc verbum, Beatius est dare, quàm accipere. Et licèr Euangelistæ passionem Domini diligenter perscripserint, non tamen in illis habes, quomodo cum lactimis & clamore valido sit exauditus pro sua reuerentia. Non itaque valet argumentum ex Euangelijs quatuor, Episcopus non est presbytero maior, ergo Episcopus non est presbytero maior. An putas errarint Concilia, immò sanctissimi patres statuentes certos casus ad Episcopos pertinere, de quibus tamen paulò profusiùs tecum infrà (dante Domino) disseremus, vbi tui operis colophonem eluemus. Sed quia tu ex Hieronymo putas tunc quando dicebatur in populis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ. In toto orbe decretum sit, vt vnus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.

Vera sunt ea Hieron. quæ pro te citas. At dic mihi Luthere quantum hoc Hieronymi dictum tibi suffragari possit? Dem tibi modo mihi semel tecum conueniat hæc esse verissima. At responde quæso, quando hæc dicta fuerint. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, putas ne tempore Leonis 10. neutiquam, immò nisi mentiatur Paulus, hæc dicta sunt Paulo, ac reliquis Apostolis viuentibus. Siquidem hæc verba in epistola priori, ad Corinth. cap. 1. posita sunt. Viuente itaque Paulo, viuentibus etiam Apostolis in toto orbe decretum est, vt esset Episcopus presbytero superior. Putas autem hoc ignorarint Apostoli, & ad hanc rem non consenserint? nequaquam. Immò hoc iugenuè dico ità ab Apostolis esse ordinatum, atque statutum, vt scilicet Episcopus esset presbytero maior. Quod & si multis ex argumentis probare possim, tamen sufficient mihi hic solius Hieron. verba, ex quibus apertissimè claret, quando apud Corinthios dicebatur. Ego um Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hoc est tempore Petri & Pauli in toto sit orbe decretum, vt superponeretur vnus, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret. Et hoc expresse tenent canones Apostolorum per Clementem collecti, ac dein per Græcos, atque Latinos etiam apud Gratianum approbati. Vides ergo quam caduca sint tua commenta. Sed mirabere forsan quomodo Episcopi, & presbyteri in communi debeant, ac possint regere Ecclesiam iuxta Hieronymi verba, si tu Luthere quandoque non dormitares, oculis etiam apertis scires, ad cuius imitationem hoc fieri debeat. Et quis te docuisset? certè cauda sententiæ, quam in epistolam ad Titum habet Hieronym. quam tamen veluti scopulum declinabas, ne tuam nauim impingeres.

Sed quid hìc dicit Moyses, qui cùm haberer in potestate solus præesse populo Israel 70. elegit, cum quibus populum iudicaret. Cur tantilla hæc verba, quæ post reliqua supererant, non adiecisti? cùm tamen esset vera connexio sententiæ. Certè hìc te plurimum suspectum reddis, quasi ad id natus sis, qui calumniosè truncatas velis citare scripturas. Cur non hìc in litus appulisti? Sed non ignorabas, vt scio, quid de Moyse, quid de septuaginta scriptum sit. Doctus es legis, nec finis apicem de lege perire. At quid dicit historia legis Exod. 18. Sedit Moyses, vt iudicaret populum, quia assistebant Moysi à mane, vsque ad vesperam. Quòd cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait: Quid est, quòd facis in plebe? cur solus sedes? & omnis populus præstolatur de mane, vsque ad vesperam? Cui respondet Moyses: Venit ad me populus quærere sententiam Dei. Cùmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. At ille non bonam inquit rem facis, stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est; vltrà vires tuas est negotium. Solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea, atque consilia, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasquè populo cerimonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi, & opus, quod facere debeant.

Et in Numeris ità scriptum est: Dixit Dominus ad Moysen. Num. 11. Congregamini septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, qui senes populi sint & magistri, & duces eos ad hostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi, & tu non graueris.

Iàm mihi responde, an non fuerit Moyses Iudex in populo? Hoc certè negare non potes, quoniam Exod. 18. legitur, quòd iudicarit populum à mane, vsque ad vesperam.

Sed iterùm mihi declara, an Iudices coassumpti fuerunt Moyse superiores? certè fuerunt inferiores, nisi tam tuus, quàm meus mentiatur Hieronymus, cuius tamen particulam data opera omittere volebas. Quòd si sic inter illos erat, fortè non fuerit tam absurdum inter Episcopos, ac Presbyteros discrimen asseuerare? Quare etiam alium intellectum nobis admittes, quàm tu ex Hieronym. expiscari cæperas.

Sed forsan hìc dices, nusquàm legi, quòd Petrus iudicarit Apostolos, non ergo superior: hoc tui obijciunt. Illis, non tibi respondeo. An non dignum putarint, vt post resurrectionem, post Domini in Cælum ascensionem, post Domini insufflationem, post acceptionem Spiritus sancti, Apostolus aliquis grande aliquod facinus commisserit? breuibus gyaris, etiam & carcere dignum, itaut veluti Iudæ Episcopatum eius alter acciperet, modò nobis esset historia, qua de aliquo Apostolo iudicasset Petrus.

Hi mihi respondeant (quòd & priùs obieci) cur præsentibus Apostolis, atque Discipulis in Ananiam, & Saphyram, & Simonem solus legitur Petrus dedisse senten-

tiam? Sed forsan ius ordinationis expectas, quòd certè non est patuum, alicuius potestatis superioris iudicium.

Dic mihi, de quo Episcopo vmquàm legeris, quòd totidem ordinarit Episcopos, & Presbyteros, quales Petrum, ac successores Petri ordinasse legimus? Quos ordinauerit Petrus, anteà monstraui.

Ad successores illius venio.

Linus ordinauit Episcopos 11. Presbyteros 18.

Clemens Episcopos 15. Presbyteros 10. Diaconos 2.

Anacletus Episcopos 6. Presbyteros 5. Diaconos 6.

Alexander I. Episcopos 5. Presbytet. 5. tres quoque Diaconos ordinauit.

Telesphorus Episcopos 13. Presbyteros 15. Diaconos 8.

Iginus Episcopos 5. Prebyteros 15. Diaconos 5.

Pius I. Episcopos 10. Presbyteros 19. Diaconos 19.

Anicetus Episcopos 9. Presbyteros 19. Diaconos 4.

Sorher Episcopos 11. Presbyteros 8. Diaconos 9.

Eleutherius Episcopos 15. Presbyt. 12. Diaconos 8.

Et Seuerinus Episcopos 15. Presbyteros totidem, & Diaconos 7.

Vide quot Episcopos, quot Presbyteros, quot Diaconos in ducentis annis ordinariut Pontifices Romani.

Hìc de Petro quoad Asiæ Prouincias nil dico. De his tamen, quos ad Occidentalem ordinauit Ecclesiam, omittere non possum, vt non enumerem, per quos nos Germani Christiani facti sumus. Nobis itàque vera tradit historia, quòd Petrus beatum Apollinarem Rauennam, Metis Clementem. Ad florentis. verò Vrbem Treuerim tres simul proceres Valerium, Eucharium, ac Maternum destinauit, qui dùm alpes transiissent, Maternus in via moritur, quo facto perculsi socij Romam reuertuntur. Beatus itàque Petrus Apostolus pastoralem virgam, vt traditur, per eos ad suscitandum eum misit, qui venientes ad locum sepulchri 33. dies inuenerunt eum in monumento iacentem. Attamen viri Dei fide, & operibus bonis pleni sub obedientia magistri, admota virga, socium à morte suscitarunt. Qui, vt fertur, post Eucharium, & Valerium per tot annos Treueren. & Agrippinen. rexit Ecclesiam, quot dies antè in sepulchro iacuerat. Ostenditur autem adhùc eadem virga in argumentum rei Treueri, & Agrippinæ, ità quod superiorem eius partem Treueren. inferiorem Colonien. habeaur. Sed sat fuerit in præsentiarum hæc tibi monstrasse. Vide nunc quàm bene cadat, & subsistat propositio tua.

CAP. XC.

Sequitur idem argumentum de Presbytero, & Episcopo.

LVTHERVS.

Ad tertium decretum eadem distinct. 95. cap. Episcopus in quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur. Et iterùm alio cap. Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intrà domum verò collegam Presbyterorum se esse cognoscat. Hæc ibidem esse decreta Concilij Carthaginensis 4. dicuntur. Quæ certè hæretica sunt, scandalosa, & seditiosa, vt vocant. Si Episcopi iure Diuino Presbyteris sublimiores sunt, quos esse collegas Episcoporum statuunt? Multò magis si vnus Episcopus cæteris sublimior est. Deleant ergo primùm sua præcepta decreta, quæ nos cogunt discere, vt quid damnant in nobis, quod ipsi nos docent? Patet itàque re ipsa æquales Episcopos inter se, & Presbyteros solo vsu, & Ecclesiæ causa alium alij præferendum. Ex quo vlterius sequitur. Si primatus Romani Pontificis vergere incipiat in Ecclesiæ detrimentum, omninò tollendus est de Ecclesia; quia humana iura, & consuetudines pro Ecclesia seruire debent, non contra Ecclesiam militare. Quòd si non fiat, iàm coram Deo traditio hominum irrita facit mandata Dei. Quare vide, quàm tenui pendeat filo Rom. adulatorum tyrannis, quæ seipsam auctoritate Diuina conata stabilire seipsam penitùs ea ratione subuertit.

FABER.

Ex his duobus argumentis nihil probabis. Siquidem hìc totum, quòd præcipitur, humilitaris est argumentum. Eapropter ergo statuitur, ne Episcopus sedens, antè se Presbyterum stare permittat. Et simile est, quòd Hieronymus ad Nepotianum scribit, dicens: Episcopi Sacerdotes se esse nouerint, non Dominos, honorent Clericos, quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis, quasi Episcopis honor deferatur.

Scitum illud est Oratoris Domitij: Cur, inquit, ego te habeam vt Principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem? Quòd Aaron, & filios eius, hoc Episcopum, & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnum Templum, vnum sit etiam ministerium. Recordemur semper quid Apostolus præcipiat Sacerdotibus. Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque vt turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque vt dominantes in Clerum, sed forma facti gregi ex animo, vt cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam.

Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesijs tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis, non loqui, quasi aut inuideant, aut

aut non dignentur audire. Et si alij, inquit Apostolus Paulus, fuerit reuelatum, sedenti prior taceat. Potestis enim per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes consolentur, & spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis. Gloria Patris est Filius sapiens. Gaudeat Episcopus iudicio suo, cùm tales elegerit Sacerdotes. Hæc Hieronymus.

Ex ista sententia nihil, vel parum inuenies, nisi quod Episcopum virtutem humilitatis sequi conueniat, quasi dicere velit, sicuti Petrus Princeps Apostolorum vocauit Paulum fratrem suum charissimum. Quod & Iacobum fecisse erga Paulum, testantur Actus Apostolici, vbi legitur: Vides frater, quot millia credentium. Et Paulus Tichicum, ac alios appellauit fratres. Ità & Episcopi Presbyteros suos fratres agnoscant. Id etiam à temporibus Ecclesiæ primitiuæ, vsque ad nos obseruatum esse legimus.

Quare Dionysius Corinthiorum Episcopus Nouato Romanæ Ecclesiæ Presbytero scribens, eum fratrem vocat.

Dionysius ait, Nouato fratri salutem.

Nec Xystum ægrè tulisse legitur, quando idem Dionysius super ortam hæresim ità concludit: Verè frater consilium peto, & requiro sententiam, quid tibi videatur in ea causa, quæ in Ecclesia nostra exorta est.

Vereor enim, ne fortè fallar in aliquo, & Patres in Concilio Carthaginensi congregati, ità, inter cætera concludunt: Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostri Bonifacio, vel alijs earum partium Episcopis, pro confirmando isto canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.

Eapropter etiam sanctus ille Leo Iulianum Episcopum fratrem vocat.

In epistola, quàm Flauiano Constantinopolitano scripsit Episcopo. Et plùs semel Anatholio scribens Episcopo Thessalonicen. non modò Anatholium, sed & Atticum veteris Epyri Metropolitanum Antistitem fratrem vocat.

Et ad Synodum scribens, quæ conuenit apud Ephesum, Flauianum fratrem, & Coepiscopum etiam Iulium fratrem appellat.

Et ad Mauros Episcopos scribens, vicem curæ suæ fratri, & Consacerdoti suo Poteutio delegasse legitur.

Hæc, & alia his similia passim in antiquis leguntur historijs, quæ per omnia commemorare longissimum foret.

At hæc omnia fuerunt humilitatis exemplum. Nec per ea Sacerdos factus est Episcopo superior. Immò nec Bonifacius, nec Leo ius, quod ex Nicæna Synodo, aut aliundè habebant, amiserunt. Propterea etiamsi in Cæsariensis Concilij 15. canone ità scriptum sit. Vicarij Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, constituti sunt quidem ad exemplum 70. seniorum, sed tamquam consacerdotes propter sollicitudinem, & studium in pauperes offerant, & honorabiles habeantur.

Tamen in Aquiritana Synodo datur potestas illis, quæ Presbyteris prohibetur. Siquidem ibi pro 15. regula sic ponitur. Vicarios Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris ciuitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate literarum eius in vnquam parochia aliquid agere. Numquid non hic habes Chorepiscopos esse consacerdotes ex Cæsariensi Concilio, & possunt ordinare ex Aquiritana Synodo, quæ Nicæna antiquior est, quod tamen Presbyteris facere non licet, nihilominus, & hi nec aliquid possunt imperare Presbyteris sine Episcopi præcepto.

Potest itaque Chorepiscopus, quod non habet Sacerdos, & imperat Episcopus, quod non audet Chorepiscopus. Addo aliud hic argumentum, quodque ante mille, ac centum annos sanctus Innocentius ad Decentium scribit Eugubinum, Episcopum cuius tu supra post Hieronymum memineras, huius verba sunt hæc, quæ pro tertio canone habentur. De consignandis infantibus manifestum est non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere. Namque Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus solis deberi, vt vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm illa lectio actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis tradant Spiritum sanctum.

Nam Presbyteri, seu extrà Episcopum, siue præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos vngere licèt. Sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum. Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videatur, quàm ad consultationem respondere. Hæc Innocentius.

Vides hic non à 400. sed à 1100. annis ità obseruatum, immò partim super actis Apostolorum esse fundatum, vt soli Episcopi sacro oleo signent, ac tradant Spiritum paracletum. Nec ità ridendum est sacræ vnctionis oleum, sicut tua captiuitas facit, cum tamen, & discipuli Domini dæmonia multa cijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur.

Quòd & in alio loco plenius tecum excutiemus. Satis iam fuerit tibi monstrasse licere episcopis, quod Sacerdotibus conuenire non poterit. Et ex canonibus Apostolorum habetur quomodo Episcopus sit cæterorum caput, ad quem omnes causæ sint referendæ.

Sed quod credis eapropter Episcopos Sacerdotibus non esse maiores, quia collegæ dicantur, dic mihi an non etiam in monopolio alioqui de iure codicum illicito non oporteat esse præsidentes? Taceo de collegio licito, quale fuit honorabile collegium Apostolorum, in quo fuit caput Petrus Apostolus. Sacerdotes itàque collegæ sunt, sicut in 35. canone Apostolorum scriptum esse legimus in hęc verba: Episcopos gentium singulorum scire cõuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ parochiæ, & propria, & villis, quæ sub ea sunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciet aliquid. Sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Dominus

minus per Christum in Spiritu sancto. Quòd si de auctoritate canonum, quos Apostolorum esse dico, dubitares, vide in distinct. 16. Decret. & inuenies hic me nihil Apocryphi citasse, & non solùm ibi, sed & in Græcis sanctis auctoribus eosdem canones pro veritate roboranda crebertimè reperies.

CAP. XCI.

Affert Lutherus auctoritatem Cypriani, quòd nullus est Episcopus Episcoporum, sed optimè respondet Faber.

LVTHERVS.

HVc & Cyprianum voco, quem & beatus Augustinus allegat lib. 2. de baptismo dicentem. Neque enim quisque nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium tamquam ab alio iudicari non possit, quo nec ipse potest alterum iudicare.

Sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi. Hic gloriosus martyr palam confitetur tyrannidem esse ab vno Episcopo alios cogi ad obedientiã. Ad hanc tyrannidem, velut iustitiam, penè omnes decretalium syllabæ, & statuunt, & seruant tamquam diuinam auctoritatem. Deinde mirum est, quod B. Augustin. non redarguit Cyprianum à se allegatum, si sensit eum contra ius diuinum loqui, sed potiùs cum eo consensit, omnes scilicet Episcopos esse æquales.

FABER.

Si hic rectè agere voluisses, dum tibi non omittenda fuerunt, primum vt non ex Augustino Cypriani verba mendicares, cum Cyprianum habere poteras. Quod si fecisses, potuissent omnes intelligere quo animo, & in quem finem dixerit hęc Cyprianus.

Siquidem te non latet kal. Septemb. conuenisse Carthagini Episcopos ex Aphrica, Numidia, & Mauritania cum Presbyteris, atque Diaconis, vbi Cęcilius à Bilta, Policarpus ab Adrometo, Nouatus à Thamugade, Pollianus à Milleo, Potentianus à Laribus, Zosimus à Tharassa, ac alij quid sentirent, suas dedere sententias.

Sed quid actum est antequam hæc facerent? Lectæ sunt binæ literæ Iubaiani. Scripserat autem Iubaianus de Nouatiano super hæreticorum baptismo, qui foris positi sunt & extra Ecclesiam constituti. Et quod volebat Nouatianus? certè symiarum more, quæ cum homines non sint, homines imitantur, id sibi vendicare voluit, & apud se dixit esse Ecclesiam. Hæreticos autem eos fecit, qui in Carthagine conuenerunt, & temeritatis erat iudicium.

Ne hanc temeritatis notam Cyprianus cum suis collegijs incurreret, non ità simpliciter exorditur, sicut hic obijcis, sed hæc sunt verba Cypriani. Lectæ sunt vobis, & aliæ Iubaiani literæ, quibus pro sua synceta, & religiosa deuotione ad epistolam nostram rescribens, non tantùm consensit, sed & instructum se esse gratias egit.

Superest vt de hac ipsa te quid singuli sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si aduersum senserit, amouentes. Post hæc sequitur. Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, &c. Quid iam Luthere post hæc ex Cypriano probabis? cur neminem iudicare volebant? Cur nolebant à iure communionis aliquem diuersa sentientem amouere? Certè ne culpabiles essent, in quo culpabilis erat symia illa Nouatianus. Nouatiani temeritas erat, vt de Episcopis in Aphrica, in Numidia, in Mauritania ità iudicaret, vt eos palàm diceret hæreticos, nec esse apud illos Ecclesiam, & alia id genus impudentissimè euomuerat. Sic quoque indignus iudex indignè de viris sãctis iudicabat. De qua re ad Iubaianum multa scribuntur. Et quis fuerit ille Nouatianus? certè suis depingitur coloribus per Cyprianum in epistola ad Cornelium Papam. Desertor dicebatur Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, Doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis, fidei hostis. Denique præsumebat Aphricanos non esse de Ecclesia. Hoc ipsi iuxtà Cypriani sententiam facere nolebant. Et illud est, quod dicit Cyprianus. Neque quisquam nostrum Episcopum, &c.

Hoc primò omnium considerare debebas, nec ità hiulcam proponere sententiam.

Erat denique secundò loco non prætereundem, quod August. mox in sequentibus duobus, scilicet tertio, & quarto capitibus eiusdem libri subiecit.

Summarium tertij capitis hoc est, increpantur Donatistæ superbi, & auctoritas Scripturæ omnibus alijs Scripturis potior declaratur.

Summarium quarti capitis hoc est, commendatur Cypriani humilitas, & magnificatur Ecclesiæ auctoritas.

Et eapropter dicit August. sanctus Cyprianus tantò excelsior, quantò humilior, qui documentum Petri sic amauit, vt diceret documentum, scilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus. Et in summa hic Cyprianus non reijcit, nec damnat aliud, quàm temeritatem illam, quam supra proposui, immò illius iatneamur epistolas ad Cornelium, ac Stephanum. Et sat commodè inuenire possumus, quæ & quanta dederit, ac admiserit Cyprianus Cathedræ Romanæ à qua vnitas Sacerdotalis cœpit exordium. De Petro nihil hic dicam. Scis quid contra Donatistas dixerit August. Obijcere soletis, inquit, Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium. Cur auctoritate Cypriani pro vestro schismate assumitis, & eius exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Per id ergo adimere non potes, quod in Sardicen. aut fortè Nicæno Concilio, & alijs iustè fuit ordina-

tum,

tum, in maioribus causis semper ad Sedem Romanam, quæ ceteris prælata fuit, appellandum sit. Cyprianus etiam eapropter alium iudicare noluit cum Romanum Pontificem sciret esse superiorem. Quod ergo hic pro te facere putas, omninò tibi contrariatur. Et fortè beatis. ille Leo propterea sic Anatholio scribit. Vices nostras ità tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quid hic apertiùs Leo dicere potuisset? Anatholius erat Episcopus, erat & Leo Episcopus, tamen fuit hic Anatholius Leonis Vicarius, velut alibi monstratum est.

Sed hic forsan expectas vt tibi dissoluam, quod in Gelasio reprehendendum putas, qui scripserit hæc verba. Cuncta per Mundum nouerit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpotè quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi. Neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ab illam de qualibet Mundi parte canones appellari voluerunt. Ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter satis constat Achatium habuisse nullam Pontificum sententiam Sedis Apostolicæ sine vlla eius notione soluendi, qua certè Synodo hoc ille præsumpsit, quod nec sit absque Apostolica Sede fas quidem haberet efficere parochus Heraclensis Ecclesiæ. Si illi certè licuit sine Synodo sententiam Apostolicæ Sedis abrumpere, nulla eius consultatione quæsita, ità ne verò non licuit primæ Sedi Chalcedonensis Synodi constituta, sicut decuit exequenti huiusmodi præuaricatorem in sua auctoritate detrudere. Hæc Gelasius.

Credis hunc textum intra 400. annos esse natus, & forsan esse textum Gelasij 2. qui vixit circiter annum Domini 1118. Ea propter, & alibi forsam tàm dire inuehis in Gelasium scribentem Sedem Romanam potestatem habere de omni Ecclesia iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Certè hic toto Cœlo erras. Non enim est text. Gelasij II. sed Gelasij I. qui vixit circiter annum Domini 494. Et sic est tibi certamen contra mille annorum auctorem. Malè hominem tractasti, cum de hoc loco ageres. Siquidem causam esse maximam ais, cur decreta combusseris. Quamquam hic tibi respondere potuerim. At cum ità excandueras, te iratiorem facere non videbatur admodum esse consultum.

Sed hic tibi aperiam quàm indignè tam sancto viro post totidem secula tragediam excitaris. Gelasius ille, cuius textus in cap. cuncta 9. quæst. 3. tempore Alarici Romanus erat Episcopus, hæreticos in vrbe deprehensos exilio damnauit, eorumque libros publicè combussit; basilicas dedicauit, clerum amauit, & auxit, pauperes semper mira beneuolentia, & charitate complexus est, ciuitatem Romanam à multis periculis liberauit, maximè ab inopia rerum & fame: hymnos etiam composuit ad imitationem beati Ambrosij edidit & libros quinque contra Eutichem, & Nestorium, duos item contra Arrium, orationes habuit elegantes, & grauas epistolas præterea ad amicos, & domesticos fidei scripsit non minùs graues, quàm doctas, quæ opera in publicis bibliothecis rum legebantur.

Et multa sunt illius generis præconia, quæ de Gelasio dicuntur. In summa hoc nemo negare potest, Gelasius ille primus vir fuit sanctus, atque doctissimus, ad quem etiam confugit Ioannes Alexandrinus Episcopus. Nec sententiam, quam citas, paucis esse complexam tibi persuadeas, immò est epistola decem, vel duodecim foliorum, cuius hoc extat argumentum. Erat quidam Achacius Eutichianæ hæresi communicans, hunc Sedes Apostolica damnauit:

Ea propter quidam submurmurare cœperunt, quasi id fieri non debuerit, nisi vocata Synodo speciali. Ille sanctus pulchrè demonstrat, quòd semel statutum sit à sanctis Patribus, semelque damnatum in alia Synodo, quasi nouum tractari minimè debere, nec oportere nouam Synodum congregari ad damnandos sequaces hæreticorum. Immò quisquis damnati erroris communicator extiterit, sit principali sententia damnationis obstrictus.

Probat hoc in Sabellio, in Arrio, Eunomio, in Macedonio, Nestorio. Pulchrè quoque ostendit huiusce damnationis exequutorem semper principalem, ac primum fuisse Romanum Pontificem, aut primam Sedem Romanam, hanc vnamquamque Synodum, ait, sua auctoritate confirmare, & continuata moderatione custodire. Vide de Principatu Petri; & Chalcedonense Synodo nonnulla inducit, demum subinfert cuncta per Mundum, &c. quæ tibi tamen displicere. Ea tamen aliter proponis, quàm scripta sint. Tu siquidem laicis inculcas quasi de Pontifice nemo iudicare possit, cum tamen in hac sacra epistola nihil inueniatur. Immò verissimum est, quod hic Gelasius habet. Numquid non sanctæ memoriæ Athanasium Synodus Orientalis addiderat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum, Synodus etiam Catholicorũ Præsulum certè damnauerat, vel simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque S. Flauianum Pontificum Græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiùs quàm qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua auctoritate damnauit, & in impiam Synodum non consentiendo, sola submouit, & veritatem vt Synodus Chalcedonense fieret, sola decreuit. Vides hic quantæ dignitatis fuerit semper Romanus Episcopus. Hæ sunt historiæ non trium dierum in sollitudine, sed planè sunt mille, ac ferè ducentorum annorum. Et tu iam post totidem secula erumpis, ac sic omnia inuertis, quasi iamptidem nata sint omnia. Et alibi, quod dolendum est maximà, nescio, quæ de Gelasio dicas, cum tamen hic optimè sit de sancta Ecclesia meritus qui hæreticos tam constanti animo repressit, Manichæos confundit, Acbatij importunitatem compescuit, Anastasium Imperatorem excommunicationis sententia propter hæreticos percussit, Vandalorum Regem, quia fauebat Arrianis, à sacris abstinere iussit.

CAP.

CAP. XCII.

Probat Lutherus ex Cypriano plebem debere eligere, sed respondet Faber ordinatos quamplurimos sine plebe.

LVTHERVS.

SEd videamus, & alia. Idem Cyprianus lib. Epistolarum, primò epistola 4. ad Felicem Presbyterum probaturus diuinis testimonijs, quòd in potestate non Episcoporum, sed plebis maximè sit eligere, aut recusare Episcopos, dicit, propter quod plebs obsequens dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de Diuina auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, vt dignus, atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Mosi præcepit Dominus dicens. Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem, coràm omni Synagoga; & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic, coràm omni Synagoga. Iubet Deus constitui Sacerdotem, idest instrui, & ostendit ordinationes sacerdotales, nonnisi sub Populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe, præsente, vel detegantur malorum crimina, vel malorum merita, prædicentur: & sic ordinatio iuxta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata. quæ postea secundùm Diuina magisteria obseruatur in actis Apostolicis, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio discentium; fuit autem turba in vno, nec hoc in Episcoporum tantùm, & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinatione obseruasse Apostolos animaduertimus; de quo ipso in actibus Apostolorum scriptum est.

Et conuocauerunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis, quod vtrique idcircò tàm diligentèr, & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis cum Altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Propter quòd diligentèr de Diuina traditione, & Apostolica obseruatione obseruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque ferè Prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ propinqui quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorū vitam plenissimè nouit; quòd & apud vos factum videmus in Sabini nostri Collegæ ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentiam conuenerant, qui de eo ad vos literas fecerūt, iudicio Episcopatus ei deferentur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Hunc eitū per multas, & alias Epistolas idem Cyprianus commemorat semper suffragium Populi, & iudicium propinquorum Episcoporum, ità allegans, vt hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet. Qui ritus, quòd fit ad eum, qui hodie ex vrbe petitur, in quo non modò exclusus est Populus, sed nec Sacerdotum electio satis est; alijs relinquo. Nec referre est necesse, quantò fœliciùs hodie is ritus Diuinus seruaretur, præsertim tot Sacerdotibus malis regnantibus, & inuito Populo impositis.

Nàm videmus, & Romanam Curiam per gratias suas expectatiuas passim in mundum, etiam intrudi Sacerdotes. Transeant hæc. Hunc quætor, quòd hunc ritum sacratissimum, & vetustum, iurique Diuino per omnia conformem, hi nostri hæreticum, & damnatum haberi volunt, pro ritu suo recentiore, cùm tritum omnibus sit Sanctum Nicolaum, Sanctum Martinum, Sanctum Ambrosium, omnesque priscos patres, eo modo fuisse ordinatos. Sit itàque ritus hodiernus, qualis esse potest, modò Romanum Pontificem non iniure Diuino, id posse putemus, ne tot seculorum Sanctos, & martyres contra ius Diuinū egisse damnemus.

FABER.

Constituendorum Episcoporum in Ecclesia varium fuisse Ritum ostendimus. Siquidem electo Matthia, simul in Cœnaculo fuerunt Petrus, Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus eius; & statuerunt duos Ioseph, qui vocabatur Barsabàs, & Matthiam, & dederunt sortes eis. Et cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Deindè Ecclesiæ Hierosolymorum, vt est apud Eusebium, primus Episcopus ordinatur ab Apostolis, Iacobus frater Domini; post quem Apostoli, cęterique Discipuli elegerunt Simeonem Cleophæ filium. Et de Polycarpo legimus, quòd ab Apostolis fuerit ordinatus Smyrneorum Ecclesiæ Episcopus. Et idem de Theophilo legimus, quòd apud Antiochiam ab Apostolis Ecclesiæ tenuerit Pontificatum. Et de Dionysio Areopagita traditur, quòd apud Athenas à Paulo fuerit ordinatus Episcopus. Hic nihil de Frumentio dicam, de quo in 1. Ecclesiasticæ historiæ libro. Ex his alijsque Sacræ Scripturæ locis patet electionis Episcoporum formam fuisse variam. Et nescio Luthere an semper Apostoli in constituendis Episcopis, hac forma vsi fuerint, qua vis Episcopum eligi per consensum Populi, &c. Immò hic licèt apud Cyprianum inuenias Diuinam auctoritatem descendere, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur; tamen vt apud eundem habes in comperto est, id non apud vniuersas teneri Prouincias.

Et licèt ea de re scripserit ad Cornelium in eiusdem primi libri tertia Epistola, tamen nec in hac, nec in illa vicinorum certus Episcoporum numerus exprimitur. Sicut postea

in

in Niceno Concilio expressè habetur Episcopum à tribus ordinari debere, quod & in Canonibus Apostolorum esse statutum inuenio. Postea quoque roborarunt Sacta Concilia, dempta Tripoli, cùm qua fuit ex caosa dispensatum, vt alibi dicam. Et apud Ruffinum habes vndecimi Ecclesiastici historiæ libri auctorem, quomodo sit electus Ambrosius. Putas ne hæc electio nostris temporibus possit admitti? Tu quæras ab alijs quale sit in huiusce rebus vulgi iudicium.

Numquid non tempore Gregorij septimi, Henricus Imperator Episcopatus conferre solebat. Scis autem, quid mali is egerit, & quale iusiurandum Romano Pontifici præstiterit. Eo denique tempore solebat Imperator Romanorum confirmare Pontificem. Et Episcoporum confirmatio noua non est; siquidem hoc Sacra Concilia tradiderunt. Et qualis requiratur assensus, pulchrè Leo tradit in epistola, quam scribit ad Anatholium Thessalonicen. Episcopum. Nec forsan ignoras, sub Antiocheno Patriarcha. 140. fuisse Episcopos, vt est apud Platinam in Vrbano secundo. Putas ne in eligendo Episcopo semper talis fuerit ordo seruatus, qualem hic Cyprianus habet? Hi sunt ritus, sunt cærimoniæ, etiam si cum successu temporis immutentur, non est quo iustè conquæramur. Sanctis Concilijs prouisum est, ne Præsbyter ante trigesimum annum ordinetur, propter exemplum Domini Saluatoris, qui & in ea ætate iamprimum prædicare cœpit. Iàm in Concilio Vicennen. traditum est, quod aliquis in vigesimoquinto ætatis suæ, anno ad Presbyteratus ordinem possit ascendere. Et hic nihil est admissum erroris. Ità & in Episcoporum electione, siquid fuerit immutatum, mirum non est.

Addo quod inter regulas secundùm Laodiciam Phrygiæ Pacatianæ pro duodecima diffinitione, sic scriptum inuenio de eo, quòd non sit Populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi. Sed re vera de probandis] Episcopis, sicut in Sardicensi Concilio statutum est, ferè per omnia iàm nostris seruantur temporibus. Et non video quantum ad plebem pertinet, in deligendo Episcopo aliud exigi, quàm quòd oportet illum testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt, ità iubente Paulo, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Et talem ritum non esse vnius, sed multorum sæculorum, tradunt historiæ. Vnde tempore Gregorij Magni, vt Anglorum habet historia, ità ordinatum esse legimus, vt Episcoporum ordinatio non sine tribus, aùt quatuor fiat Episcopis. Hic non dicam de Pallio, quod à Gregorio accepit Arelaten. Galliarum, & Lundonien. Anglorum Episcopus, quod & Bonifacius Papa, ac Papa Honorius fecisse leguntur. Sed iu hac re aliorum esto iudicium. Tu memineris non peccasse Apostolos, etiam si absque plebis consensu ordinarunt Episcopū. Quòd si hoc licebat Apostolis, forte non erit detestandum nostris temporibus. Sed & vide ne putes electionem, consecrationem, & confirmationem esse vnum, ac idem.

CAP. XCIII.

Vult Lutherus nomen vniuersalis ex Gregorio non spectare, nec ad Petrum, nec ad Papam, sed probat Faber ex eodem Gregorio Papam esse successorem Petri.

LVTHERVS.

Gregorius primus lib. 4. registro. epistola. 52. Licèt per auctoritates illas, [Pasce oues meas, &c. & Tu es Petrus, &c.] Petro Apostolorum Principi totius Ecclesiæ curam à Domino commissam dicat, tamen in hac cura nullum Episcopum ei successorē patitur. Sed nec Petrum Apostolum vniuersalem appellari dicit, scribens ità de Mauritio Augusto, de Ioanne Constantinopol. Cura totius Ecclesiæ, & Principatus Petro committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus vocari vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, [O tempora, ò mors, &c.] infrà. Si nomen illud in Ecclesia sibi quisquā arripit, vniuersa ergo Ecclesia (quod absit à cordibus Christianorum) nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Ecce habes, quòd blasphemiæ nomen sit vniuersalis Episcopus; quid putas de nomine summi, maximi, sanctissimi dixisset?

FABER.

Scripsit contra te quidam Pythagoras, vir pro suo seculo non ineruditus, qui post multas vigilias certè tibi tribueret nullū Petri successorem esse. Siquidem quòd à Paulo scriptum est in epistola ad Ephe. 6. pro quo legatione fungor in cathena. Et. 2. ad Cor. 5. Pro quo legatione fungimur, &c. Credit Apostolos eos fuisse legatos; de quibus fortè Ioan. Andreæ in glo. quam Canonistæ magistralem vocant, vbi tria sunt legatorum genera, Legati scilicèt de latere. Legati nati, & Legati missi; vbi de Legatis forsan missis intelligens, hoc habet, quòd isti finita legatione successorem habere non possunt. Sed hic mihi cum illo nihil conueniet. Hoc ego liberè dico Christū Legatum dici posse. Siquidem omnes scribūt, quòd ad gentes Legatus missus sit mediator Dei, & hominum, homo, Christus, Iesus. De quo, & Pater loquitur per Aggeum. Mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Et apud Esaiam iste scribitur magni consilij Angelus. De hac legatione Hiero. 1. c. Abdiæ. Licèt is Legatus fuerit, tamen & Apostoli Legati fuere, immò non solùm Legati, sed & Vicarij Christi, nisi erraret Ambro. 1. 2. Epistolam Pauli ad Cor. c. 5. Immò, vt est apud Theophilactum, Paulus non solùm Legatus, sed & Delegatus erat. Addoque illud Matth. 21. Malos malè perdet, & vineam alijs agricolis locabit; significat Apostolos, & eos, qui Apostolis successuri sunt. Sicut expressè loquitur Hiero. in Esa. c. 5. Non itàque fuerunt Apostoli Legati, qui

non potuerint habere successores, immò si omninò Canonistarum more ità mihi loquendum fuerit, Paulus fuit Legatus Christi, Timotheus Delegatus; & quos Timotheus iuxtà Pauli dispositionem Presbyteros ordinauit, Subdelegati fuerunt.

Hi quoq; rectè quotquot fuerunt, Christi legati etiam dici merebantur. Et August. vt in alio loco traditum est, sacerdotes Christi Vicarios, atque legatos vocat. Et non in vno scripturæ loco reperitur Episcopos Apostolorum, & Sacerdotes Discipulorum successores esse. Proin grauissimus est error, quo dicitur Apostolis dumtaxat, non etiam successoribus esse dictum, Qui vos audit, me audit. Sic enim à simili, nemini demùm diceretur potestatem dedisse consecrandi præter quàm Apostolis, quibus solis dixit. Hoc facite in meam commemorationem. Et multa sunt his similia, quæ tandem nos in perditissimos ducerent errores, si non verba Euangelij pro communi intellectu Ecclesiæ capiamus? Sed ad Gregorium hîc venio, cuius dicis esse sententiam, quòd ex Gregorio non sit aliquis Petri successor. Gaudeo non parù, quòd magni illius similiter, ac sancti Pontificis auctoritatem demùm recipis. Hæsitaui sat diu, an qui non facilè iuras in verba magistri, nec Gregorij illius sancti scripta tecum fidem haberent. Iam cum certior fio, tecum ex Gregorio conferam audentius. Scribis hîc Gregorium non admittere quemquam Episcopum Petri successorem, si de alio, quàm Episcopo Romano hoc intelligis, certè dicis, quæ vera sunt, sed nihil ad Romanum Episcopum, siquidem Romanus Pontifex est Petri Vicarius. Audi de re Gregorium Columbo Episcopo ità scribentem. Nos qui licèt immeriti sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum Principis suscepimus gubernandam, ipso Pontificatus tempore cogimur generali hosti, quibus valemus nisibus obuiare.

Et idem scribens vniuersis Episcopis per Dalmatiam, sic habet. Ex beati Petri Principis Apostolorum auctoritate præcipimus vt nulli penitùs extrà consensum, permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinem pertinet, in Salonitana ciuitate manus imponere præsumatis, nec quemquam in ciuitate ipsa aliter, quàm diximus, ordinare.

Et idem scribens vniuersis sanctæ Ecclesiæ filijs. Interdicimus in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum Principis prohibemus, cuius vice huic sanctæ Ecclesiæ Romanæ præsidemus auctore Deo. Etiam eodem Libro, quem citas, quidam Episcopus olim in hæresim lapsus, ità iurat. Spondeo sub ordine mei casu, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorum Principi, atque eius vicario beatiss. Gregorio successoribus eius me numquam quorumliber suasionibus, vel quocumque alio modo ad schisma, de quo, Redemptoris nostri misericordia liberante, ereptus sum, reuersurum, sed semper me in vnitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ, & communione Roman. Pontificis per omnia permanere &c. Ex his & alijs Gregorij locis habes admisisse Gregorium, neque negare se vicarium, atque successorem esse Petri. Quod & apertè comprobatur in quadam Epistola eiusdem, Gregorij, quam scripsit ad vniuersos Episcopos Numidiæ, sed quod ad vniuersalem attinet Episcopum, qualem se vocare volebat Ioannes Constantinopolit. Episcopus. Scio magnum Gregorium ea de re sæpè scripsisse, scribit etenim super isto negotio Eulogio, & Anastasio Episcopis, scribit & ad ipsum Ioannem Constantinopolit. Item & ad Anastasium Episcopum Antiochenum, scribit ea de re Mauritio Augusto, & Constantinæ Augustæ, sicut & tu citas, quamquam sit mihi in parte 5. quod tu in 4. libro positum ais, sed numquam Gregorius illud inferret, quod hic abscindendum fortè putasti. Siquidem ità scriptum inuenio. Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce diuina sancto, & omniom Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippè dicitor, [Petre amas me, pasce oues meas,] ipsi dicitur, ecce Sathanas expetiuit vos cribrare sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, ipsi dicitur, [Tu es Petrus &c.] Iam post hæc verba quid & quantum pro te facere credis? Sed age cur prætereris, quæ Gregorius Mauritio scripsit, & quæ tu numquam admittis.

Tota enim tua contentio super eo versatur, quòd non ex Euangelio, nec voce dominica Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa. Hic verò quod diù quæsiuimus, habemus. Iam cum Andrea dicemus, inuenimus messiam, nec hoc ità debet intelligi de vniuersali Episcopo, sicuti credis, immò hæc est series rei gestæ, quòd licèt ex decreto patrum Rom. Episcopo subesse reliqui deberant, tamen non erubuit Constanopolit. Episcopus se eidem præferre, & se vocare vniuersalem, hoc tam vehementer detestatur magnus ille Gregorius, vt non fuerit veritus dicere hoc factum Ioannis esse contra statuta Euangelica, contra sanctiss. canones.

Nec id abs re factum esse puto, siquidem non parua fuit arrogantia, quod is se teste Gregorio ad Sabinianum Diaconum, in quadam epistola penè per omnem œcomenicum patriarcham nominarat, hoc autem quoties à Constantinopolitano tentatum fuit Episcopo, toties hoc à Rom. fuit Episcopo reuocatum. Vnde Pelagius 2. sancti Gregorij decessor intelligens hoc in Constantinopolit. synodo tentatum, quamprimùm agnouit, directis epistolis, ex auctoritate sancti Petri Apostoli eiusdem synodi acta cassauit, quæ res certè Rom. Pontifici, non parnam tribuit auctoritatem, eo quòd ferè ante mille annos Pont. Rom. synodi tam celebris potuerit acta cassare.

Nec res est parui momenti, quòd in eadem epistola scribit Antiochenum, hoc Ioannem fecisse contra mandata dominica, Apostolica præcepta, ac regulas patrum. Et non solùm Gregor. Non solùm Pelagius 2. hoc nomen in alijs prohibuerunt, sed & alios Episcopos Rom. toris viribus contra hæc nisos fuisse tradunt historiæ, de qua re, quid Adrianus 1. Constantino, & Hirenæ de Tarasio Constantinopolitano scripserit in breui, ex actis secundi Concilij Niceni intelliges, quæ

quæ nuper Reuer. Dominus Matthæus Cardinalis Sedunen. huiusmodi rerum antiquarum diligentissimus indagator plurimum non sine causa probabat, cuius etiam auxilio spero propè diem illæsis habituros impressa. Ex quibus etiam Adrianum 1. Hunc titulum vniuersalem in Tarasio reclamasse inuenies. Quamquam non negem Gregorium plus cæteris, ac vehementius egisse. Ità etstatur ipsemet in epistola, quam idem Gregorius scripsit ad Ioannem. Sed quid opus est multis? Gregorius, Pelagius, Adrianus ac cæteri iustissimè damnarunt in Episcopo Constantinop. quòd se diceret vniuersalem Episcopum. Et non memini me sæpè legisse, quòd se Rom. Pontifex vniuersalem scripserit Episcopum, quamquam hoc facere potuisset, iuxta permissionem Chalcedonen. Concilij, hoc tamen negare non possum, ab Egyptijs, Aphricanis, & orientalibus Roman. Pont. sępissimè scriptum extitisse in hæc verba, sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopo. Et hos titulos, quos hic adeò contemptim damnas, vt scilicet Pont. Rom. non summus, non maximus, non sanctissimus, vocetur, non à 400. annis, sed plusquam à 1000. scriptos esse reperio, quod alibi multis ex locis ostendi.

Et vsitatissimum fuit inter episcopos, vt alter alterum sanctissimum, siue beatissimum scriberet, atque vocaret, & id adeò commune erat apud August. vt etiam Diaconum suum beatissimum appellarit. Quòd si veteribus Hermetem Trimegistum, hoc est ter maximum appellare licuit, eo quòd sacerdos erat, & rex. Ni mirum si Principem episcoporum, beatissimum, ac maximum vocemus. Et tu, vt ex ore tuo te iudicem, Leonem X. vocasti Rom. Pont. maximum. Nec peccatum commisit sanctus ille Bernardus, qui Honorium 2. ferè ante 400. annos Pontificem summum vocauit, cuius sit summa auctoritas.

CAP. XCIV.

Probat ex eodem Gregorio dicente se Seruum Seruorum non esse successorem Petri, sed ex eodem Faber probat contrarium.

LVTHERVS.

SEquitur certè pro beati Petri Apostolorum Principis honore perueneratandam Chalcedonen. synodum Rom. Pontifici oblatum est, sed nullus eorum vmquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vsi consensit, ne dum per primatum aliquid daretur vni, honore debito priuarentur sacerdotes vniuersi, perspicuum est hunc Gregor. qui se cunctorum sacerdotum seruum potiùs, quàm Dominum vocat, & seruum seruorum Dei non credidisse solum Rom. Pontificem Petri successorem esse, vt qui abhorreat Princeps sacerdotum, & episcoporum dici, cum illum Principem Apostolorum dicat.

FABER.

Quam iustè in Ioanne Constantinopolit. hoc nomen vniuersalis reprehensum sit, supra ostensum est, Sed quòd hic Gregorius habet, nihil ad rem pertinere videtur. Quid enim hoc præstare potest. Rom. Pont. hoc nomen abhorruisse? siquidem rectiùs conueniebat Euangelicæ legi, vt se Gregorius seruum seruorum Dei, non vniuersalem scribetet Episcopum, quod & in alio loco monstratum est. Quòd si Chalcedonen. illa synodus pro beati Petri Apostolorum Principis honore. Rom. Pont. vniuersalem esse decreuerit, putas ne pro te, vel contra te pugnet? Certè videtur non parum hic Rom. Pont. firmari auctoritas Sancti, etenim patres quorum numero sexcenti, ac triginta fuerunt, non sine causa maxima illa fecerunt. Nec id vmquam fecissent, nisi iusta, & rationabili causa permoti. Quòd Gregor. recusauit hoc nomen, humilitatis erat officium.

Videas ergo quàm incautè primatum Petri, ac Rom. Ecclesiæ tollere coneris. In registro Gregorij hoc scriptum inuenio, sicut sancti Euangelij quatuor libros. Sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet Constantinopolit. Ephesinum, & Chalcedonen. Et ad quem scripsit Gregor. illa? certè ad Ioann. Constantinop. Eulogium Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, Ioan. Hierosolymitanum, & Anastasium Antiochenum. Quid hoc sibi voluisse putas, quòd Greg. vna epistola scribit ipsis in longinquis mundi partibus constitutis? Sed pergo, in Nicęna synodo decretum est, quòd Ecclesia Rom. semper habuerit primatum, ità quædam exemplaria testantur, putas ne Gregor. ille primatum hunc abdicare voluerit, qui tam impensè curauit, vt patrimonium Petri saluum esset? Quantum ad Chalcedonense Concilium attinet, scis scriptum ab eodem, quòd omninò velit hoc seruari Concilium, nihil addere, nihil subtrahere, immò si quis attentarit, hunc anathemati subiecit, ac à sinu matris Ecclesiæ alienum esse decreuit.

Et hoc non semel in Regesto Gregorij reperitur. Sed qoid dices ad hoc? Idem Gregorius scribit Eusebio Thessalonicensi, Vrbitio Titachitano, Andreæ Neapolitano, Ioanni Corinthio, Ioanni primæ Instinianæ, Ioanni Cretensi, Ioanni Laryssæo, & Excodricano, quòd nulla synodus absque sedis Apostolicæ auctoritate, atque consensu vires habeat, aut possit habere. Quod dictum re vera est pro sedis Romanæ primatu non parui momenti. Quicquid ergo hic Gregorius habet, in eam partem potissimùm tendit, quòd hoc glorioso nomine gaudere noluit.

Sed interim audi, quid dicat. Sed seruanda est, inquit, virtus humilitatis, vt non soluantur iura regiminis, ne dum Prælatus quisquam plus se, quàm decet, deijcit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non posset. Hoc Gregorius constantissimè seruauit, qui nullibi passus est, vt vel eiusdem Ecclesiæ quicquam detraheretur. Hoc testantur, vt dixi, ferè omnes illius epistolæ, quarum vsque ad octauam indictionem mille fuisse inueniuntur. De quibus tamen infrà paulò profusiùs.

CAP. XCV.

Prosequitur idem argumentum.

LVTHERVS.

IDem in sequenti epistola ad Constantiam eumdem Ioannem Lucifero comparat dicens. Quia illum videlicet imitatur, qui spretis sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere. Idem in epistola 36. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopos: Sicut nouit veneranda sanctitas vestra, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui (Deo disponente) deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullius vmquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit; quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur. Et infra de eodem vniuersa tanta sibi ascribere, & omnia quæ soli vni capiti cohærere (videlicet Christo) per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studet subiugare. Obsecro quid mereretur, qui hodie sic loqueretur? Hic Gregorium Romanum Pontificem prosequitur tamquam prophanum, quod nostri statuunt quasi ius diuinum.

FABER.

Dic mihi quid hic aliud agat, quid velit hic aliud noster ille Gregorius, quàm quòd ante Gregorij tempora centum & quinquaginta annos Leo voluerat. Siquidem Leonis tempore Anatholius ille Episcopus Constantinopolitanus Ecclesiæ suæ primatum vsurpare volebat. Vnde ad Marcianum Augustum per Lucinum Episcopum, & Basilium Diaconum ità Leo scribit: Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana Ciuitas gloriam suam, & protegente Dei dextera diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum secularium, alia diuinarum. Nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit, non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam facere non potest, sed nec vllo modò speret, quòd per aliorum offensiones possit augeri. Priuilegia etenim Ecclesiarum sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate immutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est. Et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicena ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) cohibente, violentur. Hæc Leo.

Damnabis ne hic Leonem, hunc virum sanctum, & doctum, qui non admiserit Anatholio primatum? Sed damnabis ne Gregorium, qui vt passim est in Regestis, ferè totius Orbis Episcopis leges dedit, atque præfixit, illosque coercuit. Scis hunc ad Anastasium Antiochenum Episcopum, ità scripsisse: Sicut Patriarchis alijs Patribus nostris Synodicam vobis epistolam direxi. Mandat nonnihil Gennalio patritio, & inter cætera præcipit de eligendo Primate, Clero pariter Neapolitano præcipit, vt Pontificem eligant. Maximianum etiam Syracusanum Episcopum Vicarium Siciliæ facit, & Natali Salonitano Episcopo minatur, si quod iussum fuit, facere distulerit. Pallio eum, ac Dominici corporis, & sanguinis participatione priuare velit, quod & ad vniuersos Episcopos per Dalmatiam sese facturum minatur. Et Ioannem in Squislacina Ecclesia Cardinalem Lusitanę Ciuitatis Episcopum facit. Et Ioanni primæ, Iustiniano scribens, triginta dierum spatio ex beati Petri Apostolorum Principis auctoritate sacra communione priuari decernit. Et Ioanni Larissæo scribens, sic habet: Si contra hæc, quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione, vel surreptione venire tentaueris, sacra te communione priuatum; nec eam te, excepto vltimo vitæ tuæ tempore, cum concessa Romanis Pontificis decernimus iussione recipere.

Hæc enim consona sanctis Patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacris administrare, vel communionem capere sit dignus Altaribus. Et vniuersis scribens Episcopis per Dalmatiam, sic habet: Ex beati Petri Principis Apostolorum auctoritate præcipimus, vt nulli penitùs extra consensum, permissionemque nostram quaneum ad Episcopatus ordinem pertinet, in Salonitana Ciuitate manus imponere præsumaris, nec quemquam in Ciuitate ipsa aliter, quàm diximus ordinare. De his quæ sunt ad Episcopum Corinthiorum, Eulogium Alexandrinum, Cyriacum Constantinopolitanum, Maximinum Episcopum Arabiæ nihil iam dicam. Sed hoc præterire non possum, quòd idem Gregorius hortatur Episcopum Thessalonicensem, vt crimina puniat. Et scribens ad Isacium Hierosolymoeum Episcopum sic habet. Peruenit ad nos in Orientis Ecclesijs nullum ad sacrum ordinem, nisi præmiorum datione peruenire. Si ità est, vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Domino offerat, vt à subiectis Ecclesijs errorem simoniacæ hæreseos compescat. Et si Bedam hunc venerabilem in Anglorum historia videamus, nemo non apertissimè intelliget Episcopo Romano etiam tempore Gregorij, & sic ante nongentos annos per totum terrarum Orbem ius primatus fuisse quæsitum, post totidem secula hoc velle adimere, nescio an iusta conscientia fieri possit. Quòd si recusauit hoc nomen vniuersale Gregorius, non est quo accuses. Nempè Dominus se fieri Regem recusauit, cum tamen esset is, in cuius ditione omnia sunt posita. Et Cœlestinus omninò recusauit esse Pontifex.

CAP.

CAP. XCVI.

Ex illo, Ego sum Pauli, ego Apollo, arguit Lutherus voluisse Apostolos diuisionem Capitum, quàm probat non esse Faber.

LVTHERVS.

ET epistola 38. ad ipsummet Ioannem Episcopum prædicta iterans, & copiosius explicans. Diuus certè Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. Hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs se capitibus quodammodo sociabant, vehementissimè perhorrescens, exclamauit, & dixit. Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in Pauli nomine baptizati estis? Si ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter euitauit. Tu quid Christo vniuersalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conetis vniuersalis appellatione supponere?

FABER.

Quid hìc velis, non satis intelligo, nisi tu eò tendas, quòd Ioannes Constantinopolitanus dici non debeat Patriarcha vniuersalis. Huic iam sæpè respondi. Siquidem in hac eadem epistola Ioanni in memoriam reuocat, quomodo se indignum olim fassus fuerit Episcopum. Et iam despectis fratribus solus appetat vocari Episcopus. Et cum sit membrum, quod & caput habere conueniat, non arroganter ambire debeat. Nec sic Pauli dictum potest, aut debet intelligi, quasi non admittatur vlla prælatio. Siquidem tenties probatum est Petrum primum, & Paulum posteriorem esse Pastorem, Petrum esse caput Apostolorum. Omitto, quòd Cephas nomen sit, & potestatis, & authoritatis; immò hoc Paulo displicuit, quòd diceretur ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephe, cum nullus illorum, neque pro Corinthijs fuerit crucifixus, immò nec in illorum nomine fuerint baptizati. Maluit ergo Paulus à Christo dici Christianos, quàm à seipso Paulo paulinos. Sed addis.

CAP. XCVII.

Ex eò quòd Petrus sit membrum Ecclesiæ, deducit Lutherus non esse Caput, sed respondet Faber posse idem esse Caput, & membrum respectu diuersorum.

LVTHERVS.

ET infra. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes sunt membra Ecclesiæ.

FABER.

In hac, quam citas, epistola, textus mei verba sunt hæc. Certè Petrus Apostolorum primus; vtcumque tamen sit, primum, vel primus, quid indè quæso probabis an Scriptura patiatur Petrum esse membrum, & caput? Scis scriptum per Paulum ad Ephes. c. 1. Omnia subiecit pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. Sed numquid ibi vidisti Hieronymum in hæc verba scribentem? Quomodo caput plurima habet sibi membra subiecta, è quibus sunt nonnulla vitiosa, & debilia? Ità & Dominus noster Iesus Christus cum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur, tàm sanctos videlicet, quàm peccatores, sed sanctos voluntate, peccatores verò sibi necessitate subiectos. Et infra. Ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplebit non solùm hominum, sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum, & rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest. Scis & in alio loco Paulum ità dixisse. Membra sumus corporis eius, & ex carne, & ex ossibus eius, vbi sic habet Hieronym. Quia membra sumus corporis Christi, & Christus, & nutrit, & fouet Ecclesiam. Ideò & nos nutrimus, & fouemus carnem nostram, quam nemo vmquam odio habuit. Membra autem sumus corporis Christi non secundùm naturam Diuinitatis æternæ, sed iuxtà id, quòd hominem dignatus est assumere. Quamquam & homo ipse, qui assumptus est, habet naturam nostrorum corporum, sed non habet originem.

Nos enim ex humano semine coagulamur; ille de Spiritu sancto natus. Potest autem, & aliter dici, quoniam Corpus Christi Ecclesia, & Ecclesia de cunctis credentibus congregatur. Paulus & Ephesij membra sunt corporis, id est Ecclesiæ Christi. Hæc Hieronym.

Ex quibus fateor ingenuè Christum esse Caput omnium. Attamen adhuc non negatur suo respectu Petrum etiam esse caput Apostolorum, quem etiam membrum dicere possumus, sicut caput in homine principalius quiddam est, tamen respectu

totius

totius etiam pars est. Vides iam quomodò Petrus respectu supremi capitis sit membrum Ecclesiæ. Et tu verba Gregorij citans, dicere cogeris esse Petrum non infimum, siue postremum, sed primum vniuersalis Ecclesiæ membrum,& quòd sint Petrus,& Andreas,ac Ioannes singularium plebium capita. Si hic Greg. Petro præ cæteris nihil dare volebat, cur non vno contextu affirmat non modò Paulum, Andream, & Ioannem, sed & Petrum singularium plebium esse capita? At commodius infrà tractabimumus quomodò Christus sit Caput, Petrus sit Caput, & vir caput mulieris.

CAP. XCVIII.

Arguit Lutherus Lucæ 12. quòd Christus prohibet dominari, sed respondet Faber prohibere modum prælationis,non prælationem.

LVTHERVS.

Sed hæc satis. Audiamus iam ipsum caput omnium quid super huius monarchiæ statu diffiniuerit. Nam hìc præscius futurorum quæstionem hanc prior omnium, & dedita opera dissoluit, & tot adhùc seculis super ea certatur, quasi verba Christi fumos sint,& inanis fabula. Dicitur itàque Lucę 22. Facta est autem contentio quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic. Sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator(exemplum suum subiungit) Nam quis maior est, qui recubit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? [Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vides quòd Christus apertè pronunciat esse reges gentium, non Pontifices, qui volunt esse maiores; & potestatem illam mundanam (idest sine verbo, & dilectione) prorsùs damnat. Verùm ego credo quandoquidem Ecclesiam necesse fuit semper à gentibus opprimi, ve Ezechielis 4. dicitur. [In medio gentium posuit eam.] Ee Psalm. 109. [Dominare in medio inimicorum tuorum.] Ideò quando desint gentes aliæ, vt scriptura impleatur, in Ecclesia reges gentiles fieri oportuisse; & potestate dominare, super Ecclesiam tyranoizare diligendi, & docendi officio ad alios translato.

FABER.

Huic Euangelij in Esai. homil.6. dicto, antea respondi, & cum Origene sic dico: Bonum est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt dignitates,& principatus,& misteria Ecclesię. Sed imitari Moysem,& dicere cum eo prouidè alium, quem mittas. Neque enim ad Principatum Ecclesiæ venit, qui saluari vult, & si præest, sed ad seruiturem Ecclesiæ, si oportet dicere, & de Euangelio, Principes quidem gentium dominantur eis, qui potestatem habent, in illis magistratus vocantur. Non sic autem erit in vobis, nec enim dominantur Principes in vobis, sed qui vult vestrum esse maior, erit omnium minimus, qui vult esse primus, erit omnium nouissimus. Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad Principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ. Si via credere de scripturis, quia in Ecclesia seruus sit omnium, qui præest, suadeat tibi Saluator,& Dominus, qui talis,tantusque factus est, in medio. Discipulorum non quasi discumbens, sed quasi ministrans. Accipiens enim lintheum, postquam exutus est vestimentis, præcinxit se, mittens aquam in peluim,cepit lauare pedes Discipulorum,& detegere lintheo, quo erat precinctus, & docentes qualea oporteat esse. Principes tanquam seruos, ait, vos vocatis me magistrum, & Dominum, & benè dicitis, sum etenim. [Si ergo ego Dominus & Magister vester laui vobis pedes, vos debetis alterutrum lauare pedes:] In seruitutem igitur vocatur Ecclesiæ Princeps, vt possit ex seruitute ista ire ad solium Cœleste. Sicut scriptum est sedebitis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Audi verò, & Paulum præclarum virum dicentem,quia seruus fuerit omnium credentium. Ego sum enim,ait, minimus Apostolorum, oon sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus suam Ecclesiam Dei.

Porrò si hoc non videtur approbare verbum seruitutis eius, sed tantum humilitatis,audi cum dicentem.Facti sumus paruuli in medio vestrû quasi si nutrix foueat filios suos, cum possemus graues esse, vt Christi Apostoli, imitatores ergo oos expedit esse humilium ipsius Domini sermonum, atque factorum, & Apostolorum eius, & facere, quod factum est à Moyse, vel si quis vocatur ad principatum, dicat. Prouide alium, quem mittas dicit Deo, non sum digous, antè heri, & nudiustertius exilis vocis sum, & tardæ linguæ. Et quia Deo dicit humiliter, exilis vocis sum, & tardæ linguæ, audit à Deo. Quis dedit os homini, & quia fecit mutum, & surdum videntem, & cœcum? De hac re August. 19. de Ciuit.Dei cap.14. Vides nunc in omnibus à Deo exigi seruitutem, & humilitatem, tamen per id non tollitur prælatio. Alioquin Lucæ 22. non fuisse dictum à Domio. Qui maior est in vobis, fit sicut minister. Et qui præcessor est, sicut ministrator, cum enim dicie, Qui maior est, maiorem non reiecit. vnde mox sermonem conuertit ad Petrum, inter cætera dicens. Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt scribaret sicut triticum. [Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides eua. Et tu aliquando conuersus,coofirma fratres tuos.] Hæc tu pensare velis, & intellectum dabit Dominus. Sed fortè id quæris, quo prorsùs nihil temporale Deo sacratis vllo pacto velis admittere.

Dic ergo quomodò Gregorium Magnum, ac alios multos saluabis,qui propria possederunt? Ità enim scribit Ciriaco Episcopo Constantinop. Quisquis in loco regiminis est, aliquando necesse habet etiam terrena cogitare, & exteriorum quoque curam gerere, vt grex commissus valeat ad ea, quæ tibi

sibi sunt explenda sobsistere. Sed magnopere prouidendum est, ne hæc cura etiam modum transeat, vt cum ad tot licenter admittitur, nimis excrescere non permittatur. Vnde rectè per Ezechielem Prophetam dicitur. Sacerdotes capita sua non radnot, neque comam nutrient, tondentes capita sua attondēt, quid enim per significationem sunt capilli in capite, nisi cogitationes in mente, &c. Et non paucas epistolas habemus ad Subdiaconos præfectos, ac reliquos, nihil aliud in se continentes, quàm quod ad rerum temporaliom administrationes attinet. Vnde ad Anthemium Subdiaconom scribens, iubet offerri solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos. Et iterum solidos viginti, tritici modios trecentos, & iterum in eadem epistola solidos viginti, & tritici ctiemtos modios. Idem quoque scribens Petro Subdiacono sic ait. Cogouimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum precijs grauati. Itâ vt instituta summa eis in comparationem abundaotiæ tempore non seruetur. Vode admonet, vt plùs quàm decem, & octo sextariorum modium nunquam à rusticis Ecclesiæ frumenta debeaot accipi, scribens Anthenio Subdiacooo, iubet vt Felici Abbati dentur mille quingentæ plumbi libræ. Et dies me deficeret, si hæc & ilis ex Gregorio similia recensere velim. Sed vt ad priora reuertar, peccarit Gregorius, seu non voluit, vt Ioanoes Constantinop. Primatum haberet. Vnde scribens Coostantinæ Augustæ, sic ait. Et si peccata Gregorij tanta suot, vt pati debeat. Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt nostris temporibus pati ista mereantur. Nec etiam pati vult, vt Episcopi ad seculares iudices confungiant, aut Clerici iudicentur à laicis. Vnde in 2. parte pulcherrimè probat imperante Iustiniano Augusto; imperantibus Archadio, & Honotio, & Theodosio; Leone Augusto, Gratiano, Valentiniano, Theodosio, ac alijs Rom. Imperatoribus, obtentum sit, Episcopos, & Clericos à laicis minimè iudicari debere. Et aotea in alio loco plurimum laudat. Constantiuum Principem, qui contra Episcopos noluerit accipere libellos, dicens. Vos dij estis à vero Deo constituti. Ite & inter vos causas disponite, quia dignum non est, vt vos iudicemus Deos.

Et scribens ad Mauritium Augustum in eodem loco de bello Longobardorum, ac alijs negotijs, licèt non pauca dixerit, interea denique seruum seruorum Dei se scribere potuit. Quòd si pati velimus, vt in hisce oon recto pede, quod tameo absit, Gregorius incesserit. Quid ad sanctum Sardicense Concilium, immò sanctum Nicæuum Coocilium dicemus, vbi ioter cætera cootinentur, quòd depositus, ad Vrbem Rom. possit appellare, ne ad comitatum, aut pauperes, aut viduæ, aut pupillæ abeant, immò pauperibus, aut viduis afflictis, atque pupillis iustitiam faciant Episcopi, præcipitur. Quid faciemus sanctis Patribus prohibentibus ne Ecclesia vacante, bona Ecclesiæ vendantur. Et fortè iustum non fuerit Gelasium I. damnare, scribentem Imperatores, & Reges dumtaxat de rebus humanis iudicare debere. Taceo tam longas historias, quibus Rom. Pontif. Imperatores, ac Reges priuasse leguntur. Et quid plura? in hisce non inuenio, à mille & pluribus annis aliquid noui tentatum, immò & Gelasius de anathematis vinculo scribens, Pontifices Imperatoribus, Imperatores Pontificibus semper indigere ait. Et sicut hodie Pontifex Reges filios vocat. Itâ Greg. Gilbertum Regem Gallorum filium vocat.

Sic & Hadrianus I. Carolom Magnum filium vocasse notissimum est. At quid opus est multis? textus Euangelij non nisi tyrannidem prohibet, nec eos voquam damnat, qui vel temporalia possident, vt viuant, ac viuere possint, alioquin multos diuites, ac Principes terrarum damnare oportet. Et Cephas cum primus esset inter Apostolos, non refutabat somptus; inquit Ambrosius in epistola priore ad Corioth. cap. 9. De Pauli collectis. Xystique thesauris hic nihil dicam. Certissimum etiam est Augustiuum Hipponens. Ambrosium Mediolanens.; ac reliqoos non hostiatim, ad stipem mendicasse.

CAP. XCIX.

Sequitur eadem contentio, responsioque eidem.

LVTHERVS.

ITem Marci 10. vbi filij Zebedei, ad potestatem aspirarunt, vt vnus ad dexteram, & sinistram sederet, acceperunt sanè responsum diguom, scilicet vt calicem biberent. Nec tamen certi vbi sessuri essent, hanc ambitionis infirmitatis, quid mirum est, in Rom. Pontif. quoque fuisse, quantumlibet sanctis etiam martiribus, quando in Apostolis Christus eam pertulit. Denique tamen illi duo Apostoli hac arrogaotia cæteris indulgentiam commouissent. Et iterum cum oriretur contentio de maioritate, Iesus conuocans ait. Scitis quia hij, qui videntur gentibus Principari dominanrur eis, & Prtocipes eorum habent potestatem eorum, non autem itâ est in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister. Et quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus (iterum exemplum sui addit.) Nam vt filius hominis non venit vt ministraretur ei; sed vt ministraret, & animam suam daret redemptionem pro multis. Item eiusdem 9. Et venerunt Capharnaum, qui com domi essent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via ioter se disputauerunt, qois eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim, & ait illis. Si quis vult primos esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister, & accipieos puerum statuit eum in medio eorum, quem complexus esset, ait illis. Quisquis vnum receperit io nomine meo, me recipit, eadem Lucas 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se & ait illis. Quicunque susceperit puerum istum in oomioe meo, me recepit. Et quicunque me recepetit, recipit eum, qui me misit. Nam qui mioor est ioter vos omnes

nes

nes, hic maior est. Item Matth. 18. In illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes. Quis putas maior est in Regno Cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit. Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in Regno Cœlorum. Nunc vide quaneis verbis, quot exemplis, quanta diligentia, Christus præuenerit,& prohibuerit ambitionem illam, quam tanto timore lactant decreta, & decretales, ac irâ repetunt & inculcant, ac si hoc sit pascere populum Christi, quod est potestatem lactare & ambire. Vnde meo iudicio, sicut Apostoli vsque ad finem vitæ Christi contenderunt. Nec tot exemplis & verbis Christi ab humana ista affectione temperarunt, & tamen nullum permisit obtinere Primatum donec omnes dispersi eum reliquerent. Ità in Ecclesia tot iam seculis contenditur de Primatu prohibito, nec auditur Christus interim tot vicibus resistens, nec vlli obtineri permittens donec fortè, & ipsi, adueniente Antichristo, dispergantur, & Christum negent. Nam Apostoli, primum hoc pulchrè seruabant, quando Iacobū minorem Episcopum Hierosolymis constituerunt; & Petrus, Iacobus, ac Ioannes à se suos Primatus reiecerunt, post illos autem mox, eàm Christi, quàm Apostolorum exemplo neglecto, ligare soluere, & lucrari queant. Sic enim, & nos infirmitates Pontificum non sine multis scandalis ferre cogimur propter Christum.

FABER.

Si Origeni crediderimus, non vna duntaxat causa fuit, quòd inter Apostolos fuit facta contentio,quis eorum videretur esse maior, ac quòd ad Iesum accesserunt dicentes, quis putas maior est in Regno Cœlorum,Matthæi homil. 5. Siquidem partim Didrachmæ solutio, partim trasfiguratio fuit in causa, & præ omnibus, iuxtà Origenis sententiam, Apostoli, propterea arbitrabantur, Petrum esse maiorem in Regno Cœlorum, quòd Petrus dixit ad Iesum præ cæteris. [Tu es Christus filius Dei viui:] Et Christus ad eum. [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguinis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Secundum Origenem in eadem homil.duplicis status maioritatem considerare possumus, atque debemus.Siquidem in Regno Cœlorum est aliquis maior, & minor,cum non sit ibidē æqualitatis, in Euangelio dicum est, Si quis soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines,minimus vocabitur in Regno Cœlorum. Et alibi, si quis fuerit, & sic docuerit, hic magnus vocabitur. Si ergo aliquis magnus, & minimus, sed nec magni sunt æqualiter magni.

Nam de Isaac scriptum est. Quomodò proficiebat magnus fiebat donec efficeretur magnus valdè, scriptum est autem idipsum etiam in Moyse, & in Ioanne Baptista. Et si omnes hij magni fuerunt secundùm Scripturas, tamen maior eis erat Saluator. Quomodò autem ex hac magnitudine Discipuli possent fieri maiores in Regno Cœlorum, pulchrè docuit eos Dominus. Et ibi exponit Origenes.

Sed in hac eadem Homi. non negat in certis alterum altero maiorem. Siquidem, & hic Sacerdotes rationbiliter asserit posse dici Ecclesiæ oculos, quoniam & speculatores habentur, Diacoui autem, cæterique ministri manus, quoniam per eos opera spiritualia vniuersa geruntur, populum autem esse pedes nobiliores, tamen sicut vnum membrum compatitur, & vnum non insurgit arrogauter aduersùs alterum, immò adiuuat alterum. Et vt Pauli 1. Corinth. 12. verbis vtar, Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum capue pedibus, non estis mihi necessarij. Sed multò magis, quę videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt, & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis,his honorem abundantiorem circundamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abundautiorem honestatem habent,honesta autem vestra nullius egent. Sed Deus temperauit corpus ei, cui dederat abundatiorem,tribuendo honoreo, vt si schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem follicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum mebrum, congaudent omnia membra, &c. Per id ergo, quòd hic de maioritate dicitur, prælatio non tollitur,sed reprobatur ambitio tyrannis, & arrogantia. teste Chrysostomo, in 59. homil. super Matth. alioqui multos damnare oportet quos tamen pio hominum consensu in sinu pacis requiescere non dumitamus.

Quicquid ergo de nouissimo, atque de pusillo ex Marco, vel Matthæo dicitur, hoc pro humilitate firmanda rectissimè potest, ac debet intelligi, vt inter nos dilectio mutua seruetur, multum enim ad roborandum dilectionem valet, cum secundùm doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore preueniunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant seruitue subiecti, & nesciunt tumere Prælati, cum & pauper diuitem non sibi dubitet anteferre. Et diues pauperem sibi gaudeat æquare, cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cum deniq;non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus. Nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum in honora iustitia, sed quid dicam? periudè est, ex Euangelio iudicare de maioribus, quod de diuitibus iudicare possemus. Nunquid omnes diuites, omnes opulentos perdemus? etiam si dixerit Dominus facilius est Camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in Regnum Cœlorum. Et si vis perfectus esse vade, & vende, &c. Ac iterum nolite possidere æs.

Nunquid eis gratiam, & gloriam abnegabimus? minimè, eos enim nunquam à societate Cœlestis Patriæ excludemus, qui ampla predia, magnifica patrimonia, vt verbis vtar Ambrosij; & multas in hoc seculo possidene facultates, cum in populo Dei multi semper, qui diuicijs benè vtentur, extiterint, nec vllo modo, vel dici, vel cogitari liceat, quod Abraham, & Isaac, & Iacobo, (quorum se esse Deum Dominus protestatus est.) Ideò vera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerint, aut quòd vie sacratiss. Melchise-

chisedech Domini, & Saluatoris nostri præferens formam non fuerit perfectè humilis, quia & Sacerdotio eminebat, & regno, vel quòd beato Iob, de quo Deus pronunciat dicens, nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo? Ideò virtus ista defuerit, quia erant (sicut scriptum est) in possessione eius septem milia ouium, & tria milia Camellorum, quinquaginta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales, quasi tunc istius gratiæ particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, vniuersa quoque familia, filijsque priuatus, & percussus vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem capitis, testa saniem radebat, sedens in stercore, ad imaginem elationis postmodum reuocatus est, quando corporis incolumitate renouata, septem rursus filiorum, triumque filiarum factus est pater, & in duplo in vniuersam substantiam est ditatus augmento. Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, vt cuiquam sanctorum, quibus Deus, & diuitias est largitus, & honores. Veræ humilitatis meritum credatur, vel opulentia offuisse, vel dignitas, cum sis ad huius virtutis profectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio sit super terram, & tàm abundantia, quàm inopia materia soleant esse peccati, cum vel diues extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad quærelam. Extiterunt tamen in omni tempore, & in nostra quoque ætate non desunt, sicut & boni pauperes, ità & boni diuites. Hæc Ambrosius. Videa ergo ex Euangelio non tolli diuitias, non damnari diuitea, etiamsi difficulter ingrediantur in Regnum Cœlorum. Ità nec vel apud Matthæum, vel Marcum, vel Lucam illum damnabimus, qui maior est cæteris. Immò firmissimè credo sicut in hierarchia supercœlesti prælationes sunt. Et inter planetas iuxtà verbum Hali Abenragel. Sol est lumen, & candela Cœli, gubernator mundi, factor temporum, per quem fiunt planetæ Orientales, & Occidentales, apparentes, & occulti, per quem mouetur omnia res se mouens, nascitur omnis res nascens, crescit omnis res crescens, crescit omne folium, & maturatur omnis fructus, qui spiritus est Cœli magnus, cum quo viuificantur omnia signa, qui & est magni dominij, potentiæ, nobilitatis, altitudinis, & magnitudinis, immò in omni genere est aliquid maius. Etiam inferis non deest prælatio. Irà rectissimè conueniebat inter Apostolos vnum præfici, qui maior esset. Talem fuisse Petrum non Scotus, non Durandus, Brulifer, Votillion, sed Chrysostomus, Cyrillus, Theophilus, ac sexcenti, reliqui sanctissimi viri fatentur ingenuè. Sed heus tu mi Luthere cum de minori, & maiori, minimo, & maximo, totidem locos Euangelicos inducis, cur non & id quod Lucæ vigesimosecundo scriptum est, in medium affers? vbi sic ait. Qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Et qui Princeps est, sicut qui ministrat. At timebas hic te proprio telo confodi. Vndè quasi sicco pede pertransis. Timuisti etenim hic nos intelligere Christum non fine causa dixisse; Qui maior est &c. At quid opus est tantis? si etiam nulla veterum scriptorum esset auctoritas, tamen ad schismata vitanda, ac damnandas hæreses summè necessarium est principatum aliquem habere superiorem. Quod reuera sanctè, & religiosè probat doctissimus ille Io. Episcopus Ephesinus Græcus in quodam libro, quem contra turbatores vnitatis Ecclesiæ, non sine diuino spiritu scripsit, quem etiam nuper pro vtilitate Christiana Romæ excribi feci, quo olim omnes intelligant, quàm iniusta, ac indigna res sit in Ecclesia Dei per noua, & peregrina dogmata scandalizare pusillos. Quare & hic tibi merito tacendum erat.

CAP. C.

Ex actis Apostolorum Petrus scribitur æqualis cæteris Apostolis, sed quàm falsò ostendit. Faber.

LVTHERVS.

NVnc ex historijs, & rationibus prima est ipsa actuum Apostolorum, vbi Petrus æqualis scribitur cæteris Apostolis.

FABER.

In actis Apostolorum varia de Apostolis leguntur. Sed non habes quòd fuerit Petrus æqualis, immò id ipsum ex te fingis. Hoc certè inuenies non esse aliquem, qui inter Apostolos tanta fuerit vsus auctoritate, quanta Petrus. Siquidem manentibus illis in cœnaculo, non Maria mater Iesu, non Ioannes, non Iacobus, vel quisquam alius, sed Petrus exurgens in medio fratrum dixit. Etiam quando turba hominum erat simul, ferè centum viginti; Viri fratres oportet impleri scripturas &c. Cum Apostoli repleti essent Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et quidam irridentes dicebant; Musto pleni sunt isti, non Philippus, non Thomas, sed Petrus eleuauit vocem suam, & locutus est eis. Viri Iudæi, qui habitatis Hierusalem vniuersi. His autem auditis, compuncti sunt corde. Et quamquam dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos. Quid faciemus viri fratres? Petrus dumtaxat ait ad illos. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis est enim repromissio, & filijs vestris, & omnibus, quæ longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. Alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens. Saluamini à generatione ista praua. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt. Et baptizatæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, & cum inuenissent claudum ex vtero matris suæ, petijssetque elemosinam, ac respexisset in

vtrumque solus tamen Petrus dixit. Argentum, & aurum non est mihi, hoc autem quod habeo, tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum. Et protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat. Et intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

Licet Petrus, & Ioannes starent ad porticum, quæ appellatur Salomonis, non Ioannes, sed Petrus respondit ad populum; Viri Israelitæ quid admiramini in hoc &c.

Loquentibus illis ad populum, & demùm quando congregati sunt Principes, Seniores, & scribæ, Annas, Cayphas, Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. Et interrogati, in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos. Principes populi, & Seniores Israel audite &c. Augebatur in Domino credentium multitudo virorum, & mulierum, ità vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.

Stantibus Apostolis in Concilio, & illis cum diceretur; Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto, & ecce replestis Hierusalem in doctrina vestra, & vultis introducere super nos sanguinem hominis. Respondens Petrus, & Apostoli dixerunt. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Factum est vt Petrus dum transiret, vniuersos deueniret ad Sanctos, qui habitabant in Lidde, inuenit hominem quemdam nomine Æneam ab annis octo iacens in grabato, qui erat paraliticus. Et ait illi Petrus. Sanet te Dominus Iesus Christus, surge & sterne tibi, & continuò surrexit. Et videbant omnes, qui habitabant Lidde, & Sarone, qui conuersi sunt ad Dominum.

In Ioppe quædam Discipula nomine Thabita mortua est, ad quam cum venisset Petrus, circumstantibus omnibus eiectis, Petrus ponens genua orauit. Et conuersus ad corpus dixit, Thabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Vir quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, is vidit in visu, & audiuit Angelum sibi dicentem. Mitte viros in Ioppen. Et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam, & cum esuriret, voluit gustare. Parantibus illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit Cœlum apertum, & descendens quoddam vas velut lintheum magnum quatuor initijs submitti de Cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca &c. Petrus veniens ad Cornelium, ac adhuc illo loquente, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus. Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos, & iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi. Cum ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersùs illum, qui erant ex circumcisione dicentes. Quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem dicens. Ego eram in Ciuitate Ioppe orans &c. His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes. Ergo & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam. Misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere, & Petrum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradensque quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus cathenis duabus, & custodes ante hostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitauit eum dicens. Surge velociter, & ceciderunt cathenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum. Præcingere te, & calcia te caligas tuas, & fecit sic. Et dixit illi. Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum esset, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis, & exeuntes processerunt vicum vnum, & continuò discessit Angelus ab eo. Petrus ad se reuersus dixit. Nunc scio verè, quia misit Dominus &c. Paulus, & Barnabas Hierosolymam venerunt, & cum de quæstione proposita conquisitio magna fieret, surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et hic attende, quod dicit per os meum. Habes itàque quindecim, aut sedecim historias de Petro, quales vix inuenire potes de quouis alio Apostolo, aut des nobis Apostolum, qui præsentibus reliquis Apostolis tanta fecerit, quanta Petrus. Et suprà, locum tibi citaui ex Actis Apostolorum de sententia in Ananiam, & Sapphyram, dein de sententia in Simonem. Et quamquam non ignorem illam historiam, quæ est Actor. 13. vbi sic legitur, quòd Barnabæ, & Paulo restiterit Elimas magus, quem intuens Paulus, inquit. O plene omnium dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ. Et circumiens, quærebat qui ei manum traderet. Licèt esset sententia, non parum horrenda, propter quam & proconsul credidit Sergius, tamen talis non erat, qualis erat sententia Petri præsentibus reliquis Apostolis

lis

lis in Ananiam, & Saphyram? Quicquid ergo tu dixeris ex te, nihil est quo moueat, qui solus dicis, quòd in Actis Apostolorum Petrus reliquis sit, & scribatur æqualis. Credo quòd in toto libro nec æqualis, nec inæqualis cæteris legatur. Hoc tamen tacitè nobis Apostolorum acta testantur Petro semper plùs eminentiæ dari, quàm cæteris. Nec mihi persuadebis vnquam in Actis Apostolorum omnia contineri, quæ fecerunt Apostoli. Licèt enim ad Theophilum, sic Lucas scripserit. Primum sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Tamen adhuc non innenies in Euangelio Lucæ omnia scripta. Putas ne omnia, quæ sunt in Ioanne, contineri in Luca, si rerum & sermonum omnium exquisitam velis historiam. Nescio quid hic dicere possis. Hoc ego dico sermonem hunc verè Diuinum, quem fecit Dominus in Cœna nouissima, quẽ habemus Ioannis. 13. 14. 15. 16. & 17. non inueniri apud Lucam. Et ex actis Apostolorum numquam mihi monstrabis, quæ contigere Ioanni apud Ephesum, Thomæ apud Parthos, Matthæo apud Æthiopiam, Bartholomæo in India citeriori, ac Andreæ apud Scythiam, & reliquis totius mundi regionibus. Numquid autem non quædam illorum facta credemus? Aut, vt fortiùs stringam, dic mihi post quam Paulus Romam venit, quid decem reliquis annis fecisse, ex Luca monstrabis? Certissimum etenim est actum Apostolorum, non nisi ad quartum annum Neronis posse protendi. Dein quomodo sit liberatus ex ore Leonis, licèt ipsemet Paulus descripserit, tamen alia, quæ cum Paulo, vsque ad 14. Neronis annum facta fuerint, minimè habes. Velles autem hunc tàm Sancto fraudato martyrio?

Sed & putas mentiatur Ignatius, dùm scribit ad Magnesianos, Petrum, & Paulum Antiochiæ fundasse Ecclesiam, minimè id, veluti credo, sentiendum erit. Quare & si in Apostolorum actis non inueniatur, post sedecimum caput, quò venerit, aut quid fecerit Petrus? Ea propter minimè tibi credemus, Petrum numquam præsedisse Romæ, sicui in quodam tuo libello velle videris. An mentitus est Ioannes dicens. Fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi. Si nõ in actis Apostolorum habetur, quid fecerit in Asia, & illi contigerit, tamen iterum ad Petrum venio. Scio Paulum ex actis Apostolorum venisse Romam, vt est scriptum Actorum vltimo. Sed credes non antea illic fuisse Petrum, etiã si in Actis numquam Lucas illius meminerit? Dic mihi si potes, in actis ità scriptum est.

Secunda die venimus Puteolos, vbi inuentis fratribus rogati sumus manere, apud eos dies septem. Et sic venimus Romam. Et indè cùm audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum tribus tabernis. Et ad Roma nos ità scriptum est. Salutate Priscam, & Aquilam, Epenethum, Mariam, Andronicum, & Iuniam, Ampliatum, Vrbanum, Apellem, Herodianem, Triphenam, & Triphosam, Philosogum, & Iuliam, &c.

Numquid hos fratres, qui Paulo occurrerunt in forum Appij, ac Sanctos omnes, qui fuerunt in vrbe Romana, conuertit Paulus ad fidem? Numquam hoc dicere potes, alioquin non rectè dixisset. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo Iesu. Aut dices Paulum illis quatuordecim annis, de quibus ad Gal. 2. Rom. 1. egisse, nec id video, alioquin, non verè scripsisset dicens. Nolo vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos. Et prohibitus sum vsque adhuc, sed tùm dic, an mentitus sit Paulus scribens ità Romanis, primum quidem gratias ago Deo meo per Iesũ Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo? Quomodo autem potuit hæc annunciari fides, nisi fideles fuerint, atque crediderint? Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante? vt est ad Rom. decimo.

Sed quem alium prædicantem potissimũ nobis dabis, quàm Petrum; vndè Hieronymus in epistola ad Romanos. c. 1. sic inquit; vt aliquid impartiar gratiæ vobis spiritualis, ad confirmandos vos Romanos Petri prædicatione fidem tenentes, confirmare se velle Paulus dicit, non quo minus accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis testibus, atque Doctoribus eorum corroboraretur fides, alioquin curabat, ne super fundamentum alienum ædificaret, hæc Hieronimus; At quia non credis hystoricis aliquibus, nisi fuerint de Ecclesia primitiua. Vndè necessè habeo, aliquot temporum Apostolicorum Auctores in mediũ proferre, hos autem absque obseruatione temporum citabo, sit itàque inter reliquos primus Egesippus vicinus temporum Apostolorum asserens se, referente Hieronymo, venisse, sub Aniceto Romam, qui decimus post Petrum fuit Episcopus. Is in tertiò de excidio Hierosolymitano libro scribit, quomodo Nero cœperit quærere causas, quibus Apostolos occideret. Datoque præcepto, vt comprehẽderentur Apostoli, rogabatur Petrus, vt sese aliò conferret, proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione proficisci solus cœpit. Vbi autem ventum est ad portam, vidit sibi Christum eminere, & adorans eum dixit, Domine, quò venis? dicit ei Christus, iterùm venio crucifigi, intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd in eo Christus passurus videretur, & conuersus in vrbem redijt, captusque à persecutoribus, Cruci adiudicatus, poposcit, vt inuersis vestigijs Cruci affigeretur, quod indignus esset, qui simili modo crucifigeretur. Hæc Egesippus, & quæ circa Christi occursum narrat, in via Appia veteri monumento, Romæ in via Appia probatur.

Dionysius Corinthiorum Episcopus circiter annum Domini. 150. Romæ existens inter cætera sic ait, vos habentes commonitionem à Petro, & Paulo, plantationem Romæ Ecclesiæ coniunxistis. Ambo etenim simul aduenientes, & in vestra Ecclesia Corinthiorum docuerunt, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe simul docentes, etiam martyrio pariter, vno, eodemq; tempore coronati sunt. Sed & Gaius quidam Scriptor antiquus, sub

Zepherino Romano Pontifice, hoc est circitèr annum ducentesimum de Petro, & Paulo, & strata loquens sic ait. Ego habeo trophea Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Hostiensi, inuenies trophea defixa, quibus ex vtraque parte statuis Romana communitur Ecclesia. Inquitut autem de Petro, & Paulo, Ignatius verò Antiochiæ Ecclesiæ, tertius post Petrum Apostolus, damnatus ad bestias Romam vinctus, missus, ad Tarsenses ità scribit. Quid quòd Petrus Crucifixus est, Paulus, & Iacobus gladijs obtruncati sunt. Ioannes in Pathmo relegatus est, & ad Romanos iterum ità subinfert. Non sicut Petrus, & Paulus, præcipio vobis, illi enim Apostoli Iesu Christi, ego autem minimus. Hireneus Lugduneñ. Episcopus Policarpi, hoc est auditoris Io: Euangelistæ discipulus, in tertio libro contra hæreticos. c. 1.

Sic inquit. Matthæus hæbræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij. Cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam, post verò horum excessum, Marcus discipulus, & interrogatio Petri, & ipsa, quæ à Petro annunciata erant, præscripta nobis tradidit. Postea Ioannes discipulus Domini, qui suprà pectus eius recumbebat, & ipse edidit Euangelium, Ephesi, Asiæ commorans. Idem in eodem lib. c. 3. A gloriosissimis duobus Apostolis, Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, annunciatam omnibus fidem per successionem Episcoporum, vsque ad nos indicantes confundimus omnes. Tertullianus Presbyter Carthaginensis, qui circitèr annum Domini centesimum, & quinquagesimum fuit, quem Cyprianus suum magistrum vocare solebat, in libro de præscriptione hæreticorum, ità scripsisse legitur. Percurre Ecclesias Apostolicas, proxima est tibi Achaia, habes Corynthum, si non longe es à Macedonia, habes Philippis, si potes Asiam tendere, habes Ephesum.

Si autem Italiam adieceris habes Romanam. Vndè nobis quoque auctoritas, præsto est statuta fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cùm sanguine profuderunt, vbi Petrus passioni dominicæ adequatur. Et in quatto libro aduersùs Marcionem Romanis Euangelium, Petrus, & Paulus sanguine suo signatum reliquerunt. Clemens Alexandrinus primitiuæ Ecclesiæ præcipuus auctor, aiunt, inquit, beatum Petrum, cùm vidisset vxorem suam duci ad passionem, gauisum esse electionis gratiæ, ac reuersionis ad propriam domum, & exclamasse post eam, cùm duceretur, ac proprio nomine compellantem dixisse. [O coniux memento Domini.] Talia erant Sanctorum coniugia, tàm perfecta fuit affectio beatorum Eusebius Cæsareæ Palestinæ Episcopus. 2. lib. hystoriarum, vbi de Simone mago ex Iustino, & Hireneo multa scribit, inter cætera narrat dicens. Non in longum permanet fraude quæsita diuinitas. Continuò namque in ipsis Claudij temporibus clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentia, & virtutis meritò primorem Principem Petrum ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciẽ repugnaturum deducit Ducem quendam & magistrum militiæ suæ scientem Diuina prælia, & virtutem castra ducare.

Et iterùm idem Eusebius, inquit in libro de temporibus eodem anno, ab Herode capitur, & ab Angelo liberatur. Et sequitur Petrus Natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam Romam proficiscitur. Vbi Euangelium prædicans vigintiquinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat. Et in hystoriarum libro, iterùm idem Eusebius, apud Alexandriam ait, tertius succedit Cerdon in sacerdotium, qua tempestate in vrbe Roma, Clemens quoque tertius, post Petrum, & Paulum Pontificatum tenebat. Gaudentius Brixianus, de Petro, & Paulo, sic inquit, per huius magistri vestigia gradiuntur fideles Discipuli, Petrus, & Paulus, quorum passionis hodie per vniuersum mundum, omnes Ecclesiæ debito honore concelebrant, in hoc enim die, apud vrbem Romam, ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit, Diuina iustitia coronauit: Petrus, crucifigitur versò ad terram capite, &c. Duo mundi lumina, colũnæ fidei Ecclesiæ fundatores, Petro confitenti Dominus dicit, beatus Simon Bariona, super vnum fundatur Ecclesia, alter preciosum fidei murum portat in populo. Cyprianus, dein Chartagiuensis Episcopus, sub Valeriano, & Galieno passus, inter cæteras octo epistolas, quas scripsit, ad Cornelium Romanum Pontificem, sic habet post ista, adhùc insuper PseudoEpiscopo, sibi ab hæreticis constiruto nauigare audent, vbi sacerdotalis vnitas exorta est, &c. Hieronymus quoque omissis illis, quæ scribit ad Damasum in Cathalogo scriptorum ecclesiasticorum, sic exorditur, Simon Petrus filius Ioannis, Prouinciæ Galileæ, vico Betsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem magum, Romam pergit, ibique vigintiquinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsquè ad vltimum annum Neronis, idest. 14. à quo, & affixus Cruci martyrio coronatus est, capite ad terram versò, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, ne sic crucifigeretur, vt Dominus suus. Postremo prodeat, & nobis Diuus Aurelius Augustinus, puto quòd finè vlla sui contumelia, inquit, Cyprianus Episcopus, Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam, cæterum magis vereri deben, ne in Petrum contumeliosus existam.

Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Et idem August. 1. de con. euan. ca. 10. merita Petri, & Pauli, etiam propter eumdem passionis diem celebriùs, & solemnitèr Romæ commendae. Nonnè hæc sunt apertissima rerum testimonia, non vnius, sed multorum, non eorum, qui nuper editi sunt, sed qui primitiuæ Ecclesiæ faciem viderunt, ex quibus peregrina tuo opinio, qua Petrus numquam venisse Romam, dicis, confunditur, ac vincitur?

tur? Et annus me deficeret, si recensere velim reliquos auctores, scilicèt Anacletum, Athanasium, Felicem, Liberium, Ambrosium, Sanctum Prosperum, Bedam, Damasum, Iustinianum Imperatorem, Theophylactum, Bernardum, Platinam, ac sexcentos alios, qui quasi vno ore fatentur, Petrum venisse Romã, quos omnes breuitatis causa prætereo, ne in immensum volumen crescat, placet tamen adijcere in finem; demùm vnius Papię Hieropolytani Episcopi, qui fuit Ioannis auditor testimonium, ille apertè testatur, quòd Petrus in prima epistola sua, quam de Vrbe Roma scribit, meminerit. Marci in qua tropicè, Romam, Babylonem nominauerit, cùm dicit salutat vos ea, quæ in Babylone electa est Ecclesia, & Marcus filius meus; vndè sequitur, iterum Petrum fuisse Romæ, quòd & nemo vmquam ex tot centenis milibus mortalium in hanc horam, præter te vnum, & solum, traxit in dubium. An non doctrinas varias, & peregrinas te tradere dicere possum? Reuera tu, vt ingenuè dicam, nouarum opinionum suscitator extas egregius, qui & hanc rem in dubium vertis.

Tamen interim cùm ea facere non erubescis, vide quantam feceris iniuriam totidem sanctissimis locis, quorum limina etiam tempore Hieronymi frequentissimis concursibus terebantur, & adeò, vt in toto Orbe terrarum non fuerit inuentus locus aliquis. Vbi ad Ecclesias sic tam frequens sit, ac fuerit semper hominum concursus, reuera dolendum esset tot millenos millium peregrinorum fuisse deceptos, qui ex totius Mundi partibus iam per mille, & aliquot centenos annos, Basilicam Apostolorum Petri, ac Pauli, per mare, per terras, per tot discrimina rerum, Romæ quæsierunt, maximè si Petrus Romam non venit.

Quod si à veritate videatur alienum, post totidem Cæsarum annos vixisse Petrum, & numerare mihi cęperis septem annos Tyberij, post Christi Natiuitatem, tres annos Caligulæ, necnon aliquot Neronis tempora, aut ex vna, & eadem Pauli ad Galat. epistola tres, & quatuordecim annos, & quòd mirum fuerit hunc Antiochiæ septem annos mansisse, vigintiquinque annos præsedisse Romæ, quēadmodum Hieronymus in Cathalogo scribat. Putes quoque iterùm incredibile esse Petrum totidem attigisse annos, en mi Luthere computes annos quinque in Ponto, & Asia, septem in Antiochia, & vigintiquinque in Vrbe Romana, & habebis annos dumtaxàt triginta septem, nec oportet ità computare annos Cæsarum, vti placuerit, sed consule Hieronymum in Danielem cap. 9. & veritatem inuenies, nec etiam necesse est asseuerare Petrum hisce vigintiquinque annis ità præsedisse Romæ, quasi numquam inde Hierosolymam discesserit, sed fieri potuit, vt veluti Paulus illuc ascenderit, ac dein Romam redierit, tamen vt demùm Canos Petri excutiamus.

Dic mihi obsecro, an Petrus, vel iuuenis, vel senex mortuus fuerit? Certè respondebis hunc factum esse senem, alioquin mentitus est Christus ad Petrum, sic Ioannis vltimo dicens: Amen amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis, attende quæ dico, non quidem ego, sed Christus, cùm senueris, inquit, & id, quando putas esse completum? certè ni malè videam, vltimo Neronis anno, post mortem Simonis illius Magi, quando inuersis vestigijs affixus est Cruci, vt, iubente Petro, secundùm Ambrosium lib. de interpellatione cap. 1. passioni suæ aliquid adderetur, nec mors illa videtur fortuitu contigisse, nempè, & in eodem priori loco sic Ioannis Euangelium habet, hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum, ex quibus verbis nihil quidem apparet, dum hoc Euangelium scripserit Ioannes, iamdudùm passus fuerit Petrus, hoc eapropter hìc obiter commonere, ac proin recensere volui, vt & Anacletum excusem, qui Cephas caput esse dixit, cùm Euangelium Ioannis, temporibus Anacleti, non dum, aut scriptum fuerit, aut saltim Romam venerit, quod ex historijs veris olim ostendam.

Sic itaque nihil Anacletus in Euangelium Ioannis peccauit. Si nondùm ex Asia illud Romam venerit, sed potiùs nobis dicendum erit, te in temporibus errasse, ad senium Petri redeo, Petrum senem esse factum constantissimè dico, & quòd de canitie Petri dico, itidem de Pauli senio dicere possum, quod ex epistola, quam Paulus Romæ ad Philemonem scripsit, deprehendere possumus, in ea nempè sic ait. Obsecro cùm sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi, obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesymo. Sed numquid non post Christi in cœlum ascensionem, quando Stephanum eijciebant extrà ciuitatem, hunc quoque lapidabant, testes deposuerunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus? His locis itaque sincerè hinc, inde collatis, inuenies vtrumque Apostolum senio confectum, eapropter sortè & caluities Petri stabit ex periodo, Clementis, licèt enim caluities multarum rerum inditium sit, teste Sinesio Cyrenensi in caluitiei Encomio.

Sed, & natura teste, senium probat vtplurimùm, non ergo mirum est, si Petrus vigintiquinque annis Romæ præsedit, & demùm vno, & eodem die Petrus, ac Paulus pro nomine, ac fide Christi trucidantur, & sic vt apud Hieronymum in Hieremiam legimus: beatum Petrum, ac cæteros Apostolos, Iacobo Apostolo dempto, doctrinæ Domini reseruatos, quòd autem miraris id à Luca omissum, qui & tantæ rei, nec verbo meminerit, respondet primò tibi Diuus Hieronymus in epistola ad Galat. dicens: Totum argumentum epistolæ, quod obliquè de Petro, Iacobo, & Ioanne dicitur, huic intelligentiæ repugnare videtur. Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermisit, & statim esse non sequitur contrarium, si quod alius, ob causam dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit.

Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ, Petrum fuisse accepimus, & Romam exindè translatum, quod Lucas penitùs omisit, & Paulus Corinthijs scribens ait: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in pro-

fundo

fundo maris fui, in itineribus sæpè periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. Vides iam vt pleraque Paulus hoc loco enumerat discrimina, quæ tamen Lucas penitùs omisit, quia non ad ostentationem scribendi laborem insumpserat, inquit Theophylactus, de Ephesijs, quibus Paulus triennio perpetuo nocte, ac die Dei Euangelium prædicauit.

Hic nihil dicam, cùm antea partim huius rei sermonem fecerim: Quòd si Petrus numquam Romam venit, quomodo post totidem secula benedicta loca putant Christiani omnes, in quibus Petrus, & Paulus Christiani exercitus Duces sanguinem fudere pro Christo? Cur Romanus Episcopus super mortuorum Petri,& Pauli,secundùm nos, ossa veneranda offert Domino sacrificia? Cur illius Episcopi Cathedram, Sedem & Cathedram Petri vocamus, quod ante nos fecerunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Cyprianus, Hirenæus, ac alij sexcenti Apostolici viri, an non in posterùm credendum erit. Marcum Euangelistam Petri fuisse discipulum? de quo & Hieron. in 21. quæst. ad Hedibiam ità scribit, Paulus habebat Titum interpretem, sicut & beatus Petrus Marcum, cuius Euangelium,Petro narrante, & illo scribente, compositum est.

Denique duæ epistolæ, quæ feruntur Petri stylo inter se,& charactere discrepant,structuraq; verborũ,ex quo intelligimus pro necessitare rerum diuersis eum vsum interpretibus. Cur post totidem secula doctre nos interis, quod ante nesciuimus? Scito ergo Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias, vt Hieronymus in Apologia aduersùs Rufinum ait, non recipere etiam si Angelus aliter annunciet. Tu ergo disce mutare sententiam tut argumentis, immò scripturarum varietatibus, ac totius Orbis consensu conuictus,cum Hirenæo,itàque loquor, & efficaciter concludo ex secundo libro contra hæreticos cap. 47. habentes regulam ipsam veritatem, & in apertum positum testimonium, non debemus, per quæstiones declinantes in alias, atque alias absolutiones eijcere firmam, & variam scientiam, quòd si in hac re nomini tuo minimè pepereeris, immò indurato corde, & obstinato animo hoc saxum voluere ceperis, te causante sequetur, vt de vulgatissimis quibusdam historijs veluti de Simone Mago. De approbatione Euangelij secundùm Marcum dubitare necesse sit,sed eò forte deciperis, quòd de Petri martyrio nihil in Apostolicis Actis inuenias, hic te monuisse velim, quòd non eo tempore, quo Pauli, actus in Vrbe Roma conclusit Lucas, martyrio perfunctus est Paulus, immò, vt Eusebius Pamphili habet, post reuolutum decennium ab eo tempore, quo Lucas finiuit actus Apostolicos, passi sunt Romæ Petrus, & Paulus, sic ergo distingue tempora, & concordabis historias, hic itàque Petrus, & Paulus tibi, ac sectatoribus tuis cum Christo obijciunt, dicentes; scrutamini scripturas.

CAP. CI.

Confirmationem, ait Lutherus, accepit Petrus à Iacobo Act. 15. sed nil præiudicat, inquit Faber.

LVTHERVS.

Denique sui sermonis capitulo decimoquinto confirmationem à Iacobo accepit.

FABER.

Putas ne mi Luthere confirmatio hæc talis fuerit, qualis illa Marci vltimo, de qua sic legitur: Illi profecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: minimè quidem, sed à Iacobo talis confirmatio fuit, qualis in iudicijs, atque concilijs fieri solet. An putas quòd is, qui legem dederit, aut primam rei dubiæ sententiam tulerit, minor sit eo, qui vel legem, vel sententiam approbarit. Hæc enim si dixeris, dices Deum esse minorem Moyse, & Moysen populo inferiorem. Siquidem legem præscripsit Dominus, & primò Moyses sententiam dedit, & hic multa si vellem contra te de iudicio Danielis,ac aliorum inducere possem.

Tamen vt breuiter, quod sentio, dicam, nihil hic habes, quo tua firmiora reddantur, immò si rem gestam inspexeris, inuenies hic Petro non paruam auctoritatem accessisse. Siquidem Paulo, & Barnaba euntibus versùs Hierosolymam, & vbi conuenissent Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, cùm magna conquisitio fieret. Surgens Petrus dixit ad eos, viri fratres: Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & qui nouit corda Deus,testimonium perhibuit. Dans illis Spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.

Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque nos,neque Patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi? tacuit omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per eos, postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicens; Viri fratres audite me, Simon narrauit quemadmodum Deus, primum fumere visitauit ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, &c. Hanc historiam si cum iudicio legeris, ac intuearis, non pro te, sed contra te maximè pugnat. Siquidem totum, quod dixerat Petrus tamquam approbandum, ac verum, placuit ipsi Iacobo, nec ea re maior, aut esse, aut saltem haberi voluit, alioquin ad merita Petri sese minimè retulisset. At iudicent alij, quibus maior est gratia, quid hac firmare potueris historia.

CAP.

CAP. CII.

Petrus nullum Apostolum ordinauit, nec aliquis sub ipso fuit, inquit Lutherus, cui optimè respondet Faber.

LVTHERVS.

Deinde nullum Apostolorum ipse ordinauit, nec vllus sub ipso fuit, quomodo ergo successor Petri omnium Apostolorum successores sub se habere potest? quid quæso ad hæc dici ab vllo potest?

FABER.

Putas ne quæ circa Iacobi ordinationem, & electionem contigere, sint in Actis Apostolorum omnia scripta? An præter hæc, quæ sunt de Iacobo fratre Domini in epistola ad Galat. & Actis Apostolorum capit. 15. nihil verum sit, quod de Iacobo scribatur? Aut negabis mihi Hieronym. ità scribentem de quo, Paulus ad Galat Episcopus Hierosolymorum primus fuit cognomento, Iustus, vir tantæ sanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere, qui & ipse posteà de templo à Iudæis præcipitatus, successorem habuit Simeonem, quem, & ipse, tradunt historiæ, pro Domino crucifixum, an non & apud Chrysostomum verè scriptum est in homil. 3. super Matth. in hæc verba, quando Hierosolymam Paulus ingressus est, vt cum cæteris Apostolis de dogmatum varietate conferret, continuò intrauit ad Iacobum, tam enim fuit ille mirabilis, vt episcopatum primus acciperet, aiunt enim genua eius obduruisse calle, tantamque in eo fuisse carnis iniuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè morerentur membra, atque assiduitate orationis, iugique ad pauimentum prostratione corporis frontem quoque eius calle similiter obductam, vt nihil ferè à Cameli genubus discreparet, hic etiam Paulum, cùm propter eum Hierosolymam venisset, maturitatis suæ sermoue moderatus est dicens. Vides frater quot millia sunt credentium ex Iudæis &c.

Vbi hæc, & his similia maximè de duritia vitæ, extrà sacræ Scripturæ Doctores, & historicos scripta inuenimus? Et quis eum fecerit Episcopum? Chrysostomus habet in homil. 87. super Ioannem ità scribens, si quis percunctaretur, quomodo Iacobus Sedem Hierosolymis acceperit? Responderem hunc totius Orbis Magistrum præposuisse, & Eusebius Clementem citat in sexto disputationum libro ità dicentem, Petrus, & Iacobus, ac Ioannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso penè omnes fuerint prælati, tamen sibi non vendicant primatus gloriam. Sed Iacobum, qui dicebatur iustus Apostolorum, Episcopum statuunt.

Idem quoque septimo eiusdem operis libro addidit de ipso etiam hæc, Iacobo, inquit, qui dicebatur iustus, tradidit. Et ipse cæteris Apostolis, qui Apostoli illis 70. discipulis tradiderunt, ex quibus vnus erat, & Barnabas, & idem Egesippum citat ità scribentem: suscepit Ecclesiam cum Apostolis frater Domini Iacobus, qui ab omnibus cognominatus est iustus, ab ipsius Domini temporibus perdurans vsque ad nos, & multi quidem Iacobi sunt, sed hic ex vtero matris sanctus fuit. Vinum & siceram non bibit, sed neque animal manducauit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo non est perunctus, balneis non est vsus, huic soli licebat introire ad sancta sanctorum, neque enim laneo vtebatur vestimento, sed tantum sindone, solus ingrediebatur templum, & iacebat super genua sua, orans pro populi indulgentia. Ità vt orando calles faceret in genibus, ad modum Cameli semper genua flectendo, nec vmquam ab oratione cessando.

Itaque pro incredibili hac continentia, & summa iustitia appellatus est iustus, & oblias, quod est interpretatum munimentum populi, & iustitia, sicut, & prophetæ indicarunt de eo &c. Et iterum idem Eusebius sic habet. Denique & Iacobi cathedra quòd primus inter Episcopos ab ipso Saluatore, & ab Apostolis Hierosolymis est electus, quemque fratrem Christi volumina diuina designant, vsque in hodiernum diem inibi consetuatur. Et idem Eusebius in suo libro temporum sic habet; in Ecclesia Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini, hæc tamen omnia nihil contra primatum Petri. Siquidem, & in hanc horam successor Petri, hoc est Romanus Pontifex eum cœtu Cardinalium confirmare solet Episcopos, sicut ordinati erant Apostoli à Domino. Vnde ne Sacramentum ordinationis ad reiterationem in exemplum trahi posset, reliqui Apostoli non fuerunt à Petro denuò ordinati, adhuc tamen Petrus erat, ac mansit caput, & Princeps Apostolorum.

CAP. CIII.

Probat Lutherus ex eo, quòd Matthiam, electionem à Deo postularunt, nullum egisse, nec Petrum, sed nil hæc obstant ex Petro.

LVTHERVS.

Item Mathiam, nec ipse nec omnes simul ausi sunt in Apostolatum ordinare, sed ex Deo postolarunt tantùm.

FABER.

Nec eo probabis quicquam, numquid non etiam Plato gentilis docuit in rebus initiandis, inuocari Deum? Nempè adis omnem actionem potissimùm auspicari oportere tamquam pacis, & belli studijs imperantibus, Xenophon in Economio tradit in eadem sententiam. Plinius iunior scribit in principio panegirici, quem habuit in Traiani laudem, Benè inquit, sapienterque maiores insti-

instituerunt, vt rerum agendarum ità dicendi initium à precationibus raperetur, quòd nihil ritè, nihilque prouidenter homines sine Deorum ope, consilio, honore, auspicarentur &c. Addo quòd Virgilius XI. Eneid. Latinum Regem antequam ordiretur orationem suam ad Troianos, præfatum esse diuum canit. Idque factum antiquo more eradit Seruius. Nam maiores nullam orationem, nisi inuocatis numinibus, inchoabant. Sicut sunt omnes orationes Cathonis, & Gracci. Nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per irrisionem ait. Si quid ex vetere aliqua oratione. Iouem ego optimum maximum. Landinus ptoin annorat hoc fuisse vetustissimum, Platonis, Pyrhagoręque institutum, & à Romanis Priscis obseruatum, vt nihil accuratius inciperent, quàm Deos precarentur. Id si fecerint Apostoli, numquid non rectè fecerunt, nihil de se præsumentes, immò semper auxilium Dei deprecantes, vt esset in medio eorum? quare hìc nihil profectò tua valebunt, immò ad ea, quæ obijcis sacrosancto Apostolorum Collegio, adhuc tibi, & hoc adijciendum erat, quod hic Petrus, qui præerat omnibus, iuxta Cyrillum, immò præpositus erat, iuxta Chrysostomum, proposuit. Et quod hic fecerunt omnes Apostoli, hoc legitur, quòd & Paulus, & Barnabas cum orationibus, & ieiunationibus posuerint per Ecclesias presbyteros.

CAP. CIV.

Paulus reprehendit Petrum, ergo est sub eo, inquit Lutherus, sed malè.

LVTHERVS.

SEcundo Galath. 2. Anthiochiæ Petrus à Paulo reprehendebatur, in quo patet, Romanum Pontificem subesse cuilibet melius sentienti. Nec ideò verum esse, aut bonum, quia ipse sic dicit & facit, sed rationem reddere tenetur, immò non semper potest reddere, sed cum Petro aliquando errat.

FABER.

An Paulus verè, vel simulate restiterit in faciem Petri, adhuc sub iudice lis est. Scis siquidem inter Augustinum & Hieronymum, pro ea re magnam suborram esse contentionem, stes hic à parte Augustini, an non putabis, si senser o cum Hieronymo me tam efficaces habiturum persuasiones, quales & ipse sis habiturus? puras ne vllam excusationem hoc mereatur, quòd Paulus in Petro id reprehenderit, quod fecerat ipse? Legimus enim in actis Apostolorum, perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, peruenitque in Derben, & Listram, & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Thimotheus filius mulieris viduæ fidelis, Patre autem gentili, huic autem testimonium reddebant, qui listris erant, & in Icomo fratres, hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis, sciebant enim omnes, quòd patet eius gentilis erat; O beate Apostole Paule, qui in Petro reprehenderas simulationem, quare subtraxisset se à gentibus propter metum Iudæorum, qui ab Iacobo venerant. Cur Thimotheum filium hominis gentilis vtique, & ipsum gentilem.

Neque enim Iudæus erat, qui non fuerat circumcisus, contra sententiam tuam circumcidi, coegisti? Respondebis mihi propter Iudæos, qui erant in illis locis. Qui igitur tibi ignoscis in circumcisione discipuli venientis ex gentibus, ignosce & Petro præcessori tuo, quòd aliqua fecerit metu iudæorum. Rursùm scriptum est, Paulus verò cum sustinuisset dies, adhuc multos fratribus vale dicens nauigauit Syriam, & cum eo Pristilla, & totondit sibi in Cenchreis caput, votum enim habuerat. Esto ibi timore Iudæorum compulsus sic facere, quod nolebat, quare comam nutriuit ex voto, & postea eam in Cenchreis totondit ex lege, quod Nazarei, qui se Deo vouerint, iuxta præceptum Moysi facere consueuerunt. Verum hæc ad compatationem eius rei, quæ sequitur parua sunt. Refert Lucas sacræ scriptor hystoriæ. Cum venissemus Hierosolymam, libenter nos susceperunt fratres, & sequenti die, Iacobus, & omnes seniores, qui cum eo erant, Euangelio illius comprobante, dixerunt ei, vide frater quot millia sunt in Iudęa, qui crediderunt in Christo, & hij ęmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quòd discessionem doceas à Moyse eorum, qui per gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos secundùm consuetudinem ingredi, quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem.

Audierunt enim te superuenisse, hoc ergo fac, quod tibi dicimus, sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, hijs assumptis sanctificare cum ipsis, & impende in eos, vt radant capita & sciant omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas, & ipse legem custodias. Nonne aperti sunt loci quibus barbatus ille pater sua probauit? nec defuerunt, quos Hieron. ipse secutus est, hac quoque de re scis esse profutissimè scriptum à Hieronymo, hæc monstrare libuit, vt agnosceres non esse rotunde, & adeò absoluta, quæ tu ipse prepouis. Quamquam hic nec vmquam crediderim more secutrarum in faciem Petri restitisse Paulum, immò placet illos imitari, qui legendum esse putant, iuxta faciem illi restitisse, aut certè in facie. Sed concedam tibi, vt hic parum, vel nihil præstet Hieronym. auctoritas, & soli Augustini credatur sententiæ. Tamen adhuc nihil indè probabis, nouit enim Petrus suos reprehensores humili ratione placare, vnde Gregorius Theodissæ Patriciæ scribens: ait, licèt Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, tamen Paulo reprehendenti protetuè non restitit, vides hic qualem excusationem mereatur Paulus, quare in summa, nihil hic probas, aut probare poteris, quamquam tibi non negem Romanum Pontificem etiam errare posse. Quod non solum Petrus, sed & alij Apostoli fecerunt. Non tamen in his omninò, quæ fidem tangunt, captiosa itaque iterum est quæstio, quare fugienda iuxtà sententiam Pauli.

CAP.

CAP. CV.

Victor fuit redargutus ab Irenæo, & coercitus ab omnibus, non ergo maior, cui historiæ optimè respondet Faber.

LVTHERVS.

TErtia Ecclesiastica hystoria lib. 5. Victor primus Romanorum Pontifex Asie Episcopos voluit excommunicare, redargutus autem est non à Paulo, sed Hireneo Lugdunen. & coercitus etiam à cæteris omnibus monitus, & iussus pacem habere, & Ecclesiam non conturbare, quibus sicut decuit, cessit.

FABER.

De hac re multi scripserunt. Siquidem in breuiario temporum sic habet Eusebius, Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundum legem Moysi quartadecima mensis Pascha obseruandum esset, Victor Romane vrbis Episcopus, & Narcissus Hierosolymarum, Policrates quoque, & Hyreneus & Bacchilus, plurimique Ecclesiarum pastores, quid eis probabile fuerit literis ædiderunt, quarum memoria vsque ad nos perdurat. Hieronym. autem de illustribus viris in vita Hyreneį sic habet, feruntur Hyreneį aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum non facilè debere vnitatem Collegij scindere. Siquidem Victor multos Asiæ, & orientis Episcopos, qui decimaquarta luna cum Iudæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat, in qua sententia hij, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.

In hystoria tripartita plurimi circa Asiam antiquitus quartodecimo die Pascha obseruauere non respicientes sabbati diem. Et facientes, non tamen segregabantur ab illis, qui aliter celebrabant, donec Romanæ Ecclesiæ Victor Episcopus excommunicationem quartodecumanis misisset in Asiam. An putas hæc pro, vel contra te pugnare secundum Ecclesiasticam hystoriam? Victor excommunicare voluit Asianos, secundum verò tripartitam illos excommunicauit. Sed quomodo persuadebis, si tam sanctus Episcopus, qui dudum fuit ante Nicænum Concilium, nullam intellexisset sibi competere potestatem in Asianos, non excommunicasset eosdem, excommunicatio enim illa non paruam iurisdictionem, ni fallar, tribuit sedi Rom. scis Policarpum Ioannis Apostoli discipulum Smyrneum Episcopum sub Imperatore Antonino Pio ad Anicetum venisse Romam, propter quasdam super die Paschæ quæstiones. Et supra tibi monstraui, quàm diù Romæ manserit hic Policarpus. Licèt quoque Policrates Ephesiorum Episcopus cum cæteris Episcopis Asiæ scripserint ad Victorem Episcopum quamdam epistolam, in qua meminit Ioannis Euangelistæ, Philippi Apostoli, Policarpi Trasiæ, Papirij, Melitonis & quorumdam aliorum, qui tradiderunt, & obseruarunt Paschæ diem decimaquarta luna ab Euangelica traditione in nullam partem declinantes, Ecclesiasticum sequentes canonem, vt verbis vtar Hieronym. ex Polycrate desumptis &c.

Tamen demùm Asiani Occidentalem Ecclesiam secuti sunt, ad quod, & illud adijcere lubet, quòd ex multorum sanctorum Apostolis, ac alijs fide dignis testimonijs habemus Paschæ celebrationem ab Apostolis esse traditam, sic enim habetur in epistola quadam Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Innocentium Papam, in epistola Protherij Præsulis Alexandrini. Et iàm ex Policrate didicimus Ioannem Euangelistam docuisse cum Iudæis Pascha celebrandum.

Sed sunt, qui scribant Petrum Apostolum hesperijs, hoc est Romanis Latinis, & Occidentalibus aliud tradidisse. Quamquam non ignorem apud aliquos de sola consuetudine Paschæ diem celebratum fuisse. Et sic factum est tempore Sixti, tempore Hadriani cognomento Elij, qui circiter annum salutis 118. Pontificem Romanum gessit, tempore Thelesphori, qui vixit sub Antonino Pio circiter annum Christi 138. & tempore Higini anno Domini 140. Pascha sine defensione celebratum est. Sed veniente Pio circa annum gratiæ 144. quædam decretalis emissa est, qua scribitur in hæc verba: Nosse vos volumus, quòd Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum. Hermes Doctor fidei, & scripturæ effulsit inter nos. Et licèt idem nos Pascha prædicto die celebraremus, quia tamen indè quidam dubitant, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermę, Angelus Domini apparuit in habitu pastoris, & præcepit ei, vt Pascha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur; vndè & nos Apostolica auctoritate instituimus omnes eodem die seruare debere, quia & nos seruamus, nec debitum est à capite quoquomodò discedere, tempore Sotheris, qui post Anicetum, anno salutis 169. Romanam Sedem possedit, fuit illa contentio propter diuersas Cataphrygarum, Apellitarum, & Thacianorum hæreses, qui suis hæreticissimis dogmatibus in Ecclesiam Dei vndique veniebant.

Sed tempore Eleutherij iterùm pullulauit ista contentio, quo mortuo, Victor, Asianos secundùm aliquos rescindere voluit à societate communionis, secundùm aliquos excommunicauit. Vndè sic textus illius habet: Celebritatem sancti Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri iàm statuerunt, & nos illud eadem die solemniter celebrare mandamus, quia non decet, vt membra à capite discrepent, aut aliter gerant, à decimaquarta verò Luna primi mensis, vsque ad 21. diem eiusdem eadem celebretur festiuitas.

Vides nunc in exitu rei, licèt Polycrates tradiderit hanc Paschæ celebrationem ab Euangelista Ioanne, ac ab alijs ità institutam, tamen tantùm Victor demùm effecit, vt in Cæsarea Stratonis celebrata sit Synodus anno gratiæ 198. cui Theophilus præfuit Cæsarien. vbi & fuit Narcissus Hierosolymorum,

& cum ipsis Classius, Tirius, & Clarus de Ptolomaide, & cæteri multi, qui statuerunt, & decreuerunt non quartadecima Luna cum Iudæis, sed die Dominica, in qua Dominus surrexit à mortuis, Dominicum Paschæ celebrari debere mysterium, putas non hæc res magnam tribuat auctoritatem Episcopo Romano, quòd ità ab instituto Ioannis, & aliorum, qui Ioannem Euangelistam audierunt, Orientalis cessit Ecclesia? an non magna res est, quòd sic Patres in Cæsarea Palestinæ, quæ olim turris Stratonis appellata est, cesserit Victori Romano Pontifici? & ità probauit Theophilus, ità statuere Patres in Nicæno Concilio; ità & in Antiochena Synodo receperunt, quotquot ibi fuerant, & quando in Chalcedone Vrbe Bythiniæ ad Bosphorum Thracium sita sexingenti & triginta Patres congregati fuerunt, complures Episcopi coacti sunt Quartadecimanorum abiurare errorem.

Omitto hic, quæ ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino, ac Gregorio de Paschæ celebratione dicere possem, iàm satis hic fuerit post totidem dissensiones, quas vix vno die possemus absoluere, receptam esse sententiam Pij, Aniceti, Eleutherij, & maximè Victoris, sed quòd hic dicis redargutum Victorem non à Paulo, sed ab Irenæo Lugdunen. nihil est, quod probes.

Siquidem eapropter culpatur Victor, quòd passim totius Asiæ, ac vicinarum Prouinciarum Ecclesias à communionis societate abscindere nititur, tamquam in hæresim declinantes, & literas mittit, quibus omnes simul absque discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret, & hoc non omnibus Episcopis placebat, nec per id, quòd Irenæus Galliarum Episcopus Victorem arguit, vel potiùs commonet, potestatem Victoris minuere potes, aut probabis Galliarum Ecclesias, aut etiam ipsum Ireuæum, aut Photinum Episcopum Lugdunen. super Episcopum fuisse Romanum.

Siquidem Hieronymus sic habet Ireneus, Photini Episcopi, qui Lugdunen. in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, à martyribus eiusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones, Legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium Episcopum perferr literas.

Si non agnoscebant Romanum Pontificem, Photinus, Irenæus, ac alij Gallorum Martyres, quid opus erat super errtas Ecclesiæ quæstiones mittere Irenæum? Cur non has quæstiones inter se, quid agendum, quidve sentiendum esset soluerunt? Cur tamen Irenæus lib. 5. cap. 5. teste Eusebio. in pueritia fuerit Polycarpi auditor, & Policarpus fuerit Ioannis Apostoli discipulus, à Ioanne quoque Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps, sed hic cùm rantùm tibi placeat Ecclesiastica historia de Irenæo, cur non & illic placet, quòd & scripsit Irenæus in hæc verba: Mattheus Hebræus propria eorum lingua conscriptum edidit Euangelium, cum Paulus, & Petrus in Vrbe Roma euangelizarent, atque Ecclesiæ inibi fundamenta solidarent.

At quid opus est verbis? antè Nicænum Concilium, centum & pluribus annis fatetur Irenæus Romanam Ecclesiam esse principalem, ad quam totius Mundi Ecclesias confugere necesse sit, vndè nunc quid tu impugnes?

CAP. CVI.

Anicetus, inquit Lutherus, cessit Polycarpo, nec eum potest cogere in sua decreta, sed optimè respondet Faber.

LVTHERVS.

ITem ibidem Anicetus quoque cessit Polycarpo Smyrnæo Episcopo, nec eum cogere potuit in sua decreta.

FABER.

Ecclesiasticæ historiæ verba sunt hæc: Beatus Polycarpus cùm ad Vrbem Romam peruenisset sub Aniceto, cùm de alijs nonnullis parum quid habuissent inter se, statim tamen coissent, in pacem de hac quæstione ità egerunt, vt non vnusquisque sententiam suam obstinata contentione defenderet.

Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, vt non obseruaret ea, quæ nouerat Ioannem discipulum Domini nostri, vel cæteros Apostolos, cùm quibus semper fuerat, obseruasse, neque rursum Polycarpus Anicetum persuasit ea deserere, quæ ille dicebat à se maiorum more seruari. Cùmque hæc inter se habuissent, communicarunt sibi inuicem. Itàque cederet Anicetus Polycarpo, etiam Sacerdotali mysterio honoratus, dumtaxat contemplatione perfungi, & ità ab Inuicem plena fide, pace integra, & firma charitate discedunt, vt omnes Ecclesiæ siue quæ ità de Pascha, siue quæ non, ità obseruarent, inter se tamen concordiam custodirent.

Sed cur putas hæc facta? Certè prudentissimè fecerunt Anicetus, & Polycarpus, qui nullam inter se nouam mouere tragædiam, veniente namque Polycarpo ad Anicetum Romam, Martionem inuenit, & multos Martionis, & Valentini persuasione deceptos.

Addo, quòd tempore Sotheris propter montanos Appellitas, & Tatianos, etiam hæc quæstio de celebratione Paschæ siluit, nec tamen interea, quod iustum erat, fuit obseruatum, sed quid obseruatum fuerit, hoc Constantini testatur epistola, vbi sic scribit: Est ordo decorus, quem omnes Ecclesiæ in vno Orbe occidentem, & meridiem, & arcturum positæ seruare noscuntur. Necnon etiam quædam Orientalium, propter quædam in præsenti benè se habere estimauerunt. Et ego ipse vestræ quoque sapientiæ placere promisi, vt quod in Romana Ciuitate, Italia, & Africa, & vniuerso Ægypto, Hispania, Gallijs, Britannuia, Lybia, tota Hellada, Asia, Ponto, & Cilicia libènter sub vna concordia custoditur, hoc etiam nostra sapientia suscipiat, considerantes non solùm multitudine prædictorum locorum, & Ecclesiarum numerum, sed etiam quia hoc maximè debetis omnes communiter celebrare, quòd ratio subtilis

vide-

videtur exigere nullam cum Iudæorum periurio habere communionem.

Vides iàm quomodò Anicetus Polycarpo cesserit.

CAP. CVII.

Affertur historia Iulij I. qui inaniter egit, ne Orientales Episcopi cogerent Concilium, & responsio.

LVTHERVS.

ITem historia tripartita lib. 4. Iulius I. conatus prohibere ne citrà suam auctoritatem Concilium cogerent Orientales Episcopi, inaniter egit, quia nihil illi hoc curant, & acutissimè ei rescripserunt.

FABER.

Quid hìc probabis? numquid vt placeat ironia Orientalium Episcoporum? scis quid in eodem loco trip. histor. Socrates habeat epistolas ipsas: Inquit, ponere propter fastidium multæ lectionis omisi; sed putas perditæ sint? minimè, siquidem eas & integras habemus, duas nempè Iulij, Orientaliumque vnam.

In prima Iulij epistola hæc verba scribuntur: Ipsa namque omnibus maior, & prædita est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce, singularem obtinuit Principatum, sed putas ne Eusebius, Theoginus, Theodorus, & Petinthus, vnà cum reliquis in Antiochia congregatis non recognouerint Iulium, certè velut illam vidi epistolam antè Iulij tempora, etiam Orientales Episcopi, sub obedientia fuerunt Rom. Pontif. conqueruntur enim in eadem epistola, quòd Athanasius, Alexandrinus, Paulus, Constantinopolitanus, Marcellus Ancirę, Asclepius, Gasæ, ac Lucanus Adriopolites, pro certis criminibus damnati fuerint. Quòd si ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare elegerit, pacem, & communionem habere velint, sin minus deinceps cum Iulio, nec congregari, nec obedire velle minantur, hæc est summa illius epistolæ, sed pro te nihil facit, siquidem rotundè fatentur sese obedire debere, omitto, quòd ibi Ecclesiam Romanam agnoscunt esse munificam, & matrem semper existere pietatis, & cupiunt, quos in ordine Episcoporum ipsi firmauerint, etiam ipse Iulius firmare dignetur, sed quid rescribit illis, certè exorditur in hæc verba, decuerat vos aduersùs Romanam, & Apostolicam Ecclesiam limitatè, & non ironicè loqui. Qui & ipse Dominus Iesus Christus eam decenter allocutus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. Habet enim potestatem singulari priuilegio concessam, aperite, & claudere ianuam Regni Cælestis, quibus voluerit. Nàm si ei detrahere, quæ ore Domini sacrata, atque desuper exaltata est, non timuistis? Nec mirùm si fratribus irrogare iniurias minimè cessatis, & infrà. Quare miror vos tam audaces esse, & tam imprudenter egisse, & terminos, ac iura beati Petri Apostolorum Principis innasisse. Sui enim iuris erat, vt absque eius sanctæ Sedis auctoritate nullus deberet, aut Concilia celebrare, aut Episcopos ad Synodum conuocare, vel damnare, eos, aut proprijs pellere Sedibus, aut alios in eorum loco ordinare. Quæ omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo aliud est talis præsumptio, nisi Apostolorum, suorumque successorum decreta transgredi, & maledictionem superius comprehensam in lege semel cautam, quàm populus vno ore, consonaque responsione per amen, idest, fiat, confirmauit, suscipere non timuistis?

Hæc, & multa id genus in eadem continentur epistola, quæ certè non pro te, sed maximè in aduersum pugnant. Et non parum miror, quòd hunc locum pro te citare fueris ausus.

Et quia hic ex quarto tripartitæ historię libro cap. 19. mecum agis, vndè ex eodem, & tibi quædam obijciam. Tu cur non ex eadem historia scribis quomodò Athanasius relinquens Alexandriam, Romam profectus est? Et Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Asclepius Gazæ, Lucianus Adrionopolites Episcopi Romæ deguerint, & quomodò ex his singuli Sedes suas adepti, inimò per Iulium restituti, quamquam per Orientales damnati, & eiecti fuerint.

Vide quàm pulchram hìc nobis citaueris historiam, quæ tuo te gladio iugulabit.

Cur non & nobis proposuisti literas Eusebij, literas Ægyptiorum Episcoporum asserentium falsa esse, quæ contra Athanasium dicebantur? Aut, quod est de Sardicensi Concilio in eadem historia cap. 23. immò tibi citaudus erat Canon tertius eiusdem Concilij, aut fortè Nicæni Concilij sic sonans: Osius Episcopus dixit, illud quoque necessariò adijciendum est, vt Episcopi de sua Prouincia ad aliam Prouinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis inuitati, ne videantur ianuam claudere charitatis. Quòd si in aliqua Prouincia aliquis Episcopus contra fratrem Episcopum litem habuerit, ne vnus de duobus ex alia Prouincia aduocet Episcopum cognitorem. Quòd si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterùm Concilium reuocetur.

Si vobis placet sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt Iulio Romano Episcopo, & si iudicauerit reuocandum esse iudicium, reuocetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreuerit, confirmata erunt. Hoc si omnibus placet, Synodus respondit, placet. Sed vndè fuerunt Episcopi in Sardice congregati, fuerunt ex Vrbe Roma, Hispanijs, Gallijs, Italia, Campaniâ, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Misia, Dardania, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epyro, Tracia, Rhodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pamphilia, Lidia, insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaida,

da, Lybia, Seleutia, Palestina, & Arabia; Hi certè iuxtà prædictum Canonem statuerunt grauatos ad Iulium Pontificem, ac eius Sedem appellare posse, atque debere. Qui quidem Canon Rom. Pontifici non paruam tribuit auctoritatem. Etiamsi in libro 4. cap. 9. tripartitæ historiæ neque Iulius interfuit maximè Romæ Præsul, neque in locum suum aliquem destinauit. Cùm itaque Ecclesiastica regula iubeat non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Concilium celebrari.

Et in eodem cur non vides, quòd scriptum est cap. 15. Cognoscens Romanus Episcopus crimina singulorum, & omnes Nicæno Concilio concordare competiens, eos in communionem suscepit, tamquam omnium curā gerens, propter Sedis propriæ dignitatem, singulisque reddidit suas Ecclesias; & cur non adijcis quomodò Iulius, vt est iterùm in eodem libro cap. 15. cassauerit acta Concilij Tiri?

Vides nunc ex eodem lib. 4. quoties te conuincere possit. Quòd si ironiam obijcias, non est, quo iustè glorieris. Nàm hæc Ariana vesania nihil non turbauit, vt est apud Ruffinum, nihil non scelerati admisit, & quòd peiùs est ad tempora Theodosij vsque durauit.

Mirùm ergo non fuerit, si in tanta seditione scripserunt Orientales per ironiam, numquàm enim tempore pullulantis hæreseos ordo debitus seruatus est, immò conturbata sunt multa, & vt plurimùm non solùm maledicentibus, sed & benefacientibus est remaledictum, & aduersarij sunt talione remorsi.

Et beatus est, qui in tanta dissensione discernere potest, an quis sit albus, an ater, sunt enim Hæretici hij, de quibus Dominus ait: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; hoc est secundùm Hieron. Qui videntur continentia, castitate, & ieiunio, quasi quadam pietatis veste circumdare, intrinsecus verò habentes animum venenatum, simpliciorum corda fratrum decipiunt. Ex fructibus ergo, quibus animæ innocentium ad ruinam trahuntur, lupis rapacibus comparantur.

Vides nunc iterùm ex tot repetitis historijs, quàm toto Cælo erres, qui librum historiæ tripartitæ tertium pro te adducis, qui & totus contra te surgit in aduersum.

Possem hic multis agere tecum, si velim: Cur in Ecclesia primitiua literæ formatarum à Petro primùm, & principale ceperunt exordium.

Sed hic satis superque responsum existimo.

CAP. CVIII.

Pontifex, inquit Lutherus, declaratus est Pontifex à Constantino IV. sed historia demonstratur falsissima.

LVTHERVS.

Quarta, Romanum Pontificem esse omnibus superiorem, humano decreto sancitum est. Nempè Constantini Quarti Græcorum Imperatoris, vt scribit Platina in Benedicto Secundo; nec sic tamen obseruatum ab Episcopis alijs.

FABER.

Vehementissimè miror te tanti nominis virum toties ea dicere, quæ vera non sunt. Et hic habes ex Platina, cuius contrarium omninò reperitur. At studiosè Scripturas & omnes historias torques, atque retorques, modò Petro ius auferas, quod illi dedit Dominus. Hic inculcas historiam, quasi in primis Romanus Pontifex sit reliquis factus superior tempore Benedicti II. & Constantini IV. Et sic citetur annum Domini septingentesimum, quis hoc vmquam asseruit? Contra te sunt scripta Siluestri, Iulij, Liberij, Damasi, Siricij, Innocentij, Zosimi, Leonis, Simplicii, Gelasij, Gregorij Magni, Eusebij, Sozomeni, Hirenæi, & aliorum. Et contra te rotundè textus est decimi canonis iuxta quædam exemplaria in Nicæno Concilio ità sonans, Ecclesia Romana semper habuit Primatum. An putas ille textus editus fuerit tempore Constantini IV.? minimè rerarum. Siquidem tempore Constantini I. & si ferè quadringentos annos ante tempora Constantini IV. fuit hic nanon in Nicæna Synodo pronunciatus.

Sed quid Platinæ faciemus? ne calumniemur, auctorem illius quidem integra verba subscribi oportet. Sunt autem hæc:

Ad hunc Benedictum II. Constantinus Imperator hominis sanctitate permotus, sanctionem misit, vt deinceps quem electus, populus, exercitusque Romanus in Pontificem delegisset, eumdem statim verum Christi Vicarium esse omnes crederent, nulla, aut Constantinopolitani Principis, aut Italiæ Hexarchi expectata auctoritate, vt antea fieri consueuerat. Id enim tatum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat. Hæc Platina.

Sed quid hic noui sancitum est aliud, quàm quòd semper Ecclesia Romana cæteris fuerit superior, & aliquid immutatum, est maximè circa electionem in creando, vel confirmando Pontifice.

Sed hic si tantùm tibi Platina placet, cur non & illud accipis, quòd Pontificem electum statim verum Christi Vicarium omnes credere debeamus? Tu tamen in odium Pontificis hæc, & his similia velut quemdam scopulum marinum fugis. At adhuc fortè subinferes,

feres, etiamsi tempore Constantini I. Romana Ecclesia sit facta superior, sit tamen dumtaxat ex humano decreto. Sine nos parum hic tecum fabulari. Quæ dicis humana, vel diuina decreta? Numquid ea diuina? Quæmet ipse Dominus statuit, & ore ad eos locutus est. Hæc verò humana, quæ tradiderunt homines, quæ Paulus, quæ Iacobus, quæ Ioannes, ac alij Apostoli tradiderunt, sunt humana decreta.

Aut ea dices diuina, quæ sunt in vtroque testamento contenta, & quicquid extra hęc fuerit, humano dicatur esse decreto sancitum, & non perindè veluti reliqua magni haberi. Tunc mihi quæso responde quid symbolo facies Apostolorum, quod ab Apostolis factum, ac traditum Ruffinus ait, & quod maius est, tota credidit Ecclesia? Quid symbolo facies Nicæni Concilij? Aut symbolo Athanasij, sunt, ne decreta humana? An non sunt ea, ac talia decreta, quorum si contraria nos etiam doceret Angelus de Cœlo, credere non oportet? Et tu non perpendens Conciliorum auctoritatem, & vires sic contemptim abijcis, ac aspernaris. Hæc sanctorum Patrum sancta decreta.

Sed ad hoc mihi responde, Luc. 10. scriptũ est: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Quando putas hoc Euangelij dicto maiores nostros vsos fuisse? Numquid non in sacris Concilijs, vt quæ iusta, quæ vera viderentur, ex hoc Euangelij verbo statuerunt? Nec moror, quòd ea dumtaxat Apostolis esse dicta contendis. Nam Cyprianus, ac alij prorsùs contraria dicunt. Quòd si locum præsentem admittere nolueris, rogo des nobis hic alium Euangelij locum, & dabis forsan hunc de Scribis, & Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus, id te respondere necesse est. Nempè nihil potestatis sacrosãctis Concilijs admittes, contra tuam opinionem reuerendissimus, ac clementissimus Dominus Matthæus titulo sanctæ Potentianæ Cardinalis Sedunensis studiosorum omnium, ac meus Primarius Mœcænas, & ipse doctissimus, ità nuper inter disputandum, verè subintulit, dicens. Si nihil extra bibliam sanctis Concilijs credere voluerit Lutherus, certè cum Arrio negabimus filium Dei esse Patri coæternum, & consubstantialem, contra decreta Nicæni Concilij, aut, quod peius est, atque periculosiùs, si nihil recepit, nisi quòd apertè nouum testamentum habet de personis, & essentia in diuinis.

Nihil ampliùs dicemus, cum ea vocabula, teste Facundo Hermanensi Episcopo, in primis ex Patrum Concilijs ortum acceperint. Quod si Concilijs nihil iterum tribuerit, negabimus cum Macedonio Spiritum esse Deum, contra sententiam 150. Patrum in Constantinopolitano Concilio. Dicemus quoque sacratissimam Mariam non Dei, sed hominis tantùm fuisse genitricem, & ità cum impio Nestorio faciemus, aliam personam humanitatis, aliam Deitatis, Christum quoque verum Deum negabimus, contra Ephesina decreta ducentorum Patrum.

Asseremus quoque cum Eutychiana hęresi Christum post assumptam carnem humanam non in duabus naturis subsistere, sed solam in eo diuinam naturam permanere, humana in diuinam mutata, contra decreta 630. Patrum Synodi Chalcedonensis.

Et demum si decretis Conciliorum, ac sanctorum sententijs nihil dederit, quid faciemus Simonianis, Menandrianis, Saturnianis, Basilidianis, Nicolaitis, Gnosticis, Carpocratianis, Corinthianis, Nazaræis, Hebionitis, Valentinianis, Sephandrianis, Ophitis, Sethcianis, Archonticis, Cerdonianis, Appellitis, Seuerianis, Cathianis, Catephrigibus, Pepusianis, Arthothynitis, Adamianis, Theodotianis, Melchisedechianis, Bardesonystis, Nouarianis, Valesijs, Angelicis, Apostolicis, Sebellianis, Origeniaois, Paulianis, Manichæis, Hiererchitis, Meletianis, Arrianis, Erianis, Apollinaristis, Antidicomarionanitis, Psellianis, Methanehisinobitis, Seleucianis, Proelionitis, Patricianis, Astitis, Parhalorinthicis, Aquarijs, Colutianis, Lorinianis, Donatianis, Pristillianistis, Luciferianis, Iouinianistis, Meluidianis, Paternianis, Tertullianistis, Pelagianis, & alijs hæreticis, quos Philaster Brixianus Episcopus in libro de hæresibus, item Epiphanius Cypri annotauit. Sic itàque in vanum sancti Patres laborarunt, & totidem impensas Constantinus Imperator frustra in Concilio pertulit Nicæno.

Et ego iam ad te rediens, dico. Numquid omnes illos hæreticos ex Euangelio, ac Pauli conuinces epistolis, ità vt in illis non appareant obscuræ, & ancipites sententiæ? quæ in veram partem si tractæ fuerint, consensu Patrum auctoritatem accipiant. Aut patieris, vt demùm caput, hæc monstra, illi serpentes erigant, repullulent, & demùm totum Orbem, vt anteà commoueant?

Quod si ità volueris, & Ecclesiam, nisi nobis aliam, quam præscripseris, admittas, iam à 400. annis non consecrauit vllus Sacerdos, nec communicauit vllus laicus. Declaro hæc post tuam captiuitatem, verè captiuitatem, & confusissimam Babylonem. Siquidem præscribis nobis consecrandi formam in hunc modũ. Verba autẽ Christi, quibus Sacramentum hoc instituit, sunt hæc. [Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis,] & ait. [Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes, hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum, hoc facite in meam commemorationem.] Quæ verba, & Apostolus 1. Corinth. 11. tradit. Et latiùs explicat, quibus nos oportet niti, & super ea ædificare, ceu supra firmam petram, si non volumus omni vento doctrinæ circumferri, sicut hactenus circumlati sumus per impias doctrinas hominum auersantium veritatem.

Hæc ad verbum tua sunt, age, videamus quomodo constent, Matthæus habet, [Accipite, & comedite hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.] Marcus sic habet. [Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens

dedit

dedit eis, & biberunt ex illo omnes.] Et ait illis. [Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.] Lucas. [Et accepto pane gratias egit, & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem postquam cœnauit dicens. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.

Et apud Paulum in eadem epistola ad Corinth. Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Habes itàque tres Euangelistas, & vnum Apostolum Paulum. Sed responde mihi an Ecclesia verbis Matthæi, Marci, vel Lucæ, aut Pauli vtatur? Dic mihi an vnius, vel duorum, vel trium, vel quatuor illorum, an nihil addiderit? Iam pensato quomodo totidem seculorum consecrationem turbes. Ecclesia enim sic consecrari fecit, hoc est enim corpus meum. Et hic est enim Calix sanguinis mei noui æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dic an in Euangelijs, ac Paulo omnia sint? de dictione enim hic nihil dicam, respondit Innocentius III. ante trecentos, & plures annos cuidam Lugdunensi Episcopo, sed dic mihi vbi sit mysterium fidei? ac responde quæso. Cur dicitur calix sanguinis mei, & non hic sanguis meus? iuxta Matth. & Marc. cur calix sanguinis mei, & calix nouum testamentum iuxta Lucam, & Paulum? Cur noui, & æterni testamenti, & non nouum testamentum? Cur æterni testamenti? Cur tamen æterni, nec in Paulo, nec in Euangelijs reperiatur? Cur mysterium fidei, cum tamen in Euangelijs, ac Paulo nullibi sit? Cur pro vobis, & pro multis? Cum tamen solus Lucas habeat pro vobis? & pro multis dumtaxat sit apud Matthæum, & Marcum cur effundetur? cum Lucas habeat fundetur. Cur in remissionem peccatorum? Cum id solus Matthæus habeat, cur nobis præscribis, vt dicamus post Paulum, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur? Et nos doces, vt imitemur Lucam dicentem, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Numquid ergo non erit Christianæ constantiæ conformiùs, hanc obseruare formam, quam totidem seculis sancta seruauit Ecclesia, à qua sponsum, hoc est Christum, tam diù abfuisse, non est verisimiliter cuique credendum.

Quid olim dicent hij, qui in tua verba iurarunt, si intellexerint te nobis tam mirabilem, & intricatam præscripsisse legem, maximè dum viderint, quàm periculosè multa immutentur, & reuera periculosissima sententia est ea immutare, quæ tot seculis in Ecclesia Dei vnanimi Christianorum consensu seruata fuerunt, etiam in biblia si expressa non sint, nam quòd ad calicem miscendum aquam tradis, & rectè, nec Euangelium, nec Paulus docuerunt, vndè cum Hugone Ethereano græco quærere possem, quis Pontificum cœtus tradidit baptizandos perungi oleo, Domino dicente, baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & nihil ampliùs adijciente, quæ Synodus constituit in officijs Ecclesiarum Kyrie eleyson cantum psallere; & non concinere christe eleyson ampliùs, quæ Synodus sancta sanciuit feruentem aquam sanguini Dominico permisceri. Numquam enim scriptum est Dominum feruentem aquam misisse in calicem, taceo hic de ieiunio, quadragesima, abstinentia carnium sub certis diebus, quæ ad nos à temporibus Apostolorum venisse quasi per manum traditionem notissimum est, ea immutare velle impijssimum esse dico, & idcirco Eucharistiam contra traditionem Apostolorum sacrificium esse negas.

Id quàm iniustè feceris, apertissimè docebunt olim Ireneus, & Epiphanius auctores grauissimi, quos vna cum quibusdam alijs non omninò aspernendis. Reuerendissimi Cardinalis Seduuensis auxilio, si vita superstes mansero, in lucem prodijsse videbis, interim circa modum consecrandi tutius mihi fuerit maiorum imitari vestigia, quàm tecum doctrinis varijs, ac peregrinis abduci, & quantum ad præsens attinet, est verus traditio Romanam Ecclesiam cæteris esse superiorem, hanc traditionem firmiter esse tenendam constantissimè credo, vndè in Thelenensi Concilio lectum est, ea, quæ Patrum constitutione sine constituta, firmiter obseruari debere, iuxta verbum Apostoli dicentis, state, & tenete traditiones nostras, siue per verbũ, siue per epist. & Syricius eisdem Patribus in Thelen. Concilio congregatis inter cætera scribit, Apostolatum, & Episcopatum Petri in Christo cepisse exordium.

Et Leo scribens ad Anatholium, ex dominica institutione dicit, se vniuersis Ecclesijs curam debere, quod non in vno dumtaxat loco Magnus ille Gregorius testatur.

Et Gelasius longè apertiorem sententiam habet, maximè, quod Romana Ecclesia sit cæteris prælata.

Et Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius in edicto vrbis ad populum Constantinopolitanum omninò volunt populum in tali fide versari, quam Diuinum Petrum Apostolum constat tradidisse Romanis, & quam teneat Pontifex illi Damasus.

Satis ergo me docuisse credo, quæ sunt etiam ex humano decreto, maximè Conciliorum, & vera sententia Patrum, non adeò vsquequaquam damnanda, & quod verissimum est hic non esse verum in primis tempore Benedicti Secundi, aut Constantini Quarti Romanum Pontificem factum cæteris esse superiorem.

CAP.

CAP. CIX.

Cyprianus, & Augustinus sine Papa fecerunt Concilia, ait Lutherus, sed benè respondet Faber.

LVTHERVS.

QVinta, numquid Cyprianum, & Augustinum, ac alios Aphricæ Episcopos confirmauit Papa, qui tamen de latina Ecclesia erant? Numquid eorū consilia impedierunt, aut conciliabula fuerunt, quia sine Romani Pontificis auctoritate gesta sunt? vt in eorum libris claré habetur.

FABER.

Cyprianum ante tempora Nicæni Concilij martyrio passum non ignoro. Attamen si scripturas Cypriani legeris, inuenies, quanta veneratione Romanum obseruauit Pontif. vndè scribens in Symbolum Apostolorum, quod nostri maiores Apostolos post Ascensionem Domini fecisse, crediderunt, hoc maximè laudat, quòd circa Symbolum Apostolorum in Ecclesia Vrbis Romæ, nihil veluti in alijs Ecclesijs reperiatur abiectum, & quòd eo tempore, neque hæresis vlla illic sumpserit exordium, & in summa non parua fuit auctoritas Rom. Pont. etiam tempore Cypriani de hijs, qui ad Rom. nauigare Pont. nolo iam dicere plura; Etiam fatetur idem Cyprianus non semel, sed sæpissimè super Petrum fundatam Ecclesiam, & quòd ab Ecclesia Romana sit sacerdotalis vnitas exorta, quamquam non negem Cornelium, & Stephanum Cypriano non mediocrem impendisse honorem, nempè in epistola 7. lib. 2. Mortuo nobilissimæ memoriæ Fabiano presbytero, atque Diacono Rom. humaniss. Cypriano scripserunt, hunc inter alia beatissimum, atque gloriosissimum Papam nominantes. Sed de Concilijs per Cyprianum habitis, illiusque decretis, scis ex hijs, quæ supra tradidi, quo pacto, D. A. August. Cyprianum excuset.

Addo, quòd omnia Synodica in beneplacitum Sedis Romanæ posuisse præsumitur. Et quamquam errarit aliquantulum, tamen adhuc excusationem meretur. Namque non dubito cum Augustino. Si intellexisset Cyprianus à Rom. Pontif. vel generali Concilio, quid rectè tenendum, quidue sentiendum fuisset, mutasset sententiam, epistolæ Cypriani testantur, quomodo adhuc tempore Cypriani, Diaconi vtriusque Sacramenti communionem laicis dabant, hæc tamen consuetudo legitimè fuit in Nicæno Concilio damnata, apertissimum etiam est, quomodo pueris in cunis, adhuc Vagientibus eiusdem Cypriani temporibus hoc sacramentum dabatur, quamquam legere potuerir in Paulo, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Hoc tamen in exemplum generale prorsùs trahi non debet, neque potest, quod ad confirmationem attinet. Dic Basilide apud Cyprianum propter idololatriam destituto, cur ipse Basilides Romam nauigauit, vt restitutionem à Romano Pontifice obtineret? Vide historiam, & inuenies aliquid secreti, & fortè non pœnitendi. Ad Augustinum, venio, de quo scis, quòd ingenuè fatetur. Bonifacium præeminere celsiori fastigio. Sed dem tibi, quòd Rom. Episcopus etiam multos annos à tempore Cypriani nullum confirmauerit Episcopum, quid hoc Petro tollet? aut obetit? Satis erat ex Euangelio Petro datas esse claues, Petrum cæteris esse præpositum, & caput constitutum. Et iam dum Euangelica ordinatio per Apostolos facta, apparet, & fit manifestior, an non putas iam etiam consensu Patrum sanctorum Rom. Pontif. cœpit habere primatum, quisquis hunc tollere ausus fuerit, grandem iniuriam tam sanctæ Sedi intulisse credatur. Id autem non credes, nisi ex Euangelica ratione tibi probauero, probabo autem sic. Numquam in Euangelio legisti, Dominum Nicodemo ità dixisse. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei? Quanta autem putas obijsse interim, vt de gentibus taceam millia circumcisorum. Cum nec dum in lucem prodierit, quòd de Baptismo tunc in tenebris dicebatur. Quid ergo? Damnatos omnes illos dicimus, qui baptizati non sunt? sic ergo iniuria antiquo illo Dei æquo mandato. Si nouo adhuc furtiuè quodammodo superueniente illud ità subitò euanuisse putetur, vt prodesse deinceps non valeret. Et quidem quàm longè post Ascensionem publicè prædicatum, & clamatum supertecta fuisse, si circumdamini, Christus vobis non proderit. Quomodò deindè stabit illud? quia in diebus Ioannis Baptistæ Regnum Cœlorum vim patitur, si præcipuè tunc temporis contigisse constiterit huiusmodi à Regno violentam interclusionem, qualis quidem, nec ante fuerit, nec post futura sit, sancito quippè noui mysterij decreto, sed adhuc secreto, quisnam morientibus interim ad regnum patet accessus? dum & vetus, & iam deficit, quoniam à nouo excluditur, & nouum tamen non subuenit, quoniam dum nescitur, non percipitur. O infœlicissima illa tempora, quæ sola à seculis pœnitus omnium salutis remedio vacua transierunt: Dum & circumcisio, quæ illo vsque viguerat, prodesse iam superueniente bapetismate non auderet, & baptisma quoniam adhuc lateret, non succurreret, forsan dormiebat eo tempore Deus, nec fuit, qui interim redimeret, neque qui saluum faceret, satis profectò ex hijs, quantum teor appatet, quòd damnatio non baptizatorum, & frustratio circumcisorum, & euacuatio sacrificiorum, quæ fortè contra originale peccatum ritus obseruat antiquus, generaliter iam tunc minimè cæperit, quando Nicodemo clàm dictum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum, sed nec quando Apostolis palàm iniunctum est. Ite & docete omnes gentes baptizantes eos. In nomine Patris, & filij, & Spiritu sancti. Sed ex eo tempore, tantùm cuique cœpit antiqua obseruatio non valere, & non baptizatus quisque non præcepti reus existere. Ex quo præceptum ipsum inexcusabi-

ſabiliter ad eius potoit perueniri noticiam. Itâ eſt de primatu Romanæ Eccleſiæ. Quamquam propter Petrum ex Euangelio fortè debitus fuerit, tamen quamprimum in Niczno Concilio fuit, aut promulgatus, aut enunciatus, iam ligare cœpit, quod & alibi ex Irenæo monſtratum eſt.

CAP. CX.

Papa numquam ordinauit Alexandrinum, Hierofolymitanum. & alios ait Lutherus, ſed falſum id oſtendit Faber.

LVTHERVS.

Sexta, quando Alexandrinum Hieroſolymitanum, & alios Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Aſiæ,totiuſque Orientis Epiſcopos inſtituit, hij ergo omnes hæretici fuerunt? abſit.

FABER.

Orientis, & Occidentis Epiſcopos propter quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones Romam Imperiales literas traxiſſe, ſcribit Hieronym. fuerunt autem inter hos, Paulinus Antiochenus Epiſcopus, & Epiphanius Salamine Cypri,quæ Conſtantia dicitur, & Athanaſius, ac Petrus, qui perſecutiones Arrianæ hæreſeos declinantes,Romam, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ ortum, confugerunt, & quo pacto ſit, Athanaſius ab Epiſcopo Romano reſtitutus, etiam nolentibus Orientalibus, de illius quoque in Ægyptum reditu, ſupra traditum eſt. Et habet orthodoxus Hieronym. in lib. aduerſ. Luciferianos qualem ſe agnouerit. Athanaſius erga Rom. Pontif. teſtatur illius epiſtola ad Liberium Papam, vbi præcipitur Ægyptiorum, & Libiorum Epiſcopis, ne in cauſis maioribus decerrere quicquam abſque Rom. Pontifice tentent, eo quòd ille curam habeat omnium Eccleſiarum, & quòd abſque illius ſententia Concilia celebrari non poſſint, & ſicut in Chriſto Chriſtiani. Itâ & in Petro, & in Chriſto renouantur Eccleſiæ, quodque conſueuerit, iniuſtè damnatos ſua auctoritate reſtituere, & alia multa id genus in eadem epiſtola inuenies, & in tripartita hiſtoria videre potes, & maximè hoc fatentur ſanctæ Sedi Romanæ in honorem beatiſſimi Petri patrum decreta, peculiarem decreuiſſe reuerentiam pro rebus inquirendis, atque determinandis, quas ſollicitè decet, iuſtèque ab ipſo præſulum examinare vertice Apoſtolico, cuius ſollicitudo ſemper fuit, & eſt tàm mala reprobare, quàm bona laudare. Et Felix Papa, Achatio, & Iuliano conſulibus, hoc eſt circiter annum Domini 370. ſcribit Athanaſio, & vniuerſis Epiſcopis in ſancta Alexandrina Synodo congregatis, ſeque primo almæ Romæ Vrbis, & vniuerſalis Eccleſiæ vocat Epiſcopum, quodquem Apoſtolatus, & Epiſcopatus Petri in Chriſto cœpit exordium, item quòd in omnibus ſalua ſit Sedis Apoſtolicæ dignitas, & qui per peram excommunicati, ſeu damnati fuerunt, auctoritate ſanctæ Sedis beati clauigeri Petri poteſtate ſaluentur, atque reſtituantur, & idem Felix, Athanaſio in memoriam reuocat, quid ſub Iulio, illi, ac Paulo Conſtantioopolitano, Aſclepio Gaſæ, & Luciano Adrionopolitæ contigerit. Vndè nouum non eſt Romanum Epiſcopum in diuerſis mundi partibus Epiſcopos ſtatuiſſe. Itâ Ioannem Conſtantinop. à Synodo damnatum, reſtituit. Et ſanctum Flauianum Pontificem, Gregorij congregatione damnatum, Sedes Apoſtolica abſoluit, ac Dioſcorum, Romanæ Sedis, Præſulem, ſua auctoritate damnauit, de Theſſalooicenſi Epiſcopo iam ſæpè commemorauimus, quare de illo nihil hic dicam, prætereo ea, quæ ſcribit Euſebius tempore Nouati contigiſſe. Et de hijs, quæ ſcribit Cornelius ad Fabianum Antiochiæ Epiſcopum. Hoc tamen non omitto, quòd Damaſus Papa ante mille, & centum annos Timotheum Apollinaris Diſcipulum hæreticum condemnauit. Nectareum Epiſcopum ordinauit, & multa hijs ſimilia ſunt, quæ & contigerunt tempore Damaſi, Gelaſij, ac aliorum. Et Leo Epiſcopus ſcribens Turbio Epiſcopo Aſturien.apertè probat ſe poteſtatem habere præcipiendi, ſicut, & præcepit Epiſcopis Tarraconenſibus, Carthaginen. Luſitanis, atque Gallicis, vt celebrent generale Concilium. Multos itaque Leo inſtituit, & deſtituit, quos tamen ſupra commemoraui. Et alio in loco tibi oſtendi Iulium Romanum Pontificem Orientalibus Epiſcopis ſuas reddidiſſe Eccleſias. Nec crediderim facilè, ſi ante mille, & plures annos Romanus Epiſcopus non fuiſſet reliquis ſuperior. Numquam hoc noſtri maiores, immò tàm ſancti Patres in Aſia, Aphrica, & Europa, toties repetitas cenſuras paſſi fuiſſent, quas alioqui. Marcum, Iulium, Liberium, Felicem, Damaſum, Syricium, Leonem, Simplicium, Gelaſium, Gregorium Magnum,ac alios in partes totius Orbis emiſiſſe legimus, ſed pergo.

CAP. CXI.

Nec hodie Papa ordinat Epiſcopos in India, ait Lutherus, ſed reſponſio id demonſtrat falſum.

LVTHERVS.

Septima, nec hodie ſub Romano Pontifice ſunt,qui in Perſide, India, Scythia, totaque Oriente ſunt, an putas nullos ibi eſſe Chriſtianos, & regnum Chriſti in Romam coactum? cuius ſunt omnes fines terræ. Pſal.2. & 21. Au non ſunt Epiſcopi, qui non induunt veſtes, non habent Palatia, equos, aliaſque pompas Romanas? Sufficit quòd Verbum Dei doceant, & diligant, ac paſcant, quia ſic nec Apoſtolos confiteberis Epiſcopos fuiſſe, ſi faciem rerum, non res ipſas contemplari coegeris, immò eò meliores Epiſcopi, quo à latuis facierum remotiores, & eo minùs Epiſcopi, quo propiores.

FA-

FABER.

De palatijs Apoſtolorum nihil hic dico, ſed Ioannem Euangeliſtam æquitaſſe probat Euſebius. Quamqnam ad rem nihil hæc faciant. Dico ergo quomodo Indiam Bartholomæo contigiſſe legimus,inter quam, Parthiamque Media, ſed longè interiori tractu India vlterior iacet, multis, varijſque linguis, & gentibus, quam velut longè remotam nullus Apoſtolicæ prædicationis vomer impreſſerat. Quem tamen temporibus Conſtantini quadam ex cauſa femina fidei prima ſuſcepit,& primus horum Epiſcopus fuit Frumentius per Athanaſium ordinatus. Putas autem quòd Athanaſius Frumentio nihil dixerit de Epiſcopo Romano? Et Sozomenus, temporibus Conſtantini Principis, Iudæorum gentes, immò & Perſarum vna cum Armenis ad Chriſti fidem conuerſas eſſe teſtatur. Anteqnam ergo conuerſi fuerunt, Romanum Pontificem agnoſcere non poterant. Siquidem hac computatione in primis Siluestrum Papam agnoſcere potuiſſent, atque debuerant. Et parem hiſtoriam de gente Anglorum dicere poſſem, vſque ad tempora Gregorij Magni, ſi Bedæ credendum fuerit.

Sed tu quid dices ad hæc? Tempore Baſileenſis Concilij, vt illius acta teſtantur, Armeni Pontificem Romanum vti ſuperiorem agnouerunt. Et de Sacerdotibus Indianis, quos noſtris temporibus Chaldeum Romæ profiteri ſcimus, quos & Baſileæ, dum illic officio iudicis, quem officialem vocant, fungerer, de anno gratiæ 1518. miſſam non ſine ſolemni ritu celebrare vidi, ſæpè mihi retulerunt ſeſe omnes Romanum Pontificem ex præſcripto Patrum veluti ſuperiorem agnoſcere, quòd & poſtea Romam veniens, ab alijs ipſe cognoui. Nam ab illis Indianis agnoſcere literas conatus ſum.

Nec dubito, ſi commodè vnquam fieri poſſet; Romanam Sedem frequentiſſimè accederent, veluti antè plurimos annos hos feciſſe legimus. An pntas ſine cauſa in Florentino Concilio ſub Eugenio celebratos, ſeſe Orientales demum Rom. ſubdiderint Pontifici? In his ſcilicèt Orientis Patribus inſtitutos, & deſtitutos Epiſcopos iam ſæpius oſtendi; tu poſt totidem ſecula veniens, antè quadrigentos annos, nullam Romani Pontificei tradis, aut admittis auctoritatē. Ego hoc inuenio,quomodo Petiganos fuerit Epiſcopus in Petris. Hunc illius ciues ſuſcipere noluerunt. Tunc Romanæ Ciuitatis Epiſcopus iuſſit eum intronizari in Cotintho metropoli,defuncto eius Epiſcopo, eique quoad vixit Eccleſiæ præfuit.

Quid quòd Miliuetanum Concilium, Carthagiuenſis Synodus, aliæ Synodi ſemper ſua decreta, ſuas ſanctiones in beneplacitum Romani Pontificis ſtatuerunt. Hoc tempore Innocentij antè mille, ac centum annos factum eſſe inuenio. Et hìc illud, quod dico, etiam tu inuenies, vbi quæſieris in epiſtola, quam Mileuitani Concilij Patres ſcripſerunt ad Innocentium Papam.

Et in ſexcentis epiſtolis Zoſimi, & Bonifacij, Innocentij, Leonis, ac aliorum tibi commonſtrare poſſem qualem obedientiam fecerint, atque præſtiterint Orientales Epiſcopi Romano Pontifici. Nec dubito ſi non eſſet illa Mahumethi, ac aliorum infidelium tyrannis, quotquot in hiſce locis degerent Romani Pontifices, tanquam Chriſti Vicarium, ac ſucceſſorem Petri, immò vt ſuperiorem haberent, atque agnoſcerent. Sicuti & in Florentino Concilio cum occidentali, ſeu Romana Eccleſia pulchrè conuenire cœperant Armeni, ac alij Orientales.

CAP CXII.

Liberius Papa depoſitus eſt ab Achatio Epiſcopo Cæſarienſi, Felix conſtitutus, ergo; ſed hæc dicit Faber nil probare.

LVTHERVS.

Octaua, ſcribit Hieronymus de illuſtribus viris, quòd Achatius Epiſcopus Cæſarienſis Diſcipulus Euſebij Pamphili, imperante Conſtantino, Liberium Papam depoſuerit, & Felicem conſtituerit.

FABER.

Quiſquis hic tua legerit, procul dubio credet, & imaginabitur Achatium, quem, quia luscus erat, *mon ophthalmon* nuncupabant, Cæſarienſis Eccleſiæ in Paleſtina Epiſcopum fuiſſe Liberio ſuperiorem, nec vnus, aut alter cogitabit quid tēpore Liberij,& Conſtantij de Arriana hæreſi contigerit. Oportet itàque, ne quiſquàm errare poſſit, rerum illarum reddere rationem. In eodem, quem citas, libro, Hieronymus ſic habet. Lucifer Calaritanus Epiſcopus, Pancratio, & Hilario Romanæ Eccleſiæ Clericis, ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Epircopo pro fide ſublegatus miſſus, cum nollet nomine Athanaſij Nicænam damnare fidem, in Paleſtinam relegatus, miræ conſtantiæ, & præparati animi, ad martyrium contra Conſtantium Imperatorem ſcripſit, librumque legendum miſit, ac non multò poſt ſub Iuliano Principe, Calarim reuerſus, Valentiniano regnante, obijt. Et infrà Fortunatianus natione Apher Aquilegienſis Epiſcopus, imperante Conſtantino, in Euangelia; titulis ordinatis, breui, & ruſtico ſermone ſcripſit commentarios; & in hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanum Vrbis Epiſcopum pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitauit, ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit. Euſebius ſic habet. Liberius, qui poſt Iulium Marci, quem Siluestre præceſſerat ſucceſſorem,in Vrbe Roma per idem tempus Sacerdotio fungebatur, in exilium truditur, in qua eius locum Felix Diaconus ſuus ab hæreticis ſubrogatur, & tàm ſectæ diuerſitates, quàm communionis, & ordinationis conuenientia maculatur.

Et Theodoricus iu hiſtoria tripartia ſic habet. Pontifex Romanæ Vrbis Liberius, & Paulinus Galliarum Metropolitanus Epiſcopus, & Dionyſius Italus, Lucifer Metropolitanus Inſularum Sardiniæ.

Et Eusebius. Ex italia, omnes Episcopi boni, & prædicatores veritatis arripiuntur, & traduntur exilio, nullam habentes culpam, nisi quia in Arrianam noluerunt consentire vesaniam, neque in calumnias subscripserunt nostri. Et nunquam legisti dialogum Liberij Papæ, ac Constantij Imperatoris, vbi sic scriptum habes. Imperator dixit Vnum est, quod decreuimus. Nolo enim te amplectentem Ecclesiasticam communionem Romæ denuò destinare, & propter concordiam pacis subscribens. Romam reuertere, Liberius dixit. Romæ iam fratribus vale dixi. Maiores enim sunt Ecclesiasticæ sanctiones, quàm Romanæ habitatio Ciuitatis. Imperator dixit. Ergo trium dierum spacium ad liberationem habes, si vis subscribere, Romam reuertere, aut certè cogita in quemuis deportari locum. Liberius dixit. Spatium trium dierum rationem nequaquam potest mutare, quapropter vbiuis dirige me. Imperator autem post die-duos, examinato Liberio, & nequaquam à suo proposito reuocato, iussit eum in Beriam Traciæ exilio deportari. Egrediente autem Liberio, Imperator dedit expensas suorum militum. Tunc Liberius dixit offerenti. Vade & da eos Imperatori; opus enim habet suis militibus erogare, Similiter, & Augusta tantos ei direxit, Liberius dixit. Redde hæc Imperatori; opus enim habet ad expensas militum suorum, Si autem Imperator hæc non opus habet, dee eos Auxentio, & Epicteto. Illi enim hoc opus habent. Dumque ab eis nihil accepisset, Eusebius Eunuchus obtulit ei alios solidos, cui Liberius ait, Totius Orbis Ecclesias desolasti, & tanquam damnato hæc mihi affers. Vade priùs, & imbuere, eur sis Christianus. His itàque gestis, post tres dies nihil accipiens, missus est in exilium. Et post omnes Platina sic habet:

Cùm in Synodo Ariminensi Orientales sacerdotes callidi homines, & acuti, occidentales simplices, argumentis, & fallacis conuincerent, præmittere eam disputationem pro tempore satis visuni est. Christum enim cum Patrem homousion esse negabant. Hoc autem quia primum Liberius Pontifex apertè impugnabat, quodque etiam damnare Athanasium, iubent Imperatore, nolebat, in exilium ab Arrianis pellitur, atque ità triennio ab Vrbe absfuit. At vero Sacerdotes, congregata Synodo, in Liberij locum Felicem Presbyterum virum optimum Pontificem crearunt, qui statim 48. Episcoporum conuentu duos Presbyteros Vrsacium, & Valentem ab Ecclesia separauit.

Quod cum Constantio Augusto in fide sentirent, hanc ob eam rogatu, & precibus eorundem, Constantius Liberium ab exilio reuocat, qui Imperatoris beneficio motus, cum hæreticis in rebus omnibus, vt quidam volunt, sentiens illud, tamen cùm Catholicis tenebat, hæreticos ad fidem redeuntes non esse rebaptizandos. Vide nunc quæso, quid hic nobis attuleris, quàm stabile, ac firmum sit hoc argumentum historiæ tuæ? De Constantio Imperatore ex Hilario, & alijs multa referre possem, sed nolo. Satis est Liberium eapropter eiectum, quia Arrianæ hæresi assentire primò nolebat. Et tu ex hac tyraonide putas Liberio nonnihil ademptum. Habes apud Ruffinum in hæc verba 11. lib. Ecclesiast. histor. Damasus post Liberium per successionem Sacerdotum in Vrbe Roma susceperat, quem Prælatum sibi non ferens Vrsinus, quidam eiusdem Ecclesiæ Diaconus, in tantum furoris erupit, vt persuaso quodam imperito, & agresti Episcopo, collecta turbulentorum, & seditiosorum manu, in basilica, quæ Sicinem appellatur, Episcopum se fieri extorqueret, legibus, & ordine, & traditione peruersis. Quo facto tanta seditio, imo bella exorta sunt, alterutrum defendentibus populis, vt replerentur humano sanguine orationum loca, quæ res factione Maximini perfecti sæui hominis ad inuidiam boni, & innocentis versa est Sacerdotij, ità vt causa ad Clericorum vsque tormenta duceretur. Sed assertor innocentiæ Deus affuit, & in caput eorum, qui intenderant dolum pœna conuersa est. Et pares historias de Athanasio, Petro, ac alijs recensere possemus. At satis fuerit hìc docuisse lectorem quanta calumnia hic Achatij recensueris historiam. Nec historia habet Achatium deposuisse Liberium, sed sic ait Hieronym. Achatius in tantum sub Achario claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem Arrianum Episcopum constitueritc, credo iam olim intellecturos omnes, quid hic Hieronymus de Liberio, & Athanasio senserit. atque voluerit, & quàm captiosè tu hanc historiam induxeris.

CAP. CXIII.

Arguit Lutherus, ex eo quòd Chrysostomum non deposuit Romanus Pontifex; sed ex hoc demonstrat contrarium Faber.

LVTHERVS.

ITem Ioannem Chrysostomum non Romanus Pontifex, sed Theophilus Alexandrinus, & Epiphanius Cypri Episcopus, vt in tripartita deposuerunt.

FABER.

Non vereris Luthere etiam scribere, quæ non huc pertinebant. Nescio an hic Theophilum, & Epiphanium Ioanne Chrysostomo meliores, an deteriores feceris? Sed lectoribus oportet narrare historiam. Adhùc hæc maledicta Arriana hæresis nondum finem habuit, etiam tempore Honorij Imperatoris. Huic autem Arrianæ factioni nunquam assentire noluit Ioannes Chrysostomus. Eapropter Theophilus, & alia ex causa, de qua Socrates in 10. lib. rancorem erga bonum hunc virum gestare cœpit. Proin sibi Epiphanium etiam Cypri fecit amicum. Et non solum Ioannem, sed & alios eiecit & longa est historia de lib. Origenis, quos Ioannes damnare noluit, demùm Theophilus, acri facta coniuratione, fecit, vt Ioannes mitteretur in exilium. Hinc itàque Ioannes in exilio ad Orificium habitabat, quod Ponti vocatur.

Cum-

Cumque per noctem terremotus Ciuitatem regiam inuasisset, legati in maturino mittebantur ad eum rogantes, vt velociter reuerteretur ad Ciuitatem, & orationibus eius pericula remoueret, Sed alij post illos, & rursus alij destinati sunt, ità vt legatis Bosphoris impleretur, quod dum fidelissimus populus agnouisset, fluctus Propontidis nauibus est apertus; omnes enim occurrerunt, cereos, & lampades accendentes pro reuersione. Et non solum Ciuitate pulsus est, sed etiam in quandam paruulam Ciuitatem, atque desertam Armeniæ concusso destinatus est. Indè rursus ad Piciuntem, vbi fines sunt Ponti, imperijque Romani, quæ loca crudelibos barbaris sunt vicina, Clemens Dominus non permisit victorem athletam per talia loca diù morari.

Inter hæc, teste Sozomeno, Innoc. Rom. Antistes, audiens de Ioanne molestè ferens, volensque generale Concilium celebrari, scripsit Ioanni, & Clero Constantinopoleos, quòd non oporteret Ioanni successorem dari, nec eius Clerum alij Pontifici parere. De his quatuor homilias habemus reuera doctas, & sanctas.

Prima incipit: Multi quidem fluctus.

Secunda: Moyses Magnus ille Dei famulus.

Tertia: quid dicam, quid legitur.

Quarta, quæ est omnium pulcherrima, cuius initium est, Rursus Herodias vesanit, rursusque turbatur, denuò saltat, denuò caput Ioannis in messorio concupiscit accipere. Non ergo ità depositus est Ioannes ille Chrysost. quasi Theophilus Alexandrinus, vel etiam Epiphanius Cypri rem iustam fecerint. Sed quia tyrannidem in hunc bonum virum exercuere non mediocrem, nec Theophilus eapropter factus est Ioanne superior, immò ipse indignatus est contra Epiphanium, quòd absque regulis in eius Ecclesia ordinationem fecerit; & fertur sic illi dixisse. Contra regulas multa gessisti Epiphani, & primum quidem, quia ordinationem fecisti in Ecclesia sub meo iure constituta; deindè quia me non iubente, in eis auctoritate propria sacra celebrasti; rursus quia immutatus excusasti, & nunc de voo in te confidis. Quapropter obserua ne turbatio nascatur in populo, & huius rei periculum ipse suscipias. Sed ex 10. lib. tripartitæ historiæ dum hæc citare volueras, cur non, & in medium artulisti iniustam damnationem illius, ac ad Concilium appellationem, odij causas ab Eudoxa Augusta. Et quomodo Romanus Pontifex egertimè tulit exilium, qualiter non solum omnes Europæ Episcopi, sed & Orientales viraverunt eos, qui eiecerant Ioannem Chrysost. & quod maius est, quomodo populus nolebat successori propter Ioannem communicare. Et demum, quæ punitio diuina secuta fuerit, hæc si proposuisses. Iàm nemo tibi credidisset. Sed vnusquisque qua lis est, taliter loquitur.

CAP. CXIV.

Epiphanius damnauit Chrysostomum; & Imperatores Papam ait Lutherus, quibus respondet Faber.

LVTHERVS.

IDem Epiphanius Cypri minor Episcopus Ioanne Hierosolymitano Episcopo, eumdem excommunicauit. Et si historias consideres quomodo nunc Imperatores Papam, nunc contra Papam Imperatores. Item Papa Episcopos, Episcopi Papam mutarint, statuerint, deposuerint. Credas te Iliada quamdam videre, nec mirùm, quia Christum non audierunt ambitiones prohibentem. Ideò toties colliduntur, & turbantur. Pœnituit communicasse cum illo, vt diuus Hieronym. scribit contra eumdem.

FABER.

Epiphanium Cypri Salaminæ Episcopum fuisse post multa dierum spatia. Demùm factum virum sanctum, & senem venerabilem. In multis locis testatur Hieronymus illius opera, de fide scilicet Christiana, vbi septem Sacramenta enumerat, contrà Hæreticos, & quædam alia græcè scripta dùm Romæ essem, communicauit mihi Romulus Mammacinus Ecclesiæ Aretinæ Archidiaconus, Vaticanæ Bibliothecæ Custos, tenera fidissimus, ea in proximo, veluti pleraque alia, ad hæc manum præbente Reuerendissimo Domino Mattheo Sedunensi sincerioris Christianæ Religionis patrono primario, atque religiosissimo, in lucem prodijsse videbis: Est autem in Cypro insula Salamina, siue Salamia Metropolis, cui præsedit Epiphanius. Is quòd Ioannem Hierosolymitanum vnquam veluti superior propria excommunicatione excommunicauerit me legisse non memini, optarem autem hunc videre locum, quo, vt tu scribis Ioannem excommunicarit, nisi hoc forsan velis, quod in epistola Hieronymi aduersùs errores Ioannis Hierosolymirani legitur, post à beato Epiphanio conuentus, scilicet is, tàm sermone, quàm literis respondere contempsit, scripsit Epiphanius tandem, vt absque satisfactione fidei nullus ei temerè communicaret. Sed quòd ità in generali ad omnes eum excõmunicarit, aut quid temerè, vel immodestè secum egerit, in promptu non habeo.

Siquidem epistolam Epiphanij vidi ad ad Ioannem, quam Hieronymus in odium Ioannis, & Ruffini, latinam fecit, vbi sanctus hic pater Epiphanius scilicet, non nisi modestissimè scribit, se quoque excusat, quare in Monasterio ordinauerit Presbyterum: de eo denique Hieronymus scribit in epistola ad Theophilum aduersùs eumdem Ioannem. Et inter cætera verba Epiphanij, hæc sunt: Dilectissime non te præueniat furor, nec te occupet indignatio, nec frustrà mouearis. Et iterùm obsecro te dilectissime, & aduolutus pedi-

pedibus tuis precor, præsta mihi, & tibi, vt salueris, ficut scriptum est, à generatione peruersa. Et iterùm, cum vos rogarim ne ità erraretis, & monerem contradixistis, & me ad tristitiam, & lachrymas adduxistis. Et in eadem epistola sequitur: Te frater liberet Deus, & sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, & omnes fratres, qui tecum sunt. Et iterum dilectissime custodi animam tuam, & desine contra nos murmurare, dicit scriptura Diuina. Nolite murmurare ad inuicem, sicut quidam murmurauerunt, & à serpentibus perierunt, magis acquiesce veritati, & dilige diligentes te, & veritatem, hæc, & hijs similia scribit Epiphanius: Sed dem tibi Epiphanium Ioannem excommunicasse, putas ne res indigna fuisset? Ioannes ille suspectus erat, quòd Origenis, & Arianorum dogmatibus esset infectus, obijciuntur illi octo Origenis errata, & quòd de Ariana hæresi suspectissimus sit, propter quæ etiam Epiphanius Monachorum, & Presbyterorum Concilium apud Antiochiam celebrauit. Addo, quòd ea de re Epiphanius scripsit ad Siricium Papam Damasi successorem. Et fortè ex commissione Romani Pontificis Epiphanius Ioannem excommunicauit, quod olim Cyrillum Alexandrinum fecisse legimus. Nunquid non hominem in falsa dogmata lapsum ex Concilij consensu excommunicare potuisset? Erat Ioannes Hierosolymitanus (vt dixi) non vni, sed multiplici errori immersus, qui & sæpè monitus resipiscere noluit, immò candidatum hunc, venerabilemque senem indignè tractauit. Vnde Hieronymus scribit, Epiphanium fuisse præsentem, cumque Ioannes è suggesto dicere debebat ad populum. Idem Ioannes cum suo choro canino rictu, naribusque contractis, scalpentes capita Epiphanium, quasi senem delirum habuerunt.

Et contra Antropomorphitas, qui, simplicitate rustica, Deum habere membra arbitrabantur, quando concionabatur, Ioannes furens, & indignans loquebatur, oculos, & manus, & totius corporis truncum in senem Epiphanium dirigebat, volens illum suspectum facere stultissimè hæreseos. Et postquam lassus, ore arido, resupinaque ceruice, ac tremebundis labijs, conticuit. Surrexit idem Epiphanius, vt se indicaret pauca dictorum esse, salutataque, & manu, & voce Ecclesia, cuncta, inquit, quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus, contra Antropomorphitarum hæresim, benè, & fideliter locutus est, quæ mea quoque damnatur voce. Sed æquum est, vt quomodo hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis peruersa dogmata condemnemus, hæc & hijs similia scripsisse, atque dixisse Epiphanium lego. Quare si Epiphanius excommunicauit Ioannem Hierosolymitanum, fortè id factum est ea auctoritate, qua alibi Cyrillum ex Apostolica commissione Orientales Episcopos excommunicasse monstraui dignissimè; hoc itaque factum est.

Sed numquid non Ioannes hæreticus erat? vel numquid illi non licuit, quòd Hieronymo licebat, cuius verba sunt hæc, quòd tibi non communicamus fidei est. Et in fine epistolæ ad Pammachium sic habet: Nolo respondere, & arguere acriter, ne periurij Episcopum conniuere videar. Præsto sunt plures epistolæ Epiphanij, vna ad ipsum, alia ad Episcopos Palestinos. Et nuper ad Romanũ Pontificem, in quibus dicit se eum coram multis de dogmatibus arguentem, non meruisse responsum. Accedit ad hæc, quòd Epiphanius non ex se, sed assensu Patrum in Antiochia, & forsan voluntate Pontificis Romani, cui eapropter misit epistolam, fecit, immò id ex decreto Niczni Concilij, ac totius Ecclesiæ obseruatione faciebat, teste enim Gelasio Papa I. Sabellium damnauit Synodus. Nec fuit necessè, vt eius Sectatores postea damnarentur. Et singulos viritim Synodos celebrare, sed pro tenore Constitutionis antiquæ, cunctos, qui, vel prauitatis illius, vel communionis extiterunt participes, vniuersalis Ecclesia dumtaxat esse refutandos; sic propter blasphemias Arrij forma fidei, communionisque Catholicæ ex Niceno prolata conuentu, Arrianos omnes, vel quisquisquis in hanc pestem, siue consensu, siue communione deciderit, siue retractatione conclusserit; sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, Synodus semel gesta condemnans. Viterius ad nona Concilia venire non finit. Sed vniuersos quocumque modo in has blasphemias recidentes, tradito sibi limite Synodali refutauit Ecclesia.

Eapropter & Toletana Synodus tertia, sub Richardo Rege condemnault Arrianam hæresim, & confirmantur Nicæna, Ephesina, & Chalcedonensis Synodi, quod & in quinta Synodo Toletana sub Sysinando fiebat, id quoque, teste Fulgentio, in Concilio Spalensi factum extitit. Cum igitur Nicæna Synodus damnauit Arrium, eiusque Sectatores, quod & alia sequentia Concilia fecisse leguntur. Ioannes quoque Hierosolymitanus hunc errorem abdicare noluerit, si à monachorum communione per Epiphanium fuit exclusus, non tàm sua, quàm Niczni Concilij auctoritate factum fuisse dicere oportet, immò verius anathematis sententiam antiquam seruare voluisse, quàm de nouo excommunicasse credendum est. Et fortè Epiphanius id in monachis facere voluit, quod Planianus, Saturnus, Basilius, Seleucius, Etherius, Dorotheus, Timotheus, Melipongus, Sabinianus, ac alij in Synodo Constantinopolitano cum Euthichete fecerunt, is Euthiches enim eum rectè sentire nollet, præfati Patres decreuerunt, hunc extraneum esse ab omni sacerdotali officio, & communione, hij verò quotquot illum conuenirent, aut illi colloquerentur, excommunicationis penè subiecti esse deberent; vera itàque est sententia, quam Gelasius dixit. Non solum Apostolicum Præsulem, sed quemcumque Pontificem hæreticum, ac sectatorem hæreseos sacra communione priuare posse.

Et rectè idem Gelasius scribens ad Episcopos Orientis, iterum sic inquit. In vnaquaque hæresi, quod ineffabiliter repetendum est, omnes complices, sectatores, communicatores, damnatæ simul prauitatis, pari sorte censentur. Vides nunc ex tot repetitis historijs, quam excusationem Epiphanius mereatur, quòd vero postremum varias inducis historias, & citas quibus, Papas Imperatores, & Imperatores Papas. Papas Episcopos, & Episcopos Papam mutasse, statuisse,

& de-

& depofuiffe legimus, non eft,quo tua firmiora facias, non inuenies hanc tragœdiam fuiffe duriorem, quàm fub Arriana hac hærefi, ac factione omnium impijffima, fub ea fiquidem nihil perftabat in fuo ordine,nec alicubi, vt credo, vnum, vel duos Epifcopos deftituiffe Papam Romanum leges, de quo hic nofter eft fermo, nifi id factum fit, ac fuerit iniuftè, & quòd auctoribus quicquam aliud, nifi miram tyrannidem te adfcribere,ac fateri oportet,quę antè iniuftè fiunt,nullam approbationem merentur, nec dignum eft acta malorum in exempla trahi. Et fi ità argumentari liceat. Numquid contra populum Ifrael, & itidem ex Iofue, iudicium, regnorum, & Machabæorum libris, pares obijcere poffem tragœdias? Vbi pares fuerunt regnorum viciffitudines, contra populum tamen Ifrael nihil præftabit, quod dices. Demùm vbi in fine addis Hieronym. quòd cum Ioanne comunicauerit, pœnituiffe. Placet hæc agnofcere Lutherum. Lutherum inquam, qui contra Euangelium, ac Paulum excommunicationem, nihil, vel parum facie. Et vnde quæfo id facere, fuit Hieronymus animatus. Numquid non alibi de Nicæna ordinatione apud eumdem legifti Hieronym.Ea quidem in caufa pijffimum fuit, quòd illi non ampliùs communicare voluerit, non quòd gradu maior, fed quòd fide melior effet.

CAP. CXV.

Arguitur ex eò quod etiam Epifcopi funt Apoftolorum fucceffores, ficut Papa vnius Petri.

LVTHERVS.

NOna, quid ad hæc dicemus, vera ne eft illa fententia, quam tota Ecclefia, omnia etiam decreta, omnes Doctores tenent, effe videlicet Epifcopos Apoftolorum fucceffores, vt dift. 21. cap. in nono. Si eft falfa, quid iactatur tanta auctoritate? Si vera,quomodo folus Romanus Pontifex eft fucceffor vnius Petri Apoftoli, & cæteri omnes Rom. Pontif. funt fubditi? Cur non & alij Apoftoli habent fucceffores? aut fuerunt Apoftoli fucceffores vnius Petri? Cur Apoftolis aufertur fua gloria, & tribuitur foli Petro? Cur non quilibet Epifcopi habent, quod Apoftoli eorum habuerunt, cum Roma habeat, quod Petrus fuus prædeceffor habuit? Muta ergo verbum, & dic Epifcopi funt Apoftolorum fucceffores. Sed vnus Epifcopus Romanus eft vnius Apoftoli fucceffor.

FABER.

Miror hic te non dedignari Capitulum in nouo diftinct. vigefima prima, qui quicquid vmquam ab Anacleto fcriptum habemus,veluti quemdam fcopulum fugis,& quafi naufeando horres, immò in hoc opere tuo, ex quo aduerfus te iam diù pugnaui, hunc locum Anacleti,non Anacleti,fed vt numquam tibi conftares, ficti alicuius Anacleti paleam effe dixifti. Ego verò non tàm hic, quàm alibi teneo, atque tenebo firmiffimè, hoc decretum effe illius Sancti Anacleti. Siquidem inter alia huius Anacleti decreta, in exemplaribus omni fufpitione carentibus reperio. Et quamquam vnum côtra te pugnantem inueuerim, qui hic nefcio, quid falfi tibi impingat, quafi hic Anacletus, minimè dixerit, Epifcopos effe Apoftolorum fucceffo res. Ego verò contrarium omninò fentio.

Non enim nifi fim quauis talpa cęcior, aliud in hoc capite, quàm tu citas videre poffum, immò & veriffimum effe, quòd hic Anacletus habet,affirmo, conuenimus itàque femel in hac re, quòd fucceffores Apoftolorum fint, & dicantur Epifcopi, in eo autem, quod fyllogifticè fubinfers, neutiquam approbo. Nam cornutus ille tuus fyllogifmus fubfiftere nequit,cùm fic dicere debebas. Duodecim fuerunt Apoftoli. Et inter hos Apoftolos, vnus videlicet Petrus, erat Prior, Caput, & Princeps, ità inter fucceffores Apoftolorũ, fcilicèt inter Epifcopos fucceffor Petri, reliquorum Epifcoporum eft Prior, Caput, & Princeps. Et iam, quòd ad illorum Ecclefias pertinet.

Non ignoro eas Ecclefias, quibus præfederunt Apoftoli, vocari poffe Apoftolicas, ficùt Quintus Septimius, Tertullianus florens Presbyter, non vno dumtaxat loco oftendit. Sed de hijs quandò tractat,non nifi magno præconio Romanam extollit Ecclefiam.

Vndè in hæc verba loquitur, percurre Ecclefias Apoftolicas,proxima eft tibi Achaia, habes Corinthum, fi non longè es à Macedonia, habes Philippis, fi potes Afiam tendere, habes Ephefum. Si Italiam adieceris habes Romam, Vndè nobis quoque auctoritas, præfto eft ftatura fœlix Ecclefia, cui totam doctrinam Apoftoli, cùm fanguine fuo profuderunt; vbi Petrus paffioni dominicæ adæquatur.

Et in 4. lib. aduerf. Marcionem, Romanis,Euangelium, Petrus, & Paulus fanguine fignatum, reliquerunt, habemus, & Ioannis alumnas Ecclefias. Nàm & fi Apocalypfim eius Marcion refpuit, ordo tamen Epifcoporum ad originem reuerfus, in Ioannem ftabit auctorem. Et in eodem libro mutat nomen Petro de Simone, quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Ozeæ nomina reformauit, hunc vocando Iefum, illis fyllabas adijciendo. Sed & cur Petrum, fi ob vigorem fidei, multæ materiæ, folidæque nomen, de fuo accomodatet? an quia, & petra, & lapis Chriftus, fiquidem legimus, pofitum eum in lapidem offendiculi, & in petram fcandali, omitto cætera.

Itàque adfectanie chariffimo difcipulorum, de figuris fuis peculiaritèr nomen communicare, puto propriùs, quàm de non fuis hæc, & his fimilia paffim funt de Ecclefia Romana, eiufque plantatore, ve creditur Petro. Hæc Tertullianus vetuftiffimus Ecclefiæ Doctot, fcis autem illum non fcholafticum, nec intrà quadringentos annos natum, fed quòd fuit circitèr annum Domini centefimum quadragefimum, feu quinquagefimum.

Ex quo quidem habes Apoftolorum Petrũ reliquis præfuiffe, & quo pacto aliæ Ecclefiæ, etiam

etiam Apostolicæ dicantur, sed sic inter Apostolos Petrus Princeps erat, ità confirmante, etiam Carolo Magno, & Romana Ecclesia Principatum obtinuit. Et credo non peccarem, etiam si ex eodem Tertulliano dicerem, quòd & Euaristum, & Telesphorum scripsisse legimus, ordinem Ecclesiarum sic ab Apostolis esse traditum. Et huius rei non modicum est argumentum,

Quòd quandò Canonem Niceni Concilij, rectè intueamur, etiam secundùm ecclesiasticam historiã duntaxat, nàm ibi fit mentio de consuetudine antiqua, quam etiam si assererem ex Apostolorum ordinatione editã, credo in nullum hereseos errorem inciderem. Nec iterùm moueor, quo dicere soles, te nullo dicto astringi, nisi scriptura vincaris. Nàm multa creduntur ab Apostolis tradita, quæ tamen scripta non sunt, immò nonnulla scripta sunt, etiam a Paulo, quæ tamen forsàn interciderunt, sed hæc fortè non credes? Dic ergò cur Paulus ad Collosen. 4. sic scribit. Cùm fuerit apud vos epistola secta hæc, facite, vt in Laodicen. Ecclesia legatur, & ea, quæ Laodicensium est, vobis legatur, hæc sunt Pauli verba, Colossensium, hoc est Asianorum epistolam habemus. sed dic. vbi est Laodicensium epistola? Nisi dicere velis eam esse Laodiceo. priorem, quam scripsit ad Thimotheum, eo quòd ex Laodicia eam transmiserit. Et te somniare oportet, quod tamen abhorres, fieri ergò potuit, vt hæc interciderit epistola. quod, & de vna Petri epistola factum esse, nonnulli crediderunt,

Quòd autem nec omnia scripta sunt; & & idem habet Apostolus. Vbi formam perscribit, ac modum manducandi Corpus Domini, & bibendi Calicem, non enim omnia, quo ordine sint peragenda, describit, aùt frustra pollicetur dicens. Cætera autem, cùm venere, disponam, Sed dic mihi, vbi scriptum inuenias, quid & quo ordine cætera disposuerit? Si nihil disposuit, veritatis euangelicæ præconem dices esse mendacem. Si verò disposuit, nec scriptum inuenies. An credes nec ne? Si credideris, habeo, etiam fidem adhibendam hijs, quæ scripta non sunt. Si non credideris, iàm euanescit, quod dixit Paulus. Tutiùs ergò crediderim, etiã ea probare, quæ sãcta sanctæ seruauit cõsuetudo Ecclesiæ, vsus enim Ecclesiæ (modò non sit contra legem diuinam.) Ità scripturam iuuat, sicùt scriptura scripturæ consentit. Au non mi Luthere, quatuor Euangelia, dices, veluti quatuor flumina Paradisi, totam irrigasse terram, sed non omnia in Euangelijs contineri, non modò ex Ioannis restimonio comprobatur, immò & Paulus expressè testatur. Numquid non rectè Paulus illectas electionis scripsit in epistola priori ad Corinth. c. 5. sic dicens: Christus resurrexit tertio die secundùm scripturas? Et quià visus est Cœphæ, & post hoc vndecim, deindè visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhùc, quidam autem dormierunt. Deindè visus est Iacobo. Deindè Apostolis omnibus, nouissimè autem omnium, tamquam abortiuo visus est, & mihi, iàm responde mi frater. Vbi reperies hunc locum in Euangelio, & maximè, vbi de quingentis fratribus simul? Numquid hos fratres, simul congregatos in euangelio legis? Numquid non Apostolorum acta videntur in aduersum Paulo pugnare? Siquidem Lucas Theophilo scribens, ac inter cætera narrans, quot, & qui fuerunt Hierosolymis in cœnaculo, adiecta parenthesi, sic ait.

Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti, in hac turba non fuerunt solùm Apostoli, sed & mulieres cum Matre Iesu, hic verò nihil de quingentis fratribus habes. Sed numquid mentitus est Paulus, quòd hæc scripsit, quæ tamen Euangeliũ non habet, nisi in genere, hæc est itàque sancta scripturarum cathena, quam & Cicero in reliquis artibus ingenuè fatetur. Quòd si in hijs aliquid extrà Bibliam admittis, nimirùm si & ordinem Ecclesiarum ab Apostolis diuisum concedis, maximè dùm ipsius Irenæi fidele testimonium ad id habes quare confidentissimè dico, hanc plantationem Ecclesiarum, & si expressa scriptura sacri Canonis probare non possimus, tamen sic ab Apostolis, aùt proximis illorum successoribus, eam statutam esse, absque periculo dicere valemus, hoc est, quod Maxentius loquit. Quomodo Christiana fides, etiam Patrum regulis statuatur. Non igitur tua ratio omnium obstrueret ora, qua omnes Episcopos facis æquales, immò sicut inter Apostolos, iuxtà verbum Hieron. Vnus in caput cæterorum eligitur, vt schismatis tollatur occasio. Ità & hoc inter Episcopos Apostolorum successores factum fuisse constanter asserimus, sed vide si faceres Episcopos omnes æquales, quot regulas, quot sanctorum Patrum definitiones, immò quàm diuturnam consuetudinem Prouinciarum dirumperes. Cur sunt Metropoles ciuitatum Lugdunen. Rothomagen. Turonorum. Senonum. Treuerorum, Remorum, Maguntinæ, Colonien. Narbonen. Aquen. Ebrodunen. Burdegalen? Cur in Concilio Niceno, de singulis Prouincijs, singuli scribuntur Episcopi? Quis quæso antè Nicenum Concilium fecit, aùt ordinauit, vt essent Prouinciæ, essent Prouinciales Metropoles, essent primates. Si per omnia erant æquales? Cur de Episcopis, & eorum causis Metropolitani iudicabant? Cur & primates iudicabant? Cur & primates confirmasse, & iudicasse legimus, cùm tamen sit vulgarissima lex? par in parem, non habet imperium. At fortè iureconsultis totum titulum, digestis de iurisdictione omnium iudicum, è medio tollere conaris, veluti Canones in cineres vertisti.

C A P. CXVI.

Sicut Romanus Pontifex à nemine ordinatur; ità quilibet, Lutherus, quæ sine fundamento ostendit Faber.

LVTHERVS.

ET sicut Romanus Pontifex, à nemine ordinatur, ità quilibet per solam electionem, sicut ipse ordinari debet iure diuino.

FA-

FABER.

Nescio, quo auctore hæc dicas, hoc ego scriptum, & ità obseruatum inuenio, quòd Episcopus Romanus à tribus consecratur Episcopis Hostiensi, Portuensi, & Volaterrano. Ità Leonem secundùm,ità posteros ordinatos fuisse. Platina in vita Ioannis.5. testatur apertè. Sed quid hic vis cùm iure diuino? Numquid præceptum ex iure diuino, quo mandatum sit, Episcopum, non nisi à tribus Episcopis ordinari debere, & reuera dare non possumus,nisi nobis admittas historiam, in qua à tribus in Hierosolymorum Episcopum Iacobus ordinatur. Etenim ex fidei scripturarum testimonio Iacobum fratrem Domini, à Petro, Iacobo, & Ioanne, in Hierosolymorum ordinatum Episcopum legimus. Exemplo quorum sanctissimi Patres in Nicæna Bithyniæ vrbe statuerunt, vt ad ordinandum Episcopum non minùs, quàm tres interfint Episcopi, qui canon ità præstitit. Et in suo robore mansit, vsque in tempora Hipponen. Concilij, quod celebeatum est ab Aure. Augusti sub Cæsario, & Attico consulibus. In quo Concilio Honoratus; & Vrbanus Episcopo proposuerunt in Tripoli, & Marsuge canonem antiquum obseruari non posse. Siquidem in Tripoli tantùm sint Episcopi quinque, sint, & ibi Barbaræ gentes,quare totidem Episcoporum absentiam tollerare non possint, Propterea fuit indultum, vt rantus Episcoporum numerus in Tripoli,& Marsuge non exigeretur. At in reliquis Prouincijs omnibus vsque in hæc tempora, non vnus Episcopus alium ordinauit, sicut & tu fieri iubes, immò ad exemplar Petri,Iacobi, & Ioannis, & iuxtà decreta Patrum, semper tres Episcopi ordinarunt vnum. Vndè in Regiensi Concilio celebrato sub Imperatoribus Theodosio minori, & Valentiniano, canon est, eum non haberi Episcopum, qui non uisi à duobus esset ordinatus Episcopus, sic & cum Pontifice Romano fieri solitum fuit, quòd tres illi Episcopi, Hostien.scilicèr, Portuen. & Volaterranus, à tempore Leonis secundi; hoc est ferè à nongentis annis Pontificem Romanum ordinaruut. Noli ergo nos, vel ad Tabariras, vel aliud hominum irreligiosum geous relegare. Et memor sis eorum, quæ dicis, ne tibi contraria toties dixisse conuincaris. At hic perindè facis, vt in sacerdotio soles.

CAP. CXVII.

Arguit Lutherus ex eo, quòd Petrus nullum misit; sed respondet Faber immissos à Domino.

LVTHERVS.

STat enim firma sententia, nullum Apostolorum à Petro missum esse. Sed omnes eadem à Christo Domino æqualia accepisse in suas sortes, ergo eorum Episcopi successores æqualia habent cùm Romano Pontifice, excepta prærogatiua honoris, seù dignitatis, sicut Paulus ad Corint. clarè scribit. Quid enim minùs feci à magnis Apostolis.

FABER.

Quòd Petrus nullum miserit Apostolorum,in causa est, quia missi fuerunt à Domino; vndè Hieron. in Zachariam.c.1. Isti sunt, quos vt perambularent terram,à Domino,qui missi sunt Apostoli, vt totum orbem euangelica prædicatione complerent, sed quod non miserie aliquem discipulorum, hoc ego facilè non credã, antea tibi tamen de hac re sat plenè respondi. Quòd verò omnes æquales fuisse testaris, sanum requirit intellectum, vbi tu tali præconio sortem vndecim Apostolorum habes celebratam, quasi honoratur sors Apostolatus Petri. Si quidem Paulus illius sortem vocat Apostolatus circumcisionis. Vnde ad Galatas 2.Cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut, & Petro circoncisionis. Qui enim operatus est in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi,& inter gentes. Quòd aut gentibus prædicare possent, dic quis primum reuelauit? An non id per os Petri factum fuisse credis? Quamquam missi essent, & reliqui in fines orbis terrarum, immò Iacobus manserit inter Iudæos, tamen non meruit, vt de illo scriberet Paulus, quod scribit de Petro. Et quod hic ex Paulo probare vis, non pro te, sed aduersùs te pugnat. At fortè qui totus Paulinus es, nihi non credes, nisi digito monstrarim. Loquitur Apostolus in hæc verba. Existimo me nihil minùs fecisse à magnis Apostolis. Cur non simpliciter dixit, existimo me nihil minùs fecisse à reliquis Apostolis? Certè vt Petro,Iacobo, & Ioanni suum daret honorem. Ij siquidem, vti sanctarum doceut scripturarum interpretes, dicuntur magni Apostoli. Hoc etiam est, quod in eadem epistola capitulo sequenti habet. Nihil minùs feci ab his,qui sunt supramodum Apostoli.

Hos autem, Petrum, Iacobum, & Ioannem fuisse credimus, qui inter cæteros erant honoratiores, veluti sępè ostensum est. Quòd si hæc Pauli dicta sic intellexeris, quasi absq; discrimine paris potestatis fuerint, dic mihi cur Paulus, qui sese vocat Apostolum, qui nec cæteris minùs laborauit, qui & non ab homine, sed à Domino nostro Iesu Christo fuit segregatus in Apostolum, vna cum Barnaba Hierosolymam venit ad Apostolos, & presbyteros super quæstione circumcisionis? Cur non faciebat, quod ipse de lege, & potissimùm de circumcisione decerneret? Cur expectauit sententiam Petri,& reliquorum Apostolorum? Numquid non Paulus ad tertium vsque conscenderat cœlum, & hic vidit arcana Dei, didicit, quæ non licebat homini loqui, tamen hac orta dissensione, immò facta seditione, nihil definire audebbat? Et licèt post hanc visionem Pauli magnam, credant aliqui Paulum sciuisse omnia, id tamen videtur contrarium, etiam quod ostensum est alibi. Siquidè ad Thessalonicenses Timothrum misit, ad cognoscendam illorum fidem, fidem inquam illorum, vt re sciscat,quamquam vt verum fateat. Nec hoc quicquam minuit

Pau-

Paulo. Nam nequaquam legimus, omnes, qui sanctitate pollerent, siue Christi praecesserint tempora, siue post Christum, sint subsecuti, illiusmodi esse rerum incognitarum notionem adeptos.

Heliseus namque, quemadmodum cum fulamite ageretur, minùs intelligebat. Et Helias solum se relictum arbitratur, tametsi septem milia superfuissent. Et Samuel admonetur ne Dauid fratris, qui esset natu prior vultum intueretur, haud secus, & Apostoli ipsi multarum rerum tenebantur inscitia. Quod sanè eo effectum est, ne vel hij superbirent, vel de his cœteri magnam præsumerent opinionem. Neue & illud excusare possumus supra quam humana conditio patiatur fuisse, hos gratia donatos, vt tantum de se possent virtutis promittere. Et sic nobis indulgentia quædam desperantibus, & torpedo oboriatur: quare mirum non sit Paulum ascendisse Hierosolimam, vt expectaret decreta Apostolorum. illud autem à primo, ac Principe Apostolorum, hoc est Petro, non sine mysterio decisum fuit, quo quidem clarè habetur, Paulum in potestate etiam Petro non fuisse æqualem.

CAP. CXVIII.

Ecclesia ante 400. annos non fuit sub Petro; nec Hierosolymitana ait Lutherus, quæ tamen falsa sunt.

LVTHERVS.

Decima, responde, Si Romanus pontifex præcepto Dei est Vicarius generalis in Ecclesia, sequitur ineuitabiliter peccare eos, immò esse hæreticos, qui non sub eo fuerint At tunc Ecclesia tota primitiua, saltem vsque ad 400. annos cum tot martyribus, & sanctis hæretici erunt, obsecro quid prodest tantam blasphemiam in Ecclesia profunda potestatis pompa statuere? Deníque etiam sanctus Petrus erit hæreticus, qui ante Romanam Ecclesiam cum Apostolis fuit Hierosolymis, vincit me hæc ratio inuicta.

FABER.

Vnquam in psalterio Regio legisti. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Times hic damnari patres Ecclesiæ primitiuæ, quoniam potiùs hoc tibi timendum erat, quòd illis auctoritatem totidem seculis comparatam adimis. Idque facis non in vno dumtaxat, sed pluribus locis. Non enim vereris asserere sacræ scripturæ vnum tantum esse sensum, scilicet literæ, quid aliud eo facies, quàm sanctis hisce Patribus sanctum auferre spiritum: Si non allegoriam, si non anagogen admiseris? Certè Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Cyrillus, ac alij ferè omnes oleum, & operam perdiderunt, immò si ab illis fustuletis allegorias, ac Anagogas carta quandoq; remanebit vacua. Quod videre licet in hijs sanctis commentarijs. D. Hieronymi in propheras. Sed & hoc dolendum est, quòd tu, ac tui sectatores ferè nullam sanctis hijs Patribus date vultis auctoritatem. Numquid non verbum Pauli scriptum ad Corinthios dicere possem, ac interrogare, an à vobis verbum Dei processit, aut in vos solus peruenit? Sed de illorum fide, infrà tecum agemus. Hîc non est, quo iustam dolendi causam habeas. Quotquot patres bona egerunt, ierunt in vitam æternam, iuxtà promissionem Dei, quam dedit cunctis gentibus. Sed dices non fuerunt sub Pontifice Romano. Fuerunt ergo hæretici, fuerunt quoque damnari. Scis, aut legisti ne vmquam, quid Iulianus Cardinalis scripserit ex Concilio Basiliensi ad Eugenium Papam? Ab illo quidem scriptum inuenio, quomodo magister Ioannes de Rochezana, ac alij toto conatu spirent, atque desudent, vt tollatur, vt præcipitetur Romanus Pontifex. Ità tu facere videris, & tu, vt ad tua veniam, dico, circa primatum durius, & acerbius contrà Pontificem agis, quàm egerit olim Nilus Thessalonicensis Græcus Episcopus, qui licèt multis argumentis, & scripturæ locis contrà Roman. scribat Episcopum, tamen potestatem illi superiorem admittit. In hoc solo Nilus ille videtur Pontificem culpare Romanũ, quòd is omnia absque Concilij consensu decidere velit. Cæterum hunc reliquis præferendum admittit. Librum illius quisquis videre cupiat, inueniet Romæ in bibliotheca palatij inter Græcos auctores repositum. Tu verò, vt me negare non potes, per omnia illi contraria dicis, & hic inuentione satis exquisita veteris. Tamen vt breuiter quid sentiam intelligas, hic mihi res adiaphora foret, non curans quis esset prior, dignior, vel superior, æqualis, aut inæqualis, nisi aliquid iuberet honestas, aliud exigeret ratio. Et non fieret iniuria Petro principatum obtinenti etiam à Christo, At quomodo in assertiones iurare possum contra tot seculorum assertiones mores, atque historias. Et vt me totum aperiam, dic mihi tu quæso qua fide, qua auctoritate verbum Matth. 16. de solius literæ cortice poteris vnquam declinare à Petro, & æqualiter ad alios referre Apostolos? Non hic tecum de virtute pronominum agam, ne me pronoministam, aut casualistam voces, sed ad verum sensum, quem, & grammaticus, qui trium dierum iter fecit in solitudine, perpetuò assumet. Nonne cuicunque hæc verba, Tu es Petrus, proposita fuerint, dicet hæc de Petro in primis debere intelligi? Quòd si de Petro intellexeris, habeo quod volo, hunc prómulgata lege, si qui patres aspernati fuissent, de eorum salute meritò dubitare possemus. Sed numquam inuenies Petro non dignum exhibitum fuisse honorem, quod ex multis patet historijs. Immò in hoc Apostolorum, ac Discipulorum collegio Petrus prærogatiua, & honoris, & potestatis vsus est. Ergo primatum habuit, nõ per traditiones hominũ, sed vt Gregorius inquit, ex verbo Domini.

Quæ verba etiam si mille modis torqueas, atque retorqueas, multis quoque, & varijs obiectis vellices. Tamen ad Petrum referri posse, atque debere secentis testimonijs probatum est. Sed iterum forsan sciscitaberis, quid simus facturi martyribus, & sanctis, qui non agnouerunt Petrum, aut Romanum Pontifi-

tificem? Et eo tibi respondeo non tàm exactè debere omnia seruari. Curiosas enim, & sine ædificatione quæstiones prohiber Paulus. At ne tacendo me victum esse tibi persuadeas, tibi respondere statui? Nonne dabis mihi multos esse saluatos, qui vix vna integra die, vel vna integra hora fune fidem professi christianam, immò non est impossibile multos in extremæ vitæ exitu fuisse conuersos, quibus nec tantum temporis datum fuerit, vt vnquam fuerint recordari, vel Petri, vel illius successoris, & quotidie saluantur pueri hoc mogno baptismi mysterio? Quòd si in multos annos superuixissent, non solo baptismo, immò non sola fide saluari possent, sed, & opera accedere necesse foret. Quamquam enim iustus ex fide viuat, vt est apud Paulum ad Romanos, tamen non solùm auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et ea propter Romanos obsecrat, per misericordiam Dei, vt exhibeant corpora eorum hostiam sanctam, viuam, Deo placentem, rationabile obsequium &c. Et ad Corinthios vnusquisque propriam mercedem accipie secundùm suum laborem. Et iterum, si quis superædificat super fundamentum, aurum, argentum, lapides, pretiosos ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis pt obabit.

Et in 2. ad Cor. epistola: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prone gessit, siue bonum, siue malum. Hæc, & alia Pauli planè non solùm simplicem fidem, sed, & opera videntur exigere. Quòd si ad opera quispiam venire non potest, solo gemitu iuxtà verbum Ezechielis, immò sola bona voluntate per gratiam saluari possumus. Et notissima est baptismi gratia, quam quotidie pueri experiuntur. Hanc aut solam si pueri ex præsumptione quadam expectare vellent, data occasione benè operandi, immò dum esset messis, operari nollent, & starent in foro otiosi, dum iam esset laborandum in vinea Domini Sabaoth, nescio qnid cum illis faceret dominus messis, ac magnus ille sanctusque plantator, vel ille pater agricola, ità in hoc, si qui lege primatus in toto Christiano Orbe promulgata obedire noluerint. Nescio an à peccato possint esse immunes, sed adhuc te fortiùs stingam eo quidem argumento, qno, & antea contrà te pugnani, nec infœliciter ve spero. De baptismo inquam, de quo ad Nicodemum dixerat Dominus. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, quid dices ad hæc?

Numquid non erat præceptum, quod è sensu literæ damnabat eos, qui morientes non essent renati ex aqua, & Spiritu Santo? Damnabis autem tot milia Sanctorum, qui mortui sunt in toto orbe terrarum anteqàum promulgata sit lex, cuius meminit Marcus dicens. [Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur,] & Matth. vltim. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Sed & reliquum audi: Petrus ille, vt est in actis Apostolorum cap. 2. Iam dicturus ad populum ità exorditur. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, sicut, & passim in eodem libro Lucas habet. Sed numquid non erat illis præceptum, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, proin vt est in vltimo Apostolorum canone. Si quis Episcopus, aut præsbyter non trinam mersiouem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus in morte mea baptizate. Sed euntes docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c. Quòd si alij potuerunt etiam saluari inter tempora Nicodemi, ac Euangelicam promulgationem de baptismo datam, non ergo mireris, si & illi saluati fuerunt, quibus, nec dum primatus Petri fortè cognitus erat.

Diuulgara verò lege Primatus ex Nicæno Concilio, aut obseruata consuetudine in vniuersos, iàm eos omnes ligare cœpit, ad quos illa constitutio venit, ignorantes interim non ligauit.

Vides modò quo pacto possimus Patres antiquos saluare, possem hic, si non anteà fecissem, sat commodè in medium adferre de præceptis Apostolorum, & Seniorum. De quibus Lucas in actis Apostolorum cap. 15. quæ præcepit custodire Paulus perambulans Syriam, atque Ciliciam, possem & vrgere super historia Pauli, & Timothæi in eisdem Actis cap. 16. vbi Paulus, & Timothæus tradebant custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qni erant Hierosolymis. Numquid hoc decretum erat de circumcisione, super quo seditio suborta erat? minimè. Nàm licèt Paulus circumcisionem horruerit, tamen cùm esset in Lystris Timothæum circumcidit propter Iudæos. Erant itàque Apostolorum alia præcepta, alia dogmata; sed hæc omnia vix mihi monstrabis, vbi scripta sint, & habeantur, nisi ea, quæ per literas Apostoli, & Presbyteri, scripserunt fratribus, qui sunt Antiochiæ, Syriæ, Ciliciæ, quamquam & alios Apostolorum Canones è distinctione 16. & totidem Græcis tibi monstrauerim.

Sed quid opus est multis? ex rescriptis Anacleti, Euaristi, Alexandri, Telesphori, Higini, Pij, Aniceti, Sotheris, Eleutherij, Victoris, Seuerini, Calisti, ac aliorum, vsque ad tempora Gregorij Magni, manifestissimè apparet Romanum Pontificem, præ cæteris, obtinuisse Primatum. Nec vlla necessitate exigitur, vt firmarentur Patres in Episcopos electi. Numquid non in noua lege inbet Paulus ad Ephesios 6. in hæc verba; Filij obedite parentibus vestris in Domino. Serui, obedite dominis carnalibus cum tremore, & timore. Mulieres sobditæ estote viris vestris, sicut oportet in Domino. Et iterùm ad Colossen. 3. cap. 3. Obedite filij parentibus per omnia. Ac iterùm, obedite serui per omnia dominis carnalibus. An ne dices ista præcepta, ità intelligi debere, vt nil aliud vmquàm filij, vel serui cogitent, quàm vt obediant?

dianr? Et quod mulieres nulli rei alteri ftuderent, quam quòd essent fubditæ viris? minimè, Sed far fuerit obediant, aut fubditæ fint, iubentibus ità parentibus, aut dominis, aut viris ità exigentibus.

Siquidem hæc omnia fanè intelligi necesse est, ficut & in hoc Euangelij verbo, quòd est Lucæ 18. Oportet femper orare, & numquàm deficere fieri folet, ità & non erat necesse, vt fancti Patres, quorum faluti raotùm timere cœpisti, femper vel Petrum, vel Petri fucceffforem adorauerint. Sat erat Petro non aufetre, quòd illi dedit Dominus. Rebus autem ità exigentibus vel Petrum, vel Petri fucceffforem, veluti fuperiorem agnofcere, atque fateri. Hoc video fecifse Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Ambrofium, Hilarium, Hieronymum, & in primis Chryfoftomum,& Athanafium, immò Patres in Oriente, quotquot rectè vixerunt in Ecclefia primitiua.

Nec parua res eft, quòd in totidem fanctis Concilijs, non fola confuetudine, fed fanctiffimo decreto Patrum fucceffores Petri per omnia primatum habuerunt.

Et quòd reuera tibi, immò corde penfandum eft, non facilè inuenies fœlices exitus hijs contigiffe, qui fanctiffimo Petro fua iura auferre non erubuerunt,poffem tibi multas recenfere hiftorias de Longobardis, qui Regem amiferunt, & alijs Prouincijs, fed fatis fuerit hic agnofcere, quòd Patres, quibus tantùm times.

Et pars illorum maxima Petrum reliquis Apoftolis effe Prælatum pleno ore reftantur, fic fecit Tertullianus,fecerunt Origenes, Athanafius, Bafilius Magnus, Cyprianus, Chryfoftomus, Cyrillus, Hilarius, Ambrofius, Auguftinus, Fulgentius, Beda, Bernardus, ac reliqui, vndè tibi illos imitandos, illorum quoque fententiam ità recipiendos fore duco, vt in hijs, quæ communi voto Ecclefiæ, & quæ legi Diuinæ non aduerfantur tuta fides adhyberi poffit. Quod fi non feceris, nonnè licebit contra te verbis vti, quibus vfus eft Aurelius Auguftinus in lib. 2. aduerfùs Iulianum Pelagianum, fic dicens: Numquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Bafilius, Ambrofius, & Ioannes de plebeia fece fellulariorum ficut Tullianæ iocaris in veftram inuidiam concitati funt? Numquid Milites, numquid Scholaftici auditoriales. Numquid nautæ,tabernarij, cætarij, coquillani. Numquid adolefcentes ex Monachis diffoluti? Numquid poftremo de qualicumque Clericorum turba ifti funt, quos vrbana excogitatos dicacitate, vel potiùs vanitate contemnis, quia non poffunt fecundùm cathegorias Ariftotelis de dogmatibus iudicare. Non ergo time de falute Sanctorum aliena, fed propria fis follicitus, vt illorum dogmata recipias, atque tuearis, quorum nec calciamentorum corrigiam foluere dignus effes; hoc fas, & viues.

CAP. CXIX.

Putat Lutherus Matrem omnium Ecclefiarum effe Hierofolymitanam, quia de ea exiuit lex, fed fruftrà.

LVTHERVS.

Vndecima. Si vlla Ecclefia eft prima, & Mater omnium, non eft alia, nifi Hierofolymitana, vt dixi fupra, quid enim faceret Roma, fi haberet hoc pro fe, quæ habet illa? Nempè quòd Efai, & Mich. & omnes Prophetæ pronunciarunt de Sion exituram legem Euangelij, & de Hierufalem verbum Domini.

Item, quòd Dominus ibi dedit gloriam in Domo fua nouiffima, vt Haggæus dicit.

Quòd ibi Chriftus Pontifex Apoftoli aut velut Presbyteri,. quòd Chriftus ibi Spiritum fanctum mifit.

Et breuiter hinc in omnem terram exiuit verbum Dei, hinc omnes Ecclefiæ, nec eft vllius tam impudens frons, qui poffit negare effe verè Matrem Ecclefiarum omnium, fontem, radicem, ac matricem etiam Romanæ Ecclefiæ.

Si ergo hæc non habet primatum,immò vix quintum dederunt ei, quantò minùs Romana haber, quæ eft eius difcipula, dicat aduerfùs hæc aliquid, qui poteft.

FABER.

Quod Hierofolymitana Ecclefia decreto Patrum non meruerit effe prima, non ab his, qui modò viuunt, fed à fanctis Patribus in Nicæna Synodo congregatis, qui non modò, fed anteà quàm diutiffimè vixerunt, tu exigere debebas.

Et fortè hoc non eft dumtaxàt ex decreto Rom. Pontificis, immò decreto Nicæni Concilij. Patres namque ea de re in hac fancta Synodo congregati ftatuerunt, etiamfi Ecclefiafticæ hiftoriæ credere oporteat, vbi in hanc formam legitur: Epifcopo Hierofolymitano antiquitùs tradita honoris prærogatiua feruetur.

Sed audi, quid additum fuerit.

Manente nihilominùs & Metropolitani ipfius Prouinciæ dignitate, putafne abfque caufa fic Patres ordinariot?

Caufam inuenio talem,ne fortè Infideles crederent Hierofolymis Sedem effe Domini noftri Iefu Chrifti, quemadmodùm, & hæc cæca Iudæorum gens Meffiam in Hierofolymis regnaturum expectat, & credit.

Et hanc opinionem fortè fibi mater filiorum Zebedæi perfuaferat, vt, eumque, quia Ecclefiarum ordinem ab Apoftolis traditu m effe probani,ab illis,nó Romanis Pontificibus exigere velis, cur Hierofolymitana non obtinuerit ab initio Primatum, immò nec Patriarchatum, nifi poft longa tempora? id cùm ità fe habeat, numquam hunc ordinem effe damnandum puto. Sed maneat Romana Ecclefia prima, Alexandrina fecunda, Antiochena tertia, & Ephefina quarta. Et iàm tu vel

vel Patres, vel Apostolos accuses, quare voluerint Hierosolymitanum Episcopum suo Metropolitano subiectum esse, quod autem ità obseruatum fuerit, non Scotus, non Occham, aut quisquam Scholasticorum, sed sanctus hunc Patrum Ecclesiæ primitiuæ Cętus, aut Collegium Apostolorum ordinauit.

Tu ergo quomodò dicere poteras hanc propositionem, de qua totidem verbis tecum pugnare oportuit, quæ & tantæ tragœdiæ causa non minima fuit, esse veram? Sic enim habes Romanam Ecclesiam alijs Ecclesijs fuisse superiorem, probatur ex frigidissimis decretis Romanorum Pontificum, contra quę sunt textus Diuinæ Scripturæ, historiæ approbatæ, mille centumque annorum, & decretum Concilij Niceni omnium sacratissimi, ità ad verbum tua propositio sonat.

Sed responde Luthere, sunt ne hæc frigidissima decreta, quæ Anacletus, quæ Euaristus, quæ Liberius, Marcus, ac alij, vsque ad tempora Sabiniani statuerunt?

Sunt ne alia frigida, quæ iàm toties attulimus? quis hanc patietur iniuriam, vt hi, qui sacro sanguine plantauerunt Ecclesiam, sic temerè deijciantur? non times resurrecturos mortuos: & sese vindicaturos contra te manu potenti, & brachio excelso? sed dic, quas habes historias mille ac centum annorum, numquid eas, quas ex Zozimo, Siricio, Damaso, Liberio, Iulio, Marco, & Siluestro, eraducere volebas? Fateor, vnam habes historiam, præter hanc nullā inuenies, qua Orientales Episcopos per ironiam respondisse tripartita docet historia.

Sed quid hæc oberit? numquid non apud Orientales Ecclesias id contigisse potuit, quod apud Paulum in Onesymo contigisse legitur? Nonne in epistola ad Philemonem habes, Vas electionis ità scripsisse, obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesymo.

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis sit, quem remisi tibi, & reuera ità factum est, Orientales enim semper antè, & post tempora Iulij, atque Liberij, Roman. Pontificem vti successorem Petri, imò veluti superiorem agnouerunt, quod sexcentis locis, & argumentis iàm tibi monstratum est.

Etsi qui per ironiam responderunt, quid oberit? At quocumque modo ironiam expendas, pro te nihil probabit. Aut enim ironiam dices illusionem, qua fuit vsus Horatius, dicens: Optat Ephippia, bos piger optat, arare caballus; aut cùm Terentio dicis, hanc fieri, dùm aliud verba, aliud continet sensus, quale est illud: egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis, tuque, puerque tuus magnum, & memorabile nomen.

Et apud Terentium in Audria. Salue bone vir.

Aut cum Augustino ironiam dicis pronunciatione iudicare, quid velit intelligi, vt cum dicimus homini mala facienti, res bonas facias, quocumque modo ironiam acceperis, in pectore iusto nihil probabis, maximè si Arianam insaniam cogitaueris, quòd si primatus ordinem ex benè, vel malè factis firmare volueris, quid faciemus, vel Nazareth, vel Bethleem? numquid non Angelus Gabriel legitur missus à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph? Numquid non ibi Spiritus sanctus superueuit in Virginem, & virtus Altissimi obumbrauit ei?

Dic vbi audisti talia quæso facta? quòd si educationem velis, numquid non legitur apud Matthæum, veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quòd dictum est per Prophetas: Quia Nazareus vocabitur?

Et apud Lucam cap. 2. scribitur: Hunc ex Hierusalem descendisse, & venisse Nazareth, aut mentitus est Lucas dicens, regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galileam; & venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Esaiæ Prophetæ, non ergo tam lex exiuit de Sion, quàm Legislator exiuit à Nazareth. Vndè Ioannis 1. inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth, & dixit ei Nathanael, à Nazareth potest aliquid boni esse? Et apud Marcum legitur, in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane; eo factum est, vt hunc Nazarenum vocauerit Angelus, dicens mulieribus: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit non est hic. Et à Pilato scriptum erat hebraicè, græcè, & latinè: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Et Cohors illa Pontificum, & Pharisæorum interrogata, quem quæreret? non semel, sed bis eum vocat Nazarenum. Et Ancilla hostiaria Matth. 26. vocat hunc Nazarenum, imò cùm intrasset Hierosolymam Dominus, commota est vniuersa Ciuitas dicens, quis est hic? Populi autem dicebant, hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ. Et in Apostolorum actis post visionem hanc magnam, Petrus hunc vocat Iesum à Nazareth. Cur autem Nazareth non meruit habere primatum? iudicent alij, nisi hoc non nihil possit, quòd non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum. Poterat ergo Chana Galileæ tamquàm prima haberi, vbi fecit initium signorum Iesus, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli eius.

Sed quid ità faceremus Bethleem, in qua natus est Iesus, de qua Michææ 5. prædictum est: Tu Bethleem terra Iuda nequaquàm minima es in Principibus Iuda. Ex te etiam exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Numquid & non hæc magna sunt præconia Ciuitatis Bethleem, quę sexto miliario ab Aelia distans, quæ & aliàs Ephrata dicitur, aut Lehem, teste Hieron. Sed nec Nazareth, nec Chana, nec Bethleem primatum vllum obtinuerunt. Quòd si forsan obieceris, his nullum deberi primatum, quòd sint loca satis exigua, iàm pari ratione tua persuasio cadit, crediderim ergo quicquid asserueris, nec paruitatem, nec magnitudinem Ecclesiarum primatui dedisse causam. Alioqui & Memphis in Ægypto, Constantinopolim in Græcia, Colonia apud Germanos primatum ali-

aliquem obtinuisset. Memphis autem est sub Alexandrino Episcopo, quòd ex eo patet, quia in Niceno Concilio Antiochus Memphensis sub Ægypti Prouincia, cuius Metropolitanus fuit Alexander Alexandriæ magnæ recensitus legitur. Roma autem ideò Primatum obtinuit, quia Caput Orbis. Et vbi præsedit Petrus, qui cæteris est Prælatus Apostolis, per hoc tamen non negamus Hierosolymam esse Matrem Ecclesiarum, sicut & Patres ex Constantinopolitana Synodo Damaso Papæ scripserunt. Cur tamen non sit prima, neque secunda, immò nec tertia, quæratur ab alijs, qui antè mille annos vita exempti sunt.

CAP. CXX.

Arguit Lutherus ex Canone sexto Niceni, cui respondet Faber.

LVTHERVS.

Duodecima, Concilium Nicenum, vt scribitur lib. 10. cap. 5. histor. Ecclesiastic. statuit artic. 6. in hunc modum, & apud Alexandriam, vel in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Responde, hoc Concilium omnium ferè sacerrimum est, & ecce non modò non Primatum, & Monarchiam Romanam dat Pontifici, sed ex vetusta consuetudine, non iure Diuino tribuit sollicitudinem Italicarum, & suburbanarum Ecclesiarum. Atque hoc in propositione mea tetigi, quando dixi, quòd contra frigidissima decreta, stat decretum huius Concilij. Si ergo sum hæreticus, age, tollant primum hoc Concilium, cui me ipsa quoque decreta, tamquam Euangelio cogunt obedire, non possum duobus Dominis seruire contrarijs.

FABER.

Ruffino hic nihil detraham, attamen Niceni Concilij exemplaria quinque vetustissima vidi, ea contuli cum Ruffino in expositione fidei, quam Nicenam vocat, & hunc nonnulla obmisisse video. Siquidem omnia exemplaria dictionem græcam *treptoy* habent, habent & quædam alia, quæ tamen omisit Ruffinus, quod nulla alia re factum esse putarim, nisi, quòd hic de Nicæna Synodo tradidit esse *epitomi* hoc est breuiarium, siue incisin est & ità vocat Hieron. Indè factum esse puto, quòd in hoc, quem citas, Canone, qui mihi dicimus est iuxta tria exemplaria, nonnulla obmiserit, siquidem ego sic habeo, Ecclesia Romana semper habuit Primatum, teneat autem & Ægyptus Lybiæ, & Pentapolis, ità vt Episcopus Alexandriæ harum omnium habeat potestatem. Quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.

Hæc sunt verba decimi Canonis iuxta quædam exemplaria vetustissima, sed numquid non ea probane, quæ tu constantissimè negas? vtporè quòd Ecclesia Romana non habuerit Primatum ante Nicænum Concilium, immò tua propositio, quam vsque ad sanguinem tueri præsumis, habet, ex decreto Niceni Concilij Romanam Ecclesiam alijs non esse superiorem, sed eo, veluti video seductus es, quòd decreta Concilij non putabas posse alibi, nisi apud Ruffinum haberi, cogitare itaque debebas, epitome esse, quod est apud Ruffinum, immò quòd Ruffinus nec in ordine cum alijs connectit, nec ex integro omnia scripsit, Sed numquam legisti, quæ in Carthaginensi Concilio post consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij Decimitertij, & Honorij Octaui contingerit? hoc ego contigisse lego, quòd illic ex Numidia, Mauritania, & alijs locis conuenerint Patres 217. inter quos & Philippus, & Asellus Presbyteri fuerunt Legati Romanæ Ecclesiæ, ibi super exemplaribus Niceni Concilij magna dissensio suborta est, immò talis, vt ad Constantinopolim, & Antiochiam, ac alia loca pro reuidendis varijs exemplaribus missum fuerit, Non tamen illa dissensio propter hunc Canonem; sed propter Canonem, quem Osius pronunciauit in Sardicensi Concilio fuit, in his actis quidem inuenitur. Quomodò Daniel Notarius professionē fidei Nicænæ recitauerit, ea quidem recitata, nec cum Ruffin. quadrat. Non quòd apud Ruffin. in hoc libro, vel hæresim, vel tale quid positum esse dicam, sed quod apud hunc fortè quædam omissa, quædam immutata fuerunt, Scimus acta Niceni Concilij non Arabico, non Syro, sed græco sermone conscripta, Non autem omnes Græci fuerunt, siquidem Osius Cordubensis Hispanus fuit. Erant illic ex Prouincia Ægypti, Thebaidæ, Lybiæ, Palestinæ, Arabiæ, Mesopotamiæ, Persidæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Armeniæ, tam minoris, quàm maioris. Paphlagoniæ, Galatiæ, Asiæ, Lybiæ Phrigiæ, Liciæ, Nesion, Isauriæ, Dariæ, Bithyniæ, Europæ. Sed non omnes fortè græcè loquebantur, aut græca didicerunt, necesse itàque fuit in varias linguas decreta transferri, & facilè contingit, vt verbum pro verbo redderetur, sicut & in Conciliorum exemplaribus factum inuenio, quædam enim habent per quem omnia facta sunt cælestia, & terrena, quædam habent, per quem omnia facta sunt, quæ in Cœlo, & in terra.

Et Ruffinus habet, per quem omnia facta sunt, quæ in Cœlo sunt, & quæ in terris, quamquam à verò sensu, immò à vera fide, non dissentiant, tamen diuersorum interpretum argumenta probent. Nam si non hic fuissent diuersi interpretet, exemplaria omnia haberent, per quem omnia facta sunt cælestia, & terrena, aut vt Ruffinus habet, per quem omnia facta sunt, quæ in Cœlo, & quæ in terris. Nec in omnibus exemplaribus habetur. Lumen ex lumine. Et in quibusdam obmittitur homousion Patri. Quòd si hæc cōtingere potuerunt in hijs, quæ ad fidē attinent, quid fieri potuisse putas in re longè minori, qualis fortè fuit ordo Ecclesiarum? Numquam ergo tibi persuadeas omnia ex integro apud Ruffin. reperiri.

Numquam in Hieron. legisti: Nicænam Synodum omnes hæreticos ad penitentiam suscepisse præter Pauli Samosatani discipulos? hoc tamen apud Ruffin. vix credo, ex perfecto ordine, vti res gesta fuit, reperies, vtcumque tamen

tamen tota res in eo stabit, quòd exemplaria veriora habent Romanam Ecclesiam semper habuisse Primatum, & ità ante, & post Nicænum Concilium obseruatum esse probauimus, & quod nondum attulimus, in breui post hac afferemus, quòd si græca exemplaria obieceris, quale tamen vix mihi, nisi forsan ex Italia dabis, quamquam fuerit mihi liber græcus omnium actorum, Nicæni tamen secundi Concilij, non tamen me contra totidem exemplaria vincere poteris.

Siquidem vt Gregorius ille Magnus in registro ingenuè fatetur, latini codices circa Synodos veriores sunt, quàm græci.

Ità & ego sentiendum puto, quòd si absque iudicio locutus est vir ille sanctus, & tantus Pater, videant hij, quam iustam rem perpetrasse videantur, quotquot olim hunc vellicare præsumpserint, tamen idem tibi pro Ecclesia Romana nihil aliud prorsus haberi, quam quòd hic ex Eusebio citas, nonnè ergo suburbanarum Ecclesiarum Pontifex Romanus sollicitudinem geret, & hoc ex consuetudine vetusta, etiam à mille ac trecentis, & pluribus annis, tu ergo quomodo toties Episcopum æquabis Presbytero? Quomodo vnam Ecclesiam super aliam esse, tam constanter negas? Et cum suburbanæ Ecclesiæ Romanæ subiectæ sint, quod & tu negare non potes.

Et suburbanæ sunt, quæ in Europa consistunt, vtpotè Germania, Sicilia, Portugallia, Italia, Datia, Vngaria, &c. Cur non finis hanc consuetudinem à mille, ac quadringentis annis stare illibatam, etiam si crepemus, non possumus negare, super istis Ecclesijs in dictis Regnis absque contradictione semper fuit superior Romanus Pontifex, & tu cur post totidem seculorum præscriptionem huic, quod debetur Ecclesiæ, conaris aufferre, nulla honestatis ratione seruata?

CAP. CXXI.

Nicænum Concilium, ait Lutherus, statuit Episcopos ordinari à Prouincialibus, quod falsum ostendit Faber, si excludat Romanum Pontificem.

LVTHERVS.

TRedecima, idem Nicænum Concilium statuit non à Romano Episcopo omnes Episcopos ordinari, sed à Prouincialibus Episcopis, dicens. Et vt si fortè in ordinando Episcopo duo, vel tres pro aliqua contentione dissentiant, reliquorum auctoritas, & præcipuè Metropolitani cum cæteris, firmior habeatur, obsecro quid ampliùs facere debeo? non satis est, quòd Romano Pontifici, omnia, quæ sibi arrogat, libens credo, debeo insuper probare, quòd hæc decreta sunt contempta, & irrita humano vnius Episcopi arbitrio.

FABER.

Primus Apostolorum Canon habet, vt Episcopus à duobus, aut tribus ordinetur. Anacletus etiam statuit, ne Episcopus à paucioribus, quàm à tribus Episcopis ordinaretur.

Et Theodoricus scribit, olim ad ordinationem Episcopi oportuisse conuocari vniuersos Prouinciæ Sacerdotes, & quòd præter tres Pontifices ordinatio fieri non debeat. Quod & non solùm inter Catholicos, sed hæreticos obseruatum esse legimus, vndè Nouato Romanæ Ecclesiæ Presbytero tres Episcopi, quamquam homines simplicissimi, & omninò ignari manus imposuerunt. Non itaque noua constitutio fuit, quod hic in Nicæna Synodo statutum asseris, & licèt ità fuerit decretum, vt Episcopus non minùs, quàm à tribus ordinari deberet, sicut & quartum illius Concilij statutum sonat, tamen ex iusta dispensatione fuit immutatum in Tripoli, immò alia circa Nicænum Concilium, quæ tamen fidem non attingebant, immutata fuerunt.

Sed forsan hic Ruffino, vel Ecclesiasticæ historiæ tantùm fidis, vt quicquid illic inueneris firmum teneas? dic mihi quæso, an non ex Ruffino sit hæc decimaoctaua regula, vt nemo eum, qui ad alium pertinet, subripiens in sua Ecclesia ordinet clerum, absque consensu illius, ad quem pertinet.

Sed hæc regula, non habetur pro decimaoctaua in libro Tripartitæ historiæ, immò quæ apud Ruffin. pro decimasexta, hæc in Tripartita pro decimaoctaua habetur.

Sed stet hæc regula ne de ciuitate inferiori ad maiorem Ecclesiam transire quis ambiat, siue Episcopus, siue etiam alius clericus, tamen & hæc regula non semper obseruata fuit.

Siquidem Gregorius Nazianzenus priùs vnius Cappadocenæ ciuitatis fuit Episcopus, deio de Bisantio constitutus est. Miletius priùs in Bastena Ecclesia præfuit. Et posteà Antiochiæ Præsul est constitutus. Alexander Antiochenus Episcopus in Tharsum Ciliciæ migrauit, & reuerentiùs ab archis Pheniceæ in Tyrum profectus est. Ioannes de Gordo Lydia mutatus est in proconissum, & in ea præsedit Ecclesia. Palladius ab Halinopoli mutatur in Aspona. Alexander, ab Halinopoli, in Hadrianos mutatus est. Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Policarpus de vrbe Antabriscena Misiæ, in Nicopolim thratiæ mutatus est. Hierophilus de Thapezaboli Phrigiæ mutatus est in Plutioopolim Thraciæ; opimus ab Agardanã Phrigiæ in Antiochiam Pisidie migrauit. Siluanus à Philippoli Thraciæ mutatur in Troadam, & supra commemoraui, quomodo Perigenes in Petris fuerit ordinatus Episcopus. Et quo modo ciues eius eum suscipere noluerunt, Romanæ verò ciuitatis Episcopus iussit eum inthronizari in Corintho, Metropoli defuncto illius Episcopo, eique donec vixit, Ecclesiæ præfuit, hæc enumerare propterea placuit, vt primò omnium agnosceres non per omnia fidere Ruffino, qui in Ecclesiasticæ historiæ libro statuta Nicæni Concilij scripsit, breuiata tamen,

tamen, ordo enim non per omnia cum omnibus conuenit exemplaribus, immò nec cum tripartita historia. Dein vt minimè tibi persuadetes, omnia sic esse statuta, quasi consensu Patrum non licuerit ea pro temporum varietate mutare in melius, aut illis rectum præbere intellectum, nec eapropter iacturam fidei sentimus. Quis enim dubitaret, etiam Episcopos in Tripoli priùs ante Concilium ordinatos, non veros fuisse Episcopos, etiamsi per omnia cum illis sanctorum Patrum decreta quoad numerum consecrantium seruata non fuerint? sed in hisce locis, vbi poterunt haberi Episcopi, per omnia conueniebat, vt debitus hic esset numerus Episcoporum. Ità & Gregorium Augustino Anglorum Archiepiscopo respondisse, Beda scribit, & hunc ordinem adhuc obseruari videmus, nec immutatum esse, sed quòd electum firmat Romanus Episcopus, res noua non est. Siquidem vt iam primùm ostendi, Perigenem, Romanus Episcopus iussit inthronizari in Corintho, sed numquid non Damasus Nectarium ordinauit? & multæ sunt historiæ, quibus manifestum est, Romanum Pontificem instituisse, & restituisse Episcopos, non tam in Occidentali, quàm in Orientali Ecclesia, nec est contra statuta Patrum electum Episcopum ante consecrationem examinari, maximè cùm sit tanto muneri pontificali præficiendus.

Vnde in Sardicensi Concilio pro terdecimo canone sic scriptum inuenio, Osius Episcopus dixit, & hoc necessarium arbitror, vt diligentissimè tractetis, si fortè aut diues, aut scholasticus de foro, aut ex administratione Episcopus fuerit postulatus, ve non priùs ordinetur, nisi ante lectoris munere, & officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus, & ità per singulos gradus si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus, potest enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus probari, qua fide sit, qua modestia, qua grauitate, & verecundia, & si dignus fuerit probatus diuino sacerdotio illustretur. Quia conueniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, vt temerè, & leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui Neophitus est, maximè cum & Magister Gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denunciasse, & prohibuisse videatur, sed hij, quorum longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata, hæc in Sardicensi Concilio ordinata fuerunt, sed quid hic iustè reprobare potes, sicut audio, ordo talis celebratur in Vrbe ab instituto Pauli, minimè diffidet, aut longè abest, scribit enim Paulus ad Timotheum dicens: Manus citò nemini imponas. Quid sibi vult citò, Chrysost. inquit. Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia.

Sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus, neque enim ea res periculo caret, eorum enim, quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum, qui enim improbè prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quòd ipse quasi auctor extiteris præteritorum. Quia ea flere non scieris, vt possent per compunctionis gratiam relaxari, quemadmodum enim non rectè facis, ità peccatis quoque communicas. Velut Leo scribit ad Mauros Episcopos sic dicens: Vnicuique nostrum dicitur, manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Quid est manus citò nemini imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis.

Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari, sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum seruat in eligendo sacerdote iudicium. Ità graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum, sed quid opus est multis? ex ecclesiastica historia etiamsi nec aliud quid superesset, habes Pontificem Romanum ex vetusta consuetudine suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gessisse, & nisi mentiantur historiæ, quotquot hodiè sunt Episcopatus in Orbe Christiano, Romanum Pontificem tamquam superiorem agnouerunt. Quod si Metropolitani iudicium hic mihi obieceris. Dic mihi quid hoc sibi velit, quod maiores causæ semper ad Sedem Romanam relatæ fuerunt, immò referri debuerunt?

Vnde beatus Innocentius ante mille, & centum annos ità scripsit ad Victorem Episcopum Rothomagensem. Si quæ causæ, vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, electis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei gloriam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias liberum non sit. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio clericatus submotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur, si maiores causæ in medium fuerint deuolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post iudicium episcopale referatur, hæc Innocentius.

Quod si Innocentium tamquam iudicem in re propria, & propterea suspectum dixeris. En in Aphricano Concilio tempore Bonifacij Primi ea de re ità similiter conclusum extitit, & in Sardicensi Concilio decretum, & secundùm alios in Nicæno Concilio propositum est; & ità scriptum inuenio pro 33. Canone, Osius Episcopus dixit, placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint. Si appellauerit, qui delectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri. Si iustum putauerit, vt renouetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iustam fidem veritatis definiant.

Quòd si is, qui rogat causam suam iterùm audiri deprecatione sua mouerit Episcopum Roma, vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet, & si decreuerit, mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt, erit

erit in suo arbitrio, si verò crediderit Episcopus sufficere, tunc negotio terminum imponat. Et faciet, quod sapientissimo Concilio indicauerit, iam fortè miraberis, qui in Sardicensi Concilio fuerint Patres? dico ergo, eos fuisse ex Vrbe Romana, Hispanijs, Gallis, Italia, Campania, Calabria, Aphrica, Sardinia, Pannonia, Misia, Dardania, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epyro, Thracia, Rodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrigia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrigia, Pamphilia, Lidia Insulis Cycladibus, Ægypto, Thebayda, Lybia, Galatia, Palestina, & Arabia, putasne totidem Patres ignorasse quid Romano Pontifici deberent? Non fuit celebratum hoc Concilium tempore Iulij Secundi, sed tempore Iulij Primi sub Coss. Ruffino, & Eusebio, nec diù post tempora Siluestri, seu Niceni Concilij, quod & hic circa appellationem ordinatum est, hoc & ab alijs fideliter est etiam tempore Iulij obseruatum.

Vnde non abs re legitur Eusebium Legatum misisse ad Iulium Romanum Vrbis Episcopum, rogans, vt contra Athanasium iudex esset, inde factum est, vt ex Orientalibus Ecclesijs ad Romanum Pontificem relationes factæ fuerunt. Et Siricius Papa scribens Himerio Episcopo Terraconen. sic ait, officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus est præ cunctis Christianæ religionis zelus, portamus enim onera omnium, qui grauantur, quinimmò hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus administrationis suæ, protegit, & tuetur hæredes.

Et Gregorius Magnus, ac alij se cunctis Ecclesijs eapropter non pauca debere testantur, ac Gelagius primus, Fausto magistro scribens, causam reddit, cur Ecclesia Romana de reliquis iudicium ferat, hæc omnia non sunt noua, nec iampridem efficta, nec vnius Episcopi, sed decreto sanctorum Patrum diutissimè obseruata, quare non est, quo iustè scribas, ordinationem, atque iudicium Episcoporum vnius Episcopi arbitrio, vel fieri, vel cepisse. Sed vt summam rei habeas, aliud est ordinare, aliud confirmare Episcopum, confirmat Pontifex, & in hanc horam ordinant prouinciales, iuxtà formam in Niceno Concilio præscriptam, quare iam iterùm errasse conuinceris.

CAP. XXII.

Arguit Lutherus ex Can. 7. Niceni, sed in hoc valdè deceptus est.

LVTHERVS.

Quartadecima, idem Nicenum Concilium Episcopo Hierosolymitano non Romano tribuit honoris primatum, dicens ibidem, vt & Episcopo Hierosolymorum antiquitùs tradita honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominus & Metropolitani ipsius prouinciæ dignitate, doce me lector, quid faciendum sit? quando non satis est me hodierno tempore confiteri, Romanum Pontificem esse primum, nisi mentiar quoque, & negem, alium antiquitùs fuisse primum, & tanti Concilij auctoritati resistam?

FABER.

Hierusalem Ciuitatem honoratissimam esse scimus, quæ multos habuerit Prophetas, & viros sanctos, in cuius triplici nomine Trinitatis fides monstrata est, Iebus, Salem, & Hierusalem, primum nomen calcata, secundum pax, tertium visio pacis, & quanto Iudæa cæteris prouincijs, tanta hæc Vrbs cuncta sublimior, erat Iudæa, de qua Propheta: dilexit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Et adorauimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Ad quam etiam sanctiss. quique iam multis seculis visendam, auidissimè festinarunt. Vnde Paulus huc festinabat, vt faceret ibi Pentecosten, qui retinentibus se locutus est dicens. Quid facitis flentes, & conturbantes cor meum? Ego enim non solùm ligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Et Tertullianus in libro de præscriptione hæreticorum dixit, Paulum ascendisse Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio, & cura videlicet eiusdem fidei, & prædicationis, & idem Tertull. in 5. libro aduersùs Marcionem inquit, ad patrocinium Petri, aliorumque Apostolorum Paulum ascendisse Hierosolymam post annos 14. vt conferret cum illis de Euangelij sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, aut curreret; si quæ citrà formam illorum euangelizaret, adeò ab illis probari, & constabiliri desiderarat.

Reliqui verò Episcopi, ac Martyres ità Hierosolymam inuisere desiderarunt, vt putarint minùs se religionis, minùs habere scientiæ, nec summam, vt dicitur manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis. De quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat, huc itaque legimus, venisse Armenios, Persas, Indos, Æthiopes, ac eos, qui sunt iuxtà Ægyptum, Pontum, Syriam, Censem, & Mesopotamiam. Et scribit Eusebius, Alexandrum ex gente Cappadocum, vbi erat præclarè Vrbis Episcopus, Hierosolymam adorandi, & sanctorum locorum videndorum gratia properasse, & quamquam benedicta sint loca Vrbis Romæ, in quibus Petrus, & Paulus Christiani exercitus Duces, sanguinem fudere pro Christo, tamen ex illis aliqui Hierosolymam videre voluerunt, hic nihil de Eustochio, Paula, & Marcella dicam, quarum perfectionem non in vno loco Hieronymus habet, & notissima est historia, de Helena Constantini matre, fœmina incomparabilis fidei, & religionis, quæ sub Machario Episcopo Hierosolymitano Hierosolymam venit, ac sacrosanctam Crucem ab Incolis perquisiuit, ac loca per Dominicam præsentiam sacra, religiosè, ac deuotè visitauit, hæc ciuitas itaque, quamquam sancta, & à Sanctis frequentissimè visitata fuerit, tamen primatum decreto Patrum habere non meruit; tam etsi Cathedra Iacobi talis fuerit, in qua primus inter Episcopos, ab ipso Saluatore, & ab

Apo-

Apostolis in Hierosolymis est electus, ibique per annos 30. sederit.

Et licet habuerit prærogatiuam honoris, veluti hæc ex ecclesiastica historia citas, tamen adiecta conditione, vt essent Metropolitani Palestinæ prouinciæ saluus dignitatis, honor, & qualis erat hæc dignitas? certè vt Hierosolymitanus Episcopus ex decreto Patrum suo Metropolitano subesset, & esset Metropolitanus Palestinæ illius iudex, atque superior, quod & partim videre licet apud Hieronymum in libro, quem scripsit ad Pamorachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, erat autem Palestinæ Metropolis Cæsarea, cui tempore Hieronymi Theophilus Episcopus præsedit, ad quem causa Ioannis Hierosolymitani referenda fuit.

Vides itaque Hierosolymorum Episcopum subiectum fuisse suo Metropolitano, quantum ad regulam potestatis attinet, & hic non eam de prærogatiua honoris, quàm potestatis conferimus, atque disputamus. Vnde non est hic, quò tua firmentur. Et mirum est, quòd nec tanta precoonia, quibus Hierusalem ornari potuit, primatum efficere potuerunt, habuit Constantinopolitana Ecclesia, cur Romana maior esse deberet, causas non mediocres, & eam quidem potiss. quòd illic totius Orbis resideret Imperator, sed Gelasius scribens ad Acatium sic habet, Risimus, quòd prærogatiuam volunt Acatio comparare, quia Episcopus fuerit Regiæ Ciuitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirnium, apud Treuctos, multis temporibus non constitit Imperator? Numquid non harum vrbium Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitùs deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt?

Et demùm totum sermonem vertit ad ordinem Ecclesiarum sic à sanctis Patribus constitutum, quòd nulla possit improbitate inuerti, sed adhuc forsan primatum honoris obijcies, & ego tibi obijcio, an non olim sic fuerit ordinarum tempore Liberij Papæ. Vt Constantinopolitanus Episcopus haberet honoris priuilegia post Pontificem Roman. eo quòd esset noua Roma, id quoque statutum est à Synodo Constantinopolitana. Que quidem est illa Synodus, in cuius actis inuenio Symbolum hoc sanctum, quod quotidiè dicere, ac cantare solemus in missa. Sed ad primatum Ecclesiarum redeo, semper ita obseruatum est, & Apostolos ita ordinasse credimus, vt prima sedes Romana sit, secunda Alexandrina, tertia Antiochena, Romana prima est propter beatissimos Apostolos Petrum & Paulum, Alexandrina verò secunda propter Marcum beati Petri discipulum, qui primus in Egypto verbum veritatis prædicasse legitur, ac Alexandriæ sedisse, & quia aliquamdiù Antiochiæ præsedit Petrus, sicut, & acta Apostolorum inferre videntur, non tamen in hac Antiochia, quæ sita est in Prouincia Pisidiæ. Sed ea quidem Antiochia, quæ est in Syria à Seleuco Rege condita, quæ Reblata vocabatur, in qua discipuli primò Christiani dicti fuerunt. Sic itaque trium harum Ecclesiarum primatus à Petro videntur cepisse originem.

Sed vt primò omnium Roma esset prima propter Petrum Apostolum, propter plebis Romanæ, fidem, nec erat inconueniens ita fieri. Nam vt Hieronym. inquit, vbi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & martyrum sepulchra concurritur. Vbi sic ad similitudinem celestis tonitrui Amen, reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur, non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc, quam omnes Christi Ecclesię tenent, sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum. Et Hilarius in prologo psalmorum, Quamuis multę barbarę gentes Dei cognitione secundùm Apostolorum prædicationem, & manentium hodie illic Ecclesiarum fidem adeptę sint, tamen specialiter Euangelica doctrina, in Romani imperij (sub quo Hæbrei & Græci continentur) sede consistit, licet ergo honor Ecclesiæ Hierosolymitanæ debitus fuerit, tamen ex decreto patrum Cæsareæ subesse debebat, non enim ignorabant patres prophetiam de vastatione illius prædictam à Domino, Quamquam ibi sola sufficeret per me designata voluntas.

CAP. CXXIII.

Arguit Lutherus, si Romana prima est ob Petrum, & Compostellana secunda ob Iacobum, sed iam dixit Faber esse primam ob Romanam & dicit.

LVTHERVS.

Quintadecima. Si Romana Ecclesia est prima propter primum Apostolum Petrum, eadem necessitate confitebimur, & compostellanam Ecclesiam esse secundam, propter Apostolum secundum Iacobum, & Ephesinam tertiam, propter tertium Ioannem, & sic per ordinem Apostolorum. At iste ordo numquid seruatur? quo iure ergo solùm Petrus primam fecit Ecclesiam, nisi humano? Cur ergo Constantinopolitana, quæ nullum habet Apostolum, pręfertur secundo loco Compostellanę, cur Alexandrina, quæ & ipsa nullum habet Apostolum, pręfertur Ephesinæ? cur Antiochena sine Apostolo, præfertur Edissenæ, quæ Apostolum Thomam habet? cur Hierosolymitana hijs omnibus quinto loco postponitur? quæ Christum, Petrum, Iacobum, Ioannem, Item Iacobum columnas (vt Paul. Galath. 2. scribit) habuit, & vniuersos discipulos? Vides quàm sit vlla ratio, quàm Christus studiose huius primatus ambitionem pręuenit, & causas eiusdem penitus confudit.

FABER.

Cur Ecclesia Romana primatum habeat, iam primùm, & antea sæpè ostensum est, siquidem habet, non solùm ex decreto Patrum, sed & ordinatione Apostolorum, & hæc vrbs ad id fortè, vt nonnulli Historici, & maximè Blondus Flauius Foroliuiensis de Roma triumphante, ac Roma instaurata, ac alij cre-

credunt,nō est diruta,quod Cartagini,Troyę, Athenis, contigisse fertur, quamquam sæpè obsessa,immò tutelari numine magni Dei dicitur ad id seruata, vt illic tamquam terrarum dea, gentiumque,cui,par est nihil, & nihil secundum,pręsideret Petrus Christi Vicarius, ac successor illius. Sed quòd primatum Ecclesiarum ex Apostolorum ordine probare contendis,non parum miror, nisi dignitatem attenderis. Si tu vocationem exigis. Numquid non apud Matthæum, ambulabat Iesus iuxta mare Galileæ, & vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rhete in Mare &c. Et procedens inde vidit alios duos fratres Iacobum Zebedei, & Ioannem fratrem eius mittentes Rhetia in mare. Et dixit eis, Venite post me &c.Et protinùs,relictis rhetibus, secuti sunt eum, & progressus inde pusillum vidit Iacobum Zebedei &c. Sic ergo Petrus primus esse videtur. Andreas vero secundus. Andreas autem, teste Hieronym. Scytis, & Sottianis, & Saccis prædicauit Euangelium, predicauit, & in Augusta ciuitate, quæ cognominatur magna, vbi est irruptio Absarl, & Phasis, sepultus autem Patris ciuitate Achaiæ.

Si ergo primam sepulturam Andreę considerauis, Patre, erit secunda, si vocationem &c. illa pariter erit secunda, nam iuxta Euangelium Matthæi & Marci. Andreas in vocatione secundus erat. Aut si ita volueris ex Ioanne,erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum, qui inuenit primum fratrem eius, & dicit ei. Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Qua historia Andreas in vocatione videretur forsan aliquibus esse primus. Patris itaque prima sedes esset,si sepulturam primam, vt dixi,consideramus. Quòd si sepulturam secundam consideremus reuera Constantinopolis prima esset. Nam Constantinus Imperator,teste Hieronym. sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim. Et quòd hic de Simonis, & Andreæ vocatione dico,de reliquis argumentari possem, nisi nostram disceptationem in immensum crescere viderem. Et quia super hac re satis eruditè alij disseruerunt, quare nolim hic herere diutius.

Salua tamen hic sint omnia,quæ D. Aurel. Augustinus habet in 2. lib. de consensu Euangelistarum, cap. 17. Quòd si non vocationis, sed missionis ordinem considerare volueris, Ioanni nec secundum, immò Iacobo non dabis ordinem fortè tertium. Nam duodecim Apostolorum nomina sunt hæc; primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius Philippus, & Bartholomęus, Iacobus Zebedei, & Ioannes frater eius. Sic ità iuxta Matthæum,Patris esset secunda, & Hieropolis, vbi sepultus est Philippus Apostolus, esset tertia. Albanopolis vero in maiori Armenia esset quarta. Siquidem ibi sepultus est Bartholomeus, Ephesus esset sexta, Talamina Indiæ esset septima. Non ergo rectè argumentaris. Si verò Lucam attendas, iterum Iacobus non meretur secundam sedem. Nam illi præponitur Andreas,nisi hoc habere velis, quod est apud Marcum, vbi post Petrum, Iacobus Zebedei enumeratur. Sed hic forsan Euangelista hos prius numerare volebat,quorum nomina Christus imposuit,quod & Marcum fecisse credimus, vnde sic habet, imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum filium Zebedei,& fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanarges,quod est filij tonitrui & Andream,& Philippum &c. Si tu hunc ordinem seruare volueris, forsan iam Iacobi Ecclesia esset secunda. Ephesina verò tertia. Sed cum adeò sis curiosus historiarum exquisitor, quo scis Compostellanam Ecclesiam esse Iacobi Numquid in sacro Bibliæ canone vspiam inuenire potuisti,Iacobum Compostellæ prædicasse verbum Domini? Credo vix ostendere possis.

Sed numquid non credemus historijs,Iacobum apud Hispanos prædicasse,hunc Iacobum Zebedei filium,scribit Hieronym. prædicasse Euangelium 12. tribubus, quæ erant in dispersione, quibus tamen alter Iacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento iustus, epistolam scripsit. Ita enim suam exorditur epistolam. Iacobus Dei,& Domini nostri Iesu Christi seruus. Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem. De primo Iacobo sic habet Hieronymus in Ezechielem, cap.43. Iste est Iacobus, inquit, qui transformatum Saluatorem vidit in monte, qui resurgentem filiam Archisinagogi cum Domino, Petroque, & Ioanne intuitus est, qui in Cathalogo Apostolorum,in quo bina iunguntur nomina, prior fratre ponitur. Hunc interfecit Herodes, & quasi hædum immaculatum post passionem Saluatoris, in die immolauit secunda. De secundo verò, sic idem scribit Hieronymus in epistola ad Galathas cap. 1. Hic Iacobus Episcopus Hierosolymorum primus fuit cognomento iustus,vir rantę sanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere, qui, & ipse postea de templo à iudæis præcipitatus,successorem habuit Simonem,quem & ipsum pro Domino tradunt crucifixum. Nec refert omnia loca inueniri ex actis Apostolorum, satis fuerit nos ex alijs scriptis autenticis, quæ fecerunt Apostoli probare. Scis Petrum in epistola posteriori meminisse Pauli, inter cætera namque sic ait. Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace, & Domini nostri Iesu Christi longanimitatē salutem arbitramini, vt charifs. frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit nobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de hijs, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant,sicut & cæteras scripturas,ad suam ipsorum perditionem. Sed Paulus vbi tale testimonium perhibet de Petro?Sed numquid Paulum non credemus, & vt sanctum virum maximè decebat,honorificè sensisse de Petro, etiam si legatur, illi apud Antiochiam restitisse in faciem. Sed numquid non, & Petrum cum Paulo Romæ fuisse, ac simul illic pro Christi nomine martyrio coronatos credemus? etiam si in nouo testamento non habeatur, quamquam forsan in nullam hæresim me lapsum quisque dicere posset, si dicerem ex vrbe Romana Petrum priorem scripsisse epistolam, quod & tibi ante ostendi. Nam in fine illius hæc verba sunt. Salutat vos Eccle-sia,

sia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Si hic Babylonem Romam dico, nihil noui assero, cum Ioannes in Apocalysi per Babylonem Romam intelligat; immò itinerarium Petri nullibi habet Petrum in vrbe Babylone fuisse, per Babylonem itaque aliud intelligere oportet, ne saluratio Petri in spongiam abeat. Immò ni fallar secunda eiusdem Petri epistola, quam vt apparet scripsit Petrus admodùm senex, & morti vicinus. Licet scripta sit hijs, qui æqualem illi sortiti sunt fidem, tamen Romanis præcipuè scripta videtur. Meminit enim illius longanimitatis, quam Paulus ad Romanos, cap. 2. proponit dicens, an diuitias bonitatis eius, & patentiæ contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Sic ergo quando tu nullam veritatem extra Bibliam receperis, argumentari minimè potes Compostellanam Ecclesiam esse secundam.

Nam quomodo post illius mortem, quam Herodes intulerat Iudæis, in Hispaniam ad Lupam Reginam venerit? Non nisi ex Ecclesiasticis historijs habes. Et fortè si ad viuum omnia metiaris, vix Ephesinam tertiam dicere posses, quamquam Ephesina sit vna de septem Ecclesijs, quibus Ioannes scripsit ex insula Pathomo, hoc tamen totum, nihil, vel parum refert. Id maximè pensandum est, quòd licèt in orbe terrarum fuerint ciuitates amplissimæ. Tamen solæ illæ cæteris præferuntur ex Apostolorum ordinatione, quibus præfuit Petrus, vel illius discipuli, & hic mirabere dicens, Manhu, quid est hoc. Nec tam anxiè curandum sit, an is Ecclesiarum ordo sit iure diuino, vel humano? Si ita volueris ius accipere diuinum quasi in nouo testamento Christus statuerit, certè nemo dicere potest hunc esse iure diuino. Nam huius ordinis nulla fit mentio.

Tamen quia Irenæus, ac alij diuisionem Ecclesiarum, ab Apostolis esse factam scribunt, Vndè ille ordo minimè turbari debet. Siquidem non à centum, sed mille, & ducentis, & pluribus annis ità seruatus extitit. Immò vt est etiam aperta Anacleti sententia, talis ordo creditur, ità esse à sanctis Apostolis institutus. Vndè Leo, Martiano scribens Augusto, inter cætera sic ait. Priuilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta. Et venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. Et idem Leo ad Anatholium Episcopum, ità scribit. Non conuellatur prouincialium iura primatuum, nec priuilegia &c. At quid opus est multis? Cur hæc vel illa prima, vel secunda fuerit, sat est me respondere Apostolis, vel Patribus antiquis ità placuisse, ità vt sit pro ratione voluntas. Quòd si inter Principes regni conceditur ordinatio, qua alter alteri præfertur, cur non propter schisma tollendum, & quòd sit huius sanctæ politiæ verus ordo, non possent in ea præsidentes ordinare, qui primi, qui posteriores essent? Et is, qui tali ordini contra pugnat numquam rectè egerit. Sed dicis, sunt humana statuta, quibus contrauenire cuique licet, & ego tibi respondeo, si non licet, vt legibus humanis subiecti simus. Cur Paulus ad Romanos 13. dixit. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo: Et sequitur, Dei vindex minister est in iram ei, qui malè agit. Et ad Corinth. Sæcularia iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Et ad Hæbreos 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Et 1. Petri 2. Subiecti estote omni creaturæ propter Deum siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum (omnes honorate,) fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis. Quòd si vt dixi, Regibus, Ducibus, Præpositis, immò potestatibus extat obediendum, cur non sacerdotibus, Episcopis, immò tot sanctis Patribus? Quòd si iterum obijcias, illorum traditiones esse humanas, lubens assentio, sed quòd proptereà spernenda sint, non facilè credam. Quis non crediderit sanctos Patres in Nicæna Synodo congregatos, diuino spiritu motos fuisse, qui Arrianam hæresim damnarunt, ac ordinem Ecclesiasticæ hierarchiæ, quantùm in illis erat, rectissimè statuerunt. Et numquid non hoc illis facere licebat? docuit Paulus, omnia honestè, & secundùm ordinem fieri, conuenientissimus autem ordo erat, vt altera Ecclesia alteri subiecta esset, hunc etiam ordinem turbare, sancti Patres numquam passi fuerunt. Nec omnes traditiones humanas reiecit Christus, aut refutauit Paulus, sed dumtaxat superstitiosas traditiones. De quibus Matthæi 15. Vbi, & Pharisæi dicebant. Quare Discipuli tui transgrediuntur seniorum traditiones? Non enim lauant manus suas cum panem manducant, hanc traditionem, & si quæ pares illis inuentę sunt, instè damnauit Dominus, vndè Ireuæus in 4. lib. contra Hæret. cap. 25. sic ait. Seniorum ipsorum traditio, quam ex lege obseruari fingebant, contraria erat legi, quæ data est per Moysem, propter hoc, & Esaias ait, caupones tui miscuerunt vinum aqua, ostendens, quòd austero Dei præcepto miscerent Seniores aquatam traditionem, idest, aggredientes adulteram legem, & contrariam legi, sicut & Dominus fecit manifestè, dicens eis. Quare vos transgredimini præceptum propter traditionem vestram? non solùm autem per præuaricationem frustrati legem Domini miscentes vinum aqua, sed & suam legem è contrario statuerunt, quæ vsque adhuc pharisaica vocatur. In qua quidem quædam auferunt, quædam verò addunt, & quemadmodum volunt, interpretantur, quibus vtuntur singulariter magistri eorum. Hæc Hirenæus, vides de quibus traditionibus locutus fuerit Dominus. Et nos, si quas forsan tales inuenimus, spernere possimus. Quæ tamen sunt in laudem, & honorem Dei. Immò quæ hominem signis quibusdam exterioribus, in amorem Dei ferunt, ac incendunt, maximè dum non prohibentur à lege diuina, conuenit, ità seruari. Vndè Cyprianus dum hac de re sermonem faceret, eas dumtaxat traditiones humanas reijcit, quæ sunt legi diuinæ contrariæ, tales non poteris ostendere mihi, quòd autem ceremonias, ac obseruationes exteriores damnas, miror cur non in Christo

dam-

damnaueris, qui fecit Lutum ex sputo, & liniuit oculos ceci, qui terigit loculum defunctę, qui clamauit, resuscitatus Lazarum dicens, Lazare veni foras. Et hoc est, quod quæritur Dominus dicens, relinquentes mandata Dei, tenetis traditionem hominum, Marci 7. & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram, Matth. 15. Sed tu etiam si sursum, deorsumque voluas traditiones, legitur Marci 6. Discipulos prædicasse, demonia eiecisse. Et tunc ægros sanasse, quando hos vngebant oleo. Et Ioannis penultimo legitur insufflasse Dominum, & dixisse accipite Spiritum sanctum. Multa quoque hijs similia legimus fecisse Apostolos, & Dominum obseruantes cerimonias, & apparatus exteriores, veluti scholastici dicunt, signis vtentes extrinsecus.

Sed numquid non Discipuli sanare potuissent ægros, etiam si eos numquam oleo vnxissent? Aut non potuisset Dominus Apostolis dare Spiritum sanctum, & si non insufflasset? Sed ita placuit signis quibusdam externis agere, vt interior homo per signa intelligeret, quid intus eum facere opporteat. Quod si Apostolis licuit dare dogmata, atque traditiones, de quibus nec verbo quidem Christus meminerit, & successores ab illis ordinati, putas, non etiam facere potuerint, maximè si non discordes, immò concordes essent Euangelio? Et iam cur non liceat id facere sacerdotibus, & Episcopis, dum vniuersalem repræsentent Ecclesiam? Cum tamen expressè dicat Euangelium. Si duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, ego ero in medio illorum. Si hæc duobus, vel tribus promittit, quid putas de tot sanctis ipsis Patribus pro fide Christi in sanctis Concilijs congregatis? Et hoc ordine nos à temporibus Apostolorum hucusque perstitimus, qui vt Theophilus, Alexandrinus de Tyrini pulchrè ostendit, habemus quadragesimam ab Apostolis institutam, dein, ve est in demonstratione Clementis de Pascha, certis alijs ieiunare diebus iusserunt Apostoli. Tamen vt memoratus Theophilus habet à caseo, & ouo magno Sabbatho prohibitum fuit à traditione Patriarchica, & Synodica. Dudum tamen autē tempora Theophili licet quadragesimali tempore, aliàs à caseo, & ouo, quasi Apostolica traditione, abstinuerint etiam Armeni hæretici, hæc contemnere, immò transgredi peccatum esse credo, in hoc enim scandalizatur frater, & vę illi, per quem scandalum venit. Ad Apostolos venio, secundùm Augustinum, trium officiorum formæ doni Spiritus sancti in Apostolis sunt ostensæ. Quatum hæc est, quæ ad ius Ecclesiasticum pertinet, in reguandis, ecclesiastica potestas intelligitur esse in officiis Episcoporum, & Sacerdotum, quæ omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum agere debent. Vndè illis dicit Iesus, quorum remiseritis peccata, tenebuntur, & quorum remiseritis, remittuntur eis. Secunda, quæ in Penthecoste data est, quæ generalis est, non solùm in Apostolos, verùm etiam in omnes credentes decidit Spiritus sanctus. Tertia est forma, quæ solùm Apostolis, vel ordinatis in initio concessa est in signis, & virtutibus faciendis, vsque dum fidei semina iacerentur ad crementum. Semina autem fidei sunt virtutes per Apostolos factæ. Ipsi enim Apostoli Antistites positi sunt, huiusmodi veritatis, quia per signa, & prodigia rationabilem esse fidem nostram testantur, igitur Spiritus sanctus datur omnibus generaliter credentibus, sed non manet in eis. In signis verò, & prodigijs filij Dei esse probantur, etiam Spiritus sanctus non manet aliquando in homine, sed vocatus aduenit, vt suggerat necessaria, & recedat similiter, & traditione, vel ordinatione de foris gratiam, & tuitionem præstat deuotis fidei, vt commendatiores habeantur per inspirationem eius, hæc Augustinus. Nolim tamen, vt quisquam putet, me tam stupidum esse, quòd velim, vel asseram ius diuinum legibus humanis velle æquare, quis enim hoc faceret, scio nempè querelam Prophetæ dicentis. Manda remanda, hoc tamen dico, traditiones Patrum non esse spernendas, & hoc me docet Dominus. Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, quòd si non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, quid hic per Ecclesiam intelliges? numquid hanc Ecclesiam, quæ ianuam, & fenestras habet? Aut hanc surrè, quæ sit prædestinatorum, aut totam congregationem fidelium simul, iuxtà Iohelis prophetiam, in valle Iosaphat congregatam? aut numquid non dicis Ecclesiam homines esse, de quibus dicitur, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, & non tantùm bonos, sed & malos, de qua est parabola sagenæ Euangelicæ? Dein ipsius areæ. Sed numquam dicere potes Ecclesiæ, hoc est cuilibet inferiori? Sed ità Ecclesiæ, vt in ea iudicent Prælati, siue præpositi. Quod si qua in te iudicauerint, quicquid iudicauerint humanum est. Attamen à lege diuina concessum, & ita concessum, quòd si quis non obedierit, iam non humana traditione, sed priuilegio, immò lege Christi, habendus est velut Ethnicus, & Publicanus. Sed adhuc vnum audi, scis, quid scriptum sit in epistola priori ad Corinth. 5. De illo fornicario magno iudicaui, inquit, vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Sed non legisti Hymeneum, & Alexandrum à Paulo Sathanæ traditos, vt discant non blasphemare? Numquid autem non licet hic imitari Apostolum Thessalonicensibus scribentem, si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur, ità vt quisquis grandi peccato fuerit irretitus, ab Ecclesiarum præpositis Sathanæ tradatur, nec excommunicatio talis contemnenda est, non tam quòd excommunicatio priuet aliquem externa communione, & quòd is peccatum commiserit ad mortem, sicuti tu alibi docuisti, & benè.

Sed quia talis eijcitur à communi fidelium cœtu, abscinditur à grege, fit nudus, ac destitutus, lupis patet, & qui ab hac spiri-

tuali hæbræorum nube non tegitur, fit extra Ecclesiam, & quòd olim agebat interfectio, hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, & vt Augustinus habet in tract. 50. in Ioann. Cum excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur. Cum reconciliatur ab Ecclesia, in Cœlo soluitur reconciliatus, ità ergo, quis Sathanæ olim tradebatur, iuxtà Theophilacti sententiam, qui contumax esset. Et minùs obediens extra Ecclesiam mittebatur, eijciebaturque à cætero grege, & nudus mox, & desertus, lupis dabatur in prædam. Nam quemadmodum olim nubes tabernaculum obducebat, sic Christi Ecclesiam spiritus. Quicumque ergo ex Ecclesia fuerit eiectus, à Spiritu sancto priuatus erit, hic miser per facilis in capturam vadit. Tanti est ab aliorum consortio, & communione repelli, censura istiusmodi. Namque mox Deus, & peccatis obnoxios castigandi gratia, & morbis afficit, & malis afficit, & malis vrgebit. Hæc Bulgarius.

Vel vt Origenes in Hier. cap. 2. habet, tradi peccatorem Sathanæ, nihil ab eo differt, quòd Iudæi sunt traditi Nabuchodonosor, vtrique illos Deus concessit aduersario propter frequentes impietates, sic nos propter peccata, quæ fecimus, tradimur spirituali Nabuchodonosor, & quos tradidi, inquit, Sathanæ, vt discant non blasphemare, dicit Apostolus, de alijs peccatoribus putans, quantum malum peccare, vt tradamur Sathanæ captiuati animas eorum, qui reliquuntur à Deo? Non sine causa autem, neque sine iudicio Deus relinquit, quos deserit. Cum enim miserit pluuiam super Vineam, & vinea pro vua attulerit spinas, quid faciet, nisi, vt mandet nubibus ne pluant super eam imbrem. Quapropter in proximo est, propter delicta nostra, quorum nobis conscripsimus, & nos captiuari &c. Sed quis hoc facere potest. Imò quis de tantis rebus iudicabit? Certè Sacerdotes, siquidem si peccauerimus Domino, & animi nostri voluptates, ac desideria carnis, veluti Deum colimus, tradimur Apostolica authoritate in manus Zabuli, & non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum. Sed vt Origen. habet, etiam per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent, non solùm soluendi, sed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis à Christi Corpore separantur, & hic est gladius ille spiritalis secundùm Cyprianum, quo malefactores feriri solent, sed vndè tanta potestas? Crederem hic ego, Eutichianum ad Episcopos Siciliæ verè scripsisse dicentem grauia sunt nimis, quæ pertulimus, & valdè cauenda. Quibus enim Regnum Dei excluditur, proculdubio, & Ecclesia denegatur. De quibus Dominus in Euangelio potestatem Apostolorum, eorumque successorem adnuncians, ait quorum dimiseritis peccata, dimittentur eis, & quorum obligaueritis, obligauerint, idest quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis etiam ianua Regni Cœlestis clausa erit, quòd si forsan Eutichiano, quia Pontifex Romanus ante 1200. annos, fidem adhibendam non credis. Ecce alterum ex istis te dicere opportet, in excommunicatione nos imitari Paulum, aut quod fecerint in hanc horam Sacerdotes, ac Episcopi, citra omnem conditionem collatæ potestatis fecerint, quòd si Paulum rectè imitantur, aut hoc fecerint ex admissione legis, non meretur inter traditiones humanas numerari.

Sed quisquis hic præsidentes audierit, Christum audiat, qui receperit, Christum recipiat, qui spernit eos, eum quoque spernit. Per ligationem itaque & solutionem, immò dimissionem, non parua quæsita est potestas eorum, quos Paulus ministros vocat, & dispensatores misteriorum Dei. Reliquum est circa diuortium, scis in Euangelica lege nonnulla haberi, quæ licet aperta sint, in dubium tamen nonnulli traxere, vt credas, Marito vxorem propter adulteria dimittenti licere ducere aliam. Et sic inter tuos non paruus est error, quo sæpè humanas traditiones esse credunt. Cum tamen demùm manifestum fiat, eas super lege diuina fundatas, sicut & hoc, quòd hic de excommunicatione diximus, alibi de diuortio hic dicere possemus. Vbi tu mitis modis vellicare videris, quòd illi, à quo per sententiam separatur mulier, non datur cum alio, quacumque contrahendi licentia. Et sic habent illi, quo non parum sua confirment. Nam Matth. 5. dicitur. Omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Et qui dimissam duxerit, adulterat. Et Matth. 19. Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Sed certè vt verum fatear, licèt hæc habeas, Christi quidem dicta tantùm potuerunt, vt nonnullis æquum visum fuerit, viro licere, reiecta vxore altera, aliam sub introducere, sed fortè fuere nonnulli, qui vtrique continentiam seruandam esse duxerunt, & habent, quo sua firment. Nam Mar. 10. scriptum est, quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. Lucæ 16. Omnis, qui admittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro suo ducit, mœchatur. Numquid hic si nihil addideris. Si nihil sub intelligas, licebit dimittenti, vel marito, vel vxori, aliam ducere vxorem, vel alteri nubere viro, & licèt tu in aduersum pugnes. Vbi licentiam hanc ex Euangelio habes esse promissam, vt dimittenti, etiam ob fornicationis causam se se liceat alteri copulare, nihil autem hic putas Ecclesiam facere potuisse? numquid hæc potuit fieri legis interpres? & reuera ità factum intelligo, & non intra quadringentos annos. Sed circiter annum Domini 110. Et sic ante 1400. annos hanc iudicandi normam ab Euaristo successore Anacleti traditam inuenio, sic enim sanctus ille Euaristus Aphricæ Regionis scribit Episcopis, sicut vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se, Viuente eo, matrimonio societ, aut cum adulteret, licèt fornicatus sit vir eius. Sed iuxta Apostolum, aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta. Ità Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo se segregare, vt alterum, viuente eo, accipiat. Sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat &c. Et in hanc horam vsque sic

sic seruauit Ecclesia, quòd si mihi Ambros. obieceris, sicut te certo factùrum scio, non est, quo moueat. Nam hic Ambrosium humana passum video. Qualis enim hæc æquitas, quòd viro liceat ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, iuxtà sententiam Ambrosij, & mulieri non liceat itidem facere, etiam si vir sit caput mulieris?

Sed iam, dum circa Euangelium Ecclesia certum statuerit. Cur non imitari velis? quòd si in aduersum pugnes, circa hæc nihil definire oportuisse, sint enim quanis luce clariora. Et ego contrarium dico, immò, non ego, sed August. Cuius verba sunt hæc, quisquis vxorem adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æqualis eis, qui accepta causa adulterij dimittunt, & dicunt, & in ipsis diuinis sententijs, ità obscurum est vtrum, & isti. Cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, & quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur, & hæc, & multa his similia verum præbent argumentum, etiam sanctorum Patrum Decreta, non parum valere, quæ si in specie non sint expressa, tamen suas vires habent, & ex communi traditione, vel potestate, quam dedit hijs Dominus, quòd si in rebus tantis, & quæ fidem attingunt, duo sanctiores illi vetustiores tantùm sunt nimirum, si circa Ecclesiarum primatus id fideliter obseruatur, quod totidem seculis in toto Christiano Orbe fuit obseruatum. Quin voto, atque consensu ferè omnium, aut saltem rectè credentium.

CAP. CXXIV.

Arguit Lutherus si Petrus est Caput, quia dictum est Papæ, sic successores Ioannis, quia commendata est Maria Mater, sed probat modum diuersum Faber.

LVTHERVS.

Decimasexta, si ad solos Petri successores pertinet verbum Christi. Tu es Petrus &c. Pasce oues, pari sequela concludetur solius Ioannis Successores esse filios Mariæ in Cruce commendatos, solos plus cæteris dilectos, quia hunc solùm in Cruce alloquutus Matri commendauit. Ergo ab Ephesinis Episcopis accipiunt cæteri, vt sint filij Ecclesiæ, & Mariæ.

FABER.

Hæc verba, quomodò ad Petrum principaliter pertineat, ferè mille probauimus argumentis, & in hanc horam, cum Critobolo Hieronym. in 1. lib. contra Pelagianos dico. Quid Platoni, & Petro, vt ille eum Princeps Philosophorum, ità & hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili molæ fundata est. Quæ nec impetu fluminis, nec vlla tentatione concutitur. Ad alios verò, immò ad singulos, Euangelij verba, quomodò referri possint, alibi ostensum est. Sed quia tua propositio sonat, & hic inter nos agitur, an Ecclesia Romana antè Nicænum Concilium, cæteris fuerit superior, & an hoc verbum: [Tu es Petrus,] non nihil probet, ex decretis itaque Nicæni Concilij, ac ex sacræ Scripturæ Doctoribus Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & sexcentis alijs Tertuliano, Origene, Cypriano, Theophilo nostra firmata sunt. Sed iàm pauló profusius ex scriptis sanctorum Pontificum firmare statui Romanum Pontificem, etiam antè Nicænum Concilium, reliquis superiorem: ab Anacleto I. exordiar, & videbo quibus, & quid in hanc rem Anacletus, ac alij scripserint vsque ad tempora Siluestri, scripsit ergo Anacletus vnam epistolam lectu dignam ad omnes Christi fideles, scripsit, & aliam ad omnes Episcopos in Italia constitutos. Deindè tertiam ad omnes Episcopos, ac Sacerdotes totius Christiani Orbis: In quibus quidem tribus epistolis Anacletus pulcherrima præcepta dedit, quibus esset Ecclesia Christi gubernanda, successit illi Euaristus natione Grecus, is scripsit ad vniuersos Aphricæ regionis Episcopos, Item ad eos, qui erant in Ægypto. Alexander verò non ad vnius Prouinciæ scripsit Episcopum, sed omnibus orthodoxis per diuersas Prouincias, non vna dumtaxat, sed tribus scripsit epistolis. Deindè Sistus in duabus epistolis omnibus scripsit Episcopis, quod Thelesphorus, ac Heginius fecisse leguntur, quanquam, & Heginius Athenien. adhortatus fuerit, vt aduersissima quæque tolerarent patienter. Pius autem omnibus Ecclesijs aperit, quomodò Sedes Apostolica. Caput esse mereatur omnium Ecclesiarum, & non est necesse, vt commemorem ea, quæ scripserit Episcopis in Italia constituris. Anicetus autem quid in Gallia ordinauerit, id illius decreta testantur, sed & Sother Campanis, & Italis scribens, non veretur sacram interpretari scripturam, Eleuterius scripsit vniuersis Ecclesijs per Galliæ Prouincias, & quid putas hoc sibi velit, quòd Victor se vniuersalem Ecclesiæ scribit Archiepiscopum, Theophilo, quoque, ac cunctis Alexandriæ Patribus præcipit, vt Paschæ diem à quartadecima Luna primæ partis vsque vigesimum primum eiusdem Mensis diem celebrare studeant, habetur, & illius epistola ad vniuersos Episcopos Aphricæ, Seuerinus autem non modo Siciliæ, sed totius Ægypti scripsit Episcopis, Calistus verò hijs, qui sunt in Gallia, Vrbanus Christianis omnibus, sicut & Pontianus, Antherus verò pulchram scribit epistolam ad Episcopos per Pontice, atque Tolletanę Prouinciæ Ecclesias constitutos, in qua respondet, atque declarat auctoritatem Apostolicæ Sedis, Eusebium mutatum esse Alexandriam, sicut Felix quidam translatus sit Ephesum. Fabianus autem licèt Hylario dumtaxat scripserit Episcopo, tamen exprèssè testatur, quid iuris habeat in alios Episcopos. Quod, & Cornelius facit ad vniuersos scribens Episcopos. Sed Ruffus quidam erat in Oriente Episcopus. Cui renera doctam, ac sanctam, Idem Cornelius scribit epistolam, Lucius autem, sub Gallo, & Folusiano Consulibus, omnibus scribit Episcopis occidentalibus, tàm Gallis, quàm Hispanis. Stephanus verò primum

mùm Hylario Episcopo, deindè Episcopis omnibus rectam canendi normam tradit, hanc quoque seruari præcipit. Quod, & Sixtus ille Secundus cuidam Episcopo, & deindè omnibus per Hispaniam constitutis fecisse legitur. Dionysius qualem ordinem seruare mandarit, binæ illius testantur epistolæ, quarum altera est ad Vrbanum. Altera verò ad Senerum. Felix scribens ad Paternum Coepiscopum deindè ad vniuersos Galliæ Episcopos. Ac postremùm ad quendam Benignum Episcopum, quosdam à Collegio Sacerdotali segregari iubet. Eutichianus quoque scribit Episcopis per Galliam, atque Siciliam constitutis, & longum esset recensere de his, quæ Gaius scripsit Felici, Marcellianus Salamoni, ac omnibus Episcopis per Orientales Prouincias constitutis. Deindè Marcellus Episcopis Antiochiæ, atque Maxentio, & quæ scripsit Eusebius ad Galliæ. Immò Campaniæ, & Tusciæ Episcopos, & de Melchiade, iàm nihil hic dicam. Hij omnes antè Nicæni Concilij tempora vixerunt scribentes itàque ad totius Orbis Prouincias, & earundem Episcopos, nunquid non verum proferunt argumentum, Romanum Pontificem reliquis Episcopis fuisse superiorem? Quòd si tu forsan Ciceronem, Plinium iuniorem, Simmachum, Ouidium, Horatium, ac reliquos obieceris, qui scripserunt epistolas non semper ad æquales, aut inferiores, sed eos, qui non eàm honore, quàm & potestate superiores erant, ad Episcopos itàque diuersarum Prouinciarum scribere, nullius prælationis possit argumentum probare, hoc ergo, quod obijcis, tunc rectiùs diluam. Si tibi partim ostendero, quid scripserint, quid deniq; fieri voluerint, in genere si audire digneris, hoc ferè omnium habent epistolæ, vt præcipiant, moneant, ac ad omnium, & singulorum consulta respondeant, nec ex his dabis mihi quenquam, qui sese non subiecerit: Et qui huiusmodi decreta non humiliter acceptarit. Sed inter hæc scripta de Petro. Quid de Romana Ecclesia scripserint, breuiter audi. Anacletus vocat. Petrum Principem Apostolorum. Seuerinus huic dictum esse scribit. [Quæcunque ligaueris super terram.] Quod, & Dionysius facit, ac Felix, & reliqui multi hoc verbum Christi in Petri personam referunt; de Romana Ecclesia, quid illi scripserint, ac in totum diffuderint Orbem, ex ordine referam. Anacletus sic habet. Licèt singulæ Metropoles Ciuitates suas Prouincias habeant seculares Primates, tum vt præfixum est. Et tunc, & nunc habere iussi sunt, ad quos post Sedem Apostolicam, summa negotia conueniant, vt ibidem quibus necesse fuerit, releuentur, & iustè restituantur, & hij, qui iniustè opprimuntur, iustè reformentur, atque fulciantur Episcoporum causæ, & summorum negotiorum iudicia; salua Apostolicæ Sedis auctoritate, iustissimè terminentur. Hæc ab antiquis. Hæc ab Apostolis. Hæc à sanctis Patribus accepimus, nostris vt postulatis rimanda. Et futuris tenenda temporibus, mittimus, & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus tradenda mandamus: Ne Pastoris imperitia, qui sequuntur deteriores fiant. Pius verò sic ait. Sitis in illo repleri, qui est Caput omnium Principatus, & potestatis, qui & hanc sanctam Apostolicam Sedem omnium Ecclesiarum Caput esse præcepit, ipso dicente Principi Apostolorum Petro: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferni non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quidcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.]

Et Victor, ità Theophilo scribit, alibi in statutis legitur Apostolicis, siquis putauerit se à proprio Metropolitano granari, apud Patriarcham, vel Primatem Diœceseos, aut penès vniuersalem Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur Sedem, nihil aiud est frater, talis præsumptio, quàm Apostolorum, & eorum successorum terminos transgredi, eorumque decreta violare, culpantur enim, & scriptum est, fratres, qui aliter circà Episcopos iudicate præsumunt, quàm Apostolicæ Sedis Christo fieri placuerit. Et quis est, qui iudicat eum, quem Dominus sibi, & huic sanctæ Sedi reseruari voluit iudicandum? Seuerinus quoque, ità habet ad Siciliæ scribens Episcopos, Finis verò causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, & ibidem terminetur, nec antea finiatur, sicut ab Apostolis, vel successoribus eorum est statutum olim, eiusque auctoritate fulciatur, ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen oppressis appellandum est, & concurrendum, quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur, quia non potest, nec debet mater obliuisci filium suum. Indicia enim Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causæ, à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & Sancti successores eorum, cum alijs Episcopis statuerunt, sunt terminandæ quia licèt in alios trasferantur Episcopos, beato tamen Apostolo Petro dictum est. [Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in Cœlis.] Et reliqua priuilegia, quæ soli huic sanctæ Sedi concessa sunt. Et in constitutis Apostolorum, eorumque successorum alijs quàmplurimis, cum eis concinentibus habentur inserta. Stephanus autem, ità scribit, Nulli enim Metropolitani. aut alij Episcopi appellentur Primates, nisi hij, qui primas se destinent reliquorum Ciuitates antiquæ. Primates esse consueuere, reliqui verò, qui cæteras Metropolitan. Ciuitates adepti sunt, quasi Primates, sed aut Archiepiscopi, aut Metropolitani vocentur, habes enim, & loca, quibus Primates præsidere debeant, sed non modernis. Sed & iàm multis antè aduentum Christi sunt statuta temporibus, quorum Primates etiam gentibus pro maioribus negotijs appellabant, in ipsis enim vrbibus post Christi aduentum Apostoli, & successores eorum, Patriarchas, vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, & maiores causæ, præter Apostolicam Sedem, sunt referendæ. Et Sixtus in hæc verba habet. Omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) præfulciantur, defendentur, & liberan-

rantur, cuius depositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum successorum, atque Canonum auctoritas obseruauit, quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit. Et idem Sistus io eodem loco, cum beato Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, [Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis.] Et si quis peccauerit, se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem Diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam iudicetur. Dionysius autem, ita Seuero scribit Episcopo, olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolo Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subuenire, & quicquid nocuum est auctoritate Apostolica corrigere, & emendare, ad hoc enim Diuinæ dispensationis diuisos gradus, & diuersos constituit ordines esse distinctos, vt dum reuerentia per minores prioribus exhiberetur, & potiores minoribus dilectio impenderetur, vna concordia fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Et è Eelix ad Paternum deinde ad Benignũ sic habet, Ille verò, qui pulsatus fuerit, si iudices is suspectos habuerit, liceat appellare Primates. Primates quoque discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti auctoritate, aut reum se ipsum confiteatur, aut per innocentes, & Canonicè examinatos regulariter testes, conuincatur. Et ea de re Marcellinus, ita scribit. Rogamus vos fratres, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. Ab illo enim primò instructi estis. Ideò non oportet vos propriũ derelinquere Patrem, & alteros sequi, ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] Et reliqua, eius enim sedes primitùs apud vos fuit. Et quæ postea, iubente Domino, Romam translata est, cui nos, adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die. Et Eusebius in hæc verba loquitur. Caput Ecclesiæ Christus est, Christi autem Vicarij Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia, idcircò, quicquid in eorum fit iniuriam, ad Christum pertinet, qui dixit, [qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit eũ, qui me misit.] Prima enim salus est, rectè fidei regulas custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare, nec potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectu, quia in Sede Apostolica extra maculã semper est catholica seruata religio. Vides nunc testimonia sanctorum Pontificum, qui & fidem sanguine proprio corroborarunt, & omnes antè Nicænum fuere Concilium, sed quales illos fuisse putas? numquid non Anacletus vixit Traiani temporibus, virque fuit optimus, qui pro fide Christi martyrio coronatus est. Pius primus vir sanè doctus, atq; eruditus, de Deo, ac hominibus optimè meritus. De Stephano, quid dicam? Qui verbo, atque exemplo multos ad fidem Christi conuertit, sub Deciana persecutione, pro fide Christi capite mulctatur, sed & omnes norunt, qualis hic Sixtus II. ex philosopho Christi discipulus factus. Cùm eo Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, & Stephanus voo, & eodem die perempti sunt, quid contra Sabellianos, Corinthianos, & Neopotianos egerit, nemo ignorat. Dionysium autem, qui in Antiochia ciuitate contra Paulum Samosathenum Concilium vocari fecit, omnes habent, virum fuisse doctum, & sanctum, qui Concilio interesse non potuit, cùm decrepitæ esse ætatis, demùm per fide Christi martyrio coronatur. In Calixti cœmeterio sepelitur.

Sed & Fœlix I. quãtum pro fide christiana egerit, & quomodo post martyrium passus, via quoque Aurelia sepultus, veteres tradunt historiæ. Sed quàm constans fuerit pro fide christiana, fortè non ignoras, non enim verebatur adire Diocletianum, & fatus subire martyrium, vna cùm Claudio Zetnio, ac Antonio Christi fidelibus, quid de Eusebio dicam? numquid non hic hæreticos reconciliauit, & sub Maxentio tyranno martyrium patitur? Taceo reliquorum omnium vitam, sed numquid illorum decreta frigidissima dicemus? putasne, si non ab Apostolis intellixissent, quid Petro dederit Dominus, quòd primam sedem meruerit Ecclesia Romana; numquam tàm temerarij fuissent, ac ambitiosi, vt vendicarent, quod alijs debitum esset, hæc non ignorarũt patres in Nicæna synodo congregati, qui sese super antiqua consuetudine fundare voluisse videntur, hæc quidem non ex decretis à Gratiano congestis, sed & vetustissimis Codicibus scripta citare volui, vt omnem suspitionis notam effigerem, nec sunt decreta hæc Pontificum intrà quadringentos annos nata, vt somnias, sed omnia sunt eorum, qui vitam sanctam, ità notissimis testantibus historijs duxerunt, circitèr annum Domini, siuè centesimum, siuè ducentesimum, vel ad summum circitèr Annum Domini tricentesimum.

Quòd si Pontifici Romano nulla conceddda fuisset auctoritas, proculdubiò rebus, & scriptis illorum reclamassent diuersi diuersarum Prouinciarum Episcopi, numquid non tempore Marcellini, & sic ante tempora Nicæni Concilij, celebrata fuit Synodus. 180. Episcoporum in Sinoessa vrbe Campaniæ? Sed & de synodo, cui Theophilus, Origenes, ac alij in Palestina interfuerunt, hic nihil dicam. Quid putas, si ità rei necessitas inberet, ex his afferre possem, quæ à Marco Iulio, Liberio, Felice, Damaso, Siricio, Anastasio, Sixto tertio, Leone, Hylario, Simplicio, Felice. 3. Gelasio, Anastasio. 2. Simacho, Ormisda, Ioanne, Felice quarto, Bonifacio. 2. Agapito, Siluerio, Vigilio, ac alijs vsque ad tempora Gregorij magni scripta sunt, quorum sanctiones, atque decreta, non tantum in Europam, sed & totam Aphricam, & Orientalem Ecclesiam directa fuerunt. Numquid illorum omnium decreta frigida esse dices? cupio itàque hic paulò honestiùs in posterum sentire velis, quòd si iterùm asseuerare volueris, quoniam ex iure Diuino, minimè receptos

cepta sint, nihil hoc ego referre dico. Nàm si Origeni crediderimus in epistolam ad Ro. 13. quæ scripta non sunt in Euangelio lege Diuina, possunt legibus suppleri humanis satis est, hoc à toridem sæculis obseruatum esse, ad argumentum tuum venio, quo dicis, si ad solus successores Petri pertinet verbum Christi, [Tu es Petrus, &c.] pari sequela concluditur, solius Ioannis successores esse filios Mariæ, &c.

Non audeo hìc ex consequentijs tecum agere dialecticis, aliam igitur professionem, & iuris assumam, in professo est, apud iureconsultos priuilegium personale personam sequi, & extingui cum persona. l. Priuilegia, digestis, de re iu. Sed priuilegium Petri, non erat, nec est tale, quòd cùm persona abiret, sicut nec hoc priuilegium erat personale, quod datum fuit Apostolis, dicente Domino. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Immò nec hoc priuilegium personale fuit, quò in Cœna nouissima, Dominus ait, [hoc facite in meam commemorationem. Alioquin mortuis Apostolis, nemò ligaret, & absolueret, nec consecraret vllus Episcopus, atque Sacerdos, quare sanè, id quòd hic dictum fuit ad Apostolos, ad successores illorum trahi, aut intelligi potest.

CAP. CXXV.

Dicit Lutherus, non posse aliud caput, quàm Christum, sed respondet Faber, caput Ecclesiæ principale esse Christum.

LVTHERVS.

IN fine, dico me nescire, an Christiana fides pati possit, quòd in terris, aliud caput Ecclesiæ vniuersalis statuitur præter Christum, sunt qui Christum in Ecclesiam triumphantem reiciunt, & Romano Pontifici militantis Ecclesiæ caput constituunt, contra expressum Euangelium. Matth. vltimò. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi, & illud act. 9. [Saule Saule, quid me persequeris?] ideò enim regnum fidei Ecclesia vocatur, quòd Rex noster non videtur, sed creditur, sicuti. Corinth. 1. dicit, oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Et tunc tradet Regnum Deo, & Patri. At hij Regnum eorum Episcopatum faciunt, dùm visibile caput erigunt. Nàm & mortuò Pontifice, Christus non pro capite solus habetur. An vno Pontifice, cedit, & mortuò, succedit, velut quidam alterius Pontifex? Si autem, & vno Pontifice, caput est, vt quid duo capita in Ecclesia statuimus?

FABER.

Christum esse caput Ecclesiæ, totus orbis agnoscit, Paulo dicente ad Ephese. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius. Qui omnia in omnibus adimpletur, & in eadem epistola, noscamus illum per omnia. Qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & iterum in eodem. c. 6. sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius. ad Colossen. 1. Omnia per ipsum, & in ipso facta sunt, & ipse est ante omnes. Et omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus, ipse primatum tenens. Sed cur caput dicitur Ecclesiæ? certè vt aliqui volunt. Quemadmodum corpori congruit caput, ità Ecclesiæ Christus dicitur primatum habere, & illi sanguine iunctus est, & vnitus, & Ecclesiam. Idem absoluit, & complet. Corpus præterea Christus, vt proprijs membris absolutum efficit, & caput integrum reddit, sic contra, Ecclesia Christi perfectio est. Qui omnia terminat, & finem cunctis rebus imponit, Christus namque perficitur, & tamquam ex vniuersis fidelibus sua complet, & membra, nam manus, videlicèt in viro misericordiæ, & opem ægris ferente absoluit, ac perficit. Itemque in eo pedem, quoniam prædicandi munus suscepit, & peragrando frattres reuisit, & curat, sic deniùm, & infidelibus cæteris, vel membra reliqua, sibi ipsi suppeditat Christus, cùm hij varijs modis mortalium succurrunt necessitatibus, tunc etiam perficitur Christi corpus.

Cum omnes vnanimes sumus, & charitatem coniuncti. Sed quid prohibet hunc in terris habere Vicarium, qualem statuit Petrum, ac successores illius? Quòd si obieceris prædixisse Dominum. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem sæculi, tunc mihi responde. quid hoc sibi velit, Ioannis. 12. dicitur. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis? Numquid non hæc omnia contraria videntur, semper habere, & non semper habere? oportet igitur, vt hæc rectè intelligantur, ne veritas sibi ipsi diffideat, rectum autem nobis præbet intellectum. D. Aur. Augu. in 50. trac. super Ioan. huius verba subscribere placet. Pauperes semper habebitis, me autem non semper habebitis, accipiant, & hoc boni, sed non sunt solliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nā secundùm maiestatem suam, secundùm prudentiam, ineffabilem, & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsqua ad consumationem sæculi, secundùm carnem verò, quàm verbum assumpsit, secundùm id, quòd de Virgine natus est, secundùm id, quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno confixus, quòd de Cruce depositus, quòd Lintheis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non sem per habebitis me vobiscum, quare conuersatus est, secundùm corporis præsentiam quadriginta diebus cùm discipulis suis, & eis deducentibus, videndo non sequendo, ascendit in Cœlum, & non est hic, non enim recessit in præsentia maiestatis gloriæ, secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum, secundùm præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, me autem non semper habebitis, habuit enim illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt, ergò si ità dictum est, me autem non semper habebitis. Quæstio sicut arbitrioriam nulla est, quæ duobus modis soluta est.

Vi-

Vides ergo, qua præsentia sit nobiscum Dominus. Et quia nolebat ampliùs nobis ore ad os loqui. Numquid non optimè decebat, vt aliquem in caput nobis surrogaret, & Pontificem daret ex hominibus assumptũ, qui loqueretur ore ad os, qui & similitudinem haberet membrorum corporis Ecclesiæ? sed quòd forsàn capitum multitudinem times? non est quo timere possis, aut debebas, in arbore Porphiriana videtur, quasi capitum subordinatio, in vno quoque genere est vnum priùs, atque superiùs, & non est politia, quæ non habet capitum subordinationem. Sed hæc te fortè mouere non possunt? Paulum audi dicentem; Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, sed caput viri, quis est? certè Christus. Vndè Paulus, omnis viri caput, Christi Deus est. Quòd si diuersitatem rationis obieceris, non est, quo mouear, scio enim filij caput Patrem dici, quasi genitorem eius, & aliter caput viri Christum esse. Aliter virum mulieris, & aliter Deum esse caput Christi. Deus enim ideò caput Christi est, quia de eo, vel ab ipso genitus est, mulieris verò idcircò caput vir est, quia etiam costa Dei virtute formata est. Christus ideò caput viri est. Quia per ipsum, cùm non esset formatus, vna ergò dictio diuersam habet intelligentiam, quia & personæ discrepant, & sententiæ. Habes itàque Christianam fidem, non horrere subordinationem capitum, nec à veritate dissidere, si quid caput alterius esse dicatur, non eodem respectu, vt Philosophorum more loquar. Alio ergò sensu Christus, alio verò Petrus est caput Ecclesiæ, quod etiam quisque Bimulus intelligit, sicut, & Christum, & Petrum, petram dicere solemus, qualem & Tertullianus Petrum vocat. Non quòd sit illa principalis Petra, super qua fundatur Ecclesia. Sed quòd ab illa acceperit communionem virtutis, & nominis, aùt non admittis Ecclesiam militantem ex lapidibus viuis esse costructam, non tam, quòd vita gratiæ dumtaxat, sed vita naturæ viuant, his si visibile, & contractabile caput statuimus, non est, nec potest censeri error. Et quamquam Christus, iuxtà dicta Patrum, in hoc sacrosancto Sacramento altaris sit nobiscum permansurus vsque ad consumationem sæculi Sacerdos, ac sacrificium, tamen eum hic sit sub inuisibili specie, non satis erat ad eruditionem vitæ. Si enim non reliquisset post se Petrum, ac reliquos Apostolos, qui viua voce Euangelium annunciassent, nescio an credidisset mundus. Nàm fides ex auditu est, auditus autem per verbum. Beatissimus quoque Leo scribens Theodoro Episcopo Foroliuen. sic ait. Diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, vt indulgentiam, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri, mediator enim Dei, & hominum homo Christus Iesus.

Hanc præpositis, & Ecclesiæ tradidit potestatem; vt verè confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubritatis factione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent, cunctoque operi ipse Saluator interuenit, ne quicquam ab his abesset, quæ ministris suis exequenda commiserit dicens. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi, siquidem per seruitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur effectus, non ambigamus per personam spiritus fuisse donatum, quòd si hoc dictũ ità intelligas, quasi sat fuerit, Christum, si nobiscũ fuerit ad intellectum Augustini per gratiã, per prouidentiã &c. Id genus, quamquam sine eo nihil possimus, tamen sicut hic inter Apostolos tollis caput, ità, & in omnibus caput, & Principem tollis, cum in omni principatu caput sit Christus. Sed quòd hic de regno habes, notum est ex Euangelio Christo datam esse potestatem omnem, in cœlo, & in terra, & ità, vt iuxtà Hieronym. Qui enim regnabat in Cœlo, per fidem credentium regnet in terris. Sed numquid non in eodem loco sequitur, docentes eos seruare omnia quæcumq; mandaui vobis, numquid non hic Doctores posuit, & inter hos quid prohibet vnum præponi, qualem Archisinagogum, Euangelica iubet audiri Historia, sed de credentium regno notissima est Hieronymi sententia, regnum patris fidem esse credentium.

Sed iterum inter credentes, quid prohibet statui caput, & de Pauli dicto ad Corin. Nemo vnquam dubitauit non esse verissimum, quod hic Paulus habet, modò rectè intelligatur, qualem Intellectum in eodem loco habet Ambrosius. Et hunc tradit Augustinus in lib. 1. de ciuit. Dei cap. 8. Et vnico libro ad Orosium contra Priscillianistas cap. 7. Tamen adhuc stat hunc regnantem in terris habere posse Vicarium.

Nouimus Angelum ad Mariam verè dixisse, dabit illi Dominus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, apud Danielem, Deus cœli excitabit aliud regnum, quod numquam corrumpetur. Et hoc regnum æternum erit, sed cum in illo non sit nobis factus visibilis, & vnius militantis politiæ vno capite nos egeamus: Immò necesse est, vt doctorem interpretantem, ac diuina ministrantem habeamus, qui & offerat diuina, & sacrificia pro peccatis. Hunc si veluti caput veremur, nihil est, quod primatum Christi tollat, & nobilis ille peregrè profectus, committit alteri regnum, non quòd suo principatui cedat; sed vt præcedentem Vicarium habeat.

Sed dic mihi, cur Dominus ad Petrum tam benignè dixerit, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma Fratres tuos? Numquid non Christus est is, qui sermonem confirmauerit Apostolorum, qui & confirmat omnes in opere, & sermone bono, & fideli? aut mentitus est Paulus dicens, fidelis Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo? Non ergo negabis, aut negare poteris, Deum hunc esse, qui confirmet, quod operatus est in nobis. Tamen suo officio Petrus dicitur confirmare fratres suos.

At quòd duo capita tamen abominaris, mirum est. Nam vtriusque capitis alia, & alia est ratio. Christus primatum tenet in omnibus, & hoc nemo negat, quòd si is Vicarium, ac Successorem facit, ac ordinauit, nihil aliud fecit quàm quod prudentem Principem decebat, & reipublicæ Christianæ conueniebat,

CAP. CXXVI.

Omnis Sacerdos in articulo mortis habet plenissimam potestatem, & sic est Papa, vnde ait Lutherus, non est maior, & respondet Faber hoc euenisse in necessitate.

LVTHERVS.

Concludo, omnis sacerdos in articulo mortis, & necessitatis est Episcopus, est Papa, habens plenissimam plenitudinem potestatis super confitentem, vt tenet sententia communis totius Ecclesiæ, & etiam beati Cypriani epistolis euidenter conuincitur, ergo nec Papa est Episcopis, nec Episcopus est superior presbyteris, iure diuino. Tenet consequentia, quia ius diuinum est immutabile, tam in vita, quàm in morte.

FABER.

Cyprianus in 3. lib. epistolarum decimaseptima epistola, sic ait. Fratres si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque ex homologesin facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace. Sed numquid ex hac necessitate æquabis Episc. Diaconum? minimè id potes. Etenim necessitatem nō habere legē, iutium studiosi, etiam puluerulenti, ac elemeotarij norunt. Illius tanta est vis, vt faciat omnia communia. Immò probabile facit, quod aliàs esset improbabile, ità plura de iure potest necessitas, quæ alioqui subsistere non possunt, & ne dum in iure, sed & in Sacra Christiana lege receptum est, si quidem Augustinus pulchrè tradit, tempore necessitatis fidem sine Baptismo posse sufficere ad salutem. Immò potest aliquis in casu necessitatis, ab infideli Baptismum suscipere, eodem August. teste, quod si extrà hunc casū fecerit, grauissimè peccat, & non solùm scripti iuris est, necessitatem non habere legem, sed & Dominus in Euangelio declarat. Lucæ enim 6. in Sabbato vellebant Spicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Phariseorum dicebant illis, quid facitis, quod non licet in Sabbatis? & respondens Iesus dixit ad eos, nec hoc legistis, quod fecit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum eo erant, quoniam intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantùm Sacerdotibus, & dicebat illis, qui Dominus est filius hominis, etiam Sabbati, & in eodem Lucæ c. 14. & 15. licet Sabbato curare? At illi tacuerunt ipse appræhensum sanauit eum, & dimisit, & respondens ad illos dixit. Cuius vestrum asianus, aut bos in puteum cadat, & non cōtinuò extrahat illum die Sabbati, & nō poterant ad hoc respondere verbum illi.

Vides necessitatem non habere legem, sed Sabbati obseruare numquid non est de iure diuino? Tamen licet in necessitatis casu facere die Sabbati, quod alioquin minimè liceret: Immò numquā poteris iuxtà statum præsentē per omnia Episcopos, & sacerdotes æquare, nisi in Arrianam Hæresim labi velis. Nam in Episcopo omnes ordines sunt, qui primus Sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, &c. ad implenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium, & vt noster Ambrosius ait in epistola ad Ephes. postquā in omnibus locis, Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata. Aliter composita res est, quàmprimum cæperat, omnes enim docebant, & omnes baptizabant, quibuscumque diebus, vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsiuit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit, neque Paulus, & Sileas tempus distulerunt, quo Optonem carcetis baptizarent cum omnibus eius, neque Petrus Diaconos habuit, aut diem quæsiuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit, nec ipse, sed iussit fratribus, qui cum illo erant, ad Cornelium ab Ioppe, ad hue enim præter 7. Diaconos nullus fuerat ordinatus, vt ergo cresceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & euangelizare, & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & Rectores, & cætera officia. In Ecclesijs sunt ordinata, vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum, vel concessum. Et cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res, & vilissima videretur.

Hioc ergo est, vnde nunc, neque Diaconi populo prædicant, neque Clerici, neque Layci baptizant, neque quocumque die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideò non per omnia conueniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam, & Thimotheum presbyterum à se creatum Episcopum vocat, quia primi presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente eo, sequens ei succederet.

Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus, sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inueniri, ad primatus tenendos immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet. Et esset multis scandalum hic, nec tu negare potes aliquid licere Episcopo, quod sacerdoti minimè licebit, hoc ex Innocentio Primo ad Eugubinum Episcopum circà Sacramentum confirmationis ante probaui. Quòd si confirmationem dixeris non esse sacramentum, sed figmentum Episcoporum, nec Innocentio credere velis, audi quid ea de re scripserit Melchiades ante Nicœnum Concilium, ad Marinum Benedictum. Leontium, super quibus recitastis vos informari inquit.

Vtrum maius esset sacramentum, per manus

nus impositionem Episcoporum, aut baptismus scitote. Vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum à maioribus fit. Idem à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest. Ità, & maiori veneratione venerandum, & tenendum est, sed ità coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit.

Nam vnum, perueniente morte, sine altero potest. Aliud autem non potest, vnde scriptum est, in diebus illis dicit Dominus, effundam de spiritu meo super eorum carnem, aduertamus summas diuitias bonitatis, quòd in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis hoc, quod Spiritus sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis, sed quia dixerim, quòd manus impositio, & confirmatio in Christo aliquid possit, forte cogitet sibi aliquis, quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis, aut quantum video, non tantùm de fonte suscipimus. Si post fontem ad lectionem noui generis indigemus, non ità dilectissimi attendat charitas vestra, sicut eget militaris ordo, vt cum in tempore quemcumque in militum receperint numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum. Ità in baptizato benedictio illa munito militi Dei adiumentum datur militię, numquid prodest, si quisquam parentum, magnam periculi conferat salutem, nisi prouidè studeat, & tutorem: ità Paraclitus regeneratis in Christo, custos, consolator, & tutor est. Ideò dicit sermo diuinus, nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit in lapsu in fonte, plenitudinem tribuit ad Innocentiam. In confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Quia in hunc mundum tota, & latè victurum inter visibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad linguam, in baptismo abluimur, post baptismum reuocamur, vt sic continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia.

Victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia, regeneratio per se saluat mox in pace, beati sæculi recipiendos confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos, qui autem post baptismum cum adquæsita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia iam non potest peccare post mortem hic si forte illud, & iam requirere velimus, post passionem, & resurrectionem Christi, quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti? ipse Dominus hoc eis euidenter exponit, quæ dico, inquit, vobis, non poteritis ea portare modò. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem. Vnde cum Spiritus Sanctus infunditur, tunc fides ad prudentiam, & constantiam dilatatur, itaque dispensationem Spiritus Sancti, vsque ad negationem Apostoli dictatur, post visitationem verò eius vsque ad martyrium contemptu salutis armantur.

Secundò per Christum credimus, per Spiritum verò Sanctum dono sapientiæ spirituales illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consumamur, vt Sancti Spiritus vocem audire possimus, intellectum dabo tibi & instruam te in via hac, qua ingrederis, de Spiritu Sancto accepimus, vt spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Et de Spiritu Sancto accepimus, vt sciamus inter bonum, malumque decernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt malitiæ, ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ, ac diuersis illecebris, & fœdis, indignisque cupiditatibus resistamus, de Spirito Sancto accepimus, vitæ amore, & gloriæ, ardore succensi, vt erigere à terrenis mentem ad superna, & diuina valeamus, hæc Melchiades ante mille, ac ducentos, & plures annos scripsisse legitur, ex quo vides per confirmationem dari gratiam, & ob id sacramentum esse, non pridie, & ad quæstum excogitatum, & hic quod dixit Melchiades, anteà scripsit. Eusebius Sanctæ Rom. Sedis Episcopus, dum Episcopis per Campaniam, & Tusciam huiusce rei formam tradit. Et non veretur Beda venerabilis scribens in acta Apostolorum sic dicere.

Si Philippus Apostolus esset, ipse vtique manum imponere potuisset, vt acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis Pontificibus debetur. Nàm Presbyteris, fine extrà Episcopum, seu præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate Baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, & quod de confirmatione dicimus, hoc de extrema vnctione credere possumus. Ad hoc iterùm Innocentium, ità loquentem audi, illud, inquit, superfluum vidimus, & cætera, adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere, non dubium est. Nàm idcircò Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si Episcopus, aut post, aut ante dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione, cuius est ipsum chrisma conficere. Nàm pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nàm quibus reliqua sacramenta negantur, & quomodo vnum genus putatur posse concedi? His igitur frater, omnibus, quia tua dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus, respondere curauimus, vt & Ecclesia tua Romanam consuetudinem, à qua originem deducit, seruare valeat, atque custodire. Reliqua verò quæ scribi, fas non erat cū adfueris interrogati, & dicere poterimus, erit autem Domini potentiæ, etiam id procurare, vt & tuam Ecclesiam, & Clericos nostros, qui sub tuo Pontificio diuinis famulantur officijs, benè institutas, & alijs formam tribuas, quam debeant imitari. Habes itàque multa licere Episcopis, quæ tamen Sacerdoti minimè licent, indignum quoque fuerit, si totidem auctores reijcere velis, quòd si dixeris, esse figmenta hominum, seu traditiones humanas, ego tibi respondeo, quod Augustinus habet in lib. 4. de Baptis. contrà Donatis. c. 24.

Si non quisquam in hac te diuinam

quærat, quamquam, sed vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissimè creditur, & hanc veritatem in eod.lib. Non semel, sed iterum affirmat, & maximè in eod.5.lib.c.23. Vbi sic inquit. Apostoli autem, nihil quidem exindè perceperunt, sed consuetudo illa, quæ apponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credendum est, sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & hæc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non inueniantur. Ea propter Clemens scribit Iulio, & Iuliano in hæc verba, omnibus festinandum est sine mora renasci, & demùm consignari ab Episcopo, & septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia incertus, & si sit vniuscuiusque exitus vitæ, cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus Sancti gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus: quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec Sedem habere inter perfectos. Si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, vt habeat, quod à Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt, vt demum ex operibus bonis ostendat in his similitudinem eius, qui eum genuit Patris, post hæc verò agnoscat Dominum honorare, vides nunc ex apertis testimonijs hic confirmationem, & ordinationem antè mille, & ducentos annos pro Sacramentis Ecclesiæ, non solùm ex Dionysio, & Epyphanio, sed & Innocentio I. qui fuit circiter Annum Domini quadringentesimumquartum, ac alijs apertè probari.

Et quòd hæc non ab omnibus, sed solis Episcopis conferre liceat. Sed fortè miraberis cur vnus ego inter Germanos sanctorum Patrum auctoritati tanta tribuere audeam, ità vt in plerisque, & toties illorum sensa tam assiduè depromam, ac impensè probem, nec tuas velim imitari doctrinas? En tibi rationem expendam, in Hebræorum libris legimus magnam fuisse scholam, in qua fuerunt Esdra, Neemias, Zorobabel, Mardochæus, ac alij Iudæi non obscuri nominis, de ea fuit etiam Antigonus discipulus Simonis iusti, habuit Antigonus ille sub tempore secundi templi duos discipulos Zadok videlicet, & Bysso, illi imbuerunt hanc opinionem, quòd reijcere vellent omnes, quotquot scripserunt supra verba Legis, & Prophetarum, & nudam dumtaxat verborum intelligentiam imitari, hanc diuulgantes sententiam, sic diuisere Iudæos, vt etiam quidam in lege doctissimi cæperint illis adherere, Contranitentibus alijs, vtrimque pugnatum est acerrimè, & orta est noua hæresis, quam à primo scilicet *Zadok*, *Zedokim* hæresim vocabant.

Et erant forsitan hij, de quibus toties vti mihi visum est apud Euangelistas, & in Actis Apostolicis, qui non crediderunt resurrectionem mortuorum, sicut etiam scribit de illis Iosephus in secundo de bello Iudaico, ac 18. antiquitatum libro. Non crediderunt autem mortuorum resurrectionem, eò quòd secundùm illos non inueniretur in veteri Lege mortuos olim resurrecturos. Et cum illis, obiceretur locus in Ezech. cap. 37. de ossibus mortuorum, dixerunt esse somnium, aut saltem visionem, non rem esse gestam. Nec vnquam id considerarunt, quod Lucæ 20. Obijciebat illis Dominus dicens. Quia verò resurgent mortui, & Moyses ostendit secùs rubum, sicut dicit, Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei. Hij, cum nihil, nisi nuda verba tenere proposuerunt. *Karaim*, i. textuales dicti fuerunt, & referunt eos adhùc in Russia, Constantinopoli, ac Salonica manere. Et quamquam ad annos aliquot ità perstiterint inter Iudæos reliquos, neque præter Bibliam quicquam aliud receperint, tamen conatus ipsorum frustrà fuerunt. Siquidem legem, absque interpretibus, nec saluare, nec intelligere poterant, nempè in his, in quibus maximè ægebant, legem non intellexerunt. Sicut est Exodi 12. vbi dicitur: Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azyma vsque ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam, ibi lex non dicit, quis mensis, an Martius, an September debeat esse primus? Numeri 15. Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos 4. palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, hic magna conquisitio facta fuit, quomodo fymbriæ per quator Angulos fieri debuerint? Deuteron. 12. Occide, & comede, & ibi tamen non est occidendi modus. Leuit. 23. Sumetis fructus arboris pulcherrimæ, ibi tamen non dicitur, quæ sit arbor ista.

Et mille erant istius generis exempla, sine quibus scripturæ veritas apparere non potuit. Et quid factum est? in contemptum priorum interpretum cæperunt illi Saducæi nouas docere sententias. Et spretis maioribus, parum abest Rabbanim illorum, scilicet Iaphes, Ben, Setta, ac alij de Saducæorum secta, plura, & copiosiora scripserint commentaria, quàm sint aliorum Hebræorum Talmutici libri. Eo venit, vt non solùm à Christo victi, sed & à cunctis reliquis Hebræis spreti, ac derisi fuerunt, creduntque Iudæi Saducæos primis interpretibus legis non paruam fecisse iniuriam.

Ità mi Luthere, timeo. Sic ab historijs, & rerum experientia doctus, vbi sic pergere velis, si non peiora, tamen, & his similia nobis euenire possent. Tu enim non recipis inter Græcos. Dionysium, Theophilum, Origenem, Cyrillum, Athanasium, Chrysostomum, Nazianzenum, Nissenum, Theophylactum, Basilium, Damascenum, Didimum, Facundum, Nilum, Photium, Theodorum, Planudam, Sophonium, Palladium, Astirium, Philonem, Cosmam, Epiphanium, Eutimium, Nicetam, Climacem, Germanum Constantinopolitanum, Antiochum Melitinum, Andream Cretensem, Ioannem Thessalonicensem, Nicephorum, Psellum, Ignatium, Polycarpum, Paulum Monachum, Papiam Hieropolytanum, Egesippum, Apollinarem, Cynicium Cretensem, Philippum Cretensem, Panthenonem, Rhodonum Asianum, Clementem Alexandrinum, Milciadem, Serapionem, Machillum Corinthiorum Episcopum, Hammonium, Triphonem, Hippolytum, Iulium Africanum, Malchionem,

Antio-

Antiochenum, Archelaum, Cyrum, Anatolium, Victorinum, Curium, Lucianum Nicomediæ passum, Eusebium Cæsariensem, Methodium Tyri Episcopum, Eustachium Antiochenum Episcopum, Marcellum, Anticiranum, Basilium Anquiranum, Theodorum Thracensem, Eusebium Emissenum, Triphilium Laueonce Episcopum, Achatium Cæsariensem, Serapionem, Appollinarem Laodiceæ Syriæ Episcopum, Philanium Cypri Salaminæ Episcopum, Diodorum Tharsensem, Maximum Alexandrinum, Atticum Patriarcham, Ioseph Thessalonicensem, Zonaram, Tharasium, Ioannem Ephesinum, Marcum Atheneum, Ioannicium, Demettium, Cydonem, Ioannem Euchaitarum Episcopum, Efichium, & sexcentos alios Græcos auctores. Et sicut illos contemnis, & aspernaris, ità nec inter Latinos, Irenæum, Cyprianum, Lactantium, Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium Magnum, Bernardum, Bedam, ac reliquos Latinos Auctores recipies, quibus tamen abiectis, quomodo legem Christi intelligemus?

At propterà fortè consutas eosdem, quia subodorabas illos vnanimi voto, concordique sententia, contra te manibus, & pedibus puguaturos, vnde cum resistere non possis, ab illis te pulchrè excutis, an non rem grandem tentaris? ademisti nobis, sat pulchris commentis, Thomam, Scotum, Albertum, Gabrielem, Richardum, Henricum de Gandauo, Holkot, Brikot, Ægidium de Roma, Bonauenturam, Gregorium Ariminen., Marsilium, Thomam de Argentina, Aleisiodoren. Scotellum, Nicolaum de Orbellis, Bruliferum, Capreolum, Ioannem maioris, Durandum, ac reliquos professores Scholasticos, sed nec tunc tibi satis erat, conaris, & è medio tollere eos, qui à mille, & pluribus annis primas partes in Ecclesia habuerunt. Sed *Oychoytos os asebeis oychoytos*. Nam non sunt illa vasa, quæ facta fuere Baal, quæ comburi debeant foris Hierusalem, & redigenda sint in puluerem in Conualle Kidron, neque comburi meruerunt, velut hij libri in Epheso, de quibus Actuum 9. scriptum est, vbi contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

Taceo hìc de Decretis totidem sanctorum Patrum, in tam sanctis Concilijs congregatorum, quorum ego vnicus, & abortiuus, Pauli contra te totidem milia citò. Et quia hos irreligiosè contemnis. Vnde datus es in reprobum sensum, & de te, ac tuis perpetuò dicetur. Obscuratum est insipiens cor eorum. Euanuerunt in cogitationibus suis, &c. Sed quia conaris, vt sentio, omninò verba, vel Euangelij, vel Pauli ad nudam, ne dicam crudam intelligentiam, pro tuo captu, ac ad libitum trahi debere, quam opinionem video omninò reuellendam esse. Vnde aliqua contra te dicere statui.

Dico itàque, nullis vsus ambagibus, velis, nolis dabis in Euangelio quædam esse latentia, & obscura, qualia, & in Esaia fuerunt, quæ si non exposuerit Philippus, numquam Eunuchus lector intelliget. Videamus obiter, an & quomodo mea consistant? Matth. 3. Ioannes Baptista ait, facite fructum dignum pœnitentiæ. Numquid expressit hic, qui sunt pœnitentiæ fructus? & iterum ibi, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni, Quis non videt hic obscurum esse sermonem, qui in diuersas possit trahi sententias? Ignis enim consumens Deus est, & hic dicit baptizabit in Spiritu sancto, & igni, cum tamen ad Nicodemum dixerit Dominus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit intrare Regnum Dei. Et numquam perpetuam virginitatem Mariæ tuebimur, si non illud Matth. sanè intellexeris. Non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum. Matth. 5. Putaret Iudæus aliquis etiam à Domino mitibus hanc solam, quam habitamus terram, esse promissam, quando dicit: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram qualem lacte, & melle manantem vetus promissio Patribus addiderat, in his autem omnibus, vt cæteros taceam, vnicus ille Hieron. nobis satisfecisse videtur. Matth. 11. Nemo nouit filium, nisi pater, nec patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Matthæi 14. Qui habet dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo, hos locos, tamquam obscuros, numquid non antea diù nobis exposuere Chrysostomus, Theophilactus, & alij. In Luca etiam reperies, quod te offendit, si non rectè intelligas. Quomodo putas illud animus simplex accipiet; quo Lucæ 9. dicitur, filius hominis non venit animas saluare, sed perdere? Cum tamen alibi dicat, filius hominis venit saluum facere, quod perierat.

Hæc tamen quomodò debeant intelligi, docuit Ambrosius, docuerunt, & alij, sed & [In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.] Quomodo & illud caro factum fit, quomodo maiores nostri intellexissent, si non Theophilus Alexandrinus, si non Chrysostomus, Theophilactus, Cyrillus, Augustinus, & alij docuissent? Ad Paulum venio, & primam ad Romanos epistolam videamus in qua ferè tot sunt mysteria, quot verba illic continentur. Quomodo enim intellectus nondù exercitatus illud intelliget. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissene, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, huius intellectum, cum ex Augustino de prædestinatione, de gratia, & libero arbitrio, ac alijs ante mille annos didiceremus, quid iam opus est quærere glandes, cum fruges habueris?

Et licet de petra in instrumento veteri multa habeas, tamen si non venisset Paulus, ac nos docuisset hanc petram esse spiritualem, quis vmquam id credidisset? Omitto hic de lapide angulari, de lapide offensionis. Et nec dum rectè spiritalem hanc posses intelligere petram. Si non Origen. Hieronym. Chrysost. Augustinus, ac alijs Sanctis credideris. Quòd si nec Scripturarum auctoritas, & antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanctitas, nec rationis veritas, vos vincit, abite, inquit August. lib. 13. contra Faustum cap. 6. confusi, & redite confessi. Sed pergo in Euangelio, nisi veterum interpretationi steterimus

rimus, videntur, licèt non sint, loci nonnulli sibi ipsis diffidentes, ac planè contrarij, dixit Dominus Matthæi 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Cum tamen dicat in codem loco, ne sciat dextera tua quid faciat sinistea, & iterum attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, legis. Matthæi 6. Nolite possidere aurum dicit Dominus, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Matthæi 10. Et qui habet duas tunicas, det non habenti. Et tamen Lucæ 22. dicitur: Nunc qui habet sacculum, tollat similiter, & peram, & qui non habet, vendat tunicam suã, & emat gladium. Dein ad Petrum dicit Angelus. Actuum 12. Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit sic, dixerat, nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiamur, Hæc etiam omnia gentes inquirunt, & iterum nolite solliciti esse in crastinum, attamen legitur Act. Apost. 11. Surgens vnus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso Orbe terrarum, quæ facta est.

Sub Claudio: discipuli autem prout quisque habebat, proposuit in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabę & Sauli, & quia legitur Matth. 16. Cum venissent Discipuli eius trans Fretum, obliti sunt panes accipere. Vbi videtur, quòd prouiderint sibi aliquando Discipuli. Etiam in præsentia Domini, de cibo, ac potu. Quare loca ista Euangelij, ea non sicuti iacent, debent, ac possunt intelligi. Quod si omninò, ità intelligas, ac ità vis, peccauit etiam Paulus scribens Tito, penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens, affer tecum, & libros. Maximè autem, & membranas. Sed absit hoc impingere illi, quem vox Domini Vas Electionis appellat. Quod vt magis corroborem. Numquid non apparent, & illa contraria Lucæ 9. vbi dicitur: Qui non est aduersùm vos, pro vobis est, & eodem testante Euangelista. Qui non est mecum, contra me est, vos nolite vocari Rabi, Matth. 23. quòd est interpretatum Magister, Ioann. 1. & 2. tamen iam sunt infiniti, quos Magistros vocamus. Non poterat, inquit Marcus ibi, virtutem vllam facere, nisi paucos sanare infirmos. Quod te reddet ambiguum, si cogitatis, quomodo ipse sit omnipotens ille sermo, qui dum silentium tenerent omnia, de regalibus sedibus venerit. Et in Mattheo, superfluum esse dictum putabit aliquis, dum ad Discipulos loquitur Dominus, dicens. In quamcumq; Ciuitatem intraueritis, ibi manete, donec exeatis, & Lucæ 9. In quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & indè ne exeatis. Quomodo enim prædicare vniuerso Orbi potuissent, si numquam è domo ire licuisset? Et tyrannicum verbum esse putas, si non verè intelligis, quo dicit, ignem veni mittere in terram, Lucæ 12. & Matth. 10. Nolite etiam arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere in terram, sed gladium, veni enim separare hominem aduersùs patrem suum, & filiam aduersùs matrem suam, & nurum aduersùs socrum suam. Nonne hæc occidit litera? nonne videntur indignè relata ab auctore pacis, quem Esaias principem pacis vocat, cui Angeli pacem cecinere, de quo Paulus ad Ephes. Ipse est pax nostra, qui fecit vtramque vnum, qui & solus Deus pacis non dissensionis dicitur, qui & nouissimè dixit: [Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.] Deinde oportet semper orare, Lucæ 18. Et vbi hoc manebit, orantes, nolite multum loqui? Et quia in orationis materiam incidimus, dic mihi orationis modum, ac locum, an non diuersum, ac varium in Euangelio, & Paulo inuenias? orandi namque modum Euangelistę duo, Matth. scilicet, & Luc. scripserunt. Apud Mathæum habes. Panem nostrum supersubstantialem, da nobis hodie. Lucas verò habet: Panem nostrum quotidianum. Qui & breuis orationem Dominicam enumerat, in eo namque minimè fateri docetis: Qui es in Cœlis, nec oras: Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra, sed nec libera nos à malo. Amen.

Quæ dum simplex Christi-fidelis intra se cogitaret, ac ad Sanctorum scripta sese non verterit, nescio quid suspicari posset de Euangelio Lucæ quasi curtato, at nostrum est ità orare, sicut didicimus ab auis, & pro auis nostris, sicuti ab vbere materno suximus. Licèt etiam Dominus dixerit. In Matth. sic vos orabitis. Et in Luca: Cum oratis, dicite Tamen, in oratione pernoctans, orans deindè in monte Oliueti, in ara Crucis, etiam alia, vt orare possimus, admisisse videtur, damnatur ergo tuorum opinio, nihil, præter orationem Dominicam, orare volentium. Nam sic, quomodo faciemus patribus in deserto, qui tempore Chrysostom. eodem Chrysostomo in duabus homil. testante, sic ad mensam orarunt: Benedictus Deus, qui pascis me à iuuentute mea, qui das escam omni carni, imple gaudio, & lætitia corda nostra, vt omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, & Imperium, cum sancto Spiritu in secula. Amen.

Et iterùm gloria tibi Domine; gloria tibi Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis cibos in lætitia, imple nos Spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo beneplacentes, quando reddes vnicuique secundum opera sua, non est loci præsentis enumerare quantum hìc hymnus inter opera Chrysost. bis à me repertus, tàm sancto viro placuerit, satis hìc fuerit, etiam vlterà Dominicam orationem, orare licuisse veteribus. Sed forsan antiquiora expectas? Nonne Lucæ vlt. legitur. Erant semper laudantes in templo, & benedicentes Deum. Et Pauli ad Rom. 1. Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Hortatur quoque Rom. 12. dicens, orationi instantes, ac iterùm illos monet dicens. Adiuuetis me in orationibus vestris. Ad Philip. 1. Gratias ago Deo meo, in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis. Et ad Thimoth. 2. obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro

Regi-

Regibus, & omnibus, qui in sublimirate constituti sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Vnde oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro Petro. Et in actis Apostolorum de Paulo legitur. Cùm hæc dixisset, orauit cum omnibus, & in alio loco Lucas ait, positis genubus in littore orauimus. Et non est ferè aliqua epistola Pauli, in qua non recordetur orationum suarum. Sed putas nihil aliud orarit, quàm orationem à Domino præscriptam? Quòd si aliquid aliud orauit, restat, vt dicas hoc, de oratione præceptum non sic intelligendum esse, vt præter id, nihil orare liceat. Et iàm id meritò reuocabis, quo tui, te auctore, docuerunt, in participatione sacrosancti mysterij Corporis, & Sanguinis Domini, nihil aliud orandum, quàm Pater noster (vt ipsi cum vulgò dicunt) quòd si mihi primam Ecclesiæ faciem obiecerint. En illis respondeo, Act. cap. 6. In hæc verba scriptum est, orantes, imposuerunt eis manus. Sed putas nihil aliud, quàm orationem Dominicam petorarint? Act. 2. dicitur, erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, an non hìc verisimile sit Apostolos etiam aliquid aliud orasse, quod tamen scriptum non inuenias? Testatur ipsa Scriptura, quomodò Petrus, & Ioannes ascendebant ad templum ad horam orationis nonam, Petrus ponens genua orabat. Ac iterùm ascendit Petrus in superiora domus, vt oraret. Et Act. 14. Cùm orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino. Credis autem illos nihil aliud orasse, quàm quod præscripserit illis Dominus? Etiam si dixerit, orantes sic dicite. Act. 1. Sed adhùc fortè non credis? en in Actis Apostolicis, ità legitur, [hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum Mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius]. Ac iterùm orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere, loco ministerij huius, & Apostolatus, de quo preuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Vides hic etiam Apostolos alijs orasse verbis, sed fortè Hymnos, & Psalmos, Symbolum Athanasij, cantum Angelicum, ac alia per Damasum, Gregorium, ac alios instituta damnabis? Dic ergo, Paulus quid sibi vult ad Epheseos cap. 5. dicens. Impleamini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis, in Hymnis, & Canticis spiritualibus, an probibebis quatuor in Apocalypsi animalia. Et 24. seniores habentes coram agno cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, ne canant, & dicant, dignus es Domine aperire librum, & soluere signacula eius? aut probibebis Angelum, ne stet antè altare, & habeat Turribulum aureum, cui data sunt incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est antè thronum Dei, & ne ascendat fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo? Et multa sunt illius generis, quæ si non rectè intelligas, inter se contraria apparent. Ad quorum tamen rectam intelligentiam. Ioannes Archiepiscopus Thessalonicensis apud Græcos, Augustinus apud Latinos, nos pulchrè duxerunt. At quantum ex tuis libris sæpè videre licuit, nihil admittis, nisi quod expresse in Biblijs contineatur, & hic me tecum iterùm fabulari oportet, legimus de Domino, ibat per Ciuitates, & Castella docens: Lucæ 13. Factum est in vna dierum, docente populum, mansit ibi duos dies, & multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius, Circuibat totam Galileam docens in Synagogis eorum Matth. 3. Circuibat Iesus omnes Ciuitates, & Castella docès in Synagogis eorum, Matth. 9. Docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua, Marc. 4. facto Sabbato, cœpit in Synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes. Vnde huic hæc omnia? Marc. 6. Et antea Marci 1. Eamus in proximos vicos, & Ciuitates, vt ibi prædicem, ad hæc enim veni. Et inuenerunt eum in templo in medio doctorum audientem illos, & interrogantem eos: Lucæ 2. Et ipse erat prædicans in Synagogis Gallileæ: Lucæ 4. Descendit in Capharnaum Ciuitatem Gallileæ. Ibique docebat illos in Sabbatis, & stupebant in doctrina eius: Lucæ 4. Sedens docebat de Nauicula turbas: Lucæ 5. factum est in alio Sabbato, vt intraret in Synagogam, & doceret: Lucæ 5. Et multa sunt alia in Euangelio, quæ licèt dicant Dominum fuisse in Chana Gallileæ iuxtà mare Tyberiadis, in Capharnaum, Nazareth, Bethania, Ephrem, Hierosolyma, via in Emaus, & alibi. Tamen non per omnia exprimunt, quæ illic dixerit, docuerit, & fecerit Iesus, an non aliqua seorsum putas, docuit Christus? Sicut descendentibus turbis, exposuit illis parabolam, vt intelligerent scripturas.

Ea propter, & Ioannes multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Nolim tamen hìc, vel alibi approbare Apocrypha, de quibus Gelasius Papa. Nec eas fabulas, aniles, somnia, aut Nenias, quibus quorumdã libri, quos quadragesimali vocant, toti repleti sunt, ex quibus si nugas tollas, & charta tibi remanebit vacua. Illi veritatis viam relinquunt, & meris oblectantur figmentis. Sicuti de triduana valedictione Mariæ, de amisso dente in torrente Cedron, de euulsis capillis, & à Ioanne virgini porrectis, & mille alijs, vnde & factum est, quòd pulchra allegoria nuper quidam ex illis Diuam Virginem porco compararit. Interim tamen, & si in hac re totum tibi me dedam, ea, quę ad nos per tot seculorum successiones venerunt, abroganda non sunt, quæ, cum intellexerimus Christianæ Religioni non esse contraria, credere possumus, atque debemus, à Domino forsan, aut saltim ab Apostolis tradita. Nosti Paulum ab Hierusalem per circuitum vsque ad illiricum repleuisse Euangelium Christi. Hunc aliquamdiu fuisse in Damaso, mansisse apud Petrum diebus quindecim in Hierusalem, nec ignoras etiam qualia facta sunt illi Antiochiæ. Iconi, & Listris. Et probè scis hunc Titum reliquisse Cretæ, quomodo profectus sit Tharsum Barnabas, vt quæreret Saulum, quem cum inuenisset produxit Antiochiam. Et annum totum conuersati in Ecclesia docuerunt turbam multa. Quòd abierunt Seleuciam, & Salaminam,

tniuam, venerunt vsque ad Paphom. Deinde vnerunt Pergen Pamphiliæ, ac Antiochiam Pfidiæ, volentibus illis hunc, in Iconium,lapidare,cõfugerunt: Licaoniam venerunt, Lyftriam, & Derben. Et dies me deficeret, fi enumerarem de ijs, quę contigere Paulo in Athalia, Phrigia, & Galathiæ regionibus, quomodo veniffent io Myfiam, Samntratiam, Neapolim, Philippis, Amphipolim, Apoloniam, Theffalonicem, Beroam, Coriothum,Athenas, Ephefum,Macedoniam, Græciam, Affon, Mytelen, Chium, Samum, Myletum, Rhodum, Patharum, Tyrum, Ptolomaidam, Cęfaream, Lydiam, Lyftrum, Gnydium, Cretam iuxta Salaminam, Thalaffan, Syracufam, Puteolos, & demum Romam.

Putas autem in his locis omnibus nihil egerit, nihil docuerit, nihil faciendum tradiderit, quàm quod Lucas in fuo itineratio expreffit? Nonne fuit cum difcipulis, qui erant Damafci per dies aliquot. Loquebatur gentibus, & difputabat cum græcis, & per ttes menfes difputabat in Synagoga? Numquid non vna Sabbati, cum conueniffent ad frangendum panem, protraxit Paulus fermonem vfque ad mediam noctem? Et per triennium teftatur fe nocte, ac die docuiffe in Ephefo, inuentis difcipulis manferunt io Thyro diebus feptem. Syracufæ manfit triduo, poftea peruenit Rhegium,in hofpitio Romano prędicabat iudæis à mane vfque ad vefperam.

Ibique manfit toto biennio in fuo conductu, docens, quæ funt de Domino noftro Iefu Chrifto cum omni fiducia fine prohibitione. Credis autem hęc omnia quomodo dicta fuerint, ex ordine effe præfcripta? Quis me prohibet credere Petrum, ac Paulum, quorum vterque fe fenem effe fatetur, Romæ plurima tradidiffe, & inftituiffe, quæ iam quafi per manuum traditionem feruamus. Fecit proculdubio id Ioannes Euangelifta, qui & fe feniorem,ficut & eum Polycrates vocauit, & fi de aliquo Apoftolo credendum fuerit, quòd aliqua tradiderit, quæ tamen fcripta non funt, de Paulo io primis credendum erit. Hoc eft, quod ad Corinthios de communione panis, & Calicis fcribens, ait, cętera, cum venero, difponam.

Quid, quod Ephefijs fcribens, vt fciatis inquit, quæ circa me funt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus chariffimus frater, & fidelis minifter in Domino, quem mifi ad vos in hoc ipfum, vt cognofcatis, quæ circa nos funt: ad Coloffen. non fcribit omnia, fed & nuncit per alios, dicens, Tichicus, & Onefymus enumerare debent omnia, ad Thimoth.ità fcribit. Quæ audifti à me per multos teftes, hęc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere, & multa funt illis fimilia, quæ in alio loco pariter tibi citaui. Ex quibus habemus etiam à Paulo quędam effe tradita, quæ tamen fcripta non funt.

Et tu, qui nihil aliud recipis, nifi quod in Euangelio, vel Paulo ordinatum legis. Nec aliquod quafi per manuum traditionem eredis, dic mihi. Quomodo velles tu collectas reponere, ficut ordinauit Paulus in Ecclefijs Galathiæ? Quomodo gaudet, & ideo Paulus in præfentia Stephani, & Fortunati. Et Achaici, quoniam quod Corinthijs deerat, ipfi fuppleuerunt, vbi eft epiftola, quam Corinthij Paulo fcripferunt?

Sed & vbi illa erit epiftola, de qua idem ad Corinthios fcribit, dicens. Scripfi vobis in epiftola, ne commifceami fornicarijs.

Sed putas hic mentitur Paulus, qui antè hoc caput quintum epiftolæ prioris ad Corinthios, non inuenitur? Corinthijs illam fcripfiffe epiftolam, nec illam priorem talem dicere potes. Nam anteà dixit, fcripfi vobis in epiftola, ne commifceamini fornicarijs,& fequitur, nunc autem fcripfi vobis non commifceri.

Et quia non omnia per epiftolam tradidit, vnde iterum ait. Mifi ad vos Thimotheum, qui eft filius meus chariffimus, & fidelis in Domino, qui vos commoues faciat vias meas, quæ funt in Chrifto Iefu. Sicut vbique omni Ecclefia doceo. Et quod de Paulo dicimus, hoc, & de alijs Apoftolis in alijs regionibus dicere poffumus. An non eapropter fecunda Ioanis Canonica,capite vnico legitur, plura habens.

Vobis fcribere nolui, per chartam, & attramentum, fpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium veftrum plenum fit. Et iterum in tertia epiftola, multa habui tibi fcribere, fed nolui per atramentum, & calamum fcribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquamur.

Et vt illud apertiùs oftendam. Ep.2. ad Timoth. 4. fcribit Paulus. Demas me dereliquit, diligens hoc feculum, & abijt Theffalonicam, Crefcens in Galathiam, Tytus in Dalmatiam. Lucas eft meeum folus. Tychicum autem mifi Ephefum. Penulam, quam reliqui Troade, apud Carpum, &c. Dic mihi an otiati fuerint in hifce locis? Crefcens, Tytus, ac Tychius non docentes fidem Chrifti, ac quæ fuerint inftituenda, an fruftra Tyto fcribit, reliqui te Cretæ, vt ea,quæ defunt,corrigas,& increpa illos durè, vt fiot fani in fide, non intendentes iudaicis fabulis, & mandatis hominum auertentium fe à veritate. Sed & non es memor eius, quod legitur de Petro, quòd Iudęos, & habitantes in Hierufalem alijs verbis plurimis teftificatus eft, & exortabatur eos, & multa prodigia, & figna per Apoftolos in Hierufalem facta fuiffe, teftantur eorum acta. Et iterum per manus Apoftolorum fiebant figna, & prodigia multa in plebe. Et iterum de illis,omni die non ceffabant in templo.

Et circa domos, docentes, & Euangelizantes Iefum Chriftum verbum Dei. De Philippo verò dicitur. Philippus pertranfiens, euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæfaream.

Et illi, qui difperfi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat fub Stephano, pars ambulauerunt vfque Phęnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nifi folis Iudęis.

Et putas Iacobus nihil fecerit, nifi quod fcriptum habes, veniēte Paulo in Hierufalem, & narrante illo per fingula, quæ Deus fecifset io gentibus, per minifterium illius, aut credis fruftra dixerint Iacobus, & feniores?

Vides

Vides frater, quot milia sunt in Iudęis, qui crediderunt, & omnes emulatores sunt legis.

Sed& de Iacobo non credes alia dicta, aut facta, quàm quæ scripserit duodecim tribubus in dispersione.

Et Petro scribente ad eos, qui sunt Ponti, Galatiæ, Capadociæ. Asiæ, & Bythiniæ, putas nihil hic egerit, quàm quæ in Biblia habemus?

Sed & de Ioanne, qui scripsit ad septem Ecclesias, quæ sunt in Asia. Numquid credis nihil fecerit, nihil ordinarit in Epheso, Smyrna, Pergamo, Thyatira, Sardis, Philadelphia, & Laudicia, quàm quæ similiter in Biblia reperiuntur? an iudicio tuo mentiuntur Ignatij epistolæ; Irenæus, Ægesippus, Policrates, cuius meminit Hieronym. in cathalogo scriptorum. Euagrius, Epyphanensis, Philostorgius, Ioannes Tonarus Monachus, Chrysostododus, & Theodoritus Episcopus, Cyri, Sophonius Archiepiscopus Hierosolymorum, Palladius Episcopus Elenopolis, Eusebius, Cosmas Monachus, Socrates, Sozumenus, Theodorus, Facundus, Germanus Archiepiscopus Constantinop. qui omnes res in Ecclesia gestas multis etiam voluminibus expresserunt? An non tibi dignum esse videretur nos minimè credere debere de martyribus, qui tempore Diocletiani in Palestina pro Christi nomine passi fuerunt.

Sed nec dum Hippolyti Thebaui Papæ Ecclesiasticam historiam, aut Zonaræ historiam de Imperio Diocletiani, & Maximiani, ac Magni Constantini, ac alios græcos fide dignos Auctores, vt scio, vidisti, hos olim, vbi è blattis liberari dabitur, fugies quasi à facie venti.

Et tu, quia tam solertet Iudicas omnia, vbi habes institutionem diei dominicæ, cuius meminit Ioann. dum esset in Insula Pathmo? Attamen numquid non Sabbatum Christiani obseruant, vt cum Augustino quæram lib. 19. contra Faustum cap. 18. de quadragesima, ac ieiunio, puras mentiuntur Theophilus, ac Clemens Petri discipulus, etiam Hieronym. & alij.

Sed vt ad Augustin. iterum reuertar, habet is lib. 13. contra Faustum, auctoritas tot gentium consensione, per successiones Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumque roborata aduersa est. Demùm ad casum necessitatis redeo, perinde hic facis, veluti circa fidem, ac bona opera fecisti. Siquidem solam fidem sine operibus ad salutem sufficere dicis.

Sed reuera, iuata verbum prophetæ, pallium breue est nimis, verumque cooperire non potest, in casu namque necessitatis, licet sufficiat ipsa fides.

Sed scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. At fortè non credis circa hanc blandulam opinionem te, ac tuos eam latè errare? Quare in laudem Dei, ac ad salutem viuentium, & hoc monstrum nouæ, & irreligiosæ doctrinæ iugulabo, responde si potes, an secundum te frustra legitur 1. Ioannis, præcursorem Domini pœnitentiam agendam prędicasse, quam etiam Saluator perficiendam pręcepit, Hanc licèt ex Gręco vocabulo Methaniam, hoc est solam transmentationem esse dicas, quasi pœnitentia in solius animi ad Deum conuersione consistat. Tamen & hic velut in plerisque toto Cœlo te errasse scias, siquidem sanctus Maximus, deindè magnus pater Ioannitius Græci auctores, quando methaniæ materiam tractant hanc non solùm in animo consistere dicunt.

Sed & ad transmentationem illam oris confessionem, ac opera ad salutem, quando tempus datur, exigunt. Immò magnus ille Ioannicius quando de Methania agit, ex Canonibus Apostolicis, sancto Maximo, Isidoro Græco, Dionysio Ariopagita, ac alijs sactis Doctoribus diuersa peccata enumerans, Methaniam, (quam nos satisfactionem dicimus) per gradus temporum metitur, & hoc esse docet, quod in Euangelio legitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, non enim satis est esse arborem, sed vt fructum afferat, exigitur, sed & fortè, quæ dico non credis? dic cur toties in Euangelio repetitum legimus, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & mittetur in ignem, nonne hec verba Ioann. erant, quibus addidit Dominus dicens, ex fructibus eorum cognoscetis eos? Non omnis, qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in Regnum Cœlorum.

Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum, & hoc est, quod per parabolam de semine tradidit Dominus, dicens, semen quod cecidit super terram bonam, dabat fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Ac iterum, qui in terram bonam seminauit, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affer. Et iterum, aliud semen cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem, & crescentem.

Sed adhuc fortè non credis? dic ergo, an non in hoc clarificetur Pater, qui in Cœlis est, quando fructum plurimum attulerint discipuli? aut mentitum est, quo veritas ait, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui affert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.

Sed quid perfici maledictionem intelligis, quando in Euangelio legitur, videns fici arborem vnam, secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi, numquam ex te fructus nascatur in sempiternum? & arefacta est continuò Ficulnea.

Sed fortè Paulum expectas? dic ergo quid hoc sibi velit, qui parce seminat, parce & metet?

Et iterum, quæ seminauerit homo hæc, & metet, quoniam, qui seminat in carne sua, de carne, & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes, proin hortatur Ephes. dicens, vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis, est In omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes, quid sit beneplacitum Deo, & in alio loco ad Colossenses ait, vt ambuletis; Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.

Quod si iterum calumniari cęperis, sat fructus esse illius arboris, si Christo crediderit citans, illud Matthæi 17. si habueritis fi-

dem, sicut granum sinapis, &c. Dic ergo, cur in Euangelio legitur. Quid hic statis tota die ociosi? ite in vineam, voca operarios, & redde illis mercedem.

Quare lamentatur Dominus, dicens, messis multa, operarij pauci, rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam? Cur exclamat in seruum inutilem dicens, Serue male, & piger, oportuit te committere numularijs, &c. Cur hunc proijci iubet in tenebras exteriores? Cur laudat illum seruum quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Cur hunc beatum esse dicit, quem quando venerit Dominus, inuenerit sic facientem? An frustra malos malè perdet, & locabit vineam suam alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis?

Vide nunc, quam egregiè illusus sis, qui docueris nos otiosos, & quasi stertentes, in Regnum Dei posse venire, quòd si Euangelium videre nolueras, potuisses saltim in Paulo videre. Nonne Paulus, ait reddet vnicuique secundum opera sua, his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Cur Rom. 1. obsecrat per misericordiam Dei, vt exibeant corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium? Cur nos monet, vt in omnibus exibeamus nos sicut Dei ministros in castitate, in scientia, in longanimitate, &c. Si satis erat habere fidem, cur scribit ad Galathas, quod dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

Cur testatur Ephesijs, non esse factura Dei, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparabit Deus, vt in illis ambulemus? Cur monet Thimotheum, vt laboret sicut bonus miles Christi Iesu, & Titum rogat, vt se exemplum præbeat bonorum operum, nonne qui facit bonum, habebit laudem? Et quòd magis est. Nonne vnusquisque propriam mercedem accipiet secundòm suum laborem? 1. ad Corinth. 3. Aut ostenditur Paulus, dicens: Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, & si cuius opus manserit, quod superædificabit, mercedem accipiet, hoc est, quod ad Romam optat, gloriam, & honorem, & pacem omni operanti bonum, hoc est, quòd non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Indè fit, vt non in sermone sit Regnum Dei; sed in virtute; & hinc Paulus ait: Vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.

Hic Petrus ait: Fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, at fortè iterùm ex me Christi verbum expectas? dic mihi, si satis erat, vbique, ac in omni tempore solam habere fidem, cur hæ sententiæ depromuntur à Christo? Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est; & iterùm sint lucernę ardentes in manibus vestris. Cur qui audit verba, & facit ea, assimilatur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram? Nonne qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum?

Sed & negare non potes, qui fecerit voluntatem Patris, qui in Cælis est, hic Christi fratet, soror, & mater est. Vndè in Luca legitur, mater mea: & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Proindè, beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparabit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis?

Sed miraberis, quæ sit voluntas Domini? 1. Ioan. 2. dicitur: Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, ambulauit autem crucem ferens. Vndè qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et iterùm: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: & non satis est semèl id fecisse, immò quotidiè fieri debet.

Vndè Luc. 9. dicitur: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me. Hoc est, quod Petrus ait: Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Et ad Galath. 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs, Et iterùm: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Vides iterùm: Fidem, sine operibus, esse mortuam, iuxtà Canonicam sancti Iacobi. Sed quia post mille annos de Canonica illa nos dubitare fecisti, dic ergo, cur Petrus dicat, ex bonis operibus considerantes vos. Aut quale hoc Euthimema est, vos curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem. In virtute autem, scientiam. In scientia autem, abstinentiam. In abstinentia autem patientiam. In patientia autem, pietatem. In pietate autem, amorem fraternitatis. In amore autem fraternitatis, charitatem. Ioncines hic pulchram, & planè auream virtutum cathenam, qua à fide vsque ad charitatem peruenitur, hoc est, quod Ioannes ait: Omnis, qui credit, quoniam Iesus Christus ex Deo natus est, in hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus.

Et licèt in Euang. reperias dixisse Dominum ad mulierem, quæ erat in Ciuitate peccatrix: Fides tua te saluam fecit, vade in pace; tamen hanc, priùs commendauerat ex operibus Simoni dicens: vides hanc mulierem, intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit, osculum mihi non dedisti, hæc autem, quo ex intrauit? non cessauit osculari pedes meos; oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos, propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Habes apertè mulieri apud Dominum præstitisse, quòd lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Sed dic mihi, quid hæc sibi parabola velit, de decem Virginibus prudentibus, & fatuis? Nonne fatuæ sunt ex ore Domini, quæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum

oleum fecum, prudentes verò acceperunt oleum in vafis fuis cum lampadibus, aut mentitur tibi Hilarius,dicens,prudentes Virgines hæ funt, quæ opportunum in corporibus operandi tempus amplexæ, in primum fe occurfum aduentus Dominici præparauerint. Fatuæ autem, quæ diffolutæ, ac negligentes, præfentium tantùm follicitudinem habuerint, & immemores promiffionum Dei, in nullam fe fpem refurrectionis extenderint. Et quia prodire obuiam fatuæ,extinctis lampadibus, non poffunt, deprecantur eas, quæ prudentes erant, vt oleum mutuent, quibus refponderunt, non poffe dare, quia non fit fortè, quod omnibus fatis fit. Alienis fcilicèt operibus, ac meritis neminem adiuuandum, quia vnicuique lampadi fuæ emere oleum fit neceffe.

Et fi fides fola fufficeret, cur iubemur eleemofynam dare? Cur benefacere hijs, qui oderunt nos? Cur tollere iugum Domini fuper nos? Cur certum genus Dæmoniorum non cijcitur, nifi per orationem,& ieiunium? Cur iubemur reddere Deo, quæ Dei funt; & Cæfari, quæ Cæfaris funt?

Nonne legimus in Matthæo: Væ vobis Scribæ, & Pharifæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiftis, quæ grauiora funt legis, iudicium, & mifericordiam, & fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere, an non hij commendantur, qui fe caftrauerunt propter Regnum Dei? an fatis fuiffe putares Apoftolos reliquiffe omnia, fi non fuiffent fequti Dominum? aut fruftra dicitur: Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vefter maneat. Vos ergo videte Regiones, quia albæ funt iàm ad meffem, & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Vt & qui feminat, fimul gaudeat, & qui metit, qui parce feminat, parce, & metet, qui feminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet. Apparet nunc iterùm, non femper, & vbique fufficere fidem, quòd hic ergo doces, pallium nimis breue eft, & vtrumque cooperire non poteft.

Quapropter etiam, licèt Paulus fidei fuerit Buccinator egregius, itaut fcripferit ad Roman. 1. Quomodò iuftus ex fide viuat, & omne, quod non eft ex fide, peccatum eft, & omnes filij Dei eftis per fidem, quæ eft in Chrifto Iefu, ac iterùm in omnibus fumentes fcutum fidei,tamen & charitatis non eft oblitus. Vndè ad Coloffen, 3. ait: Super omnia charitatem habete, quòd eft vinculum perfectionis. Et non abs re fatetur, quomodò in Chrifto Iefu neque circumcifio aliquid valet, neque præputium; fed fides, quę per charitatem operatur. Et iterùm (ad Ephef.3.) flecto genua mea ad Patrem Domini noftri Iefu Chrifti, vt det vobis fecundùm diuitias gloriæ fuæ virtutem, corroborari per fpiritum eius in interiori homine Chriftum habitare per fidem, cordibus veftris in charitate radicati, & fundati. Vides nunc, quàm pulchrè fides, & charitas, veluti forores aliquæ fefe ofculentur,fed charitas nonnè patiens eft,benigna, &c.

Quæ non folùm iubet à malo declinare, fed & facere bonum. Et tu, mi Luthere, quomodò adeò oblitus es veritatis Scripturæ, vt carnis curam in defiderijs facias, contra verbum Apoftoli ad Roman. 13. Nonne fcriptum eft efca ventri, & venter efcis? Deus autem hunc, & hanc deftruet. An fine ratione Paulus 1. ad Corinth.4. ait, multi ambulant, quos fæpè dicebam vobis, nunc autem flens dico: Inimicos crucis Chrifti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eft? Nonne præcepit Apoftolus ad Philippen. 3. habentes promiffiones chariffimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & fpiritus, perficientes fanctificationem in timore Dei. Cur ergo 2. Corinth. 7. tam laxas habenas in omnem efum & carnium, ac reliquorum ciborum, tu, ac tui permittitis? Nefcitis quoniam corpora veftra membra funt Chrifti? tollens ergo membra Chrifti, faciam membra meretricis, abfit. 1. Corinth. 6. Empti eftis precio magno,glorificate,& portate Deum in corpore veftro. Quòd fi forfan dixeritis, carnis abftinentiam in Euangelio non effe fundatam, videte nedùm mellitula, & placentia dixeritis hæc licentia, vt, cum Apoftolo loquar, offendiculum fiat infirmis, vel, vt ad te fermonem vertam, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriftus mortuus eft.

Sed cùm Paulo dicas, fi efca fcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Fateor ergo me peccatorem effe, ac incautè lapfum. Tamen in hoc gloriabor, me nolle roc centenis millibus fcandalorum à bonis operibus retrahere quemquàm, quod heu,nō fine grauiffi,totius Inferni triumpho, inter Chrifti-fideles quotidiè facis. Scio nobis intrandum effe per anguftam portam,quę ducit ad vitam, & vfque nunc Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, & tu cùm tuis non confideratis militiam effe vitam hominis fuper terram, an obliti eftis, quòd nemo coronabitur, nifi qui legitimè certauerit? quòd & in nouiffimo die Iudex ille cæleftis his, qui erunt ad dexteram, manifeftè teftabitur, dicens: Venite benedicti Patris mei, poffidere paratum vobis Regnum à conftitutione Mundi, efuriui enim, & dediftis mihi manducare, fitiui, & dediftis mihi bibere. Hofpes eram, & collegiftis me; nudus, & operuiftis me; infirmus, & vifitaftis me; in carcere eam, & veniftis ad me.

Vides iterùm ex Euangelio, dùm poffumus, dùm locum, ac tempus habemus, bona opera non effe negligenda, & quòd hæc tua opinio non folùm contra Euangelium, ac reliquos Apoftolos. Sed & apertiffimè contra Paulum pugnare videtur. Quare mi Luthere. Vide ne lumen, quod in te eft, tenebræ fint, noli altum fapere; fed time, noli plùs fapere, quàm oportet, nec in pofterum glorieris,in te folùm Pauli,ad Roman. 11. redijffe fpiritum, fed diligentiffimè caue, ne tu fis inter eos, de quibus Petrus Apoftolus, 2. Petri 3. in hæc verba fcripfit, chariffimus frater nofter Paulus, fecundùm datam fibi fapientiam fcripfit vobis. Sicut in omnibus epiftolis loquens in eis, de his, in quibus funt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inftabiles depranant, ficut & cæteras Scripturas ad fuam ipforum perditionem, caue, caue, ne te in hanc perditionem conijcias, maiorum imitare veftigia, quod & ego, quantum ad me pertinet, lubens faciam, & adeò vt hac ipfa hora, fi tranf-


transuerso digito in hoc opere, vel ignorantia rei, vel incuria aliqua aberratim à veritate, nolim id esse dictum, nec tibi, aut cuipiam mirum faciat, si quæ errata, si lapsus aliquot deprehenderis, nàm dùm hoc opus edere meditarer, ac nouo pugnandi genere tecum certamen inire præponerem, absens eram à mutis meis Magistris, versabar inter ignotos, nec Theseum habebam, tantæ rei accommodum, præcipuum & hunc solum habere merui reuerendissimum simùl, ac pientissimum Dominum Matthæum tit. sanctæ Potentianæ Cardinalem Sedunen. cùm quo quantum suæ reuerendiss. Paternitati præ occupationibus Ecclesiæ licuit, locos aliquot solidiores Theologiæ conferre potui, in his quidem potissimæ, qua secretiora vtriusque Testamenti tangebat, me non parum adiutum esse, ingenuè fateor. Condonabis ergo si nouus Tyro sacrarum literarum non ea, ac tanta maiestate dicendi, qua fortè necessarium erat, in publicam arcam prodierit, quòd si quæ forsan immodestiùs dixerim, & hoc meritò ignosces. Vbi ad animum reuocaueris, te anno superiori ad quemdam scripsisse amicum, insanire Fabrum. Si quid contra te edere, cogitarit, aut saltim vt ex humili spiritu omnia dicis mussitare. At cùm Paulo dico, non insanio optimè Feste, sed sobrietatis, & veritatis verba loquor. Sin verò, ac habeat tibi insanus, ac perpetuo vinculis Hipocratis, quod Deus auertat, alligandus, interim tamen tu dogmatum tuorum, quę à Christiana religione aliena sunt, Palinodiam Stesichori more cantato. Et cogites, quàm speciosi sint pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, quicquid docueris, non ex rancore, aut odio; sed ex charitate prodeat; & sic patiens eris, benignus eris, non ages perperam. Nàm charitas patiens est, benigna est, charitas non ęmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, nec cogitat malum, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Nec minorem curam Diuinæ Sapientiæ habeas, vt ea, quæ sapias, non sint carnalia, non ad bella, & lites. Sed sit tibi sapientia desursum, descendens à Patre luminum, & benignus eris, modestus eris. Nàm quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione, humilibus consenti.

De cætero quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, hæc cogitato, noli proximum quasi inimicum existimare; sed corripe vt fratrem, exerce teipsum ad pietatem. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem. Rectè tractantem verbum veritatis, omnem mansuetudinem ostendens ad omnes homines. Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse.

Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, hoc donet Omnipotens, qui erat, & qui est, qui venturus est, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor, & gloria, in secula seculorum. Amen.



IOAN-



IOANNIS MATTHÆI
CARIOPHILLI
ARCHIEPISCOPI ICONIENSIS.
CONFVTATIO
NILI THESSALONICENSIS
DE PRIMATV PAPAE.

Ioannes Matthæus Cariophilus Cretensis eruditus fuit Lingua Græca, & Latina, & Rethorica, & sacris dogmatibus, & historia Ecclesiastica, ob quas dotes electus est Archiepiscopus Iconiensis, & carus vixit Vrbano VIII. cui & Opus suum de Primatu Papæ inscripsit. Scripsit quamplura eruditè; Primò. Refutationem Pseudo-Christianæ Cathechesis à Zacharia Gergano editæ; Censuram Confessionis, seu potiùs perfidiæ Caluinianæ, quæ nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopoli circumfertur. Idem ex Græco in Latinum vertit Concilium Tridentinum, Georgij Scholarij Orationes tres de pace ad Græcos; Iosephi Episcopi Methonensis responsionem ad libellum Marci Ephesini, Gregorij Protosyncelli Apologiam aduersùs eiusdem Marci epistolam; S. Nili iunioris vitam; Catenam Græcam Procopij in Cantica Canticorum, & alia multa, quæ quidem omnia excusa fuerunt Romæ Anno 1626. & 1631. Græcè, & Latinè, & annis sequentibus. Hæc habet in sua Bibliotheca Aubertus Miræus. Quod attinet ad tractationem, quæ spectat ad institutum nostrum, duo fuerunt celebres Nili, vnus fama sanctitatis, alter infamia hæresis. Beatus Nilus Monachus Diui Basilij, ceu fulgentissimum sydus in Ecclesia Dei enituit, quem Romanus Pontifex, & Imperator viuentem ad pedes abiecti coluerunt, qui tot viuendi formas percurrit, quot à sanctis Patribus obseruatas fuisse legitur; Ciuis Vrbis Rossanensis, quam semel ab Agarenis omnia vastantibus mirabiliter defendit, & semel à terræmotibus, & innumeris imbribus illæsam reddidit. Migrauit ad Dominum in Monasterio Criptæ Ferratæ Tusculani Agri annum agens quintum supra nonagesimum, salutis verò Anno 1000. cuius Festum agitur 6. Kalendas Octobris. Sub hoc duce multi alij Rossanenses Ciues Deo militauerunt, & sanctitate conspicui euaserunt, inter quos fuerunt Beati Viri Georgius, Stephanus, ac Bartholomæus, qui sancti Nili vitam scripsit, & in Monasterio Criptæ Ferratæ Abbas suffectus ibidem quiescit. Ex eadem etiam Rossanensi Vrbe fuit Beata Theodora virgo Dei grata, sanctis virtutibus plena, ac prudens, quæ B. Nilum, vt filium educauit. Huius Beati Nili vitam scripsit, vt diximus Cariophillus; & fatetur in epistola ad Lectorem ijs verbis: Post Magni Patris Nili plenam sanctimoniæ historiam accipe Lector Nili Thessalonicensis nuper elaboratam confutationem, vt simul videre possis, non par hominum pulchra similitudine comparandorum, sed omni dissimilitudine inter se dissidentium. Scribebat autem

tem

tem Nilus iste, si ex ipsiusmet Scriptis ducenda coniectura est sub Andronico iuniore, & Ioanne eius filio Palæologis, vt planè trecentesimum non attingat annum. Quo tempore apud Græcos vulgatissima illa de Spiritu sancto, & ad oppugnandum Papæ Primatum disputatio, nimirùm nouitates illæ, quas imbiberant ex ipsis Photij temporibus, ansas dabant feruentioribus. Cùm enim germana Patrum Theologia iam defecisset sola humaniorum literarum studia vigebant, vt fanè in illis Græci sermonis elegantiam, & dictionis curiosæ flosculos videas; profundæ verò mentis apicem desideres in dogmatibus explicandis, & mendacio à veritate discernendo. Nam æquiuocis plurimùm gaudent, tortuosisque ambagibus, & contra Latinos spuria proferunt pro legitimis, & ascriptitia pro indubitatis. Ea enim erat intentio, vt ex vno quinque formarent capita, & præsidentiam Papæ facerent amplioris honoris nudam vmbram. Idque quando aiunt Orthodoxus Papa est, nunc autem eo peruersa defendente dogmata ordo etiam cessat, cùm scilicet fecit Symbolo additamentum, Spiritum sanctum ex Filio vult procedere, Synodos Oecumenicas prohibet, vel ijs permissis vim infert. Ne autem temerè Schismatici esse videantur varia comminiscuntur, præcipuè Nilus Thessalonicensis Præsul primum librum scripsit de causis Dissidij Ecclesiarum plenum sophismatibus, & fraudibus, alterum de Primatu Papæ,& quædam opuscula contra Latinos sub eorum nomine propter odium, quasi lupus sub ouina pelle latitans ouile immaculatum Christi turbaturus, consarcinauit etiam ea omnia, quæ similis farinæ homines solent coaceruare, & alter ab altero accipit. Hunc Nilum, eiusque libros alios doctissimi homines, & iste Ioannes Matthæus Cariophyllus examinarunt, & confutarunt. In hoc autem de Primatu Papæ nihil aliud facit Cariophyllus, quàm ea tantùm proferre, ex quibus argumenta sua desumit Nilus, & per quæ ille vim veritati infert, per ea dissoluere machinas, & compendiariæ oppugnationi compendiariam opponere defensionem, & cùm ille iactet se, quod non humanas ratiocinationes, sed synodicas sequatur sententias, eas demonstrat hic Auctor, esse ab ipso alteratas, & malè intellectas, & fictitias Synodorum voces. Edidit autem in lucem hoc Opus Parisijs apud Adrianum Taupinart via Iacobæa sub signo sphæræ 1626. Sicut autem clarissimus est in infamia sua Nilus, & de eo confutando cogitarunt præcipui Primatus Pontificis Defensores, inter quos Bellarminus pluribus in locis meminit huius Nili, eiusque argumenta conuellit, ità celeberrimus est hic Archiepiscopus Iconiensis, cuius Scriptis Bibliothecam nostram ornamus.

CAPVT PRIMVM.

Papa, inquit Nilus, accepit Primatum à Patribus ex Canone 28. quarti Concilij, sed Canon ille demonstratur à Caryophillo spurius.

NILVS.



ASSERVNT Latini, Papam cùm sit Petri Successor, ab illo ipso quoque, omnem eius potestatem accepisse. Ego verò dico, Papam non accepisse primatum à Petro. Cùm enim duo considerentur in Papa, quod scilicet Episcopus Romæ sit, & cæterorum Episcoporum primus, illud quidem à Petro habet; alterum verò multis post annis à beatis Patribus, & pijs Imperatoribus. Quod autem hæc vera sint, legatur vigesimus octauus quarti generalis Concilij Canon.

Sanctorum Patrum Constitutiones vbique sequentes, &c. ex quo patet Papam non ab Apostolis, sed à Patribus habere primatum, eo quòd Roma sit Regina Vrbium.

CONFVTATIO.

Si proferre Canones spurios, & suppositios,& omninò improbatos, satis tibi videtur egregiè vir ad ferendam sententiam in re tam graui, & spectante ad salutem animæ; testimonium quod attulisti euanuit, dictumque tuum instar telæ aranearum dissipatum est. Debebas tu quoque legere, quibus machinis, qua arte, & à quibus canon à te prolatus confusus est: primò quidem contradicentibus Papæ Legatis, deinde Orientalibus Episcopis non consentientibus vniuersis, & Papa ipso vehementer illum improbante. Sexcenti, & triginta Patres erant Synodi. Qui verò sponte subscripsisse videntur non multi supra ducentos numerantur. Quomodo ergo quartæ Synodi sit iste Canon? Ego verò per testes à te prolatos probabo apertissimè; commune, & vnanimem confessionem sexcentorum triginta Patrum, ac proinde totius Orientalis Ecclesiæ sensum, & dogma fuisse; solum Papam tamquam Petri successorem habere potestatem œcumenicam non à Pa-

Patribus, non ab Imperatoribus, sed ab ipso Christo.

Par. 3. c. 2. Scribens ad Leonem Papam sancta Synodus quarta de ijs, quæ circa dogma fidei legitimè gesta erant, subiungit de Dioscoro.

Et eos quidem, qui Pastorum propria sapiebant, præcidit; eos verò, qui se lupos ostenderant, ouibus præfecit, & ad hæc omnia etiam in ipsum, cui vineæ custodia demandata est à Saluatore, furorem extendit; videlicet contra tuam sanctitatem, & excommunicationem tulit in eum, qui studuit vnire Corpus Ecclesiæ.

Tu Papam dicis non à Petro, sed à sanctis Patribus, & pijs Imperatoribus habuisse primatum, sancta verò Synodus demandatam; ait Papæ vineæ custodiam à Saluatore.

Tu Papam dicis esse Episcopum Romæ à Petro, sed primum Episcoporum à Patribus. & Imperatoribus: sancta verò Synodus scribere se ait Leoni beatissimo Romæ Archiepiscopo, eumdemque nouit Romæ Episcopum, & per Petrum vineæ custodem à Saluatore.

Tu iuxtà Pseudocanonis sensum asseris Papæ primatum ex eo esse, quod Roma sit Regina Vrbium. At sancta Synodus in epistola vocat Papam verticem, & caput membrorum, ducem propter custodiam vineæ.

Itaque cùm Canon irritus sit, vtpotè falsitatis, & nouitatis plenus, nec etiam adnitentibus vtcumque Synodi Patribus à Papa approbatus; immò verò reiectus, atque damnatus; Epistola verò puram, & sinceram vniuersi sacri Concilij detegat mentem: cur tu posthabitis manifestis, & claris, è spuria doctrina infers quælibet?

Nam si sancta Synodus ità sentiebat, nimirùm Papæ primatum esse à Patribus; cur ipsa, quæ Patribus constabat, & œcumenica erat: qua certè conditione carebant illi, qui per te detulerunt Papæ primatum, cùm Papa etiam ante Nicænam primam Synodum habuerit semper primatum, vt ipsa prima Synodus fatetur sexto suo Canone. Cur inquam sua vtens auctoritate Constantinopolitanum non honorauit, sicut antiquiores per te Papam; sed rogabat Papam, vt eius Canonem approbaret? Et tu quidem dicis primatum Papæ pendere à Patribus; sancta verò Synodus per epistolam clamat, honorem Constantinopolitani pendere ab auctoritate Papæ. Itaque ordinem subuertis, tuoque de primatu Papæ tractatui sophisticum fundamentum iacis, ex quo multa, & magna sequantur absurda: & sanctos Patres calumniaris, quod Canonem ediderint asserentem à Patribus concessum senioris Romæ Sedi primatum. Si enim hoc esset, secum ipsi pugnarent, sed quia impossibile hoc, est omninò aut Canon falsus est, aut epistola, sed epistolam non esse falsam, indicat consensio Synodi, quæ Canonem sustēpisset, si approbatus à Papa fuisset: Canonem verò non esse ratum declarat dissensio. Deprehenderis igitur falso Canone fultus inualidum iecisse structuræ tuæ fundamentum.

Neque dicas, demandatam esse vineæ custodiam à Saluatore, commune quid esse Episcopis iuxtà Pauli dictum: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos. Nam sancta Synodus vbi in epistola narrasset multa perperam à Dioscoro facta, quod deposito Flauiano sanctæ memoriæ Episcopo, præcisisque ijs, qui rectè sentiebant, lupos præposuisset ouibus: Vbi hæc de cæteris Episcopis dixisset, intulit quæ spectant ad Papam: Nec illum nominatim exprimit, sed circumscriptione vsa ait: Et ad hæc omnia in ipsum etiam, cui demandata est à Saluatore custodia vineæ furorem extendit. Et circumscribendo amplificat, expressiusque designat audaciam Dioscori, & obstupescit facinus. Itaque quod distinctionis ergo dictum est, non potest esse commune Episcopis, quos prouidentia communi ponit Spiritus sanctus; At verò Papa sanctæ Synodi testimonio, custos vniuersalis Ecclesiæ positus est speciali Christi lege.

Alioquin deposito etiam Flauiano idem flagitij admisisse videretur Dioscorus: Nunc verò sancta Synodus, quæ ille in alios scelera edidit, decreta tyrannidis vocat; Ingens verò crimen contra Papam esse, parricidium clamat contra sanctionem Christi. Si ergo vel minimum principio aberrare à veritate, crescit deinde in immensum: tantùm initio à veritate declinasse quot paralogismorum radix erit, quot fundamentum sophismatum? Itaque infers.

CAP. II.

Ex Nouella 131. Iustiniani deducit Nilus, Papam esse primum omnium Sacerdotum iuxtà Synodorum, sed falli eum demonstrat Caryophillus.

NILVS.

LEgito, & Nouellam Iustiniani 131. vt veritatem addiscas. Statuimus, inquit, iuxtà Constitutiones sanctarum Synodorum sanctissimum senioris Romæ Episcopum esse primum omnium sacerdotum, audis? vt sit primus Papa, statutum est, inquit Synodorum. Si ergo statutum, seu decretum est Synodorum, quomodo Papa primatum habet à Petro?

CONFVTATIO.

Sicut à sanctis Patribus primatum Papæ probare volens non probasti, ità è sanctione Imperatoria conatus illum ostendere, nihil concludis, sed potiùs duo peccas, & magna. Primum quidem, quia posita voce æquiuoca concludis trahendo illam ad vnum significatum: Deinde prolata Iustiniani Nouella, ad probandum quod dixisti, nimirùm multis post temporibus datum fuisse primatum Papę non cohærentia; non conuenientia, non congruentia dicis. Scribebat beatus Cyrillus ad Ioannem Antiochenum: Nullo modo patimur à quibusdam conuelli definitam fidem, siue fidei Symbolum à sanctis nostris Patribus, qui olim Nicææ conuenerunt; Memores tius, qui dixit; Ne transferas terminos antiquos, Conf. Ephes. 3. cap. 34.

quos, quos posuerunt Patres tui. Vbi sanctus Pater nomine termini, statuti, decreti appellat fidem, & fidei Symbolum. Arguat ergo per te hoc pacto qui vult. Decretum est sanctorum Patrum, Filium esse consubstantialem Patri: est etiam Decretum sanctorum Patrum Papam esse omnium Sacerdotum primum: Sed per te Patres primatum dederunt Papæ non habenti illum; ergo & filio non habenti consubstantialitatem dederunt Patres. Vides quæ tua sit argumentatio propter æquiuocam vocem? Vox ista apud sanctas Synodos, non solùm significat nouam constitutionem de re aliqua spectante ad mores, sed multò magis explanationem, declarationemque eorum, quæ ad summam fidei pertinent: idque passim videre est in Actis Synodorum.

Cùm ergo æquiuoca sit, & frequentiùs vsurpetur ad signandum antiqua,& diuinitùs tradita, quàm recentia,& ea, quæ iuris humani sunt, cur tu Decretum Patrum de primatu Papæ trahis ad imbecilliorem significatum, & nudam assumens vocem detorques lectorem ad alteram partem? Secundùm Decreta Patrum primus est Papa, inquit Iustinianus: qui in illa Nouella suscipit sanctarum quatuor Synodorum Decreta, vt sanctam scripturam. Atqui,& Cyrillus in tertia Synodo, vt planum fiet, & quartæ Synodi Patres fatentur, Papam esse Ecclesiæ iudicem, & custodem vineæ à Saluatore constitutum. Ergo Decretum eorum de Papa non habet vim nouæ constitutionis, sed dogmatis ad fidem spectaneis explicationem, & dilucidationem Secundum, quod peccas, est; Quod ad probandum primatum Papæ non esse ab initio statutis Imperatorijs firmatum, confugisti ad Iustinianum, contentiosa sanè malignitate.

Certè enim tuus Photius princeps,& Antesignanus schismatis ad Aurelianũ hoc referebat;nec adrò fordidus erat Papæ æstimator: Alij verò ex ijs, qui tecum sentiunt, tribuunt hoc Constantino magno; veritatem quidem offuscantes omnes, sed maximè omnium eu. Qui cùm synodica legisses, procul dubiò vidisti etiam Imperatorum epistolas tertiæ Synodo præfixas; in quibus mirum in modum elucet Imperatorum reuerentia erga Sedem Petri: vt futile omninò sit, quod ais; Primùm ex Imperatoribus Iustinianum sanxisse primatum Papæ, Dicimus ergo, sanctos Patres per sua decreta nequaquam dedisse, sed testatum reddidisse primatum Papæ: & pios Imperatores, præsertim Iustinianum, non fundasse, sed fideliter enarrasse primatum Papæ,

CAP. III.

Papa, inquit Nilus, est successor Petri, non in omnibus, alioquin esset etiam Apostolus, sed in ijs, in quibus succedunt etiam alij Episcopi; sed æquiuocationem detegit Caryophillus.

NILVS.

QVid ergo? non est vllo modo Papa successor Petri? est ille quidem, sed vt Episcopus; quod Episcopus etiam quisque habet eorum, qui ab illo consecrati sunt. Nam, & quilibet Hierarcha, quod attinet ad hoc, illius Apostoli successor est, à quo pee successionem habuit Sacerdotium. Qua ratione multos habet Petrus,& reliqui Apostoli successores; qui verò ad alia, nequaquam. Petrus enim, & Apostolus est, & Apostolorum princeps; at Papa nec Apostolus est, nec Apostolorum coryphæus.

Petrus magister est Orbis terrarum, Papa Episcopus Romæ.

Petrus ordinauit Episcopum Antiochiæ talem, & Alexandriæ talem, & alibi alium: Romano Episcopo non licet hæc facere.

Petrus Episcopum Romanum designat, Papa non designat alium Papam, Petro simpliciter dictum est; [quodcumque solueris, aut ligaueris, erit ligatum, aut solutum in Cœlis.] Dum verò ille gratiam eransfunderet in Episcopum Romanum, non absoluto sermone est vsus, sed ligabis, inquit, quod ligari oportet; & solues, quod decet. Petrus quæ dixit, suot voces Spiritus sancti, quis habere hoc dicat & Papam? Non est igitur in omnibus Papa successor Petri, sed in ijs tantùm, in quibus successor etiam est quilibet Episcoporum à Petro ordinatorum.

CONFVTATIO.

Multa connectis, multa confundis: & multis differentijs positis vnum tantùm esse aie commune Petro, & successoribus; idque priuatum, & præteris quod maximum, & præstantissimum est in hac materia, lisque confusionis, & inordinationis magister, successorem Petri ais Papam, vt Episcopum: vt quilibet Episcoporum à Petro ordinatorum, & huius tuæ positionis nullum affers testimonium, quo probetur; sed magistri auctoritate pronuntias, & statuis more legislatoris. Opponemus ergo nos tibi non nostras, sed voces sanctæ Synodi quartæ ex epistola eius ad Papam.

Quid enim ad ferendam lætitiam fide sublimius? quàm tu velut auream catenam, præcepto legislatoris deductam ad nos seruasti, omnibus B. Petri vocis constitutus interpres. Qua propter & nos tanti boni te duce, & auctore vsi ad vtilitatem, Ecclesiæ filijs hæreditatem veritatis ostendimus.

In his sancta Synodus vocat Papam aureæ fidei catenæ asseruatorem, & Petri vocis interpretem; & fidem, ait, esse in Papa veritatis

tatis hæreditatem, & infrà, vbi sermo est de Patribus Synodi.

Quibus tu, inquit, Dux eras, vt capue membris, in ijs, qui tuas voces gerebant beneuolentiam præferens.

In his sancta Synodus fatetur Papam caput, cæteros Episcopos membra. Aderant autem in illa Synodo Anatolius Constantinopolis, Maximus Antiochenus, & Iuuenalis Hierosolymitanus, & infrà.

Et ad hæc omnia insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam; idest contra tuam (Apostolicam) sanctitatem: vt latinus interpres legit: In his sancta Synodus Ecclesiam euangelicè vineam vocat, custodem vineæ Papam; & præfecturam hanc esse, inquit, illi datam à Christo, & infrà.

Planè scientes Apostolicum in vobis quidem radium suam Sedem habere; sæpè verò ad Constantinopolitanam quoque Ecclesiam more vestro curam gerentes illum sparsisse, eò quod consueueritis bonorum vestrorum participatione vobis coniunctos abundè ditare, & infrà.

Agnoscentes, omne egregium natorum factum recurrere ad proprios parentes. Rogamus igitut, decreto tuo nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti consensum præbuimus in re præclara, ità & vertex adimpleat filijs, quod decorum est.

In his S. Synodus fatetur, Apostolicum radium esse in Papa collocatum, & indè sæpè Constantinopolim sese fudisse, & Papam esse tale caput Ecclesiæ, vt ex eo pendeat honor, & priuilegiorum examinatio in filios. Si ergò Papa per sanctam Synodum, & Petri fidei est hæres, & membrorum Ecclesiæ caput, & custos vineæ à Saluatore constitutus, & vas Apostolici radij, & Episcoporum pater, honores, & priuilegia largiens: Vnde tu, Nile, paradoxam sumpsisti assertionem; Quòd Papa sit Petri successor. Sicut Hierarcha quilibet à Petro ordinatus? esse igitur Papam Petri successorem, fateris & ipse, qua Romæ est Episcopus.

Quod verò tu præterifti commune Petro, & Papæ, summum & maximè ad rem nostram spectans, est quod quarta Synodus docet, & reliqua testantur, vt dicemus, generalia Concilia, quæcumque suscipiunt Græci. Illud porrò est Pastoralis auctoritas in oues Christi, quam varijs nominibus illa Synodus expressit. Tu verò prætermisso eo, quod vnum successionis rationem perficit, numeras, quæ minus ad rem faciunt, Nec enim ad vim successionis requiritur, vt ea omnia successor habeat, quæ fuere in antecessore; sed illa, in quibus ratio successionis consistit. Exempli gratia, successit in Imperio Romano Constantius magno Constantino; non tamen opus est, vt ex successione Constantius, & Crucis signum in cœlo conspexerit, & Byzantium in Constantini vrbem erexerit, & œcumenicarum Synodorum primam celebrandam curauerit. Et Papa similiter succedit Petro, vt Romanus Episcopus, vt vineæ custos, vt caput membrorum Dux: sed non ideò necesse est, vt Papa sit Apostolus, aut Princeps Apostolorum; aut ipse per se semper conseeret Patriarchas, aut alterum designet Papam, aut canonicos libros conscribat; non enim pertinent hæc ad rationem successionis. Cæterum loco Apostoli vocatur Apostolicus, estque magister vniuersalis, vt caput omnium Dux, & fidei interpres omnibus, & potestatem habens à Saluatore in Petro ligandi, & soluendi omnia, vtpotè custos vineæ à Saluatore constitutus. Itaque per Synodicas voces habemus, Papam esse Petri successorem, non tantùm, qua Romæ est Episcopus, sed etiam qua præsul vniuersæ Christi Ecclesiæ, & custos, & caput.

CAP. IV.

Potest incidere in errorem Papa, sicut incidit Petrus, & sicut potest incidere in alia vitia, ait Nilus, sed sophismata esse ostendit Cariophillus.

NILVS.

Qvod autem Papa errare non possit in fide, hoc & supra successionem est Petri; ille enim certè lapsus est. Quæro; potest ne Papa labi in mendacij, auaritiæ, inanis gloriæ crimen, atque in cætera perperam facta; an verò his etiam superior est? Quod si hoc ne dicere quidem fas est; multa enim & ille peccat labente conscientia, cum homo sit; liquet in his peccantem posse etiam in fide naufragium facere. Hoc enim, & Paulus Timotheo scribens ait; Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragauerunt. Ipse etiam conscientiæ lapsus, nonne genus est abogationis Dei? Deum enim, inquit Paulus, confitentur se nosse, factis autem negant. Quomodo igitur Papa factis quidem potest negare Deum, verbis autem minimè? 1. Tim 1.19. 1. Tim. 16.

CONFVTATIO.

E fallaci orsus principio, dum progrederis, plus plusque à veritate recedis, tria hic sophismata proponis.

Primum; lapsus est Petrus, ergo labi potest & Papa.

Secundum; qui potest conscientiæ lapsu peccare, potest etiam naufragium fidei facere, secundum Pauli dictum. Sed Papa cum homo sit, non est à conscientiæ labe immunis; ergo potest etiam facere naufragium fidei.

Tertium, conscientiæ lapsu peccare, genus infidelitatis est, iuxta Paulum; at Papa potest conscientiæ lapsu peccare: ergo & laborare hoc infidelitatis genere, nimirùm per praua opera. Sed si potest operibus negare Deum, poterit & verbis. Falsum igitur est, fieri non posse, vt Papa erret in fide.

Ad hæc respondet sancta Synodus quarta in epistola ad Leonem Papam. Ad primum, dum ait. Quod Leo fidem deductam veluti auream cathenam seruauit, constitutus omnibus interpres vocis beati Petri. Quòdque hanc fidei hæreditatem Synodus ostendit Par. 3. c. 1.

Luc.22.23. dit Ecclesiæ filijs, vsa boni duce & auctore Papa) lapsus quidem est Petrus: Christus tamen ad ipsum: Et tu, inquit, aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Si S. Synodus ex voce Papæ ostendit fidem Ecclesiæ filijs, Papa per sanctam Synodum est interpres vocis beati Petri confirmantis fratres,& filios Ecclesiæ. Ergo Papa, vt Papa interpres est, & successor Petri, non vt humana ille fragilitate lapsus est, sed ea ratione qua fratres confirmat per confessionem rectæ fidei. Sed hoc sensu non poterat errare Petrus,quoniam impossibile est veritatem mentiri. Itaque cum dupliciter Petrus consideretur; vt purus homo, vtque mandato Christi fratres confirmans, & Papa succedat Petro iuxta sanctam Synodum, hoc secundo modo, tuum sophisma dilutum est: lapsus est Petrus, ergo & Papa. Sicut enim impossibile est, post mandatum, & preces Christi, vt non deficiat fides eius, labi Petrum; ita etiam impossibile est labi Papam. Secundum sophisma quanta absurditate scatet? Scribit Paulus Timotheo; multos repulsa bona conscientia,naufragatos esse in fide. Ergo & Papa cum possit repellere bonam conscientiam, potest & in fide naufragium facere. Nun ne vides Apostolum de ijs loqui, qui volunt peregrinam tradere doctrinam: quos repulsa prius bona conscientia, naufragari quoque ait in fide: eò quòd ambitio illos, & in hæreses, & in blasphemias transuersos agat? Hi enim prauitate sua, & conscientiam, & fidem repulerunt. At vero de Papa sanctos Patres quartæ Synodi aiunt: Quod seruata per successionem fide, omnibus extiterit beati Petri vocis interpres. quam vt veritatis hæreditatem habebat Papa: Quomodo ad hæc locum habere possit instantia tua, dum ex propria ex humana fragilitate inferre vult imbecillitatem diuinę Christi virtutis:à quo fidem deduci veluti cathenam aureã sancti Patres aiunt, vt fiat vox Petri, & Papam esse interpretem vocis Petri, & hæredem veritatis? Potest Papa in priuatis suis, & humanis actionibus peccare: Hoc fragilitatis humanæ est: potest ergo etiam errare in fide: Hoc est inferre iniuriam Saluatori, & claudicat enthymema, quoniam Papa aliter in antecedente sumitur, aliter in consequente: in illo, qua homo operans; in hoc, qua Papa vocis Petri interpres. Vt si dicam; Potest Hippocrates labi errore conscientiæ, potest ergo & arte medicinæ? Nam in antecedente sumitur, vt homo, in consequente vt artifex. Non debent autem voces æquiuocè sumi.

Hoc tendit etiam tertium sophisma tuum, licet callidius & obscurius. Genus abnegationis Dei est secundum Paulum conscientiæ lapsu errare, sed Papa potest conscientiæ lapsu errare, ergo huius generis abnegationis Dei reus esse. Deinde à maiori ad minus: Genus abnegationis lapsu conscientiæ fit aliquid agendo; sed maius est peccare opere, quàm verbo, ergo qui peccare potest opere, potest & verbo. Papa peccare potest opere, ergo & verbo. Non est igitur impossibile, Papam errare in fide.

Verum quod tu genus abnegationis Dei voces, commune est cunctis operibus, quæ fiunt præter rationem rectam, at abnegatio Dei per verba est infidelitatis actus, & speciale peccatum: tantòque maius, quantò maior fides, quippè vt fundamentum virtutum. Decipis ergo vir egregiè duplici sophismate; primò quidem, vt diximus, quia consequentia hæc non valet. Potest errare Papa contra rectam rationem in aliqua sua morali actione, ergo & in fide. Ostensum quippè est, falsum id esse, eo quod Papa aliter se habeat ad morales actiones, & aliter ad dogmata fidei. Nam suarum ipse actionum est principium, dogmatum vero Christi lege est custos, nempè vt Petri hæres. Secundò, quia quod maius est, fecisti minus, & quod minus, maius. Tu maius esse ais abnegare opere, quàm verbo, quod in re proposita falsum apertè est, abnegat opere fur, abnegat verbo, qui Christo renuntiat; maius ergò furtum, quàm Apostasia? absit. Non ergo qui potest minus abnegando opere; peccabit & maius, verbis Deum negando. Immò si Papæ argumentum accommodaueris: potest ille quidem minus, vt potè natura constans humana: maius autem nullo modo potest, qua hæres est, & custos fidei Petri. Quòd verò in vno Papa considerentur duo, tu quoque fateberis, qui duo posuisti in Papa, quòd Romæ sit Episcopus à Petro, quòdque cæterorum Episcoporum sit primus à Patribus. Sicut ergo tu à Photio edoctus, duorum conferenda fateris in vno Papa, vnum particulare, alterum vniuersale; vnum hæreditate relictum, alterum additum; vnum propter clima, alterum propter ordinem: ità nos Euangelica, Apost. & Synod. sequentes dogmata, consideramus duo in Papa, quòd sit homo, nostra & ipse circumdatus infirmitate, & sit præterea Petri vocis interpres, & illius fidei hæres. Et quoniam duo hæc differunt, vtque res diuersi generis, non conferuntur, cadit tuorum robur argumentorum, quod ex altero transit in alterum, & labilitatem humanitatis tribuit illabilitati dignitatis: Omninò enim tu contra illam regulam peccas, quam tradit Philosophus in libro de Interpretatione: est aliquis bonus, est & sutor; non tamen ideò sutor bonus: esse enim bonum, & sutorem coniuncta sunt per accidens. Tu vero ità arguis; Romanus Episcopus est homo erroris capax, est etiam Papa Episcoporum primus, ergo est Papa erroris capax. Atque ita peccas, & contra Philosophi regulam, & contra sanctos Patres, non solùm quartæ Synodi in epistola ad Papam, & in Prosphonetico ad Marcianum Imperatorem, sed etiam contra sanctos Patres sextæ Synodi. Quarta Synodus in Prosphonetico sic habet.

Quare Deus insauciabilem errore propugnatorem nobis prouidit, & Rom. Ecclesiæ Papam præparauit ad victoriam.

Vocat S. Synodus Papam errore insauciabilem, & ipsa sui interpres declarat, quo sensu locuta fuerit, non sauciatum, an non sanciabilem vocando Papam. Nam in epistola ad Papam, fidei custodem appellat illum, & quæcumque alia diximus, fieri verò non potest, vt S. Synodus hanc appellationem dederit Leoni Papæ, qui 46. fuit à Petro Romæ Episcopus, priuato quodam iure; sicut etiam esse interpretem, & hæredem fidei

Pe-

Petri: sed eo nomine, quia Papa ille tunc erat. Quòd si dedit, vt Papæ, quisque ergo Papa insauciabilis errore est, & fidei custos, &c. Si ergo hæc vnicuique Papæ conueniunt, insauciabilem Synodus dixit, non insauciatum. Alioquin vno Papa sauciato, cessat & custodia, & hæreditas fidei Petri. Planum hoc faciunt sextæ Synodi Patres in Prosphonetico ad Constantinum Imperat. quando sincero oculo, & nulla cuiusquam suggestione flatum Papæ considerantes, & quodammodo vocem insauciabilis, paraphrasticè exponentes, de Damaso Papa aiebant.

Et Damasus fidei adamas, cuius solida mens aggressionibus, atque conflictibus alienæ à fide opinionis non erat vulnerabilis...

Quod enim Græcè dicunt, vulnus non excipiens, perindè est atque inuulnerabilis, quomodo qui Græcè loquuntur, dicunt, apparentia & non apparentia, id est apparere non valentia. Et de sacrosancta Eucharistia; Qui comeditur, & non absumitur, id est qui absumi non potest. Quo pacto dicimus etiam solem non tenebrescentem, & tenebras non lucescentes, & in epistola ad Agathonem Papam ijdem Patres. Quare & nos tibi, vt primò vniuersæ Ecclesiæ Antistiti quid sit agendum committimus, stanti super firmam fidei petram. Hoc vnum quippè volunt Patres; Papam, quia summæ sedis Episcopus est, stare super firmam fidei Petram. Si ergo Papa hoc habet, vt primæ sedis Episcopus, certè omnis Papa hoc habet. His testem se dat Imp. Constant. Pogonatus in sacro Rescripto ad Leonem Papam.

Et gloria, inquit, gloriosa facienti Deo, qui fidem apud vos indeprauatam conseruauit. Quomodo enim id facturus non erat in ea petra, super quam ipse fundauit Ecclesiam, & portis inferi, hoc est hæreticorum insidijs, numquam succubituram prædixit? ex qua tamquam è cœlorum conuexis effulsit sermo veræ confessionis, & Christi amantium animas illustrauit, & artbndnxam fidem, quæ refrixerat refocillauit.

Quibus ex verbis duo habes. Primum, Romanam sedem propter fundatorem Christum non subterni machinis hæreticorum, quod idem valet, ac si diceretur; non posse subterni. Posito enim necessario antecedente, necessitatem habet & consequens. Atqui necessarium est Christi prædictionem esse veracem: ergo necessarium quoque ex suppositione est, sedem Petri non esse ab hæresibus domabilem. Quod ratione æquipollentium non est aliud, quàm impossibile esse Papam errare in fide. Alterum est, Romanam Sedem esse, de qua Imperator ille scribens ad Leonem II. post sextam Synodum; Fidem, inquit, in ea conseruatam esse indeprauatam. Erat autem is Leo Vndecimus ab Honorio, quem vos hæreticum Monothelitam extitisse calumniamini. Dicis enim.

CAP. V.

Affert exemplum Honorij Nilus, sed refutat Cariophillus, defenditque non fuisse hæreticum.

NILVS.

ET Honorius Episcopus Romanus à rectis dogmatibus aberrauit, & à sancta œcumenica sexta Synodo damnatus est.

CONFVTATIO.

Si Honorius fuit hæreticus, quomodo post illum scribebat Imperator Constantinus: Deo gloriam, qui fidem in Sede Petri conseruauit indepravatam? Neque enim licet ad hoc dicere; Imperatorem fuisse locutum de Leone II. tunc temporis Pontifice. Nam infert ille, & ait:

Quomodo enim id facturus non erat in ea petra, super quam ipse fundauit Ecclesiam? Si ergo causa cur Leonis II. fides conseruata fuerit indepravata, illa est; quod Romana Sedes sit petra, super quam Deus fundauit Ecclesiam; qua ratione dici potest Imperatore solius Leonis fidem, vt indepravatam laudare? Arguebas tu supra ex Imperatoris Iustiniani Nouella, licet malè illam exciperes; Cur etiam ex verè Imperatorijs Pogonati verbis non collegisti veram de Honorio sententiam? Ais, Honorium à rectis dogmatibus aberrasse, & fuisse propterea à sexta Synodo damnatum. Atqui Honorium à rectis dogmatibus non aberrasse, testis est primò quidem eximius Confessor Maximus in Dial. cum Pyrrho hæretico; sicut annotatum à nobis fuit actione 13. sextæ Synodi in editione Rom. Concil. Generalium. Verba eius hæc sunt.

Pyrrhus. Quid habes de Honorio dicere, qui ad prædecessorem meum scribens, vnã Domini nostri Iesu Christi voluntatem apertè dogmatizauit? Maximus. Quis fide dignus interpres erit illius epistolæ, qui eam ex persona Honorij composuit, estque adhuc superstes; inter alia sua bona hoc etiam conspicuus, quòd pietatis dogmatibus vniuersum lustrauit Occidentem; an Constantinopolitani, quæ sibi sunt cordi loquentes. Pyrr. Qui eam composuit. Max. ille idem Igitur ad Diuum Constantinum quondam Imperatorem rursùm ex persona S. Papæ Ioannis de epistola illa scribens ait. Vnam diximus voluntatem in Domino, non diuinitatis eius, & humanitatis, sed solius humanitatis.

Cùm enim scripsisset Sergius, affirmare quosdam in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus; Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis inquam & spiritus, vt nos habemus post transgressionem: sed vnam tantùm, quæ naturaliter humanitati eius nota essentialis est. Id ità esse euidenter ex eo demonstratur, quòd membrorum & carnis facta est mentio, quæ diuinitati

quoque eius non possunt attribui. Hæc ante sextam Synodum scripsit magnus hic Pater, & exposita vera Honorij sententia, habet etiam ipsius epistolas in sexta Synodo expositas Act. 12. & 13. orthodoxam scriptoris fidem manifestissimè attestantes.

Nam quia Constantinop. vt idem S. Maximus, ait in epistola ad Marinum, duo quædam annotauerant in Synodicis Papæ; vnum ad diuina spectans: quod Papa dixisset, etiam à filio procedere Spiritum sanctum. Alterum de Incarnatione, quod scripsisset Papa, Dominum, vt hominem esse absque originali peccato; Honorius hæc sciens, vt culpam originalem excluderet ab Incarnatione diuina, Constantinopolim Sergio scribens, ad quæsitum ait.

Vndè & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profectò à diuinitate assumpta est nostra natura, non culpa in illa.

Si Anothelitarum hæresi laborasset Honorius, dixisset: Vnam fatemur voluntatem, quia solùm diuinam habebat voluntatem: Nunc autem voluntatis singularitatem refert, tantummodò ad excludendum ab humanitate peccatum originale, at quæ in hoc hæresis? & apertius explicando subiungit.

Nam quia sine peccato conceptus est de Spiritu sancto, etiam partus sine peccato est ex sancta Virgine, nullum expertus contagium viriatæ naturæ.

At quomodò apertiùs exprimi posset Honorij mens, vnam in Christo ponentis voluntatem, non iuxtà peruersum Monothelitarum sensum, vt vnam diuinitatis, & humanitatis voluntatem assereret, sed solius humanitatis ad improbandos eos, qui ponebant in Christo peccatum originale? & rursus infra.

Nam alia lex in membris, aut voluntas diuersa, vel contraria non fuit in Saluatore, quia natus est supra legem humanæ naturæ. Et hoc sensu mox negat in Christo diuersam, hoc est contrariam voluntatem; Vt non suam, inquit, vnusquisque voluntatem, sed potius Domini præferat in omnibus. Ità iuxtà hunc sensum negaris in humanitate Christi duabus contrarijs voluntatibus, infrà disserit de duabus in Christo naturis, & voluntatibus, perfectè quæ propria sunt operantibus. Nam quia Dominus noster Iesus Christus filius, & Verbum Dei, vnus idemque sit operans diuina, & humana perfectè, sacræ literæ luculenter demonstrant. Vides, vnum ab eo poni operantem, & in duabus naturis, quæ sunt vtriusque propria perfectè operantem, & hoc ipsum prædicat sextæ Synodi definitio.

Quod porrò attinet ad enumerationem operationum, non eodem sensu fuit Honorius, & Orientales. Sicut enim aliter intellexit duas voluntates Honorius, & aliter Orientales; ità pariter, & operationes. Nam Monothelitæ Orientales impossibile aiebant, existere in Christo duas simul, & coniunctas voluntates siue contrarias, siue similes. Honorius autem fatebatur, duas Christi naturas perfectè operantes diuina, & humana; & vnam esse docuit voluntatem, qua negabat in Christo contrariam carni ex peccato voluntatem.

Itaque, & vnam, & duas ponebat orthodoxè voluntates: duas similes, diuinam, & humanam, videlicet non contrarias; & humanam vnam, eo quod sine peccato conceptus sit, & incapax fuerit originalis peccati: Vt igitur diuersus fuit Honorij, & Orientalium de voluntatibus sensus, & diuersus quoque de operationibus fuit; Orientales enim operationem diuinitati tribuebant, passiones carni; vt diuinitas quidem moueret, caro autem moueretur, essetque noua quædam Christi Dei virilis operatio. Quare & vnam statuebant, carne scilicet nullam propriam habentem operationem. Honorius autem in priore ad Sergium epistola Act. 12. sextæ Synodi.

Verum, inquit, propter opera diuinitatis, & humanitatis vna, an duæ dicendæ, vel intelligendæ sint operationes; ad nos ista pertinere non debent, sed grammaticis ea relinquimus. Nos enim non vnam operationem, vel duas Dominum nostrum Iesum Christum, & sanctum eius Spiritum per sanctas Scripturas accepimus, sed multiformiter illum nouimus operatum. Diuisiones enim operationum sunt. Quòd si diuisiones operationum multæ sunt, & has omnes Deus in omnibus membris pleni corporis operatur, quantò magis capiti nostro Christo Domino hæc possunt plenissimè adaptari? si enim in alijs, idest in suis membris Christi spiritus multiformiter operatur; quantò magis per semetipsum mediatorem Dei, & hominum plenissimè, ac perfectissimè, multiformiter, & ineffabiliter confiteri nos oportet communione vtriusque naturæ suæ operatum? & infrà. Simpliciter, ac veraciter confitentes Dominum nostrum Iesum Christum vnum, & eumdem operantem in diuina, & humana natura. Vides quantum differat? Monoth. asseuerabant Christi humanitatem pati solum non agere: Honorium passim fatetur operantem humanitatem, Monothelitæ vnam ponebant speciè operationem, quam theandricam vocabant. Honorius controuersiam esse suspicatus de numero operationum, relinquenda hæc ait esse grammaticis, qui de singulari, & plurali numero disputant, & ex diametro contra Monothelitas, Christi humanitatem non modo operatione non vacuam, sed multiformiter, & plenissimè operantem ait. Si enim in membris operatur multiformiter Spiritus sanctus, quantò magis fatendum est Christum caput nostrum communione vtriusque naturæ plenissimè, & perfectissimè operatum?

His consimilia, & in fine prioris epistolæ, & per totam secundam epistolam, quæ habetur Act. 13. Honorius repetit; non esse dicendum afferens vnam, aut duas operationes; sed vnum Christum in vtraque natura operatiua, & actiua, ex quibus manifestissimè infertur; Vnam, & duas operationes fuisse æquiuocè sumptas, aliter quidem, & impiè ab Orientalibus, aliter verò, & piè ab Honorio; & hanc æquiuocationem extitisse Orientalibus causam annumerandi Honorium inter hæreticos Monothelitas, cum his fuerit multa dignus laude, & à blasphemia Monothelitarum alienissimus. Illi enim vnam prorsùs in Christo voluntatem, nempè diuinam; hic verò

rò vnam humanitatis Christi voluntatem aiebat. Illi humanitatem Christi operatione vacuam, hic multiformiter operantem asserebat. Illi vnam voluntatem, & operationem vnam. Hic vnum operantem propria diuinitatis, & propria humanitatis. Illi duas voluntates, & duas operationes audire nullo modo patiebantur; hic verò nec vnam propter Eutichianos, nec duas approbat propter Nestorianos, sed vnum operantem perfectè, quæ sunt naturarum propria. Quam orthodoxiæ plenam confessionem, si tunc temporis Orientales, non reiecissent tamquam hæreticam, recentiores eorum Theologi Constantinopol. nunquam fuissent commenti monstrosum dogma ex verbis sextæ Synodi benè ab ea prolatis. Cum enim sexta Synodus piè dixerit, duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes in vno Christo; Recentiores illi opinati sunt, operationes à subiectis earum pari modo distingui: vt quemadmodum in humanis aliud natura, aliud est operatio naturæ; ità etiam in diuinis aliud sit diuina essentia, aliud operatio diuina; malè acceptis sextæ Synodi verbis, quæ rectè statuerat duas naturales operationes. Illi tamen non ità sentientes vocane blasphemos; vt videre est in eorum Synodico, quod leguur prima Dominica Quadragesimæ. Falsò igitur dicis, Nile, Honorium in fide errasse. Si verò quæras, cur igitur à Synodo damnatus est? Damnatum dicimus, sed à Synodo Acephala, solis videlicèt Orientalibus, Papæ legatis nihil ad hoc conferentibus. Quod euidenter probatur ex epistola Agathonis Papæ Act. 4. sextæ Synodi. Cùm enim suspicaretur Papa, quod posteà euenit; sciretque, quod ait S. Maximus, vt dictum est, in suo Dialogo, & fama vulgatum erat; Constantinopolitanos numerare Honorium inter Monothelitas; duo dicit, quæ ad hoc faciunt in epistola ad Imperatores,

Propterea licentiam, siue auctoritatem legatis dedimus apud Serenissimum vestrum Imperium, vt simpliciter satisfaciant in quantum eis dumtaxat iniunctum est; vt nihil profectò præsumant addere, minuere, aut mutare: & infrà. Hæc spiritalis mater vestri serenissimi Imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata vsque ad finem permanet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam promissionem; quam suorum Discipulorum Principi in Euangelijs fecit, loquens: Petre, Petre, ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui triticum cribrat: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. (Hoc ipsum, & Synodica Episcoporum suggestio post epistolam Papæ disertis verbis continet.) & infra.

Vndè & Apostolicæ memoriæ prædecessores mediocritatis meæ, dominicis instructi doctrinis; ex quo præsules Ecclesiæ Constantinopolitanæ nouitatem hæreticam introducere conati sunt in immaculatam Christi Ecclesiam; numquam eos hortari neglexerunt, & hortando commonere, vt à praui dogmatis hæreticis errore saltem tacendo abstinerent.

In his licentiam se dedisse ait B. Papa Agatho suis legatis, vt simpliciter de fide responderent, & nihil aliud auderent.

Dicit, nullum Romanum Pontificem in fide errasse. Deindè cum Romanos Pontifices hortatos ait, vt Constantinopolitani saltem tacerent, circumscribit Honorium. Aut ergo quando Orientales damnabant Honorium, consentientes habebant etiam legatos Papæ, aut non habebant. Si non habebant, certum est, quod dicimus. Si verò habebant, illicitè habebant, nulla tali facultate praditos à Pontifice. Quomodò enim Pontifex talem dedisset facultatem anathematizandi Honorium, qui expressè asserit nullum Romanum Pontificem errasse in fide? & describendo Honorium laudat, qui decimus ante Agathonem fuerat Papa?

Ita planè constat, Honorium à solis damnatum Orientalibus.

Sicut autem quarta Synodus, quia suum canonem de honore Constantinopol. Episcopi absque Papa, condiderat, nihil pergit, ità & sexta Synodus, quando propter illas æquiuocationes, absque Papa damnauit Honorium, nihil peregit. Quare nec hæreticus Honorius, nec est propriè à Synodo damnatus: sed & ipse orthodoxissimus, & anathema illum non attingit. Clamat enim in suis epistolis, tertia Chalcedonensis Synodi parte, præsertim verò ad Pulcheriam Augustam Leo Magnus Papa. Consensiones Episcoporum sanctorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli; generali prorsùs definitione cassamus.

CAP. VI.

Christus ait Nilus, ædificauit Ecclesiam suam supra confessionem Petri, & sic super vniuersos confitentes, non supra Patrum, sed falsum hoc esse ostendit Caryophilus.

NILVS.

QVòd si Honorius Romanus est Episcopus, & hæreticus, potest ergo Papa in fide errare. Non igitur fide Papæ deficiente corruit sermo Domini, quem de Ecclesia protulit; Portas inferi aduersùs eam non præualituras. Potest enim planè in cæteris Episcopis esse fides salua. Ex his etiam liquet, Romanæ Ecclesiæ nequaquam conuenire, vt super illam Petram ædificata sit Ecclesia, Hoc enim graue est, & non multum distat à tenuitate Iudaica, Ecclesiam Romana Vrbe circumscribere. Sed Ecclesiam ædificauit Christus super confessionem Petri, & vniuersis, qui confessionis eius custodes erunt.

CONFVTATIO.

Quæcumque infers, vana sunt ex falsò posi-

posito fundamento. Nam si Honorius orthodoxiæ radios emittit; & nullo suo meritò damnatus est ob æquiuocationes ab Orientalibus; qui voces eius in alium excepere sensum, quàm ab eo scriptæ erant, nullo modo probasti, Papam vt Papam errare posse in fide, si enim errauerit, sermo Domini dilapsus est, & defecit promissio: quod negat S. Papa Agatho, & Imp. Constantinus Pogonatus, vt suprà exposuimus. In cæteris autem Episcopis conseruari posse rectam fidem, sicut confessionem dicis consonam Petri Cathedræ, esto: Si verò vt hæreditatem à Petro deductam: clamat, vt supra diximus, quarta Synodus:, Papam conseruata aurea fidei cathena, quæ à Saluatore deducitur, constitutum esse omnibus vocis beati Petri interpretem. Quâ & se, inquiunt, vsos auctore, & duce Papam, tamquam veritatis hæreditatem ostendisse, & docuisse Ecclesiæ filios. Et Act. 2. ad finem clamarunt Episcopi; Petrus per Leonem hæc locutus est; cum recitata illis fuisset epistola Papæ. Et sexta Synodus in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem. Charta, inquit, videbatur, & atramentum, & per Agathonem loquebatur Petrus. Si ergo Petrus loquitur per Papam, theologia Petri in cæteris Episcopis confessio in successore Petri est fidei, & quia iuxta sanctos Patres promissum à Christo factum est Petro, vt ostendimus, solus Petri successor habet promissionis vi inerrantem fidem: Cæteri Episcopi licèt veram habeant confessionem, non proindè habent inerrantis fidei promissionem.

Ep. sect. 4. 6. Syn. 6. Syn. Act. 18.

P. 3. c. 2.

Quare ex vera confessione Episcoporum sumi non potest certitudo, firmitas, & infallibilis fidei rectitudo, nisi ex eo vno, in quo Petrum loqui testantur Synodi. Ità Cyrillus veram habens, docensque confessionem, non est ausus abstinere à communione Nestorii, nisi priùs Cœlestino Papæ scripsisset.

Nec priùs à communione Nestorij seiungimur, quam hæc tuæ pietati nota faciamus. Vnde hoc? nisi quia Cyrillus plus fidebat infallibilitati fidei Sedis Petri, quàm demonstrationibus quibus Nestorium arctabat?

Ità sancta Synodus quarta, cum definitionem fidei conscripsisset, quia minus integra videbatur, ex verbis epistolæ Leonis Papæ, quam orthodoxiæ columnam appellauit, veram rectæ fidei contexuit definitionem. Et sextæ Synodi Patres fatentur se ex lectione epistolæ Papæ hæresim confutasse, & vbi fidem firmarunt, his ad Agathonem Papam vtuntur vocibus.

In sua defin. act. 5. in ep. ad Pap. act. 18.

Orthodoxæ verò fidei splendorem, quam vobiscum dilucidè prædicauimus, vt iterùm per honorabilia vestra rescripta obsignetis, paternam vestram sanctitatem rogamus.

Cur enim confirmari petunt, quæ probanit œcumenica Synodus? Neque enim rogant, vt Papam assentientem habeant, sed obsignantem, & ratam volentem fidei expositionem. Quemadmodum, & à Sisto Papa fuisse confirmatam tertiam Synodum asserit Cyrillus epistola ad Achacium Melitenensem.

Conc. Ephi par. 3. c. 35.

Hinc argumentorum tuorum laquei euanescunt, Si enim Papa errauit in fide, falsa est Christi promissio: incertumque cum de fide aliquid controuersum est, quæ cuius Episcopi vera sit, & orthodoxa confessio. Hinc etiam liquet, Christi promissum conuenire Romanæ Ecclesiæ, quoniam Rom. Episcopus est hæres fidei Petri, & hoc non esse tenuitates Indaicæ, sed diuinæ Christi institutionis beneficium: vt voluerfalis Ecclesia, quoties de fide controuersia oritur, habeat in Papa loquentem Petrum, quem errare impossibile sit. Alioquin quisque se non errantem assereret, & Petri sibi theologiam adaptaret: essetq; confusio, & inordinatio Ecclesiasticus Ordo. Quemadmodum Cyrillus Alexandrinus, & Nestorius Constantinopolitanus cum de fide altercarentur, ad Cœlestinum Romanum Episcopum confugerunt. Alioquin plena omnia turbarum, & confusionis essent. Fecit hoc idem, & Eutiches appellando Sedem Apostolicam, quando illi cum S. Flauiano contentio de fiede erat.

CAP. VII.

Si Agatho, inquit Nilus, ait Ecclesiam suam nunquam deuiasse, hoc dicit quia rarò, & de præterito; sed respondet Cariophillus Agathonem hoc modo mentitum esse.

NILVS.

QVòd si beatus Agatho suam dicat Ecclesiam à veritatis tramite nunquam deuiasse, non est mirandum. Illud enim nos æquo iure postulabimus, non esse trahendas ad verba res; sed accommodanda rebus verba. Considerandum quoque S. Patres vti dicendi modis spectantibus ad præsentem rerum statum, eum de re aliqua necessaria quæstio est. Quodque Romana Ecclesia raro aberrat à veritate fidei. Alioquin quomodò explicabis illud: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum! Deindè Agatho præteritum dixit, futurum non negauit, & quòd maximi refert, antè sextam Synodum hæc dixit. Non est autem mirum à Synodo multorum Sanctorum perspectum, quod vnus ignorauit. Porrò hæc esse vera planum erit, si legatur epistola Leonis post Agathonem Papæ ad Imperatorem Romanorum: Anathematizamus, inquit, pariter Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non est aggressus Apostolicæ traditionis doctrina lustrare, sed profana proditione maculari immaculatam permisit.

Ps. 13. 3.

6. Syn. act. 18

CONFVTATIO.

Quod ipse tibi ex Agathone obijcis, egregia diluis responsione: Quòd Agatho se ad tempus accommodauerit. Hoc porrò idem esse, atque illum mendaciter scripsisse, declarant illa, quæ primo ponis. Quòd accommodanda sunt ad res verba, non contra: nàm verba non accommodare rebus, quid est aliud, quàm apertè mentiri? Ità duo contraria per te Agatho habet: & beatus est, & mentitur. Huiusmodi tu nobis sanctos Nile confingis.

Dein-

Deindè rarò quidem, aberrare tamen à veritate Romanam ais Ecclesiam; atque ad probandum hoc, Psalmi dictum vsurpas: Omnes declinauerunt, & quod in Iudæos, vel simul etiam contra Gentiles dictum est: aut omninò in vniuersos homines propter humanæ inbecillitatis offensas, tu vetere tua futilitate detorques in fidem, & certissimam fidei regulam à Saluatore datam in Petro, & successoribus,& tanto studio teneris insectandi Petri Cathedram, vt labaris in grauissimas blasphemias. Si enim ità excipiendum est, vt tu intelligis illud: Omnes declinauerunt: Ergo, & sanctæ Synodi, & ipsi Apostoli, cum homines fuerint, in tradenda fide declinauerunt. Quòd si hoc intolerabilis est blasphemia; & Apostolos, & sacras Synodos suscipis, vtpotè sancto Spiritu dictante locutas, & indubitatos fidei Magistros: cur Petri Sedem contumelijs laceras? quasi verò illa suapteui habeat, non posse errare in fide, non ex promissione Saluatoris. vt acta Synodorum testantur? Quòd verò ais, Agathonem de præterito locutum, non negasse futurum; tota erras via: Decimus enim ab Honorio fuit Agaptho, subdis ex epistola Leonis Papæ in calce sextæ Synodi anathema in Honorium: nec animaduertisti, Leonem pugnare secum, si verùm id esset. Primò enim dicit.

Igitur gestorum Synodalium seriem recensentes, & curiosa diligentia perscrutari singula, quæ gesta sunt, eadem, quæ Apostolicæ Sedis legati narrauerant, scriptis consonantibus conuenire comperimus.

Ità habet epistola Papæ in græcum conuersa, quæ si nunc extaret, vt scripta fuit à Papa latinè, integra, & incorrupta, profectò multæ deregerentur falaciæ, quas consuerta immiscuit audacia. Cæterum post tot fraudes, etiam, quæ nunquam expugnatur, apparet veritas.

Dicit Leo Papa, Synodalium gestorum se commentarios percurrisse, & conuenientia reperisse, quæ legit cum narratione legatorum. Deindè infrà nominatim laudat epistolam Agathonis, quæ inserta est Actis 6. Synodi. Quomodò igitur Agathonis epistola liberè prædicante, nullum Papam errasse in fide, Leo successor Agathonis, & epistolam laudat, & contraria epistolæ dicit? Quomodò Honorium, quem Agaptho vindicat à calumnijs hæreticorum, Leo successor nominatim Anathemari tradit? Quis eandem hoc credit? sed vetus est mos quorundam Orientalium corrumpendi Acta Synodorum.

Testis huius rei est celeberrimus Cyrillus in epist. ad Achacium Melitenensem. Venit ad me, inquit, religiosissimus Episcop. Paulus Emisenus, & rogabat ex me enixè, num susciperem, quæ scripsit beatissimus Pater Athanasius ad Epictetum Corinthi Episcopum. Ego verò respondi; me prorsùs suscipere dummodo scriptum apud vos incorruptum extet; multa enim in illo deprauata sunt ab inimicis veritatis.

Et mox. Itàque Paulus accepta vetusta exemplaria, cum ijs contulit, quæ ipse attulerat; & comperit hæc adulterata.

C.34. Epist. ad Anat.c.5 & ad Palchei c.7. Hoc idem Cyrillus asserit in fine epistolæ ad Ioannem Antiochenum. Et in quarta Synodo Leo Papa I. Anatolium Constantinop. arguebat, quòd suppositium Canonem proferret; qui secundæ Synodo tribuitur, tertium de honore Episcopi Constantinopolitani, tertia parte Chalcedonensis. Et in septima Synodo Act. 2. multas passa est mutilationes ab Orientalibus epistola Hadriani Papæ ad Imperatores.

Secundò, Dato, quod nullo modo verum est: Honorium à Leone per illas voces, quas tu profers, fuit anathemate perculsum; constat id passum Honorinm non vt hæreticum, sed eo nomine, quòd hæresim oriri permisisset; quòd negligentiæ crimen est, non autem hæresis. Itàque totum tuum ruit ædificium; non enim probasti, quod volebas; scilicet, non esse impossibile, Papam errare in fide.

CAP. VIII.

Primatus Papæ cum cæteris Patriarchis coordinatus est, non absolutus, ex Canone 36. sextæ Synodi, ait Nilus; sed ostendit esse superiorem Cariophillus.

NILVS.

Dici autem, ità se habere Papam ad Episcopum Constantinopolitanum, sicut se habet ipse ad Cæsareensem, aut quemuis alium ex Episcopis sibi subiectis, quis hoc æquo animo ferat? Nàm Romanus dicitur primus ad Constantinop. obtinente isto secundùm locum; at verò Constantinopolitanus, est ità primus, vt Cæsareensis sit secundus; sed est primus Constantinopolitanus, vt vnitas, & non cum alijs coordinatus, Cæsareensis verò non dicitur secundus, sed primus, & ipse; cum alijs tamen coordinatus, habensque secundùm, & tertiùm. Quòd autem Primatus Papæ coordinatus sit, & non absolutus, liquet. Legito sextæ Synodi Canonem 36.

CONFVTATIO.

Hæc proportio nullo rationis nititur fundamento, & tu quidem ægrè fers propter confictam à vobis imparilitatem, veritas autem ægrè fert, quia sophismatum versutia circumuenitur. Multò magis præcellit Papa Constantinopolitano, quàm ipse Cæsareensi, & cæteris sibi subditis. Papa enim est Constantinop. superior, vt iudex eo, qui iudicatur, vt deponens eo, qui deponitur, vt potestate excommunicans excommunicato, vt constat ex epistolis Cœlestini ad Cyrillum, & Nestorium, & alios prima parte 3. Synodi. Per quartam Synodum Papa est superior Constantinop. vt caput membro, vt radius illustrans corpore illustrato, vt vineæ custos à Saluatore constitutus eo, qui nimia industria peruenit ad honores, & præeminentiam, vt parens nato donari sibi aliquid petente; vt pater ex memorata epistola quartæ Synodi ad Leonem Papam. Per sextam Synodum Papa

est

est superior Constantinopolitano, vt medicus ægroto, sanitatem Ecclesiæ largiens, vt Pontificalissimus Apostolicæ summitatis Antistes Episcopis minimis, vt in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem fatetur illa Synodus; inter quos erat Gregorius Constantinopolitanus, & Theophanes Antiochenus: vt successor Cathedræ Coriphæi Principis Apostolorum eo, qui propterea orthodoxus habitus est, quia epistolam Papæ suscepit, vt Synodus illa testatur in epistola ad Agathonem.

Per septimam Synodum Papa est superior Constantinopolitano, tanquam oculus totius corporis, ostendens toti corpori rectam veritatis semitam, vt fatetur Tarasius Constantinopolitanus in epistola ad Hadrianum Papam, ad finem illius Synodi. Cùm tne tantisque prærogatiuis, quot ipse præ stellis effulget sol, Patriarchæ Constantinopolitano antecellat Papa, ex sanctione Christi Domini, generalium Conciliorum testimonijs, factis veritatem comprobantibus: ille verò Cæsareensi, cæterisque suffraganeis præire cæperit virtute Canonum non legitimorum, tertij secundæ Synodi: Quem, & non peruenisse ad notitiam Sedis Apostolicæ: & si omninò à Patribus subscriptus est, nullius roboris mansisse testatur S. Leo Papa epistola ad Anatolium, & ad Pulcheriam Augustam. Vigesimi octaui quartæ Synodi, quam non exoratus precibus Orientalium, idem Leo Papa reiecit, & 36. quini sextæ; qui à Synodo confectus, nequaquam legitima, nullas habet vires. Præsertim quòd inter hos Canones non est conuenientia. Nàm Canon secundæ Synodi statuit, honorandum esse Constantinopolitanum post Romanum: cæteri verò Canones idem se statuere dicunt, sed non idem statuunt; verùm Romano, & Constantinopolitano æquales honores decernunt, & cum prætereà Constantinopolitanus paulatim creuerit, & limitatam auctoritatem per suppositios illos Canones vsurpauerit, scilicet ad consecrandos tantùm Ponticę, Asiæ, & Thraciæ Diœcesis metropolites. Quomodò tu ægrè fers, & succenses illis, à quibus dictum est; Ità se habere Papam ad Constantinopolitanum, sicut se ille habet ad Cæsareensem; cum illi non iusta propter tioue vsi fuerit? Debebant enim dicere, non ità se habere: sed Constantinopolitanum esse inferiorem Papæ multò magis, quàm sit Constantinopolitano Cæsareensis; quandoquidem Papa habet in Constantinopolitanum potestatem diuinitus traditam, quippè vt Pastor à Deo constitutus, & vineæ custos: Constantinopolitanus autem, vt Leo Papa clamat in suis epistolis, ius alienum præripere voluit, idque solùm ad conseruandum. Tu verò imparilitatem proportionis tun sensu interpretans, ponis quæ nec à Concilijs, nec à Catholicis Doctoribus accepisti, sed inuenta sunt schismaticorum vani loquentiæ,

Ordo Præcedentia Patriarcharum.

Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, Metropes Constantinopolitani. 1. Cæsareens. 2. Ephes. 3. Heracleen. Et deinceps.

Hæc tu tanquam irrefragabilem doctrinam supponens, quasi verò omnis Patriarchatum differentiam in eo tantùm sita sit, vt vnus alteri præcedat: dicis Papam esse primum, sed vt Patriarchis coordinatum, non absolutum, cùm habeat secundum, & tertium Patriarcham. Constantinopolitanum verò habere sub se, non Patriarchas, sed Metropolitas, in quibus est primus, & secundus Metropolita: ità vt primatus Papæ respectu Constantinopolitani, quippè, vt secundi, coordinatus sit; primatus Constantinopolitani respectu Cæsareensis primi Metropolitæ, sit veluti vnitas. Et ridiculo hoc sensu simpliciotibus terricula obijcis, dùm audiunt, Papam esse coordinatum, non esse extra ordinē; Constantinopolitanum verò esse vniratem exemptam, & egregio titulo, non intrà ordinem. Ità enim vulgus Constantinopolitani magnitudinem admiratur.

Quòd verò tu peccas, Primò tamquam certum accipis, quinque vocati æqualiter Patriarchas, quod falsum est. Vsque ad quartam Synodum hæc appellatio non erat in vsu: tertiò verò illius Synodi actione habentur libelli supplices hac inscriptione.

Sanctissimo, & Beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ, ac œcumenicæ Synodo.

Passim verò in actis Episcopi, vel Archiepiscopi vocantur omnes, Si ergo tu per illa tempora: Nile, scripsisses, quibus arrogantia, & ambitio, eondum quinque Patriarchas communi appellatione coniunxerunt, quomodo philosophatus esses de primatu coordinato, dèque vnitate? Solo enim Papa, tunc habente titulum Patriarchæ, cæteris Episcopi, vel Archiepiscopi appellatione contentis, vbi esset coordinatio primi, & secundi Patriarchæ? Nisi dicas, tunc etiam futuram fuisse coordinationem: nam Papa esset primus Episcopus, deindè secundus, & tertius. Ad hoc omnes Episcopos facit coordinatos cùm Papa, & Constantinopolitanum, & reliquos: & nullum locum vnitati relinquit, quam tu Constantinopolitano tribuis: essetque tunc coordinatorum enumeratio talis. 1. Romanus, 2. Constantinopolitanus (supponamus enim ità esse) 3. Alexand. 4. Antiochenus, 5. Hierosolymit. Deindè in Prouincia Constantinopolitana, primus Byzantius, secundus Cæsareensis; Atque ità deinceps singuli Episcoporum, quinque haberent primatum respectum subditorum, & nullus esset vnitas non coordinata, essetq; Papa primus, non nudo præcedenti ordine, vt vos dicitis, sed auctoritate illa Apostolica, quam synodi fatentur, & docent.

Secundò peccas; quia etiam si demus, Patriarchæ nomen fuisse quinque illis commune; at communio appellationis, non infert communionem æqualis potestatis; quòd tu accipis, quasi rem io confesso. Nàm sicut com-

communio nominis, Episcopi, & Archiepiscopi, non infert æqualitatem Papæ, & Constantinopolitani, itá etiam, nec Patriarchæ appellatio. Tu veró ex communitate appellationis, dùm infers æqualitatem dignitatis, primatum Papæ dicis coordinatum; cùm inferre deberes, coordinatum esse appellatione, sed non coordinatum potestate, & hac ratione cùm sit appellatione coordinatus Papa, potestate tamen est vnitas respectu vniuersorum. Constantinopolitanus autem, cùm sit vti secundus Patriarcha coordinatus appellatione cùm Papa, non est respectu sibi subditorum, vt vnitas potestate; sed talis vnitas, qualis, & cæteri Patriarchæ, & Metropolitæ ad suffraganeos Episcopos; vnitates, videlicet, quia priores sedent, & certis quibusdam priuilegijs gaudent; non sicut Papa est vnitas, vtpote successor Petri in auctoritate pastorali.

Tertió peccas, quia quod Papa singulare habet, tu commune facis; & quod commune habet Patriarcha, tu singulare constituis. Singulare est in Papa, quòd Patriarcha sit, & Patriarchas habeat sibi subiectos. Commune veró Patriarchis omnibus, & Metropolitis, & Episcopis, vt sint vnitates respectu eorum, qui illis quomodolibet subditi sunt, neque enim Patriarchis omnibus subditi sunt Patriarchæ, & Metropolitis Metropolitæ, & Episcopis Episcopi. Cùm igitur in hunc modum proponis argumentum. Itá se habet Constantinop. ad Papam, sicut Cæsareensis ad illum, sed Cæsareensis subest potestati Constantinopolitani, ergò & ille potestati Papæ. Tu maiorem non veram falsa tua intelligentia magis deprauas, minorem iuxtà nouas schismaticorum regulas intelligis; ac proinde è falsis Principijs perperam concludis. Vt rectè concludat, itá formanda est ratio. Multó magis subest Constantinop. Papæ, quàm Cæsareensis illi, sed Cæsareensis, iuxtà Græcos, subest potestati Constantinopolitani; ergò multó magis ille Papæ. Nisi fortè hoc tibi velit coordinatio Papæ, & vnitas Constantinopolitani, quòd insanientes quidam dixerunt. Quòd cùm iuxtà pseudocanonem, quem profers, Patriarcha Constantinopolitanus æquales habet honores cùm Papa, plus habuerit etiam hoc, quod sit vnitas exempta, Papa autem coordinatus manserit, si hoc intelligis, iàm tuus Constantinopolitanus, erit etiam Petro sublimior. Petrus enim cùm sit Apostolorum primus, habet, & secundum, & tertium, vt sit per te coordinatus, & non vnitas; qualem fingitis Constantinop. sed hæc asserere manifesta insania est.

CAP. IX.

Si Papa, quia primus est, habet dominatum, erit & Constantinopolitanus Dominus respectu Alexandrini, quia primus est arguit Nilus, sed Cariophillus.

NILVS.

SI verò, quia primus numerando est Papa, id circò & dominatum arripis; hoc idem dato, & Constantinopolitano; recensetur enim, & iste Prior Alexandrino, similitèr Alexandrinus sub se Antiochenum habet. Rursùs, & iste arbiter sit sedis Hierosolymorum. At hæc quomodo non fuerint opertarum perturbatio?

CONFVTATIO.

Aliquid diceres, si prænumeratio esset origo dominatus; at quia dominatus est prænumerationis causa, quid valet sophisma tuum? Vnum agnoscit quarta Synodus Ecclesiæ caput, & custodem vineæ, vnum à Saluatore constitutum, probantem, & improbantem, quæ rectè se habent, & quæ secus. Hec est causa prænumerationis Papæ. Cęteri verò Patriarchæ nudam habent prænumerationem, & subnumerationem. Vt si dicamus; Caput prænumeratur pectori, & pectus ventri, & venter fœmoribus; sed non pari ratione. Nàm caput prænumeratur, vt principale membrum, non solùm ordine, & situ, sed virtute, etiam & dignitate: cętera membra prænumerantur, & subnumerantur ordinis, & situs differentia, non capitis virtute, & dignitate. Quæ ergò hinc perturbatio, quando naturæ hic est ordo: & ab auctore naturæ hunc eundem habet Hierarchia Ecclesiastica?

CAP. X.

Romanus Papa nullo modo, inquit Nilus consecrat Constantinopolitanum, sed falsitatem euidenter detegit Cariophillus.

NILVS.

PRæterea si Constantinopolitanus consecrat Cæsareensem, & qui post illum sunt; Romanus autem nec Constantinopolitanum, nec vllum ex principalibus Episcopis consecrat; quomodo verùm sit, itá esse primum Romanum respectu Constantinopolitani, sicut hic ipse est respectu sibi subditorum?

CONFVTATIO.

Quam dicis consecrationem? illam ne quæ fit per ipsam Hierarchæ manum; sicut Aga-

Et Zonas, & Iustin.

Agapetus Papa Menam Patriarcham consecrauit, expulso Anthimo hæretico, vt Iustinianus Imperator ait nouella 42. ? an consecrationem, sine ordinationem intelligis, de qua statuit 1. Synodus Can. 6. si quis præter sententiam Metropolitani factus fuerit Episcopus, hunc magna synodus statuit non debere esse Episcopum. Si primo modo necessariam dicis, vt seruetur primatus, temerais ridiculam. Ac si diceres, neminem regnare posse, nisi super eos, quos ipse Rex genuit. Et quartæ synodi Patres, non erant consecrati per Papam, quem tamen suum caput, & moderatorem Canonum agnoscebant, quando de honorando Constantinopolitano, præ ceterisOrientalium sedibus erat illis studium. Differt enim plurimum consecratio à iurisdictione. Consecratio generandi facultatem imitatur; Iurisdictio sacerdotalem instruit vniuersitatem. Ità Romanus Episcopus Orientales omnes Patriarchas, & Præsules; vt particulatim ostensum est, & ostendetur, iudicabat, absoluebat, repellebat auctoritate Apostolica, licèt ab ipso non consecratos. Si verò ordinationem secundo modo intelligis; vt scilicèt præter maioris sententiam Episcopi non fiant, rursùs pronuncias falso innixus fundamento. Vndè enim habes, Patriarchas fieri solitos præter sententiam Papæ? Clamat Leo Papa in Epistolis ad Marcianum, & Pulcheriam parte 3. Syn Chalcedonensis; sui fauoris assensu Anotalium obtinuisse Constantinopolitanum Episcopatum. Clamat Hadrianus Papa, Act. 2. septimæ Synodi, præsertim in Latinis authenticis literis, quas ponit integras Anastasius Bibliothecarius: Quòd nisi per fidelem Tarasij concursum pro sanctarū imaginum erectione, assensum nequiuisset omnimodo tribuere in eius consecratione. Quid multa? Vndè ortum est ingens schisma, quod Orientalem, heu depascitur Ecclesiam; nisi quia Photius Romanorum Pontificum increpationes non ferens, ambitionis eius nimios impetus reprimentium, nec suscipientium illum, vt legitimum Patriarcham; ipse habenis obedientiæ fractis iecit seminà defectionis, nouique in Ecclesia principatus, & calamitosi schismatis plantauit errorem? frustrà igitur infers tuum paradoxum; Magis subesse Constantinopolitano suos, quàm ipsū Romano. Cùm enim fuerit probatum, Papam esse dominum consecrationis Constantinopolitani. Qui si legitimum vnquam habuit inter suos primatum, à Papa hoc impetrauit, sicut post Leonis tempora, vt esset in secundo ordine, à Papa habuit, quemadmodum testatur Hadrianus Pontifex in suis authenticis literis, Act. 2. septimæ Synodi: factum enim hoc ait per sedis Apostolicæ auctoritatem; non tamen permittit, vt vocetur œcumenicus: nàm prauitatis hæreticæ hoc esse decernit. Probatum ergò cum sit, Papam esse dominum consecrationis Præsulum Constantinopolitanorum, ex hac tota disputatione, necessariò sequitur contrarium, nimirùm Papam multò magis præesse Constantinopolitano, quàm illi suos,

CAP. XI.

Arguit Nilus ex 6. Canone Nicæno, Occidentem solùm datum Romano Episcopo, sed non concludere contra Papam, sed pro Papa respondit Cariophillo.

NILVS.

Legito sextum Canonem primæ Synodi, vt scias, partem Alexandrino, partem vniuersi adiudicatam fuisse Romano, & partem Antiocheno: nec licere vni in partem alterius insilire. Antiqui mores seruentur, &c. Audis Canonem præcipere, vt veteres Patrum leges obseruentur; quòdque hoc datum sic Romano, nimirùm occiduis præesse partibus, sub sede autem Constantinopolitana esse ait Diœceses Asianas, & Ponticas, & Thracias Canon. 28. Quartæ Synodi. Si igitur sua quisque parte contentus est, totum ordinem seruat. Si quis verò sua quidem retineat, iniquis autem oculis alienas quoque affectet prouincias, hic omninò mores Patrum antiquos perstringit.

CONFVTATIO.

Egregium sanè hominis ingenium. Canon primæ Synodi quatuor sedes memorat, in quibus potissimùm vult antiquos durare mores; tu verò quintam addis sedem, Constantinopolitanam; & è prima Synodo saltas in quartam, & antiquis Apostolicarum sediū moribus annumeras, quæ sunt Constantinopolitani; proferśque Canonem illegitimum, improbatum, nullas vires habentem.

Deindè, & germani Canonis principiū recidistis, vt constat ex 16. Act. quartæ Synodi. Siquidem recitatus ibi Canon, à Romanis sic habet. Ecclesia Romana semper habuit primatum; Habet igitur, & Ægyptus, vt Episcopus AlexandrinusÆgyptiorum omnium habeat potestatem, quandoquidem, & Romano Episcopo, hoc in more positum est, iuxtà Orientales autem ità se habet,

Antiquæ consuetudines seruentur, quæ in Ægypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: Quandoquidem hoc, & Romano Episcopo in more positum est.

Ità verò Canone detruncato illud admirari licet, primatus Romani factam esse mutilationem, & additamentum de Constantinopolitano, & huiusmodi fraudibus oppugnatis Papam, & eximiam vestram stabilitis orthodoxiam.

Dicis, voces illas (Quandoquidem hoc & Romano Episcopo in more positum est) hoc sibi velle; Quandoquidem Romano Episcopo datum est, vt Occidentalibus præsit. Sed hoc (præter quàm quòd verba Synodi non significant, dari eo tempore Papæ potestatem in Occidentales, sed vt antiqua sup-

po-

ponunt) non interpretari est, verum inferre vim vocibus, non enim dicit, sicuti mos est in Occidentalibus; sed, Quandoquidem hoc est in more. Hoc, pronomen cum demonstrarium sit, si rem ostendat, præsentem significant; vt cum dicimus; Hoc est corpus meum. Si res non præsens sit, necesse est, vt vis demonstrationis feratur, vel in proximè antecedens, vel in proximè subsequens. Vt cum in primo Canone primæ Synodi aiunt Patres (sicut autem manifestum est dictum hoc esse de ijs, qui rem hanc de industria faciunt, & virilitatem sibi abscindunt) certè pronomen, hanc, demonstrat, quod proximè sequitur. Et Canone 5. exquiratur, inquiunt, ne indignatione, aut contentione, aut quauis alia Episcopi offensione excommunicati sint, vt igitur hoc digna examinatione quæratur, visum est in rem esse.

Pronomen, hoc, significat, quod proximè antecedit. Et Canone 8. de Catharis, (ante omnia, inquiunt, hoc eos fateri oportet scripto, se suscipere & sequi Catholicæ Ecclesiæ dogmata) Pronomen, hoc, refertur ad immediatè subsequens. Quomodo igitur, quando sextus Canon ait: Vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Rom. Episcopo hoc in more positum est: pronomen, hoc, non refertur ad præcedens, non ad aliquid consequens, vt suaptè natura postulat; sed per te demonstrat, quod nec antea, nec postea relatum est? Ità enim peruersè interpretari est, & vocum significantias detorquere.

Quod si omissis distortionibus nudum Patrum sequaris sensum, inuenies mentem illorum esse, vt consuetudines antiquæ seruentur: seruentur Alexandriæ, quoniam hic Romani etiam mos est. At mos antiquior Romani Episcopi nullus est, quàm is, quem Princeps Apostolorum Petrus induxit: induxit autem Antiochiæ, vbi primum ille sedem tenuit, deindè Euodium constituit: induxit morem Alexandriæ, constituto eius Episcopo Euangelista Marco. Præcipit igitur, vt hi mores seruentur,& Diœceses iam diuisæ non confundantur, cum sedes Romana semper habuerit primatum indefinitè, ità vt mores particulares pendeant ex more Roman. Ecclesiæ.

Hic sensus, & planus est, & rerum veritati consentit. Sed ponamus sensum verborum esse, qui tibi placet, sua habeat Alexandria, quoniam Occidentales partes habet Romanus. Duo hic sunt, quæ inter se differunt; Diœceses, & terræ climata esse dispertita, & in his Diœcesibus nullam esse subordinationem. Primum asserit Canon. Secundum tu addis. Habemus à Canone, prouincias esse dispertitas, sed esse ità diuisas, vt nulla sit illarum subiectio, non dicit Canon, at vos additis. Si quis dicat, diuersa esse membra corporis, & officia diuersa, verum dicit: at non ideo negat cor, quod vnum membrum est, esse illud, vnde in totum corpus vita emanat: Si quis Romanum dicat imperium in multas diuidi prouincias, verum dicit: ac non ideò negat, vnam esse Regiam vrbem, in qua sedet Imperator, quæ simul est, & Imperij pars, & caput Imperij. Diuisæ sunt, & gentes ab initio per Petrum ad commodam administrationem varijs subditæ Patriarchis; cæterum in his etiam est communis Religionis, & orthodoxiæ Metropolis, cui subsunt omnes, Romana sedes. Si Canon primæ Synodi illum sensum haberet, quem tu ais, profectò Synodi posteriores œcumenicæ contrarium non docuissent; non ostendissent verbis, & factis, Patriarcharum auctoritatem esse limitatam, Papæ auctoritatem toto orbe illimitatam. Quod, vt perspectum fiat, inductione probabitur.

Patres œcumenicæ Synodi secundæ, vt narrat Theodoretus V. Hist. Ecclesiasticæ, celebrato Constantinopoli generali Concilio, sequenti ætate plurimi eorum rursus conuenere Constantinopolim, & accepta Synodica epistola ab Occidentalibus conuocante illos Romam, responderunt; Hoc quidem se tunc non posse; Constantinopolim verò conuenisse vi literarum anno superiore missarum ab Occidente ad Imperatorem Theodosium: præsertim cum non haberent peculiarem assensum ab Episcopis, qui remanserant in Prouincijs, & quia præfinitum tempus angustum erat. Ex his ità dico: Orientales vi literarum Papæ conuenerunt Constantinopolim. At hoc est auctoritatis extendentis se vltrà regiones Occidentales: ergo Papa habet auctoritatem etiam extra Occidentem. Ante sanctam tertiam Synodum scribebat Cyrillus ad Cælestinum Papam de insipiente Nestorio, prima parte Concilij Ephesin. capitulo 14.

Quoniam antiquis Ecclesiarum mos suadet, de rebus adeò necessarijs admonendam esse tuam sanctitatem, in quibus & fidei rectitudo labefactatur, scribo iterum necessariò.

In his Cyrillus ait, se necessariò scribere Papæ pro antiqua Ecclesiarum consuetudine, quando fidei rectitudo periclitatur, ex hoc dico. Mos erat Ecclesiarum periclitante fide scribere ad Papam; est ergo Papa custos fidei, & Ecclesiæ illum agnoscebant hæresum vbique terrarum exorientium castigatorem; ergo & potestate fungentem extra Occidentem, & ad finem epistolæ scribit Cyrillus,

Non prius autem ab illius communione palàm, apertèque abstinemus, quàm hæc pietati tuæ nota faceremus. Ne igitur dedigneris statuere, quod placuerit, & an communicandum cum illo sit, an verò liberè ei denuntiandum. Neminem communicare cum eo, qui ità sentiat, & doceat. Tuæ porrò pietatis sententia per literas notificanda est Reuerendissimis Macedoniæ Episcopis, & cunctis Orientalibus.

Si Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non audet se ab hæretici communione segregare citrà Papæ mandatum; à quo petit statui, quod placuerit, & notam fieri eius sententiam cunctis Orientalibus, ergo potestatem habet Papa in Patriarchas, & in vniuersum Orientem. Respondens autem Cælestinus Cyrillo ait.

Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostraque vice, ac loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris; nempè, vt nisi decem dierum interuallo nefariam doctrinam suam

suam conceptis verbis anathematizet, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.

Ac quomodo posset clarioribus verbis exprimi, Papam esse iudicem, & solum arbitrum omnium Patriarcharum? Quid? quòd ex hac Cyrillo delegata potestate successores Alexandrini Patriarchæ sumpsere fastosos titulos, & ambitiosas inscriptiones, vt se Papas, & Patriarchas, & orbis terrarum iudices vocent? Tanta olim erat apud Orientales opinio, & maiestas Papæ, quam modò vos adeò extenuatis. Eadem Cælestinus, & Nestorio scribit, sententiam cum potestate proferens, & excommunicationem interminans.

Quomodo ergo Papa hæc minabatur, & decernebat, si nullam habebat in Patriarchas potestatem? Quomodo etiam actione secunda tertiæ Synodi Cælestinus Papa scribens ad Synodum?

Diximus, inquit, pro nostra sollicitudine Arcadium, & Proiectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis, quę aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur.

Statuta, inquit, à nobis exequantur: Præsente Synodo œcumenica dicit Papa; executuros esse legatos statuta ab eo, cum Sanodus ad hoc vnum congregata esset, & omnes Reuerendissimi Episcopi simul acclamarunt: Hoc iustum iudicium: Cælestino vniuersa Synodus gratias agit. Et Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus interlocutus dixit: Posteaquam elapsum esset tempus præstitutum Nestorio, mandatam fuisse executioni sententiam, quam miserat Sedes Apostolica Cælestini. Deindè Philippus Presbyter Papæ legatus, quomodo ausus esset Synodum ità alloqui?

Gratias agimus sanctæ Synodo, quòd literis Beati Papæ nostri vobis recitatis, sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis vestris acclamationibus obtuleritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, & Apostolorum, caput esse beatum Petrum, & hic idem Philippus actione 3.

Nulli dubium, inquit; immò seculis omnibus notum est, quòd beatissimus Petrus Princeps, & caput Apostolorum, columna fidei, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, Regni claues accepit à Domino nostro Iesu Christo; & ipsi data est potestas ligandi, soluendique peccata. Qui vsque adhuc, & in perpetuum in suis successoribus viuit, & iudicat.

Et hæc dicentem suscepit sancta Synodus, & sua confessione dicta illius obsignauit, in Relatione ad Papam scribens de Ioanne Antiocheno, qui celebratimum Cyrillum iniqua depositione damnauerat.

Verum, vt Ioannis temeritatem longanimitate vinceremus (depositionem eius) reseruauimus iudicio pietatis tuæ.

Et infrà. Proindè sanctitas tua conuenienti indignatione concitetur. Nam si volentibus licebit etiam maiores sedes afficere contumeliis, & sententias adeò iniquas contra præscripta Canonum ferre in eos, in quos nihil iuris habent, in extremam confusionem dilabentur res Ecclesiasticæ.

Prouocat Synodus indignationem Papę, quoniam Antiochenus iniquè deposuerat Cyrillum maioris sedis Episcopum. Quo igitur modo dici queat, Synodum illam non agnouisse in Papa potestatem vniuersalem, si iudicium illi relinquebat, & ægrè ferens Antiochenum vsurpasse iudicium in Alexandrinum, rogat Papam, vt iudicet Patriarchas, & ne permittat Ecclesiæ res deuenire in summam confusionem?

Sancta Synodus quarta multis, magnifique testimoniis fatetur vniuersalem Papæ auctoritatem. In ipso enim exordio Paschasinus Episcopus Papæ Vicarius cum in medio stetisset vna cum suis Collegis, dixit.

Beatissimi, atque Apostolici Romę Episcopi, qui omnium Ecclesiarum est caput, mandata habemus, quibus præcipere dignatus est, vt Dioscorus non sedeat in Concilio. Quod si tentauerit, eiiciatur.

Quam auctoritatem hæc verba designant? & quale caput Papa in iis describitur, solo ne ordine, & prærogatiua sedendi ante alios; an etiam potestate? Rursùs hæ voces spectant ne ad honorarium dicendi genus, an ad meram potestatem? Quærentibus autem senatoribus, qui præsentes aderant, causam; respondit legatus Papæ.

Personam iudicis arripuit Dioscorus, quam non habebat, & Synodum celebrare est ausus sine impetrata facultate à sede Apostolica, quod numquam factum est, nec fieri licet.

Sin erat Dioscorus, per primæ Synodi Canonem distributa esse Patriarchis terræ climata, vt suis quisque contentus esset, & iniquos oculos non conjiceret in alienas parœcias; cur homo arrogantissimus non contradixit, cui senatores etiam fauebant; sed coactus est sedere in reorum loco propter mandatum Papæ? Nam qui antea scelus nefarium, & intolerabile ausus erat, propter quod vnum à sancta Syuodo damnatus est, vt fatetur Anatolius Constantinopolitanus; nimirùm excommunicationi subiicere Papam, qua ratione non fuisset ausus exclamare, si potestatem Papæ non agnosceret, & loquendi libertatem, qua legati vtebantur, recundere? Neque enim tunc honorarij Sermonis tempus erat, sed agebatur de illatis criminibus, de sede, de fide.

Et Theodoretus Act. 1. huius Synodi, cum iam ereptus erat Episcopatus, habebat contradicentes Episcopos Ægyptios, & non ferentes, vt ille consideret in Synodo. At senatores dixerunt.

Ingrediatur & R. Theodoretus, vt fit particeps Synodi, quandoquidem Episcopatum illi restituit Leo sanctus Archiepiscopus. Et rursùs:

Theodoretus R. Episcopus cum suo loco restitutus surrit à sanctissimo Archiepiscopo inclytæ Vrbis Romæ, ingressus est.

Eadem, & actione octaua repetuntur. Quomodo igitur, si nulla erat in Oriente Papæ auctoritas restitutus est Theodoretus auctoritate Papæ, & sedit in Episcoporum ordine antequam vniuersa Synodus de eo sententiam ferret? Quomodo inclamantes Ægyptij, dicentesque ab vniuersa Synodo damnatus est; non etiam responderunt, & quam habet Papa potestatem in Orientalem Episcopum damnatum à Synodo, quam illi œcumenicam habebant?

Illud

Illud prætereà actionis quintæ. Qui contradicunt, Nestoriani sunt. Qui contradicunt, erant Romam: an non insigne testimonium est vniuersalis potestatis Papæ?

Aiebat Cyrillus, se necessariò scribere Papæ, dum fides esset in periculo. Episcopi quartæ Synodi, hæreticos aiunt Romam esse mittendos, qua ratione etiam tertia Synodus depositionem Ioannis Antiocheni reliquit Papæ, & sexta Synodus Macarium Antiochenum, & socios hæreticos transmisit ad Papam, vt scribit Constantinus Pogonatus Imperator in epistola ad Leonem Papam. Quid ità? nisi propter eam causam, quam affert quarta Synodus, quia custos vineæ est Papa, & potestatem habet iudicandi de fide, & Sacerdotibus, vt inquit Valentianus Imperator in epistola ad Theodosium Imperatorem. Alioquin.

1. part. Synod. 4. c. 25. act 4. Quomodo ausi essent Legati Papæ, coram hac frequentissima Synodo cunctarum Ecclesiarum Archiepiscoporum vocare Papam? & actione sexta cum definitionem subscriberent, his titulis vti; Apostolici vniuersalis Ecclesiæ, & Episcopi omnium Ecclesiarum eo præsertim tempore, quo vigebat studium extollendi Sedem Constantinopolitanam. Sextæ quoque Synodi non leue testimonium, etsi enim Constantinopolitani eiulum œcumenici per id tempus sibi arrogabant, prodigiosam hanc appellationem vsurpantes tamen huius Synodi Patres, inter quos erat Georgius Constantinopolitanus, dum faciunt mentionem Papæ, & cœtus Episcoporum, his vsi sunt vocibus in Prosphonetico ad Imperatorem. Senioris Romæ, & Apostolicæ

Act. 18. summitatis Pontificalissimus Antistes, nosque minimi. Quod explanantes Legati Papæ, ità Prosphonetico subscripserunt.

Theodorus, Georgius, Ioannes locum tenens B. & vniuersali Papæ, &c. Quòd enim omnes Episcopi minimos se appellarint, Papam verò Antistitem Pontificalissimum: Deinde hunc & œcumenicum inscribi, maximam est differentiam fateri inter Papam, & Patriarchas.

Quid, quod in literis ad Agathonem Papam hęc Synodus.

Maximi morbi, inquit, maioribus indigent auxilijs. Idcircò Christus, vitæ nostræ vera conditrix, & gubernatrix rerum, sapientem dedit medicum, vestram à Deo honoratam sanctitatem, quæ & contagia prauitatis hæreticæ depelleret salubribus orthodoxiæ medicamentis, & valetudinis robur membris Ecclesiæ largiretur.

Morbi, qui maximus euaserat, medicum esse, inquit, Papam, largientem Ecclesiæ membris sanitatem. Cur enim recitatis in illa Synodo Sophronij Hierosolymitani Episcopi, qui plurimum contra Monothelitas decertauerat, orthodoxis Synodicis, Patres medicinalem vim in membra Ecclesiæ solis tribuunt literis Papæ? Consona quippè docentes Patres in suis scriptis, quod quarta Synodus aiebat, Papam vocans custodem vineæ à Saluatore constitutum, hoc idem sexta exprimit, sapientem medicum appellans, à Christo datum ad expellendum prauitatis hæreticæ morborum, & largiendam Ecclesiæ membris sanitatem. Quis neget, hæc esse vniuersalis in Papa potestatis testimonia? Et Constantinus Imperator Leoni Papæ scribens, hoc titulo vtitur. Beatissimo Archiepiscopo veteris, & inclytæ vrbis Romæ, & œcumenico Papæ. Et coniungit duo, esse Romæ Episcopum, & esse œcumenicum Papam.

Esse porrò Papam œcumenicum, non ordine tantùm, & sedendi loco, vt vos dicitis, sed potestate, & auctoritate, declarat infrà Imperator:

Christi, inquiens, oues in vnum gregem redegimus, quæ ab vno, & solo Pastore bono pascantur, quo cum, & vos pascere iussi estis, & animam pro omnibus ponere.

Ergo viriliter age, & confortare, & accingere verbi gladio, & firmus pietatis sta propugnator, omnemque hæreticum auditum, atque doctrinam præcidere stude, sicut & Petrus olim iudaicè auditus sensorium gladio percutiens abstulit. Attole securim Spiritus, & omnem arborem ferentem fructum hæreseos, vel institutionibus transplanta, vel canonicis pœnis excinde, & igni futuræ gehennæ transmitte.

Attollat, inquit, Papa securim in omnem arborem ferentem hęreseos fructum, & vel institutionibus magisterij transplantet, vel Canonicis censuris excindat cum potestate. Habebat ergo tunc temporis Imperator, & Constantinopolis Papam, non solius Prę- sulem Occidentis, & vt recentiores aiunt, sed nullis arctatum auctoritatis terminis per vniuersum. Habebat pro Pastorum œcumenico Principe, per quem Petrus loqueretur; vt idem ipse Imperator ait in epistola ad Synodum Sedis Apostolicæ. Denique obsignat Imperator rescriptum ad Papam his verbis.

Hortamur porrò vestram sanctissimam summitatem, vt quàmprimum mittat, quem designare solet Apocrisiarium, vt is in Regia & à Deo conseruata nostra vrbe degat, & in emergentibus, siue dogmaticis, siue Canonicis, ac prorsus in Ecclesiasticis omnibus negotijs vestræ sanctitatis personam referat.

Si ergo cum Pastore Christo pascit Papa & mos erat, Apocrisiarium Papa Constantinopoli degere, qui illius gereret personam in omnibus Ecclesiasticis negotijs: hoc autem nihil est aliud, quàm res Ecclesiasticas moderari, vt constat ex vita, multisque epistolis sancti Gregorij Magni; quomodo tu dicis Nile, distributas esse gentes Patriarchis, vt suis quisque contentus sit, & nulla sit subordinatio? Hoc idem pariter liquidò constat ex act. 7. Synodi.

Scribebat Leo Isaurus Imper. Iconomachus Gregorio Papæ II. de conuocanda Synodo œcumenica, vt diximus, & videre est in literis illius Papæ ad Leonem ante primam actionem. Et Papa respondit.

Scripsisti, vt Concilium vniuersale cogatur, & nobis inutilis ea res visa est, fac nos te audisse, & congregatos esse Episcopos ex vniuerso Orbe, &c.

Si non agnosceт in Papa Iconomachus generalem auctoritatem, quomodo petijsset à Papa conuocationem Synodi generalis? Qui possit enim fieri per Papam œcumenica Synodus,

nodus, si œcumenica auctoritas non sit in Papa?

Et Patriarcha Constantinopolitanus Tarasius quomodo scribebat Hadriano Papæ; Et cum ante omnia lectæ essent literæ vestræ sanctitatis, communi omnes considebamus corona, spiritalibus epulis tamquam in Regia cæna fruentes; quas per literas tuas Christus præparabat conuiuis, & sicut oculus toti corpori rectam veritatis semitam ostendebas.

Nam esse oculum, qui veritatis semitam toti corpori ostendat, quid est aliud, quàm Papam esse custodem fidei, & propugnatorem errore inuulnerabilem, & Petrum in illo loqui? si ergo est fidei totios corporis dux, ergo & fidei Patriarcharum, & se habent Patriarchæ ad Papam vt duce indigentes ad ducem, & gubernanti ad gubernatorem. Et liquet ex his omnibus, vel sanctas Synodos fuisse deceptas, quæ factis, & dictis approbarunt, & agnouerunt in Papa generalem Petri auctoritatem, vel te errare, qui malè, & peruersè interpreteris sextum primæ Synodi Canonem. At qui impossibile est primum, ergo secundum necessariò verum est,

Cum verò infers; quod si terræ climata singulis principalium Episcoporum essent attributa, & Romanæ Sedi nihil esset peculiariter assignatum, sed soli ipsi Principatum in alios datum diceret Canon; iure affirmari posset, totum terrarum Orbem illi subesse, & principales Episcopos administrare, quæ illius sunt; quemadmodum subditi Constantinopolitano administrant, quæ illius sunt; At si Romano quidem illud attributum est, illud verò Alexandrino, hoc autem Constantinopolitano; non magis sub illis Romanus, quàm illi sub Romano sunt, quod ad hoc attinet.

Hęc veritati nihil obstant. Quod enim partem sibi Papa reseruauerit, non tollitur per hoc indefinita subordinationis ratio, sicue ex eo, quod sit cor vnum certum membrum, non tollitur, quin sit generale principium vitę omnium membrorum. Qua ratione Papa in actis Synodorum, & Romæ Episcopus, & œcumenicus vocatur. Sed tu callido sophismate vteris, desitum, & indefinitum non sumens respectu eiusdem; ac si quis diceret: Cor certum & determinatum est membrum, ergo non indeterminatum: cum tamen sit determinatum, cęteris indeterminatum sit. Itaque falsum accipis, cum dicis; Debuisse nihil assignari Papæ determinatè, vt diceremus, totum illi Orbem subesse, non enim hoc, sed oppositum necessariò requiritur. Nam ve Papa locum capitis obtineat in Ecclesia, quod sanctæ Synodi affirmant, necesse est vt & certum hoc membrum, caput, ex determinatis constet particulis, & rationem principij respectu aliorum membrorum indeterminatè habeat, ex quo sequitur necessariò, omnes subesse Romano, non sicut Constantinopolitano subsunt, qui sub illo sunt, sed multò magis, vt diximus.

CAP. XII.

Etiam ad Patriarcham Constantinopolitanum pertinent appellationes, ait Nilus ex 9. Canone 4. Synodi, sed eum confutat Cariophillo.

NILVS.

SI verò quia rerum Ecclesiasticarum appellationes habet, idcircò illum constitui vis Dominum; cum eas habeat, & Constantinop. subsint illi etiam cęteræ Sedes. Sed neque Constantinop. propter hoc constitutus est illarum iudex, nec Papa debet propter hoc prouincijs aliorum Patriarcharum molestus esse. Lege quare Synodi nonum Canonem, vt scias ad Constantinopolitanum etiam pertinere appellationes.

CONFVTATIO.

Ista comparatio: Habet Papa Ecclesiasticorum appellationes, habet & Constantinop. plena sophismatum est; ideòque multorum absurdorum origo.

Primò enim, nonus, quem citas, quartæ Synodi Canon, suspicione non caret. Nam Leo Papa in suis epistolis, quæ tertia parte quartæ Synodi habentur, apertissimè asserit, œcumenicam illam congregationem Sacerdotum esse factam ad extinguendam solùm hæresim, non etiam ad Canones condendos.

Secundò, appellationes ad Papam, atque ad Constantinopolitanum, quasi nulla ratione differentes supponis, & veritatem intimè lędis. Habet appellationes Papa ab initio, ab ortu Euangelicæ prędicationis.

Testis Antiochena Synodus contra Paulum Samosatenum; qui cum depositus esset, parere noluit, vt tradit Eusebius VII. historiæ. Quare ab Aureliano Imperatore, ad quem Synodus confugit, responsum fuit; illi dandum Episcoparum, cui Romanus Episcopus adiudicasset, & iudicium hoc Imperatoris æquissimum vocat Eusebius. At certè non esset æquissimum, nisi Papa esset iudicij Synodici congruens iudex.

Testis Dionysius Alexandrinus, vt narrat sanctus Athanasius in ijs, quæ pro illo scripsit, & epistola de Synodis Ariminis, & Seleuciæ. Accusatus enim iste Dionysius, Apologiam suam scripsit ad Papam; idque ante Nicænam Synodum.

Testis ipse Magnus Athanasius, qui ante Sardicensem Synodum, à qua ius appellationum Papæ concessum asserunt Neoterici Orientales, elapsus ex Arianorum insidijs, peruenit Romam, & res suas permisit Ecclesiæ, vt ipsemet scribit in Apologia ad Constantium.

In secund quoque Apologetico affert pro se Athanasius epistolam Iulij Papæ, in qua de appellatinnibs hæc habentur.

Non enim soli, Athanasius, & Marcellus

ius Episcopi Romam venerunt, iniusta se passos querentes, sed plurimi alij Episcopi è Thracia, Cœlesyria, Phœnice, & Palestina. Presbyteri quoque non pauci, alij quidem Alexandria, alij verò ex alijs partibus venerunt ad hanc Synodum.

Testis Eutyches Archimandrita, vt ex prima actione quartæ Synodi constat; & epistolis sanctis Leonis Papæ ad sanctum Flauianum, & Theodosium Augustum. Depositus enim Eutyches, & excommunicatus à sancto Flauiano, & eius Synodo ante quartum generale Concilium appellationis libellum obtulit Papæ.

1. par. cap. 2. cap. 10.

Testis idem sanctus Flauianus, quando depositus à Dioscoro prouocauit, & ipse ante Concilium quartum, vt constat actione eius prima, & ex epistola Valentiniani ad Theodosium. In hunc modum habet appellationes Papa: Constantinopolitanus verò per te habet ex nono quartæ Synodi Canone: differunt igitur, vt quid recens ab antiquissimo. Differunt prætereà, vt limitatum ab illimitato. Nam Constantinopolitano datæ sunt à Synodo illa appellationes, quæ ferri possent à Diœcesibus illi concessis, Asia, Ponto, & Thracia, est enim in concesso apud Græcos, non prouocare ad Constantinopolitanum eos, qui subiecti sunt alijs Patriarchis, ac verò ad Romanum referuntur appellationes, vt probatum est, & à Patriarchis, & ab vniuersa Ecclesia, ità vt cæteri Patriarchæ sine quidem post Constantinopolitanum, sed non sub Constantinopolitano; omnes verò sint post Romanum, & sub Romano. Vides, quantum in argumento pecces? Habet etiam Constantinopolitanus; ergo si Constantinopolitanus non est propter hoc aliorum iudex, nec Papa erit, non sequitur; quia sibi subditorum, non post se numeratorum est iudex Constantinopolitanus, & quorum iudex est, eorum etiam appellationes habet, & contrà: nam conuertur. Papa verò cum omnium appellationes habeat, omnium quoque est iudex & ex hac differentia tollitur sophismatis impostura. De vicesimo autem octauo, quartæ Synodi Canone, deque 46. quinisextæ, quos citas, nihil dicemus. Nam quartæ Synodi Canon ille iam reprobatus est, qui eosdem honores statuit Papæ, & Constantinopolitano: eodem modo reprobabitur, & Canon quinisextæ, quando de illa Synodo erit sermo.

Part. 3. c. 25.

CAP. XIII.

Tyrannus est, qui à nemine iudicatur, inquit Nilus, sed Cariophillus ostendit esse Principis Summi, & Nilum repugnantia dicere.

NILVS.

Qvòd verò omnes ipse iudicans à nemine iudicetur, hoc & falsum, & moribus Apostolorum contrarium est. Nam si Paulus confert cum alijs Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. Et rursus Petrus à Paulo increpari se patitur. Quomodo iste quasi tyrannus vitam nulli iudici obnoxiam traducet? Quòd autem falsum quoque sit, indè patet. Nam de dogmatibus Honorius est testis, qui iudicatus à sexta Synodo, & anathemate condamnatus est. De moribus autem certum est, illum & cunctis quidem teneri legibus, & quilibet Episcopus, cum inter Episcopos numeretur; sunt porrò leges huiusmodi multæ, partim à Concilijs generalibus editæ, speciatim verò videtur à sanctis Patribus reprehendi. Lege Canonem quinisextæ 13. de coniugio Sacerdotum, & 55. de sabbato.

CONFVTATIO.

Tu quidem fundamentis tuis conuenienter loqueris, sed à veritate aliena, & iam reiecta, si enim Papa per te Primatum habeat Patrum beneficio; & successor est Petri; non secus, ac quiuis alius Episcopus ex ijs, quos Petrus consecrauit; & potest errare in fide; & primus est ordine tantùm; & definitam habet Diœcesim; certè rationi consonum est, vt iudicetur, & ipse sicut alij, & nullo sit priuilegio exemptus.

At si ea omnia nugatoria sunt, ac falsitatis, & nouitatis plena; certè & quæ infers, inanes cantilenæ sunt. Confert Euangelium Paulus; Petrus increpari se patitur; ergo etiam Papa iudicio subdendus est? An non animaduertis insulsitatem syllogismi? aliud est conferre, & increpari, & aliud iudicari. Illa charitatis, & amicitiæ sunt, hoc potestatis. Quod si increpari Petrum, videtur tibi Principatus imminutio, audi eximium Doctorem Magnum homilia in Ezechielem 18.

Petrus, inquit, se etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re, factus est sequens minoris sui, etiam vt in hoc præiret. Quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus in humilitate.

Sed si omninò vis non quidem iudicari Papam, sed increpari à Compatriarchis, sicut Apostolus à Coapostolo; meminisse debes dicta, & confessione Patrum in Synodis; quòd oculus, & vertex; & Pater Episcoporum omnium Papa: illi verò Coapostoli, & proportio non quadrat. Increpabat Cœlestinus in tertia Synodo Nestorium, non increpabatur, increpabat Leo in quarta Dioscorum, & increpationes Synodus approbabat; procacitatem verò Dioscori aduersùs Papam cum horrore detestata est. Agatho Papa in sexta Synodo scribebat: Apostolicos suos prædecessores commonuisse, rogasse, increpasse Orientales, vt curarentur. Et Hadrianus Papa in septima Tharasium Constantinopolitanum increpabat, quòd ex laico ordine Patriarchatus culmen esset adeptus, & inscriberetur Oecumenicus. Tu verò Euangelicum peruertis ordinem, & Papam non increpari modò vis, sed etiam iudicari: & Honorium inculcas, quem iudicauerit, & condemnauerit sexta Synodus etiam post mortem. Et vocas sextæ Synodi opus, quod Acephali egerunt Orientales. Nec vides, haud primos hoc ausos esse Patres sextæ Synodi. Ità enim Patres secundæ

Syno-

Synodi clandestinum scripserant Canonem de honore Constantinopolitani sine Papa. Ità quartæ Synodi Patres, vt enarratum est, ità soli postmodùm Orientales celebrata Synodo Quinisexta schismati radicem posuere. In summa quicquid Orientales in Concilijs egerunt clàm Papa, non sacris Concilijs tribuenda sunt, sed artificiosis quorumdam machinamentis.

Quare multum conqueritur Leo Papa in quarta Synodo. Iudicauit, & condemnauit Honorium liuor eorum, qui dicta illius mala interpretatione exceperunt, & loquebantur, quæ sibi cordi erant, vt ait sanctus Maximus in dialogo, quem supra citauimus. Non ferebant enim, quatuor Constantinopolitanos Patriarchas anathematizari, vt hæreticos Monothelitas, & non inferi Honorium Romanum.

Quòd verò de moribus ais, Papam, lcùm sit Episcopus, subesse cunctis legibus, quibus subiacet omnis Episcopis: hoc planè est doctrina tua non indignum. Certè numquam dixeris, Patriarcham Constantinopolitanum subdi legibus Hierarcharum, sibi subiectorum, inter quos illi primus est, vt vnitas, & non sicut coordinatus, vt tu dicis.

Quomodò enim sit non coordinatus, & subordinatus? At verò Papam cunctis subesse legibus, quibus & quilibet Episcopus, egregiè admodùm pronuncias, & si subest cunctis legibus, quibus & omnis Episcopus; erit per te Papa eius ordinis, cuius & Episcopi suffraganei Cæsareensis. At hoc dicere, quid est aliud, quàm insanire? Sed si verum est, multò magis Constantinopolitanum subesse Papæ, quàm illi subditos Hierarchas; & Constantinopolitanus non subijcitur legibus suorum Episcoporum; profectò nec Papa subijcitur legibus omnium Episcoporum; quare nec legibus subiectus est, quibus subest quilibet Episcoporum, quandoquidem quilibet Episcoporum subest Apostolorum, & Patrum legibus; Papa verò cum pastorum caput sit, nullis pastorum legibus subest, alioquin, quomodò dicta, & sententiæ Synodorum de Papa consistent?

Asseris deindè, Papam videri speciatim reprehensum à 11. Synodo; proferſque 13. eius Canonem de coniugio Sacerdotum, & 55. de Sabbato, & videris perindè facere ac illi, qui Iudices, & testes constituunt aduersarios. At in huiusmodi rebus afferenda sunt, quæ apud vtramque partem sint in confesso, non quæ ab altera parte contra ius, fasque gesta sunt, Quinisexta Synodus, quàm sine Papa Græci celebrarunt, impellente Iustiniano Rhinotmeto, schismatis fuit origo, & radix: uàm deposita reuerentia aduersùs antiquitatem, multæ nouitatis magistram se præbuit. Quomodò enim Canon eius 13. concordabit cum tertio sanctæ primæ Synodi.

Nicænæ 1. Synodi Canon 3. prohibet magna Synodus, ne omninò liceat Episcopo, aut Presbytero, aut Diacono, siue cuicumque Clerico introductam habere mulierem; nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam; vel eas tantùm personas, quæ omnem fugiunt suspicionem.

Hunc Canonem Græci exponunt de ijs Clericis, qui viuunt in cælibatu, excusando excusationes in peccatis. At Magnus Basilius verum tradit sensus scribens Gregorio Presbytero.

Nec primi, nec soli nos, ò Gregori, legem tulimus vetantem cohabitare fœminam viris; sed legito Canonem editum à sanctis Patribus nostris in Nicæna Synodo, qui manifestè prohibet, ne mulieres introductæ sint. Cælibatus autem hoc habet eximium, si quis abstineat à mulierum contubernio. Quòd si quis profiteatur quidem nomine tenus cælibatum, sed re ipsa peragat, quòd ij, qui degunt cum fœminis; certè virginitatem ille quidem specioso titulo persequitur, sed à fœditate voluptatis se se non continet.

In his magnus Pater pro eodem accipie, non habere introductam, & seruari cælibatum. Et quod ait sancta Synodus, Episcopo, Presbytero, Diacono; paraphrasi vtens magnus Basilius, viris, ait, non cohabitare, & verba illa; siue cuicumque Clerico; ipse sic interpretatur, si quis profiteatur quidem nomine tenus cælibatum, sed re peragat, quòd ij, qui degunt cum fœminis. Ità vt sensus Canonis de mente Basilij sit hic.

Prohibet magna Synodus omnibus omninò Sacerdotij gradibus cohabitare fœminis, cùm cælibatum seruare teneantur. At iuxtà Græcorum interpretes sensus hic est: Prohibet omninò sancta Synodus, ne Sacerdotes cælibes cohabitent fœminis; debent enim euitare furtiua cum mulieribus commercia.

Cùm ergo diuersæ interpretationes sint, certè fide dignior est Basilius Magnus, sanctitate, antiquitate, & scientia pollens; præsertim cùm attestantes habeat & Eusebium Pamphili, & sanctum Epiphanium. Porrò Eusebius & primæ Synodo interfuit, & sensum expositi Canonis declarat lib. 1. demonstrationis Euangelicæ, his verbis: Oportet, inquit scriptura, Episcopum vnius fuisse vxoris virum. Cæterùm & Sacerdotio fungentibus, & circa Dei cultum occupatis conuenit, deinceps se à consuetudine coniugij abstinere.

Et sanctus Epiphanius ad finem libri 3. contra hæreses: Corona, inquit, horum omnium & mater, parensque, sacrum Sacerdotium, quod in virginibus quidem, vt plurimum collocatur; quod si non in virginibus, collocatur in monachis; quòd si ex monachis idonei non sint ad ministerium, assumuntur continentes à proprijs vxoribus, aut vidui post monogamiam.

Et lib. 2. contra hæreses, hæresi Catharorum: Reuera, inquit, sacra Dei prædicatio non admittit post Christi aduentum eos, qui à primo matrimonio defuncta vxore, transeunt ad secunda vota, propter excellentiam Sacerdotalis honoris. Et hoc sancta Dei Ecclesia cautissimè seruat, & exactissimè. Quin & dantem adhùc operam liberis, vnius vxoris virum non admittit; sed eum, qui se ab vna continuit, aut viduus mansit, Diaconum suscipit, & Presbyterum, & Episcopum, & Subdiaconum, præsertim, vbi Ecclesiastici Canones in suo robore vigent. At profectò dices, in quibusdam locis adhùc liberis operam dare Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos. Verùm hoc non à Canone, sed ex inter-

inertia mêtis humanæ, quæ subrepit aliquando, prouenit; & multitudinis causa, cùm facilè ministri non supperant: semper enim, quòd decentiùs est Ecclesia spectans, sancto Spiritu benè disposita, statuit offerendum esse Deo studiosum cultum sepositis distrahentibus curis, & spirituales functiones eùm castissima conscientia obeundas.

Ità interpretantibus, sanctis Patribus, Basilio, & Epiphanio, & attestante Eusebio, qui primæ Synodo interfuit: Quomodò quinisexta in suo 13. Canone, dùm vocat Sacerdotum matrimonia exactum.

Apostolicæ ordinationis ritum, sacris Doctoribus non contradicit? contradicendo autem quomodò reprehendit Papam, qui verè Apostolicum obseruat morem?

LV. etiam de Sabbato Canon quanta temeritate scatet? Interrogatus olim sanctus Ambrosius à beato Augustino, adhuc cathecumeno, an esset Sabbato ieiunandum? respondit: Quando Mediolani sum, non ieiuno Sabbato: quando Romæ sum, ieiuno Sabbato.

Hæc sanctus Augustinus epistola 88. vbi de hac re pulcherrimè philosophatur. Nàm ad significandam, inquit, Christi in sepulchro requiem, putarunt Orientales relaxandum esse ieiunium, Romani verò ieiunandum. Porrò in Apostolicis, inquit, literis de hoc nullum præceptum reperiri: at Quinisexta Synodus hoc somniauit. Ambrosius etiamsi extare hac de re Canonem sciisset Apostolicum, non dixisset Augustino, pro locorum varietate varios mores esse seruandos, nàm Canones Apostolorum vbique ligant.

Et epistola 118. Tria esse, inquit, in noui populi societate:

Prima, quæ in scripturis habentur canonicis.

Secunda, quæ non scripta, sed tradita custodimus, & toto terrarum Orbe obseruantur; sicuti passio est, & resurrectio Christi, & similia, quæ solemnitet celebrantur:

Tertij generis, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est, quòd alij ieiunent Sabbato, alij verò non, & alia huiusmodi.

Totum hoc, inquit, genus rerum liberas habet obseruationes, nec disciplina est vlla in his melior, quàm vt eo modo vir prudens agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè deuenerit. Deindè rursùs affert Ambrosij dictum, eiusque præceptum.

Ad quamcumque fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi, ego, verò, inquit, Augustinus, de hac sententia etiam, aeque etiam cogitans, ità habeo, tamquàm eam cælesti oraculo susceperim.

Et epistola 19. Verùm, inquit, si quisquam Sanctus Orientalis Romam venerit, & Sabbato ieiunauerit, excepto illo die Paschalis vigiliæ, culpandus sit? si affirmes, non solùm Romanam Ecclesiam, sed etiam multas ei vicinas, & remotiores damnabis.

Petrus quoque Alexandrinus Episcopus, & Martyr ieiunium quartæ, & sextæ feriæ, non legem Apostolici Canonis, sed traditionis esse inquit rationi congruentis. Cùm tamen apud Græcos de hoc extet Canon Apostolicus 69. Quale illud etiam est apud Basilium Magnum in libro de Spiritu sancto, capite, de dogmatis non scriptis: Trina inquam in Baptismate immersio; licèt Orientales hac de re quinquagesimum habeant Canonem Apostolicum. Aut ergo Basilius Magnus ignorabat Canonem, quòd nullo modo credibile est; vel constat, non omnes, qui Apostolico nomine circumferuntur, esse Canones Apostolicos, sed irrepsisse multos, & germanis furtim esse annumeratos.

Et sanctus Hieronymus in epistola ad Lucinium: De Sabbato, inquit, quæris vtrùm ieiunandum sit. Scripsit quidem & Hippolytus, & diuersi Scriptores; sed ego illud admoneo. Traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiunt, ità obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.

Testatur etiam Cassianus, qui de institutis Monachorum scripsit, libro tertio de Canonico diuturnarum Orationum, & Psalmorum modo, Apostolos tota nocte mansisse peruigiles illucescente Sabbato, passionis tempore; ac proindè per totum Orientem fuisse in more positum, vt illi nocti, inquit, deputaretur vigiliarum solemnitas, & post vigiliarum laborem absolutio ieiunij fieret Sabbato, & Dominica. Non enim, inquit, absolutio ista ieiunij reputanda est ad communionem festiuitatis Iudaicæ, sed ad refectionem, & leuamentum corporis, quòd per totas anni septimanas iugiter quinis diebus ieiunans, nisi duobus saltèm interpositis refocillatum fuerit, facilè deficit. Neque vsquam Canonis Apostolici meminit de Sabbato. Quare duorum alterum dicamus necesse est: vel tales, tantosque viros laborasse ignorantia, cùm tamen antiquiores fuerint, & proindè antiquitatis magis periti; vel Quinisextam Synodum, quæ de Sabbato Canones edidit, & cæteros Canones, per quos ausa est Ecclesiæ Romanæ ponere leges, nil aliud egisse, quàm nouis rebus studuisse, & exordio schismatis. Per tales verò Canones reprehensum velle Papam, & huiusmodi Canonibus esse illum subiectum, est sibi assentari, & virtus odij contra Papam, euomere. Itàque si Papam iure Diuino esse Custodem, & Medicum Ecclesiæ, totiusque corporis oculum, idem est metaphoricè, quòd esse gubernatorem, & pastorem, & pastor non pascitur; ergo neque index iudicatur. Et si iudex, non ideò tyrannus, quia non iudicatur, temerè Papam tyranno assimilas, qui index à Deo constitutus, à Deo quoque habet, vt non iudicetur.

CAP. XIV.

Papa non est maior Episcopo, sic enim vocant Patres, & Dionysius, ait Nilus, sed non esse hoc ad rem ostendit Cariophillus.

NILVS.

QVod verò Papa maioris non sit ordinis, quàm Episcopalis, constat ex dictis; quomodò enim corrigeretur ab inferioribus? & Patres illum Romæ Episcopum vocant, & ab Episcopis consecratur.

Beatus quoque Dionysius, qui fuit tempore Apostolorum, diuisit Hierarchiam Ecclesiasticam in Ministros, Sacerdotes, & Episcopos, nec licet ex verbis eius dignitatem Episcopali maiorem excogitare.

CONFVTATIO.

Hoc ad vmbram pugnare est. Quis enim dixit vmquam, Papam maioris esse ordinis, quàm Episcopalis? An verò per te Constantinop. maioris est ordinis, quàm Episcopalis? Si ergo ille, cùm sit Episcopus; habet tamen sub se Hierarchas, qua ratione Papæ, cùm sit Episcopus, Primatum illum negas, cuius illi testes sunt sacræ Synodi? Cùm tertia Synodus ageretur, Romanus Episcopus erat Cœlestinus, Cyrillus Alexandrinus, Ioannes Antiochenus. Deposuit Ioannes Cyrillum, ægrè ferebat Cyrillus, quòd cùm dignioris esset Sedis, fuisset à Ioanne depositus. Scribit Synodus rogans Papam, vt in Ioannem animaduerteret, ne Ecclesiæ res abirent in extremam confusionem; de quibus omnibus supra dictum est. Quomodò igitur Episcopus cum Episcopo apud Episcopum iudicio certabat? An fortè Cyrillus, & vniuersa sancta Synodus ignorabat ordinem Episcoporum? Non ergo requiritur ad plenitudinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vt prima Sedes sit maioris ordinis Sacerdotalis, sed dignitatis, & auctoritatis maioris. Hoc sibi vult apud Patres sextæ Synodi titulus ille, Pontificalissimus Autistes; & voces illæ Constantini Imperatoris Pogonati, Oecumenico Pastorum Principi, & sexcenta alia. Propter hoc etiam à sanctis Patribus vocatur Episcopus Romæ, & consecratur ab Episcopis; & beatus Dionysius de cunctis Hierarchiæ Ecclesiasticæ partibus sermonem pollicitus, nihil prætermisit: non ideò tamen Papa, aut correctioni Episcopis subiacet, quod tu quasi demonstratum accipis, aut illi neganda auctoritas, quam omnes Synodi affirmant, caput illum vocantes, & oculum, & Oecumenicum omnium Ecclesiarum Episcopum.

CAP. XV.

Synodus quinisexta, quæ reprehendit Papam, est Oecumenica, adfuit enim Basilius Cortynæ Episcopus, tenens locum Papæ, ait Nilus, sed facilè demonstrat eam illegitimam, & non Ocumenicam Cariophillus.

NILVS.

AT quomodo, inquiunt, fas sit, sextæ Synodi Canonum meminisse, eum sexta nequaquam ediderit Canones? Quoniam Synodus, quæ edidit Canones, quæ post sextam è vestigio celebrata est, supplens quintæ, & sextæ defectum. Quod verò sit œcumenica, patet & ex ipsa historia; fuit enim in ea Basilius Gortynæ Vniuersæ Romanæ Synodi locum tenens, pater prætereà ex eo quod se ipsam assiduò, dum de se loquitur, œcumenicam appellat.

CONFVTATIO.

Vt probares, Papam rectè reprehendi, quippè, qui vnus è numero Episcoporum sit; & cunctis legibus subiaceat, quibus, & cæteri Episcopi: asseris illam, quæ Synodus quinisexta vocatur, esse legitimam, & œcumenicam, & quòd illa quidem sit legitima Synodus, vt certum supposuisti; quòd verò sit œcumenica, probas, eo quòd fuerit in ea Basilius Cretensis vniuersæ Romanæ Synodi locum tenens; & quia ipsa se ipsam vocat œcumenicam. Talis ergo cum sie, eius quoque Canones contra Papam editi, validi sunt. Ac qui difficile non est demonstrare, illam nec legitimam, nec œcumenicam esse.

Accusatus fuit Dioscorus initio congregationis quartæ Synodi, mandato Leonis Papæ ab eius Legatis, quòd personam iudicis arripuisset, quam non habebat, & Synodum celebrare ausus esset absque auctoritate Sedis Apostolicæ; quod numquam factum est, nec fieri licet. Ad hoc Dioscorus non est ausus respondere, sed coactus fuit per Senatores sedere in loeo reorum.

Act. 6. septimæ Synodi hæc habentur. Quomodo magna, & generalis Iconomachorum Synodus, quæ non habuit cooperantem illius temporis Papam, vel Sacerdotes eius, neque per Legatos, nec per encyclicam epist. vt postulat lex Conciliorum? Tu quoque infrà recipis celebrem illum Canonem, cuius & historiæ meminerunt.

Non licet absque Papa de rebus Ecclesiasticis ferre regulas. Hęc si vera sunt & explorata; & Basilius Cretensis in quinisexta nullam protulit epist. legationis suæ testem; quo pacto facta Episcoporum congregatio citra Sedis Apostolicæ auctoritatem, & ausa regulis suis subijcere Ecclesiasticarum rerum regulam, Synodus fuerit, idque œcumenica? Quis verò credat, editos fuisse Canones contra Papam præsente Legato Papæ? Etsi in quar-

quarta Synodo, cum ordo Patriarcharum Orientalium mutaretur, adeò molestè tulerunt hoc Legati Papæ, vt constantissimè reclamarent, quomodò passi essent in quinisexta, manifestissimis onerari contumelijs Petri Sedem?

Cur etiam, si quis Papæ Legatus aderat in quinisexta, non docuit Orientales, quando suum 13. scribebant Canonem, de Patribus Carthaginensibus; quod ij de continentia, & castitate clericorum tractantes, cum dixissent, Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros continere se ab vxoribus secundùm propria statuta, & Orientales per illud (secundum propria statuta) intelligerent, secundum stata tempora, quasi Carthaginenses Patres dixerint, oportere inseruientes altari continere se ab vxoribus, quando sacra tractaturi sunt; extra verò id tempus nequaquam illis denegandum commercium cum vxoribus. Cur, inquam, Legatus Papæ non docuit, quæ dicenda erant pro Ecclesia Romana; Quòd ista verborum interpretatio non congruit cum sensu Carthaginensium; qui abstinere iubent clericos sacri ordinis secundùm propria statura, hoc est perpetuò? Hoc enim manifestè patet ex verbis 2. Carth. Syn. cap. 2.

Aurelius Episcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt; Episcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos, ità placuit, vt condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non, & leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus; quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est: omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se contineant. Ab omnibus dictum est, placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deseruiunt. Patres autem Concilij Carthaginensis V. capit. 3.

Præterea, inquiunt, cum de quorumdam clericorum, quamuis erga vxores proprias, incontinentia referretur; placuit, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum priora statuta, etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio.

Quomodò igitur Legatus Papæ in his non contradixit, & non aperuit dissonantiam sensuum? Quomodò non contradixit aduersùs 36. Canonem de æqualitate honoris Papæ, & Constantinopolitani? & indiscussum reliquit 55. de Sabbato Canonem, & 67. de abstinendo à sanguine, & suffocato? subscriptiones porrò illorum Canonum, quis ità posiras inspiciat, vt prima sit Iustiniani Imperatoris Rhinotmeti, deindè relictus sit locus Papæ ad subscribendum; & œcumenicæ Synodi notas agnoscat? Plurimum differt inter Legatos, qui mittebantur à Papa ad vnamquamque Synodum Oecumenicam, cum peculiaribus mandatis; & Legatos illos, qui apud Græcos communi quadam ratione personam Papæ referebant, vt Cæsareensis, Ephesius, Thessalonicensis, Corinthius, Gortynius. Nam isti executorum, vt ità dicam, locum obtinebant, & exarchi vocabantur in suis quisque Prouincijs, particularem habentes iurisdictionem ad particularia Ecclesiastica negotia, tamquam huius ministerij per successionem hæredes. Qui verò ad Oecumenicas Synodos mittebantur à Papa, vel ab eius Synodo, præsentiam Papæ supplebant, & sedebant ante Patriarchas, deque dogmatibus, vt plurimum iudicabant, idque vsque ad ferendam de re controuersa sententiam. Tales verò mittebat Papa ab vrbe, suo ex latere. Nam & in tertia Synodo, quando Cœlestinus Papa Legationis munus Cyrillo mandauerat, mox suos etiam ab Vrbe Legatos misit. Quænam ergo notæ sunt Oecumenicæ Synodi in quinisexta? Vndè verò vobis in mentem venit ille prætextus, quòd quinisexta suppleuerit defectum quintæ, & sextæ? quasi non liceat generalem celebrare Synodum, absque Canonum editione? Cum tamen sanctus Gregorius Papa Epistola 195. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, esserat, Canones secundæ Synodi, nec fuisse visos, nec receptos ab Ecclesia Romana, & sanctus Leo Papa in suis Epistolis, tertia parte quartæ Synodi, clarissimis verbis affirmet, ad extinguendam solùm hæresim, & confirmandam fidem Catholicam fuisse illam congregatam. Vndè igitur supplementi necessitas, excogitata à primis auctoribus schismatis?

Ex subscrip. defin. 6. Syn.

Si verò Oecumenicam dicis quinisextam, quia se ipsam hoc titulo ipsa insigniat, meritò audiat; Tu de te ipsa testimonium perhibes, Quomodò enim Oecumenica, quæ in secundo suo Canone enumeratis Generalium, & Prouincialium Synodorum Canonibus, necnon Patrum, Doctorumque Orientalium, nullos recenset Romanorum Pontificum, aut Occidentalium Doctorum? cum sancta generalis quinta Synodus in fine Collationis tertiæ dicat.

Super hæc sequimur per omnia, & sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum: & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt, suscipimus autem, & alios Sanctos, & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsque ad finem suæ vitæ prædicauerunt.

Ità sentiente, & scribente Synodo Oecumenica, quomodò generalis fuerit quinisexta, quæ solos Orientales agnoscit Doctores; & prohibet, ne quisquam alios recipiat Canones? Nullo igitur iure vocari potest Oecumenica, seu legitima prorsùs Synodus, iuxta Canones Synodorum.

CAP. XVI.

Probat Nilus ex 7. Synodo sextam esse legitimam, sed malè, inquit Caryophillus.

NILVS.

SAncta quoque, & Oecumenica septima Synodus in primo suo Canone; Diuinos, inquit Canones libenter suscipimus, integramque illorum, & immotam seruamus præceptionem, siue per spiritus tubas Apostolos editorum; siue per sex Oecumenicas Synodos, atque etiam Prouinciales. Cum ergo Canonum meminerit sex generalium Conciliorum; Quæ verò sexta propriè fuit, nullos ediderit Canones; manifestum est, eam loqui de Canonibus huius Synodi, quæ defectum sextæ videtur suppleuisse.

CONFVTATIO.

Arguis tertiò ad probandum, quinisextam esse Oecumenicam, septima Synodus amplectitur Canones sex generalium Conciliorum. Atqui sexta propriè Synodus nullos edidit Canones; Intelligit ergo de Canonibus quinisextæ: sed si placeret veritas, & auersareris mendacium, legisses in septimæ Synodi Act. 4. Quosdam turbari audientes, esse sextæ Synodi Canones. Quibus Tarasius Patriarcha respondebat: Quòd sancta, & magna sexta Synodus sub Constantino celebrata fuit, & post quatuor, aut quinque annos ijdem ipsi Patres conuenientes sub Iustiniano filio Constantini ediderunt Canones, illi enim, inquit, qui subscripserunt sub Constantino, ipsi & sub Iustiniano subscripserunt.

Hæc Tarasius dicebat ad confirmandos Canones quinisextæ, inter quos 82. agit de imagine Saluatoris; vt probare posset contra Iconomachos vsum sacrarum imaginum. Hic erat scopus Tarasio, dum laudabat quinisextæ Canones, & cum septimæ Canones componebat, in primo aiebat, se suscipere Canones sex generalium Synodorũ, vt etiam quinisextæ Canones comprehenderet ea mente, qua diximus. Duo tamen dicit non congruentia; Vnum, quòd quatuor, aut quinque post sextam Synodum annis celebrata sit quinisexta: quod impossibile est. Nam si postrema sextæ Synodi actio celebrata fuit indictio. Quinisexta verò in suo tertio Canone ait, ædere suos Canones post quartam indictionem; decem omninò interlapsi sunt anni, non quinque. Alterum est, quòd eosdem fuisse inquit, qui subscripsere in sexta Synodo, & in quinisexta; quòd ex subscriptionibus patet verum non esse, si quis enim conferre voluerit, comperiet maiorem partem, qui subscripserunt, non esse eosdem, scribebat sanè, & Leo Isaurus ad Gregorium II. cur, inquiens, in sex Concilijs de imaginibus nihil est dictum? & Papa respondit, nihil dictum esse. Quod Papa non fateretur, nec Imperator obijceret, si quinisexta legitima haberetur, ex quibus vera esse comperiuntur, quæ scribit Bibliothecarius Anastasius in præfatione sua in septimam Synodum interpretationis ad Ioannem VIII.

Ep. 2. ante 8. Syn.

Sanè notandum est, quædam in hac Synodo ex Apostolorum, & sextæ vniuersalis Synodi Canonibus, & sententijs inueniri, quæ penès nos interpretata nec habentur, nec admittuntur, & certè de Apostolorum Canonibus liquidò nouimus, quoniam his quidam facilè non præbuere consensum, sed & prædecessor vester B. Papa Stephanus, non ex his plusquam quinquaginta recipiendos Synodicè promulgauit; licèt quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur. Vndè Apostolatu vestro decernente, non solùm illos solos quinquaginta Canones Ecclesia recipit, sed & omnes Pontificum Romanorum, vtpotè Spiritus sancti tubarum, quia & omnium omninò probabilium Patrum, & sanctorum Conciliorum regulas institutiones admittit; illas dumtaxat, quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obuiant; sed nec Sedis Romanæ Decretis ad modicum quid resultant; quin potiùs aduersarios, idest hæreticos potenter impugnant. Ergo regulas, quas Græci à sexta Synodo perhibent editas, ità in hac Synodo principalis Sedes admittit, vt nullatenus ex ijs illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel decretis sanctorum Sedis huius Pontificum, aut certè bonis moribus inueniuntur aduersæ. Quamuis omnes hactenùs ex toto maneant apud latinos incognitæ, quia nec interpretatæ; sed nec in cæterarum Patriarchalium sedium, licèt Græca vtantur lingua, reperiantur Archiuis. Nimirùm quia nulla earum; cum æderentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inuenta est. Quamquam eosdem Patres illas Græci promulgasse perhibeant, qui in sexta Synodo sunt inuenti: sed hoc nullis probare certis possunt indicils.

Vides interpretem Anastasium consona scribere veritati? Quando igitur arguis: septima Synodus meminit Canonum sex generalium Conciliorum, ergo etiam quinisextæ, quandoquidem quæ verè sexta fuit, nullos Canones edidit: vera dicis, sed non necessariò, & iure concludentia. Nam Tarasius, qui septimæ Synodi canones conscripsit, hoc volebat; nimirùm Canones quinisextæ haberi pro legitimis, vt posset redarguere Iconomachos. Itàque Orientalium fuit excogitatio hæc, At verò Sedes Apostolica nec agnoscebat, nec pro Canonibus habebat, sed eatenus in septima Synodo suscepit, vt solùm probaret argumentum Canonis 82. per quem Iconomachiæ perfidia reprobatur. Itàque huiusmodi argumentis vti ad probandum, quinisextam esse Oecumenicam, idem Nile est, quòd, dum causa agitur, Græcos proferre accusatores, testes, iudices contra Latinos.

CAP.

CAP. XVII.

Ex Hadriano Papa probat Nilus Canones sextæ Synodi esse legitimos, sed planè errat ex Caryophillo.

NILVS.

Adeò verò ratos illos Canones Romanus Episcopus habebat, dum pax Ecclesiarum vigebat, vt Hadrianus Papa scribens ad Tarasium admiraretur, quòd is sanctæ huius Synodi Canones, & Decreta teneret, legito in Actis septimæ Synodi, ex Epistola Hadriani Papæ ad Tarasium Constantinopolitanum hæc. Inuenimus autem in prædicta Synodica Epistola sanctitatis vestræ post plenitudinem fidei, & confessionem sacri Symboli, & omnium Sanctarum sex Synodorum, & de sacris, ac venerabilibus characteribus miraculum laude, ac vneratione dignissimum contineri: Quia & easdem sanctas sex Synodos suscipio cum omnibus regulis, quæ iure, ac diuinitùs ab ipsis promulgatæ sunt; inter quas continetur Canon 82. de venerandis Imaginibus. Quod igitur iste Canon per ipsum quoque B. Hadrianum ratus sit, codices ostensi testabuntur. At nimis absurdum est, Latinos non solum hostes esse Oecumenicarum Synodorum, quorum ipsi duces fuere; sed inter se etiam digladiari, & modò quidem Hadrianum Papam vocare hos Canones miraculum laude dignum; modo verò Innocentium, vel alium quemcumque reprobare eosdem.

CONFVTATIO.

Arguis quartò pro quinisexta. Hadrianus Papa scribens Tarasio, ratum habet 82. Canonem quinisextæ; ergo Synodus illa legitima est, & in Oecumenicis numeranda. Sed planè erras, & erroris tui causa est, praua interpretatio. Nam Tarasij voces, quas Papa laudat, non ità habent, vt Græca interpretatio continet, Græcè enim ità legitur: Quia & eandem sanctam sextam Synodum suscipio cum omnibus eius Canonibus. At textus Latinus habet. Quia & easdem sanctas sex Synodos suscipio cum earum Canonibus. Ità nec Tarasius sextam Synodum expresiè posuit, nec Papa referendo illius voces: sed corrigendo voces Tarasij, quod ità is dixerat: suscipio sanctas sex Synodos cum earum Canonibus, Papa sic refert: Post confessionē sacri Symboli, & sex Synodorum: inuenimus, & de sacris imaginibus. Non ergo laudat Papa Tarasium, vt Decreta quinisextæ tenentem quemadmodum dicis, sed vt omnium sanctarum Synodorū, & rectæ de sacris imaginibus fidei cultorem. Hæc autem recta de imaginibus fides continebatur in octogesimo secundo Canone quinisextę, & rectam fidē Papa laudat: illū verò, qui dicitur Canon, non vt Canonē probat. Quod ex ijs liquet, quæ infert Papa post expositum canonem. Hoc enim, inquit, testimonio orthodoxæ fidei malignorum curiositatem, & hæreticorum garrulitatem vestrum repulit fraternum sacerdotium.

Non dicit Papa; Hoc sextæ Synodi Canone; sed, hoc testimonio orthodoxæ fidei: laudat enim, quod continetur: non vt Canonem, & hoc est, quod Bibliothecarius aiebat; Huiusmodi Canones à sede Apostolica ità admitti, vt nullatenus illos recipiat, qui decæteris Pontificum Romanorum aduersantur, & vniuersos fuisse Latinis incognitos, quia nec interpretes. Erant igitur vniuersi quidem incogniti; Vnus verò quidam ex ijs octogesimus secundus de sacris imaginibus innotuit, quia insertus fuit septimæ Synodo contrà Iconomachos; & hunc laudat Papa in epistola ad Tarasium; non quidem Canonem illum vocans, sed orthodoxæ fidei testimonium. Itaque vano veris argumento; primò quidem, quia voces Tarasij epist. Papæ insertas profers non rectè conuersas. Differt enim dicere, quæ ab eadem sancta sexta Synodo, vt legitur Græcè, & dicere, easdem sanctas sex Synodos, vt habet textus Latinus, & rursus differt, promulgatæ ab ipsa; & promulgatæ ab ipsis; vt habetur in textu Latino.

Secundò, quia ex ea emendatione Papæ non fit Canon legitimus, sed probatur tantùm, rectam in eo, fidem contineri, ex quo non licet colligere, Canones esse legitimos, & quinisextam, œcumenicam, sed tantùm, non paucos eius Canones recta, & non reijcienda continere. Quare nec verum est, Latinos esse generalium Synodorum inimicos, si non suscipiunt pro œcumenicis, quæ non sunt œcumenicæ, immò quæ nec Synodi quidem sunt; nec secum pugnant Romani Pontifices.

Nā quod Hadrianus habuit pro miraculo, laude, ac veneratione digno, hoc & cæteri Pontifices extollunt laudibus. Admiratus verò fuit Papa rectam fidem Tarasij de sacris imaginibus, non Canonem, vt Canonem, in quo Romani Pontifices conuenere omnes, & conueniunt. Proindè asserere, Canones quinisextæ habitos fuisse ratos à Romanis Pontificibus, dum Ecclesiarum pax vigebat, posteà verò fuisse reprobatos, est connectere, quæ non cohærent. Vbi enim repertas ante schisma Constatinopolitanum exæquatum Papæ, vt 36. quinisextæ statuit iuxtà pseudocanones tertium secundæ Synodi, & 28. Quartæ? si hos titulo tenus Canones Romana semper Ecclesia reprobauit, vt videre est in epist. Leonis Papæ parte 3. Quartæ Synodi, quomodo Ep. 5, 7. ratos postmodum habuit Canones quinisextæ, qui iisdem constant vocibus, quibus, & reprobati? & quæ pax erat inter Papam, & Patriarcham, qui se æqualem Papæ iactitaret, si Cælestinus condemnabat, & remonebat Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum; Leo, Dioscorum Alexandrinum, Agapetus, Anthimum Constantinopolitanum Leo II. Macarium Antiochenum, Hadrianus, Act. 2. sept. Synodo. Tarsium Constantinopolitanum, dum illi scriberet, se eius Synodica minimè recepturū fuisse, quòd statim ex laico ordine sublimatus esset ad gradum Sacerdotalem, nisi orthodoxum cognouisset? quomodo hæc fiebant, & pax erat Ecclesijs, & quinisextæ Canones pro legitimis habebantur? Nullo modo hæc con-

consistunt. Nam si rati erant Canones, nullam potestatem Pontifices habebant in Patriarchas: si verò habebant, non rati erant Canones: sed cum pax erat, nullius auctoritatis erant; post schisma verò sunt apud Latinos, quod semper erant; solis verò probati Orintalibus, quibus etiamfuerunt Orientalibus, quibus etiam fuerunt origo præcipua schismatis.

CAP. XVIII.

Papa, ait Nilus accepit Primatum à Patribus, ergo illis subditur, sed respondet Cariophillus subdi quoad directionem, non quoad coactionem, & illos non contemnere.

NILVS.

SI quis vero dicat, Papam non subdi Patrum legibus, quis hoc ferat? Cum à Patribus ipse primatum acceperit? Certè intollerabile est illos ab eo negligi, per quos ipse euectus est, & magnus esse videtur. Præterea qui hoc animo est, se quoque ipsum damnat; quandoquidem qui leges posuit, ipse est. At B. Paulus præuaricatorem se inquit, si quæ destruxit, hæc iterum ædificare vellet. Quod si ostensum est, illum iudicio Patrum esse subditum, sicut in dogmatibus, ità & in cœteris; quomodo Patrum legibus non sit subiectus? Quis verò æquum esse dicat cæteros illum obseruare vt Patrem, qui tantorum Patrum auctoritatem antiquat?

CONFVTATIO.

Multa iam de hoc argumento dixeras, & resumis; illud vnum tibi habens propositum, vt deprimas Papam. Dicis intolerendum esse, si quis dicat; Papam non subdi legibus Patrum; Quòd ipse à Patribus accepto primatu, cur eos possit parui pendere, per quos magnus effectus est? Dicis Papam ità affectum, se ipso damnari; quandoquidem ipse est, qui posuit leges, dicis ostensum esse, Papam, & ratione dogmatum, & aliarum rerum iudicio subdi, & non esse æquum honorari, vt Patrem, qui aspernatur Patres. At certè si tuum argumentum valet, valebit etiam, quod ex contrario est. Tu sic arguis: Papa habet primatum à Patribus, ergo subditus est legibus Patrum. Nos verò dicimus: Patres habent priuilegia, & honores à Papa, ergo Papa non subiacet legibus Patrum, sed potius illi subiacent legibus Papæ. Tui verò enthymematis antecedens falsum esse iam probatum est per Synodorum testimonia; & nunc etiam ad roborandam veritatem probabitur eius falsitas. Patres secundæ Synodi ediderant Canonem, vt Constantinop. haberet honoris prærogatiuam post Romanum. Attamen Theophilus Alexandrinus vindicabat sibi consecrationem Episcopi Constantinopolitani, & Dioscorus Alexandrinus consecrauit Anatolium Constantinopolitanum, ex quo manifestum est, Canonem illum, si factus est, nullum robur habuisse. Quapropter Synodi immerito illum proferri aiebant, & Leo tunc temporis Papa, & successores eius, numquam vt legitimum susceperunt; quemadmodum, & 28. Quartæ Synodi, suppositum à quibusdam ad confirmandum priorem illum, donec longa præualente instantia, vt Hadrinanus Papa testatur Act. 2. septimæ Synodi scribens ad Imperatores, Constantinop. sedes locum obtinuit secundum; nimirùm inferiores se constituens ceteras Orientis Patriarchales sedes; & transferens terminos, quos statuerunt Apostoli, & prima Synodus. Hæc autem, vt Hadrianus Papa inquit, sedis Apostolicæ auctoritate habuit, vt iam illius beneficio esset secunda.

Can. 3. Ex vita Chrysosto. Leo Papa 3. part. Chal. ced. epis. 5. 6

Si ergo Marcus quidem Alexandriæ, & Euodius Antiochiæ, vt inquit Eusebius lib. 2. & 3. Historiæ, & S. Ignatius Martyr in epist. ad Antiochenos; Patriarchalibus præsedere sedibus auctoritate Petri; vt planè S. Gregorius Magnus epist. 101. ad Eulogium Alexandriuum dicat; tres à Petro sedes fuisse sublimatas, & vnum tres habuisse: Deindè Constantinopolitanus, extrursis illis, secundus est habitus, & hoc assidua instantia consecutus per auctoritatem Papæ; an non manifestum est priuilegia Orientalium sedium pendere ab auctoritate Papæ? An non manifestum est, quòd Petro constituente secundum Alexandrinum, Antiochenum tertium; Papa verò postmodum concedente, vt secundus esset Constantinop. parem habet Petrus, & successores potestatem in pascendo, gubernando, & instituendo Ecclesiastico ordine? Itaque si prærogatiua Constantinop. est, esse secundum, & Alexandrini esse tertium, & Antiocheni esse quartum; & hæc habent à Papa; non est verum, quod ais, Papam à Patribus habuisse primatum; sed contrà, Patres habuisse à Papa priuilegia, & si per te, à quibus quisque honores sumit, legibus illorum est subditus; Orientales verò Patriarchæ habent honores à Papa, vt secundum, tertium, & quartum obtineant locum; certè etiam Papæ legibus necessariò per te subduntur. Si dicas, non esse primatum Papæ à Patriarchis, quos honorauit Papa; sed ab œcumenicis Concilijs; dicis quæ nullo modo constant.

Prima Synodus in sexto canone præcipit, antiquos obseruari mores, & vetusta Ecclesiarum priuilegia non turbari. Si ergo Papa primatum habebat ante Nicænam Synodum; vt expræsse fatetur, & ipsa in hoc eodem Canone recitato à Rom. Act. 16. Quartæ Synodi; quomodo primatu honoratus est à Concilijs generalibus? Non itaque contemnit Patres Papa, quia legibus illorum non subditur; nam si subderetur, Euangelico non obtemperaret dicto, quo iussus est Petrus, pascere, non pasci; & custos esse vineæ, non custodibus subesse, & medicus esse valetudinem largiens Ecclesiæ membris, non ipse sanari iuxtà Synodorum sententias. Tu verò quando transgressorem voces Papam, quia leges quas posuit non obseruat; accipis vt confessum, quod placet; quasi verò quinisextæ pseudocanones firmati essent auctoritate Papæ. Vbi ergo damnat se ipsum Papa, dum damnat,

nat, quæ numquam probauit? Ità nec Papam ostendisti legitimè iudicatum, & damnatum in causa Dogmatum, nec in alijs Patrum iudicio subiectum: Quare id etiam, quod subdis tamquam demonstratum, nullam habet veritatis vmbram; nimirùm, si Papa non subditur Patrum legibus, per hoc fieri, vt ab ipso contemnantur.

CAP. XIX.

Conatur Nilus ostendere Papam non esse Episcopum absolutè, sed alicuis loci, sed frustrà vt probat Cariophillus.

NILVS.

Dicere autem, Papam non esse certi loci Episcopum, sed absolutè Episcopum, quomodo non sit cum valdè manifestis pugnare? Primò enim ostensum suprà est, illum, & cæteros Episcopos esse eiusdem ordinis. Deindè in cunctis Oecumenicis Concilijs Romæ Episcopus vocatur. Si verò quia in suis literis non se Romæ Episcopum, sed absolutè Episcopum scribit, habeat propterea hoc idem, & Cyrillus; is enim alicubi

1. Par. Cō. Eph. c. 31. absolutè ità inscribitur, Cyrillo Episcopo, & multò magis hoc Cyrillus habeat, quod & ab alijs hoc illi datur. Similiter si quis Episcopus, quando scribit, non addat, Episcopi titulum, hic ne Episcopus quidem esto, sed si solùm se Episcopum vocet, certi loci limites fugiat, & sit vniuersalis orbis terrarum Episc. si verò, & hoc supprimat, hic ne Episcopus quidem esto, & quomodo hæc non sint ænigmati similia?

CONFVTATIO.

Si cum manifestis pugnare est, sentire, & loqui de primatu Papæ quæcumque suprà dicta sunt, quòd, & Romæ Episcopus, & Episcopus vniuersalis; impletum in te illud est: Væ ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; sapientes in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes. Namque iuxtà tuam doctrinam hæc duo pugnant inter se, esse Romæ Episcopum, & Episcopum vniuersalem. Non ità res habet; Norat Athanasius se Episcopum Alexandrinum, & Iulium Romanum, ascendit tamen vocatus Romam ad Iulium Episcopum, & rationem de se reddidit, & Papa scribens ad Antiochenos accusatores Athanasij, multa dicit, & magni ponderis, quæ testantur iurisdionem eius in Orientales; inter alia verò ad finem hæc.

Nam si omninò, vt dicitis, aliquid pec-
Athanas. Apol. 2. 1. ad Roman. Synod. catum est, oportebat secundum Canonem Ecclesiasticum, & non ità fieri iudicium; oportebat ad nos omnes scribi, vt quod iustum est decerneretur ab omnibus. Episcopi enim erant, qui patiebantur, & principales Ecclesiæ, quæ patiebantur, quibus ipsi per se se Apostoli præfuerunt. Cur verò de Alexandrina potissimùm ciuitate non scripsistis ad nos? An nescitis hunc morem fuisse, vt prius scribatur ad nos, atque ità hinc definiantur, quæ iusta sunt? si talis igitur erat suspicio de Episcopo illius vrbis, scribendum erat ad hanc Ecclesiam.

Deindè: Quæ enim accepimus à B. Apostolo Petro, ea vobis significo, nec certè scripsissem, quæ omnibus manifesta esse arbitror, nisi nos turbassent, quæ gesta sunt.

Si tradita est ab Apostolo Petro hæc institutio, vt scribatur Episcopo Romano, & definiantur indè, quæ iusta sunt, vt epist. inquit, quam pro se affert magnus Athanasius; omninò necesse est, Papam, & Romæ esse, vt certi loci Episcopum, & absolutè Episcopum œcumenicum. Sciebat Cyrillus Cœlestinum Romæ esse Episcopum, non tamen audet citra obtentam à Papa licentiam abdicare se Nestorii communione, sciebat vniuersa tertia Synodus Papam esse Romæ Episcopum; implorat tamen contrà schismaticos indignationem Papæ, vt per eam castigerentur. Quid multa? satis hæc de te dictum, & plena sunt Act. Synodorum. Hoc igitur abnegare, cùm manifestis pugnare est: & asserere, Papam cùm cæteris Episcopis esse eiusdem in iurisdictione ordinis, est mentientes facere Patres Conciliorum, qui tàm varijs titulis Papæ excellentiam celebrarunt. Hæc autem Cyrillo, aut cuius Episcopo, quomodo conueniant? si enim legeretur in Actis Synodorum, esse aliquem alium Episcopum, qui & suam priuatam haberet sedem, & in totum Ecclesiæ corpus auctoritatem exerceret, sequerentur absurda, quæ infers. Nunc verò cùm talis Episcopus sit solus Papa, quid opus est inferre, quæ minimè congruunt? Quòd siquis Episcopus supprimat nomen dignitatis, non sit Episcopus: si verò simpliciter Episcopum se inscribat, vniuersalis sit orbis terrarum Episcopus? Non enim ex appellatione posita, vel non posita, est, vel non est talis, qui scribit; nec res ex vocibus sunt, sed voces è rebus. Itàque siuè Cyrillus, siuè quicumque alius Episcopus, si fortè non addiderit, cuius loci sit Episcopus, numquàm erit vniuersalis, & Papa, siuè simpliciter, siuè Romæ Episcopus dicatur; semper habet, quòd sit Petri successor, hoc est, & Romæ, & totius orbis Episcopus.

CAP. XX.

Sola Sedes Romana non est Apostatica, ait Nilus, sed Carrophillos demonstrat eam per Antonomasiam, ità dici.

NILVS.

Sed neque sola, vt aiunt, Romana sedes habet, vt vocetur Apostolica; constat ex 11. sextæ Synodi Actione, vbi legitur; Constantinus religiosissimus Archidiaconos huius S. Dei Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ; hoc est Constantinopolitanæ, similitèr Act. 6. & 7. sedes quoque principalis vocatur Apostolica. Vt si quis, quæ iusta sunt, disceptare velit, vel omnes propter hæc æquali dignas honore censere debeat cùm Romana se-

de;

de; vel nec Romana sedes, propter hoc supereemineat ceteras, dùm non licet commune in priuatum transire.

CONFVTATIO.

Si in actis Synodorum non esset obuia, & appellationis communio, & simul differentia, haberent aliquam tua dicta excusationem, sed si multò magis eluect in illis differentia, quàm communitas, cur in tanta luce caligas? Numquam reperies Orientales sedes vocari Apostolicas absque additamento, sed cùm distinctione, & diminutione. Quinimò in vetustiotibus Concilijs, nequaquam sibi arrogabant Apostolici titulum; sola enim Romana sedes vocatur Apostolica in tertia Synodo. Certè secunda eius actione Cyrillus, simpliciter Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus; Arcadius, & Proiectus, & Philippus Apostolicæ sedis vocantur legati, & hoc deinceps in illa Synodo reperies, nimirùm solos Papæ legatos sedis Apostolicæ dictos, sedium verò Orientalium inscriptos simpliciter. In quarta Synodo pariter Orientales sedes nudè proferuntur, legati autem Papæ Apostolici titulo passim exprimuntur. Itàque actione prima in ipso exordio: Paschasinus, inquit, sedis Apostolicæ legatus dixit: Beatissimi, & Apostolici Episcopi Romæ, qui est omnium Ecclesiarum caput, mandata habemus, &c. Nec facilè numeraueris, in quarta Synodo huius tituli repetitionem. In sexta quoque Synodo, Act. 1. Orientales simpliciter scriptos reperies, Romanos verò ità. Theodotus, & Gregorius, & Ioannes tenentes locum S. Papæ sedis Apostolicæ senioris Romæ, & hoc deinceps obseruatum, vsque ad 11. Act. in qua post enumerationem Episcoporum, habetur in græco, quòd citas. Constantinus religiosissimus Archidiaconus, huius sanctissimæ Dei Catholicæ, & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ. Et locum non examinatum arripis, vt suffragetur tibi. Nec animaduertis, aliud esse sedem Apostolicam, & aliud Ecclesiam Apostolicam; quam necesse est, vnam esse vbique diffusam. Sedem verò Apostolicam esse Constantinopolitanam, nec ipsi vnquam dicere, aut eò titulo se subscribere ausi sunt, qui se Patriarchas œcumenicos, nullo iure appellarunt. Itàque S. Leo Papa scribens Marciano Augusto, de Anatolio Constantinop. & reprehendens immoderatum hominis studium; satis, inquit, sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Ciuitatem, quam Apostolicam, non potest facere sedem.

3 Par. Calced. Epist 6.

Ex quo etiam refellitur inanis ambitio dicentium, primum Byzantij Episcopum fuisse Andream Apostolum. Nàm si hoc esset, cur Episcopi Constantinopolitani in Concilijs œcumenicis, Apostolici titulum sibi frequentissimè non arrogarunt? cur verò tot labores susceperunt, cupientes se se attollere suprà ceteros Patriarchas.

Quid? quòd hic ipse locus, quem profers ex 11. Act. sextæ Synodi manifestè additamentum passus est vocis illius, Apostolicæ? Nàm antiquus interpres, ità Latinè transtulit.

Constantinus Deo amabilis Diaconus, huius S. Dei Ecclesiæ.

Neque dicas, interpretem fuisse Latinum; nondùm enim ortæ erant suspiciones ex Orientali dissentione; probatque integritatem interpretis rei veritas. Nàm in actis Synodorum, nusquam videbis Patriarcham Cõstantinopolitanum, Apostolici titulo insignitum; at verò legatos Papæ, & in ipsa 11. sextæ Synodi actione, ità vocatos, & deinceps, vsque ad subscriptiones definitionis, in qua subscriptus est, Petrus Apostolicæ sedis Alexandrinorum, & Georgius locum tenens Apostolicæ sedis Hierosolymorum, cùm adiectione semper, vt dictum est; sed ibi primum ad finem sextæ Synodi. At Romana sedes ab initio, & Apostolica Romæ, & absolutè Apostolica, per excellentiam nuncupatur. Vt sanctæ Synodi illud planè significetur, quòd Papa, & Romæ sit Episcopus, & Episcopus vniuersæ Ecclesiæ; cæteræ verò sedes Apostolicæ limitata dignitate sint Apostolicæ non illimitata. Quòd & in septima Synodo palàm est: in illa enim assiduò leguntur sedes Apostolicæ Orientalis Diœceseos; Romana verò etiã absolutè, vt actione secunda; Petrus, & Petrus Deo amabiles Presbyteri, & legati Apostolicæ cathedræ dixerunt: Dicat nobis S. Synodus, si admittat literas Sanctissimi Papæ. Hoc innuebat Tarasius scribens Hadriano Papæ his verbis:

Vestra igitur fraterna, summòque sacerdotio decorata sanctitatis legitimè, ac secundùm Dei voluntatem gubernans sacrum hierarchicum ordinem, percelebrem habet gloriam.

Quòd enim absolutè ait, Hierarchicum ordinem gubernari à Papa; vniuersalem denotat Ecclesiam, Apostolica auctoritate gubernari: siquidem paulò antè Cathedræ Petri Apostoli Papam vocat hæredem, & manifestum huius rei indicium est, quòd nullus vnquam Patriarcha vocatus est Pater Apostolicus, nisi solus Papa. Septima Synodo Act. 2.

Petrus, & Petrus Deo amabiles Presbyteri, & locum tenentes Hadriani Sanctissimi Papæ Romani dixerunt: Nos ipsi acceptas ab Apostolico Patre nostro, huiusmodi literas detulimus: & Act. 4. in subscriptionibus.

Petrus miseratione Diuina Archipresbyter Sanctæ Dei Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, & locum supplens Hadriani S. & Apostolici Papæ, &c. Adeò verò communis Christianorum, omnium erat mos, ità nominandi Papam, vt magnus Athanasius in Epistola, ad omnes vbique solitariam vitam agentes, hæc dicat.

Nàm nec ipsi Liberio Episcopo Romano, in primis pepercerunt, sed furorem suum, vsque ad ea loca extenderunt: nec ducti reuerentia sunt, quòd sit Apostolica sedes, & Roma Imperij Romani metropolis; nec recordati sunt, quòd illos anteà, cùm ad eos scriberent, Apostolicos viros vocarent.

Itàque cùm tanta sit differentia, qua tribuitur Apostolici appellatio Orientalibus, & Papæ; cur dicis, vel omnes æqualis esse debere dignitatis cùm Romana sede; vel nec Romanam sedem excellere, dùm fieri non potest, vt commune transeat in priuatum.

Quæ

Quæ nàm communitas, si solus olim Papa hoc habebat; deindè alijs vix, tandem commune factum, aliter Papæ, aliter Patriarchis tribuitur? Ceterum in hoc aliqua apparet conuenientia; quòd verò Constantinopolitanus œcumenicum se inscribat, quæ ratio, quæ conuenientia? An quia Constantinopolis noua Roma? At Leo Papa scribens ad Marcianum Augustum clamabat.

3 Part. Calced. cap. 6.

Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam: alia tamen ratio est rerum secularium, alia diuinarum. Nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.

Alia est, inquit, ratio secularium, alia diuinorum. Itàque argumentum illud non valet; Honorata fuit Constantinopolis Imperio, & Senatu, habeat ergo cùm seniore Roma æqualia priuilegia. Non enim fundatur senioris Romæ primatus Imperio, & Senatu, vt inquit B. Leo: sed illa petra, quam Dominus in fundamento posuit.

Omninò autem, qui fieri potest, vt duo sint Episcopi œcumenici? Nàm quod refert Bibliothecarius Anastasius, in sui defensionem responderi à Græcis; Quòd non ità vocetur œcumenicus Constantinopolitanus, vt vniuersi orbis teneat præsulatum, sed quòd quidam parti orbis præsit, quæ à Christianis inhabitata vocatur œcumene, hoc inquam inuentum non seriò agentium, sed ludentium est in diuinis. Non ità vocem hanc intellexerunt, qui contra eam acerrimè inuecti sunt Romani Pontifices, Pelagius, & Gregorius magnus, nec ità sunt interpretati, qui primi hunc titulum sibi arrogarunt Patriarchæ, Ioãnes ieiunator, & Cyriacus, sed œcumenicos se inscripserunt, vero abutentes significatu; atque vt scribit Gregorius magnus Anastasio Antiocheno; talem præbentes causam, vt si hanc, inquit, æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpamus. Nec locutus est, in quo de hac voce mentionem fecerit; frequentes autem propter illam dedit epistolas: & non damnauerit reieceritque, vt profana, vt vniuersalis Ecclesiæ iniuriam, vt magnorum originem scandalorum plenam superbiæ, Antichristi præcursorem; per quam fides perditur, vt sceleftam, & contradicentem Euangelio, sacrisque Canonibus; qua vt Hadrianus Papa inquit in suis literis ad Imperatores, qui vtitur, & assensum præbet, alienum se à fide orthodoxa, & rebellem Ecclesiæ Catholicæ manifestat.

In præfatione 7. Syn. ad Ioan. VIII.

Lib. 6. epist. 34.

CAP. XXI.

Omnis Episcopus sedet, ex Chrysostomo, inquit Nilus, in sede Christi, ergò non est magni faciendum, quòd sedeat Papa in sede Petri, sed demonstrat Cariophilus, ex ipso Nilo errorem, cùm sola prima dicantur Ecclesiæ Apostolicæ, & prima Romana.

NILVS.

Beatus verò Pater Chrysostomus, etiam vnumquemque Episcopum, asserit in Cathedra Christi sedere; quemadmodum legales Sacerdotes in Cathedra Mosis. Quare non est magni faciendum, quòd Romæ sedes vocetur Apostolica, cùm omnis Episcopus sedeat in sede Christi.

CONFVTATIO.

Suprà dicebas; Quamlibet principaliũ sedium vocari Apostolicã; vt Papa, quod attinet ad hoc, nihil plus habeat supra cæteros Patriarchas. Nunc dicis, Papam non solùm supra nullum Patriarcham, sed neque supra quemlibet Episcopum plus quicquam habere, quandoquidem iuxta beatum Chrysostomum quilibet Episcopus sedet in cathedra Christi, & hæc dicens duo peccas; primò quidem, quia dictum Chrysostomi peruertis: deinde & ipse tecum pugnas. Dum enim Papam deprimis, vnam constituis omnium æqualitatem, siquidem Episcopus quilibet vnam, & eandem Christi cathedram habet. Quomodo igitur aiebas, præcipuum hoc habere principales Sedes, quòd omnes vocentur Apostolicæ? si enim plus est, habere Christi sedem, quam vocari Apostolicum, & omnes Episcopi habent cathedram Christi, certè omnes habent, quod plus est; & euanescit per te Patriarcharum prærogatiua, quòd vocentur Apostolici. Peruertis autem, & Chrysostomi dictum. Ait enim.

Super Moysi cathedram sederunt Scribæ, & Pharisæi; nunc verò non ità, neque enim super cathedram Moysi sederunt Sacerdotes, sed super Christi sedem, illius enim susceperè doctrinam.

Cum ergo Chrysostomus cathedram in doctrinam interpretetur, tu in potestatem accipis. Itàque secundùm Chrysostomi sensum habemus verum dogma, quòd omnes Episcopi sedem Christi habeant, doctrinam scilicet Euangelicam disseminantes. At verò secundùm tuæ interpretationis peruersitatem habemus blasphemiam opinionem; Quòd omnes Episcopi æqualitatem habeant dignitatis. Porrò quid sentiret beatus pater Chrysostom. de Petro, & successoribus, habes homila 3. in Acta Apostolorum, dum verba illa explicat: In diebus illis exurgens Petrus: Veferuens, inquit, & is, cui Christus demandauerat ouilis curam, vtque sociorum Princeps, ipse semper loquitur primus. Et infra.

Meritò ipse rem cum auctoritate tractat, vt qui omnes habuit sibi commissos: Huic enim dixit Christus: [Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] & homil. 21.

Petrus tamquam exercitus Dux circumibat acies, quærens, quæ pars esset benè apparata, quæ benè instructa, quæ indigeret eius præsentia. Vide vbique ipsum circumcursantem, & primum se ostendentem. Et infra.

Et vbi quidem periculum, & gubernantis prudentia, ibi Petrus; vbi verò tranquilla omnia, communiter omnes. Ità maiorem non exigebat honorem, & homilia in Ioannem 88. explicans illud postremi capitis: Hic autem quid? Quoniam, inquit, Petro magna Christus prædixit, & Orbem terrarum, illi tradidit; & paulò ante. Huic Petro commissa est præfectura fratrum.

Hæc de Petro tam magnificis verbis Chrysostomus. De successoribus verò, ità ne sentiebat, vt tu? minime gentium. Namque Innocentio Papæ scribens, primo quidem miserabiliter deplorat, quæcumque passus erat à Theophilo Alexandrino. Et inter alia.

Necessarium, inquit, duximus persuadere honorabilissimis dominis meis, Demetrio, Pansophio, Pappo, & Eugenio Episcopis suas sedes relinquere, & tam vasto mari se se committere, longamque peregrinationem suscipere, & ad vestram charitatem properare; vt omnibus apertè narratis, remedium quàm citissimè adhibeatur.

Et infra. Neque enim iuri consentaneum erat, Ægyptium esse iudicem incolentium Thraciam.

Et rogo charitatem vestram, vt excitetur, condoleatque, & nihil prætermittat, quò malorum sit finis.

Et vbi ergo Domini mei summè honorandi perueneritis ad rerum notitiam, ostendite fortitudinem, quæ vos decet, & studium ponite, vt tanta iniquitas, quæ grassata est in Ecclesias, reprimatur. Et,

Ne igitur totum peruadat Orbem tanta confusio, scribe quæso, vt quæ absentibus nobis, & iudicium non detrectantibus, adeò nefariè gesta sunt, altera tantùm parte præsente, nullius sint roboris: eos verò, qui eiusmodi scelera ausi sunt, vbi conuicti fuerint, Ecclesiasticarum rerum censuræ subdi; Nobis autem, qui in nullo crimine deprehensi sumus, nullius rei sceleris, date, vt vestris assiduè literis fruamur, & charitate, alijsque omnibus, sicut & antea.

Subdit deindè sanctus Pater, paratissimum se esse ad subeundum Papæ iudicium, & eius tribunal se nullo modo deuitare.

Scribit & alteram epistolam ad eumdem Papam, agitque magnas gratias pro studio collato quamuis subsecutum non esset remedium, quod opus erat. Rogat tamen, ne Papa causam deserat; propositum quippè illi esse certamen, interturbato ferè vniuerso terrarum Orbe.

Ex quibus Chrysostomi verbis tria habemus. Quòd non ferebat Chrysostomus, se ab Alexandrino iudicari. Quòd appellat Papæ iudicium, vt se iniquo iudicio liberaret. Quòd turbata per vniuersum Orbem Ecclesia, Papam exciat ad ferendum iudicium. Hæc porrò quid aliud sunt, quàm aperta confessio Apostolicæ, & vniuersalis in Papa auctoritatis, quam nec Alexandrinus, nec Constantinopolitanus habuit, aut habet? Quomodo igitur non magnifaciendum, quòd Romanus vocetur Apostolicus, cum Episcopus quisque sedeat in sede Christi? Hæc non conueniunt cum sensu Chrysostomi, & antiquæ Orientalis Ecclesiæ, sed ità dicere: vt tu dicis, est Patrum sententias afferre fallaciter, & negando primatum, schisma inducere. Quamquam ne sic quidem, vt tu interpretaris, habes, quod vis. Esto enim, quòd omnes Episcopi sedeant in sede Christi; non tamen necesse est, sedere omnes cum æqualitatis honore: sicut & legales Sacerdotes in cathedra Moysi non omnes æqualiter sedebant; eminebat enim inter illos Pontifex. Itàque magni faciendum est, quòd sola Romana Sedes per excellentiam vocetur Apostolica, & solus Episcopus Romanus ità sedeat in Cathedra Christi, vt Episcoporum omnium sit iudex.

CAP. XXII.

Ad Imperatorem spectat conuocare Synodos, vt patet, ait Nilus, in epistola prima Synodi ad Ecclesiam Alexandrinam, & ait 6. tertiæ Synodi, sic par. 1. Chalced. cap. 19. sed ostendit Cariophillus esse non manifestam veritatem, sed manifestam falsitatem.

NILVS.

Dicere autem, soli Papæ licere Oecumenicam congregare Synodum, an non est, quæ manifestissima sunt oppugnare? an potiùs turpe non est; in eo Sacerdotem esse ambitiosum, in quo potest etiam Imperator se iactare? vt scias autem, ad Imperatorem potiùs, quàm ad Episcopos id pertinere, legito epistolam primę Synodi ad Ecclesiam Alexandrinam. Quoniam, inquit, Dei gratia, & Constantinus Deo amabilissimus Imperator nos congregauit è diuersis Prouincijs. Legito ex Actis tertiæ Synodi epistolam eius ad Theodosium, & Valentinianum Act. 6. sancta Synodus Dei gratia, & nutu maiestatis vestræ congregata in Ephesiorum Metropoli, & ex fine Actorum quartæ Synodi: Sancta, & magna, & vniuersalis Synodus, per Dei gratiam, & sanctionem religiosissimorum, & Christi amantium Imperatorum collecta. Beatus quoque Leo Romanus Episcopus ad Theodosium Imperatorem scribens, loco magnæ rei petit, vt Imperator annueret fieri in Italia Synodum generalem. Non petijsset autem, si iuris sui fuisset præstare illud. Par. 3. Par. 1. Chalced. c. 19.

CONFVTATIO.

Si manifestam veritatem oppugnare est, quærere in Actis Synodorum, vt nulla sit repugnantia, certè qui hæc non quærit, contradicit Synodis. Congregatam se ait prima

Syno-

Synodus à Dei gratia, & Imperatore Constantino. Exponit hoc sancta sexta Synodus Act. 18. in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem.

Arius, inquit, insurgebat, divisor, & partitor Trinitatis, & continuò Constantinus semper Augustus, & Siluester celeberrimus magnam, & illustrem Nicææ Synodum congregabant. Congregabat Constatinus, & Siluester; non ergo verum est, quod ais; non ad Episcopos, sed ad Imperatores hoc pertinere. De secunda vero Synodo rursus iidem Patres in Prosphnnetico.

Macedonius diuinitatem spiritus negabat, sed Theodosius, & Damasus conuentum congregabant.

De tertia vero, & quarta Synodo.

Iterum Nestorius, & contra Cælestinus, & Cyrillus: nam ille Christum diuidebat, & partiebatur. Si verò à Domino stantes cum sceptorum Domino diuisorem deijciebant. Deinde, inquit, Eutychis delirante insania nouam fabulam, Leonis epistola tamquam rugitus leonis, grandi sonitu ex vrbe perstrepens, archimandritam tunc temporis bestiam perterruit, & è Monachorum depulit grege.

De quinta præterea.

Vigilius, inquir, & Iustinianus quintæ Synodi conuentum celebrabant. Cum sexta Synodus tam planis verbis hæc asserat: Prima verò, & tertia, & quarta, quas profers, dicant se congregatas nutu, & decreto Imperatorum, necesse est, aut sanctas Synodos inter se dissentire, aut non vera te dicere, dum asseris, Imperatorum esse, non Sacerdotum congregare Synodos Oecumenicas. Non dissentire autem sacras Synodos, & per se constat: alioqnin altera pars mentiretur, si esset dissidium: Constat etiam ex ipsorummet Imperatorum scriptis, per quæ Synodi Oecumenicæ congregatæ suot. Ipsi enim fatentur, quomodo, qua veratione congregabant, declarantes se hoc fecisse non vt auctoritate vtentes, sed vt Religionem propugnantes. Vt ex his iure optimo colligatur solius Papæ potestatis esse propriè, Synodos Oecumenicas congregare. Itàque præclaræ memoriæ Constantinus Imperator in allocutione ad sanctam Synodum de pace, vt videre est in fragmentis primæ Synodi.

Postquam, inquit, de vestra dissensione præter omnem spem audiui, non posthabendum duxi, quod relatum est, sed precatus huic etiam rei adhiberi remediū per ministerium meum, omnes absque mora accersiui.

Accersisse ait se Episcopos, non regia vsum potestate, non politica administratione innixum, sed precatum, vt malo adhiberetur remedium per ministerium eius, siue ergo ministerium intelligas erga Deum, siue Ecclesiam precis, & ministerij opus fuisse sibi conuocationem Episcoporum fatetur Imperator, non potestatis, & auctoritatis. Et si Constantinus, & Siluester, vt ait sexta Synodus, congregabant primam Synodum; & Constantinus fatetur se conuocasse ministri opera, restat vt Siluester conuocauerit pastoris officio: quo enim alio titulo? si enim alio titulo, cur potius Siluester Romanus, quàm Alexandrinus, & Antiochenus conuocasse dicitur? si dicas, quia Romanus est ordine primus? contradicunt quarta, & septima Synodus: quarta, vbi dicit Actorum initio.

Synodum celebrare ausus est Dioscorus non obtenta facultate à Sede Apostolica; quod numquam factum est, nec fieri licet.

Septima Act. 6. Vbi dicit: legem Synodorum esse, vt Romanum Papam cooperantem habeant. Hæc autem primatum designant, non nudi ordinis, sed auctoritatis. Nam concedenda licentia, & cooperatio Papæ iuxtà legem Synodorum, nefarium, & iniquum ostendit, quod contra fit: & manifestissimum est argumentum non puri ordinis, sed potestatis, & iurisdictionis; siquidem fuere Synodi Oecumenicæ, in quibus ordo Patriarcharum non est seruatus, vtpote tertia, in qua non fuit Constantinopolitanus, & Antiochenus. Quarta, in qua non adfuit Alexandrinus, sexta, in qua eiectus est Antiochenus. At sine Papa numquam facta est Synodus, nec fieri potest. Quòd si ordo solus primatum tribueret Papæ, possent etiam fieri Synodi sine Papa, & auctoritate eius.

Suum porrò consilium declarat apertiùs Constantinus Magnus in sua epistola ad Ecclesias.

Cum, inquit, ex rebus pro Republica feliciter gestis experimento didicerim, quanta sit diuinæ virtutis benignitas; hoc mihi ante alia propositum statuendum putaui, vt beatissimi Ecclesiæ Catholicæ populi fidem vnā, & charitatem sinceram, & consentientem erga omnipotentem Deum teneant cultum. Verùm quia hoc non poterat fixo, stabilique ordine firmari, nisi vel omnibus Episcopis, vel maiori eorum parte in vnum conuenientè, quo singula ad sanctissimam Religionem pertinentia examinarentur; idcircò quamplurimis congregatis, ipse quoque tamquam vnus è numero vestrum adsui. Neque enim negauerim id, ex quo maximam capio lætitiam, vestrum me esse conseruum.

In his Constantinus Magnus hac ratiocinatione vtitur; fęlicitas Reipublicæ obuenit mihi ex Dei gratia. Ego verò cum Imperator sim, Reipublicæ statum fęlicem curare debeo; ergo & gratiam aucupari diuinam. Dat verò se diuina gratia, si fiant illa, quæ Deo placent: placet verò potissimùm Deo recta fidei cultus in populis. Hoc ergo est mihi curandum. Sed quia non poterat hoc ad prosperum perduci finem absque Synodo Oecumenica, ideò Episcopos conuocaui.

Causa igitur, & finis conuocationis Episcoporum est fœlix Reipub. status, cuius potestas, & administratio in Imperatore est. Sed quia impossibile est, & finem spiritualium esse corporalia; impossibile etiam est, fęlicem Reipublicæ statum esse per se finem Synodi. Si ergo alius est per se finis Synodi, alius profectò ab Imperatore est, cuius proprium sit operari ad finem per se propositum: talis autem est spiritualis Pastor. Illius ergo per se erit opus conuocare Synodos, Constantinus aptè, congrueterque dixit, suo ministerio fuisse conuocatos Episcopos. Ait enim eximius Doctor Gregorius Nazianzenus oratione ad Nazianzenos ciuilibus fungentes muneribus, & timore perculsos, nec non Præfectum irascentem.

Num sermonem cum libertate prolatum accipietis? quando lex Christi meæ vos potestati, ac meo tribunali subijcit? si quidem dminamur, & ipsi, & addo principatum nostrum maiorem, & perfectiorem esse. An verò decet spiritum carni, & terrenis Cœlestia cedere?

Itàque si principatus spiritualis ità se habet ad temporalem, sicut Spiritus ad carnem; & caro est organum Spiritus: necessariò, & imperium erit Sacerdotij instrumentum; & connumerantur Episcopi per Imperatores iure ministerij, non dominatus, instrumenti, non principalis causæ; inferioris munere, non superioris potestate. Quid verò aliud significabat Imperator, quando in conuentu Episcoporum considere noluit postremus, nisi annuentibus Episcopis? & cum occasione libellorũ, quos alter alterum accusantes Episcopi obtulerant, ipse aiebat; Cùm vos constituerit Deus Sacerdotes, & Principes, vt indicetis, & dijudicetis populos, dijque sitis, vtpotè cunctis hominibus superiores: iuxtà dictum illud, ità decernens: ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: & Deus stetit in Synagoga deorum; Oportet vos omne studium ad diuina conferre.

Eufeb lib. 5. de const.

Psl. 81.

Quomodò hæc dixisset, & egisset Constantinus Magnus, si quasi auctoritate vsus congregasset Eipscopos? sicut autem prima Synodus posterioribus Regula extitit; ità quæ gessit, & dixit Constantinus Synodum cogens, regula fuit ijs, qui successere principibus. Tria enim erant, ob quæ Imperatores dicebantur congregare Synodos: Orthodoxæ fidei propugnatio, cibariorum subministratio, & palatus Reipub. status. Propugnationem Constantinus vocat ministerium. De subministratione alimoniæ narrat Eusebius lib. 3. de vita Constantini, iussisse illum, vt Episcopis in dies singulos abundè suppeditarentur necessaria, tranquillum Reipublicæ statum, & ipse Constantinus in epistolis, & allocutionibus suis, & cæteri Imperatores pro causa afferunt. Propugnare autem, & suppeditare, & populorum diffidia, & seditiones per conuentum Episcoporum extinguere, non est ius dominij, & potestatis habere. Distant enim hæc inter se plurimum, sicut iudicis, & patroni opus.

Declarat hæc in priore sua epistola ad Leonem Isaurum, Gregorius Papa antè septimam Synodum.

Scis, inquit, Imperator, sanctæ Ecclesiæ Dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum. Deindè:

Consilium autem Christi amantium Imperatorum, & piorum Pontificum virtus est vna, quando cum pace, atque charitate res administrantur, & in secunda epistola.

Audi, inquit, humilitatem nostram Imperator; cessa, & sanctam Ecclesiam sequere, prout inuenisti, atque accepisti. Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum, quoniam Christi sensum nos habemus.

Et cum Iconomachus Leo scripsisset; Imperator sum, & Sacerdos; respondit Papa: enimuerò, qui antè te fuerunt Imperatores; hoc opere, ac sermone demonstrarunt, qui condiderunt, & curam gesserunt Ecclesiarum vnam cum Pontificibus, cupiditate zeloque incensi, rectæque fidei veritatem peruestigantes, Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Iustiniani Pater, qui sextæ Synodo interfuit, Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus vno Consilio, ac sententia Synodos congregantes, & veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt, & ornarunt.

En nudam habes veritatem, Quòd dogmata non sunt Imperatorum, & quòd cum Pontificibus Imperatores congregabant Synodos vno Consilio, propugnantes, subministrantes, & pacem populorum curantes.

Theodosius, & Valentinianus conuocantes tertiæ Synodi Patres.

Eph. par. 1. c. 32.

Pendet, inquiunt, à religione, qua Deus colitur nostræ Reipub. status: deindè. Constituti igitur à Deo, vt regnemus, & simus subditis nostris vinculum pietatis, & prosperitatis, indiuulsam semper conseruamus naturalem eorum societatem; mox: Vtriusque vt par est, curam gerentes: Nec enim fieri potest, vt qui vni studet, alterum negligat: antè omnia in illud incumbimus, vt Ecclesiarum status Deum condecens, nostrisque temporibus congruens seruetur, habeamusque ex communi omnium concordia tranquillitatem, perque seruatam in rebus Ecclesiasticis pacem, extinguamus seditiones. Vides, qua ratione Imperatores fatentur se conferre ad Ecclesiasticorum curam? Quoniam status Reipub. pendet à spiritualibus; & quia proprium Imperatorum opus est, conseruare Remp. à turbis, & seditionibus liberam, opus est illos etiam de Religione cogitare: nàm si vna fides omnium non sit, turbæ, & schismata oriuntur in populis. Itàque fatentur, non primaria ratione, sed ob necessitatem temporalium attingere spiritualia. Hoc autem non est, quod tu diels, Imperatorum esse, non Episcoporum congregare Synodum œcumenicam; sed contra, Imperatorum esse per accidens, Episcoporum per se.

Valentinianus, & Marcianus, de quarta Synodo scribentes Leoni Papæ. Sanctitatem, inquiunt, tuam principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris Literis in principio instum credimus alloquendam. Deindè Quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circà omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat; & Pulcheria Augusta in eundem modum Leoni scribens. Et ea propterea, inquit, tua reuerentia quocumque modo prospexerit, significare dignetur; vt omnes etiam torius Orientis Episcopi, Thraciæ, atque Illyrici in vnâ Ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire.

Par. 1. Chal c. 31.

Vides, qui quartam Synodum congregauere, quid scribant? Conuocandam Synodum auctore Papa, & significare volente, vt in vnam Ciuitatem conueniant Episcopi.

Hoc ergo solum innuunt sacræ Synodi, cum se congregatas dicunt Dei gratia, & Imperatorum decreto. Neque enim Synodi plus tribuunt Imperatoribus, quàm Imperatores sibi.

Quòd autem obijcisi B. Leonem Papam scripsisse Imperatori Theodosio, & loco magnæ rei petijsse, vt Imperator annueret fieri

in

in Italia Synodum generalem: Quod ais, non quæsiuisset, si iuris sui fuisset præstare illud. Ipse Leo declarat optimè, & instantiam diluit per ea, quæ in eadem epistola scribit.

Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicę fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis, & pacis. Deindè. Comperimus enim non incerto nuntio, sed fidelissimo rerum, quæ gestæ sunt, narratore Hilare Diacono nostro, conuenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes; quorum vtique frequentia consultationi, & iudicio profuisset, si is, qui sibi locum Principem vindicabat, Sacerdotalem moderationem custodire noluisset.

Chalc. par. 1 c. 19.

Loquitur autem Pontifex de Dioscoro, qui sibi locum Principem vindicauerat, quoniam ab Imperatore Theodosio Primatum, & auctoritatem acceperat in secunda Synodo Ephesina, vt constat ex prima Act. Chalcedonensis. Hoc igitur reprehendens Papa, & in literis ad Pulcheriam, & alios, manifestissimè ostendit; Quòd si munus Imperatorum esset congregare Synodos, ipsorum, quoque esset dare locum Principem in ijs, cui vellent. Atqui Leo Papa hoc reprehendit, & Dioscorum, ait, vendicasse sibi Principem locum, quamuis ille hoc ab Imperatore accepisset. Non est ergo Imperatorum congregare Synodos, nisi per ministerij modum; qua ratione Dioscorus non debebat vindicare sibi Principem locum. Et subdit Papa;

Quia Sacramento veræ diuinitatis, & veræ in Christo humanitatis à paucis impiè nunc obuiatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ, cum gemitibus lacrymis supplicant Sacerdotes; vt quia, & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.

Et in fine epistolæ declarat, cuiusmodi rem perat ab Imperatore; fauete, inquit, Catholicis vestro more; parentumque vestrorum. Date defendendæ fidei libertatem;Quam, salua clementiæ vestræ reuerentia, nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre. Cùm enim Ecclesiæ causas, tum regni vestri agamus, & salutis, vt Prouinciarum vestrarum quieto iure potiamini; defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, vt & vestrum Christi dextera defendatur Imperium.

Petit ergo Synodum Papa ab Imperatore, tanquam propugnatore, & vindicè, vt & ipse subditis quietè dominetur: non loco rei magnæ, quod sui iuris non erat. Hoc autem esse omninò verum, & certissimum; & petere ab Imperatore Synodum non esse Ecclesiasticæ potestatis imminutionem, ipse Leo Magnus docebit in epistola ad Episcopos Synodi Chalcedonensis.

Vt vestra fraterna Vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam exequuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum inijsse sententia, in sola videlicet fidei causa; propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.

Consensum porrò Sedis Apostolicæ, adeò necessarium censebant Orientales in celebrandis Synodis; vt Leo quoque Isaurus, vt dictum est, volens Iconomachiæ suæ insaniam stabilire, scripserit ad Gregorium II. vt œcumenicam Synodum fieri iuberet.

Papa verò respondit.

Scripsisti, vt in Concilium vniuersale cogeretur, & nobis inutilis ea res visa est. Finge, nos te audisse, & ex vniuerso terrarum Orbe Pontifices congregatos esse, &c.

Et tu quidem dicis, Leonem Papam loco magnæ rei petijsse à Theodosio Imperatore, vt eius nutus Synodus œcumenica cogeretur.

Nos autem dicimus Leonem Imperatorem petijsse loco magnæ rei à Papa, vt eius nutu celebraretur Synodus œcumenica. Si ergo necessarius est Papæ consensus, falsum est, ad Imperatores, non ad Episcopos id pertinere, vt tu dicis.

Nam quòd per Imperatorum decreta connenerint Synodi, non arguit in Imperatoribus potestatem, sed obsequium, & ministerium, & propugnationem orthodoxæ fidei. Quod etiam Imperator Constantinus Pogonatus fatetur in epistola ad Leonem II.

Compluries, inquit, Ecclesia hæresum impetu ægrotauit; at non aliter orthodoxiæ medicinam accepit, quàm piorum, & Christi amantium Imperatorum adhortatione, & Deiferorum Sacerdotum consensu, & congregatione.

CAP. XXIII.

Si Romana est prima, quia Petrus mortuus est, Hierosolymitana erit maior, quia ibi mortuus est Christus, ergo Nilus, sed malè, quia alia causa est, idest, quòd fuerit per mortem facta Sedes Petri, ait Cariophillus.

NILVS.

Si verò, quia Petrus Romæ diem suum obijt, idcircò magnam existimas Romanam Sedem; certè præferenda erit Hierosolymitanorum Sedes, cum eo in loco Saluator viuificam appetierit mortem.

CONFVTATIO.

Non hoc ipso, quòd Romæ mortem obierit, sed quia Petro Romæ vita functo, Sedes Petri euasit Roma. Tu supra dicebas, cum differentias Petri, & Romani Episcopi recenseres; Petrum simpliciter audisse: [Quidcumque solueris, aut ligaueris, erit ligatum, aut solutum in Cœlis.] Cùm verò ipse in Romanum Episcopum transmittere, gratiam, non dixisse simpliciter, sed cum adiuncto; ligabis, quòd ligandum erit. Fateris ergo tu quoque transmissam à Petro gratiam in Episcopum Romanum, sed non talem, ac tantam, qualem, & quantam is habebat.

bebat. Nobis verò satis erit, talem ac tantam fateri Papæ potestatem, qualem, quantamque testantur Synodi œcumenicæ.

Tertia, in qua Cyrillus non abstinet à Nestorij communione, nisi petita facultate à Papa: & Papa dat Cyrillo auctoritatem, potestatemque pronuntiandi sententiam contra Nestorium. In qua de Papa dicitur, quòd omnium Ecclesiarum curam gerat, & Synodus implorat Papæ indignationem contra Ioannem Antiochenum, & summatim, in qua Papa damnat Constantinopolitanum, Alexandrino potestatem iudicandi dat, & arrogantiæ Antiocheni castigator à Synodo excitatur.

Quarta, in qua Dioscorus; qui vsque adeò insolens extiterat, vt Papam excommunicationi subiecerit, è cętu Episcoporum, quibus confidebat, eiectus est mandato Papæ, priuatusque sacerdotio. In qua custos vineæ constitutus à Domino prædicatur Papa, & Orientalium moderator Ecclesiarum, atque Constantinopolitanæ illustrator Ecclesiæ, Apostolico radio Romæ residente. In qua scriptum ab Orientalibus Canonem de priuilegijs Constantinopolitani reijcit Papa, perque sacræ Synodi epistolam agnoscitur Canonum legislator, & iuxta Imperiales Gallæ Placidiæ literas ad Theodosium, habere illam sedem dicitur Papa, in qua principatum Episcopatus ordinauit, qui cælestes accipere claues dignus fuit.

Sexta Synodus, cuius Episcopi in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem: Summus, inquiunt, nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & sedis successorem habebamus inungentem.

Si ergo Petri successor est Papa, talisque successor, qualem Generalia testantur Concilia, eamdem scilicet, quam Petrus, auctoritatem habens, vt Act. 11. Septimæ Synodi Hadrianus Papa luculenter asserit in literis ad Imperatores.

Nam ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicæ sedi primitus præsedit, sui Apostolatus principatum, ac Pastoralis curæ successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit. Quibus, & auctoritatis potestatem, quemadmodum à Saluatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit diuino iussu successoribus Pontificibus. Cur tu dicis, potestatem, siue gratiam aliter in Petro, aliter esse in successoribus; in illo simpliciter, in his non simpliciter, cum Synodi contraria doceant?

Magna igitur sedes Romæ, quia Petrus illic vita functus, successorem æquali potestate præditum reliquit Papam. At Hierosolymitanus non ità; tantùm enim abest, vt propter Saluatoris mortem primatu gaudeat, vt etiam honore auctus, subiaceret Cæsareensi Metropoli, vt septimo suo Canone prima Synodus ait. Christi enim Sacerdotium nullum potest habere successorem.

CAP. XXIV.

Ideò, inquit Nilus, Patres laudant Ecclesiam Romanam ob ordinem, sed insulsa responsio ait Cariophillus.

NILVS.

SI verò te commouet honoris Papæ magnitudo, quam à beatis Patribus Romana sedes sortita est; factum hoc puta seruandi ordinis gratia. Magni autem fit à sanctis Patribus ordo, qui & cælestia continet, & terrestria.

CONFVTATIO.

Dum omnes machinas adhibes contra primatum Papæ, à beatis Patribus vbique illum deducis, & quasi demonstratum accipis quod tibi placet, contradicentibus tibi sacris Concilijs: quorum fundamentis inniti tu, tuique similes nescio, qua fronte iactatis.

Itaque Papæ magnitudinem à Patribus acceptam ponens, indè etiam ordinis seriem pendere ais. Et cælestibus quidem, ac terrestribus ordinem tribuis à Deo datum, & naturalem; Hierarchiæ verò Ecclesiasticæ ordinem à Patribus destinatum; cum Saluator dicat; [& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Cum ergo Christus ædificauerit Ecclesiam, necessarium est, vt ab eodem sit ædificij fundamentum; cum ipse sit, qui petram, & fundamentum catholicæ Ecclesiæ iecit, iuxtà voces Actorum tertiæ Synodi, vbi Philippus Apostolicæ sedis legatus aiebat Act. 3. Matt. 16. 18.

Omnibus seculis notum est, quòd sanctus, & Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps, & caput, columna fidei, Catholicæ Ecclesiæ fundamentum à Domino nostro Iesu Christo regni claues accepit, & ipsi data est potestas ligandi, ac soluendi peccata. Qui ad hoc vsque tempus, & in perpetuum viuit in suis successoribus, & iudicium exercet.

Super hoc fundamento à Deo posito, & prima Synodus sanxit, seruanda esse Ecclesiarum priuilegia iuxta mores antiquos, & secundam à sede Romana agnoscit Alexandrinam, tertiam Antiochenam, & post eas honorari vult etiam Hierosolymitanam, salua dignitate metropolis. Et tertia Synodus in Relatione ad Cælestinum; indignetur, ait, tua sanctitas conuenienter aduersùs Ioannem Antiochenum. Nam si licebit volentibus quibusque sedes etiàm maiores afficere iniurijs, in extremam ibunt confusionem Ecclesiæ res. Act. 5.

In his S. illa Synodus agnoscit Papam ordinis Ecclesiarum custodem, sicuti quarta Synodus custodem vineæ à Domino constitutum. Non ergo habuit à Patribus Papa magnitudinem propter ordinem à Patribus illi datum: sed quia honorabile est, quod diuinum, & excellentius est; & Petrus viuit, & iudi-

iudicat in successoribus, magnitudo honoris Papæ est à dignitate Petri. Itaque quod ais, seruandi ordinis gratia esse magnitudinem honoris Papæ; si rectè intelligatur; verum est; falsum, vt tu intelligis. Tu enim nudum ponis ordinem, & primatum nudi ordinis à Patribus, Sanctæ verò Synodi ordinem iurisdictionis fatentur in Papa, & hunc lege Christi. Vt sit per te magnitudo honoris Papæ forinsecus, cum secundùm veritatem intrinsecus sit. Cæterum admiratione dignum est, quòd adeò grauiter philosophetis de ordine, deque magnitudine honoris Papę, cum vos ordinem iuxta mores antiquos, vt inquit prima Synodus, reieceritis, & Constantinopolitanum multis artibus vsi, secundum constitueritis: Deindè quamuis ordine secundum iisdem decreueritis gaudere priuilegijs, quibus & Papa, ex quo factum, vt primatum Papæ redegeritis in sedendi,& numerandi priorem locum. Postea crescente paulatim audacia titulum œcumenici Constantinopolitanus sibi arrogauit, ne inferior esse noua Roma videretur, sed vt re vera œcumenicus est Papa, ita illum æmularetur, qui per vos est illi æqualis. Vnde factum, vt duorum sit in Ecclesia principatus, quia duo sunt capita per vos. Cum ad hoc peruenisset audacia, visum est vobis seiungi à Papa, nihil ex hoc mali futurum opinantibus, quòd haberetis Constantinopolitanum caput æquipollens Papæ. Schisma vero torrentis instar vi erumpentis multam dogmatum colluuiem secum pertraxit. Vt enim videremini non sine iustis causis ausi, quod fecistis additamentum symbolo, vt vocatis, factum criminamini, & latinos tertiæ Synodi decretum violasse dicitis; ac indè anathemati subiectos esse. Post hæc ipsum quoque dogma, nimirùm processionem S. Spiritus à Filio reprobare cœpistis, quid non dicentes, quid non scribentes? præterea ieiunium sabbati reprehendere pretextu cuiusdam canonis, quem Apostolicum dicitis; qui ad ea vsque tempora latebat, tunc emersit, nempè vt fictos, & antiquitati incognitus. Hæc subsecuta est contentio de Azimo, asserentibus vobis, illud esse Iudaicum: latinosque vocantibus Azymitas. Hinc ortum habuit opinio Purgatorium negans, & fruitionem sanctorum: Plures enim discrepantias accumulabat indies dissidium, non solùm per Dogmata, sed etiam in exteriori cultu Religionis. Ità vobis latini motis esse videsot quotidiana genuum flexio, & sacrarum staroarum erectio. Taceo, quòd diuortia vinculi permittentes, terragamiam improbatis. Atque ità sentientes, & his legibus viuentes gloriamini, quòd nullam admiseritis nouitatem, & integram seruetis antiquitatem. Quis ergo in his ordo? aut quæ apud vos magnitudo honoris Papæ? Vos illum è Diptijchis expunxistis; Vos illum non habetis orthodoxum, & quod illi summum concreditis est, vt primus sedeat, & numeretur primus, dum Catholicus sit. At quid aliud hæc sunt, quàm ordinis confusio, & legum Christi oppugnatio, & Synodorum œcumenicarum contemptio?

CAP. XXV.

Ex Canone 34. Apostolorum sunt omnes Episcopi pares ait Nilus, sed oppositum ostendit Cariophillus.

NILVS.

AN non licet, inquiunt, sine Papa Ecclesiasticis negocijs regulam dari, ità planè: Verum, nec Papæ sine alijs licet, dum regulis Apostolicis parere velit. Lege Apostolorum canonem 34.

Episcopos cuiusque gentis scire oportet, quis eorum primus sit, & loco capitis eum habere; nihilque agere modum excedens, id est ad prouinciam pertinens inconsulto illo. Sed, nec ille quicquam agat præter voluntatem omnium, ità enim erit concordia, & glorificabitur Deus.

CONFVTATIO.

Hunc Canonem Antiochena Synodus suo Canone Patrum esse dicit, non Apostolorum, sed esto, vt vis. Certè Canonem antiquissimum; vt sine Papa non liceat Ecclesias regulari: & Canonem, quem profers, sumere tamquam æquiualentes: & quia posterior conuertitur, velle vt prior etiam conuertatur: hoc est animi mala spontè amplectentis. Primus mandat, vt Papa sit regula omnium Ecclesiasticarum rerum; posterior, vt Prouincialium Ecclesiarum membra conueniant, & concordent. Prior Ecclesiastica inquit, quæ ad perfectum cuiusque Ecclesiæ statum spectant, non esse in Canonum formam redigenda, sine Papa. Alter præcipit, vt Prouinciales Episcopi nihil modũ excedens agant; hoc est, vt exponit Antiochena Synodus; quòd ad suam cuiusque diœcesim non spectet. Huiusmodi enim cum vlteriora sint, agere debet Metropolita cum Episcopis. Cur ergo ex conuersione secundi colligis conuerti etiam primum? perindè ac si ex regulis Aristocratiæ transire liceret ad regias. Proportione enim hæc sibi respondent.

Non licet sine Papa regulari Ecclesiastica, & non licet sine Rege legem imponere ciuitatibus.

Rursùs respondent. Oportet Episcopos cuiusque gentis administrare propria, nihil autem modum excedens, hoc est extra diœcesim, agere absque Metropolita; nec Metropolitam sine Episcopis, agere, videlicet quòd modum excedat, & oportet in Aristocratico regimine nihil agere ad communitatem pertineus, sine Optimatum consensu. Sicut ergò non licet ex reciprocatione Aristocraticorum inferre reciprocationem in protestatem Regiam. Neque enim si non licet magistratibus sine Archonte, nec illi sine magistratibus; ità ciuitatibus non licebit sine Rege, nec Regi sine ciuitatibus ferre leges. Sed illa quidem conuersio valet, ista minimè. In eumdem modum valet conuersio Metro-

tropolitæ ad Episcopos, cum Aristocratico modo se habeant; non valet autem conuersio Ecclesiarum ad Papam. Leges enim fert Rex, & Papa condit Canones; sed non eget Rex socijs legislatoribus, nec Papa socijs Canonum conditoribus. Huic vero sensui concordant Acta Synodorum.

Præfigebat Cælestinus regulam Cyrillo, quid agendum, & quæ pena subeunda Nestorio in tertia Synodo: Cyrillus autem non cum Papa. Quare & Firmus Cæsareæ Episcopus in secunda illius Synodi Act. aiebat: Antea etiam sententiam tulit, & formam præscripsit Apostolica, & sancta sedes sanctissimi Episcopi Cælestini; quam nos quoque secuti, executioni illam mandauimus, Canonicum, Apostolicumque iudicium intendentes in Nestorium.

Subijciebat regulis Leo Papa Dioscorum in Quarta Synodo, quia iudicis personam arripuerat, & Synodum celebrare ausus fuerat absque obtenta à Papa licentia. Quia verò Dioscorus ausus, & ipse fuerat regulis subijcere Papam, & excommunicatione percellere; hac vna de causa depositus est à quarta Synodo, vt liquet Act. 5. ex ipsamet confessione Anatolij Constantinopolitani.

Abrogabat pariter idem Leo Papa regulam ab orientalibus factam, & rogantibus vt à Papa confirmaretur, & poterat solus Papa omnium conatus infringere; illi vero sine Papa non poterant eadem facere Canonem.

Denique cum factæ Synodi tribuant, vt propria Papæ, in quibus non habet locum reciprocatio, frustra confugijs ad illam.

Act. 2. tertiæ Synodi per Philippum sedis Apostolicæ legatum vocatur Papa sanctorum membrorum sanctum caput,& Act. 3. vocatur Petri successor, viuentis, & iudicantis in suis successoribus. Si ergo Papa cum Petro est iudex, & solus hoc habet priuilegium; quomodo dicis; sine Papa non licere alijs, neque sine alijs Papæ? Ac si diceres; Non licet ijs, qui iudicantur ferre sententiam sine iudice, nec iudici sine illis.

In quarta Synodo, in Relatione ad Papam, custos vineæ constitutus à Saluatore vocatur Papa, & filiorum pater, omnium scilicet Episcoporum, & vertex natorum, & Act. 3. œcumenicus Patriarcha. Hæc porrò quam reciprocationem admittunt? Nisi dicas, custodem ad custodiendum indigere auxilio custoditorum, & patrem fieri filium natorum, & œcumenicum indigere œcumenicis, & verticem mutari in aliud membrum.

Sexta Synodus in literis ad Papam vocat illum medicum largientem Ecclesiæ membris sanitatem; vocat stantem super firmam fidei petram, confirmantem, & obsignantem orthodoxæ fidei splendorem,& in sacra Constantini Pogonati vocatur Papa omnis hæreticæ adinuentionis præcisor, frugiferarum arborum per institutiones transplantator, & infructuosarum per Canonicas censuras eradicator. Quænam in istis reciprocatio? nisi dicas, & medicum indigere curandorum ope, & fiant omnia, vt adagio dicitur sursum aquæ ad fontes.

Septima Synodus in epistola Gregorij Papæ ad Leonem Isauricum fatetur, Papam esse Dominum celebrationis Synodorum, vt dictum est, & Act. 6. legem ait esse Synodorum, vt cooperantem habeant Papam. Nisi ergo Papa cooperetur per septimam Synodum, quæ fiunt non sunt rata Concilia. Atqui ostensum est, multa Concilia fuisse habita sine aliquibus Patriarchis. Non est ergo verum; sicut alijs non licet sine Papa, ità nec Papæ sine alijs, & Canon, quem protulisti vt Apostolicum, tuis artibus non suffragatur.

CAP. XXVI.

Canones Apostolorum esse optimos patet ex prima, tertia, quarta, sexta septima Synodo, ait Nilus, sed optimè respondet Cariophillus.

NILVS.

Si quis verò contra beatorum Apostolorum Canones dicere voluerit supposititios vocans,& Apostolicis animis planè indignos; doceatur à sanctis Patribus primæ Synodi, Tertiæ, Quartæ, Sextæ, Septimæ; quæ Apostolicorum Canonum mentionem faciunt: Quin & sextæ Synodi Canones numerum ponunt legum Apostolicarum in secundo Canone, nimirùm 85.

CONFVTATIO.

Benè diceres, si Apostolicos Canones nullos esse diceremus. Nunc verò non hoc dicimus;sed quia necesse est, aut eximios Doctores, Basilium magnum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Petrum Alexandrinum; addatur etiam Cassianus; fuisse Scriptorum Apostolicorum imperitos, & ignorasse quid Apostoli de sabbato, de quarta & sexta feria, de tribus in baptismo immersionibus scripto tradiderint: aut Apostolorum Canones non esse quinque, & octoginta, vt asserit Quinisexta Synodus; sed quinquaginta tantùm, vt Romana Ecclesia declarauit, attestante, vt dictum est, Anastasio Bibliothecario in præfatione septimæ Synodi ad Ioannem VIII.

Eequem paulò ante proferebas Canonem per te Apostolicum, vocat Antiochena Synodus, vt annotatum fuit, Canonem Patrum. Liquet autem ex ipsa etiam Quinisexta Canone 2. & ex primo Canone S. Synodi septimæ, plurimum differre, si voces Canonem Apostolicum, & Canonem Patrum. Itaque germanis Canonibus Apostolicis in suo robore permanentibus, nulla cogit necessitas tot esse illorum Canones,quot numerantur à Quinisexta; aut prolatum supra à te Canonem contra nos facere.Nam licet etiam Apostolicus esset, non tollit supremam Papę dignitatem,eo quòd alijs sine ipso non liceat condere Canones, & reciprocatio non habeat locum in Papa; neque Canon hoc velit, qui de particularibus prouincijs loquitur, & si tu illum in tuum sensum detorques.

CAP. XXVII.

Dum Papa ordinem seruat Papa est, si non vult redire ad veritatem reus est, ait Nilus, sed optimè seruare ordinem à Synodis statutum demonstrat Cariophillus.

NILVS.

Denique eorum, quæ diximus, summa hæc est. Dum Papa ordinem seruat, & cum veritate stat, & Ecclesiæ caput, & summus est Pontifex, & Petri, omniumque Apostolorum successor, & omnes illi obedire debent; & nihil est quod eius honorem capere possit, si verò nolit ad veritatem redire, à qua recessit, eorum pœnas sustinebit.

CONFVTATIO.

Egregia sanè coronide sermonem tuum concludis: Dum Papa ordinem seruat. Quem dicis ordinem? quem vos excogitastis, vt primus sedeat, & primus numeretur? an verò illum, quem attestantur Synodi œcumenicæ? si hunc seruare debet, sicut & seruat, impossibile est eum cum veritate non stare. Alioquin dicta, & testimonia Synodorum euanescunt, estque omninò Papa Ecclesiæ caput, summusque Pontifex non eo, quo tu dicis modo, quia fuerit constitutus à Patribus nudo titulo primus: sed potestate, & iurisdictione primus ab eo constitutus, à quo & Petrus, cuius successor est, non iuxtà tuam nouam theologiam, vt Episcoporum quisque ab eo consecratorum; verum vt sacræ Synodi docent, talis vt in eo tamquam successore viuat, & iudicet coryphæus Petrus. Debere autem omnes illi obedire, quomodo dicas, non intelligo: supra Philosophabaris ità: Quòd terræ climata distributa sunt Episcopis principalibus. Quibus distributis, non magis subest Episcopis illis Romanus, quàm illi Romano, quod attinet ad iurisdictionem, & hoc dicebas, loquens de Papa, vt Papa est, non vt vos nunc illum habetis, minus orthodoxum, sed vt rectà fide ornatus consideratur, & illis præfulget priuilegijs, quibus eum dicitis à SS. Patribus auctum. Nunc verò dicis, Papæ, si sit orthodoxus, debere omnes obedire. Obedire autem quid infert aliud, quàm principales Episc. subesse Romano? Sed vt videre est, tecum pugnas præ calliditate nimia. Vt enim totam Schismatis causam conijcias in Papam, quasi errantem in fide, concedis illi etiam, quæ negas, dummodo palidoniam canat. Verum euanido falsi Canonis fundamento innixus, quem sexcentorum triginta Patrum esse aiebas: licèt omnes postmodum ad euitandas contentiones Papam rogauerint, vt illum probaret; certè non omnes illo contenti: immò plures minus contenti: caducum superstruxisti ædificium. Huiusmodi autem machinis Christi ædificium demoliri velle, cum Deo pugnare est, & impossibilia aggredi.

Quicumque schisma sectamini, & cum diuersitate ritus diuulsum etiam vultis indiuisum Ecclesiæ corpus, videte, quos duces, quos magistros habeatis. Affectata animi deprauatio, cæcitas, periculum, mortis animæ, fouea vobis, ignis æternus.





IOANNIS ROFFENSIS IN ANGLIA EPISCOPI.

CONVVLSIO CALVMNIARVM VLRICHI VELENI MINHONIENSIS,

Quibus Petrum nunquam Romæ fuiße cauillatur.

Ioannes Fischerus Anglus, quem alij Fisherium, seu Ficherium nominant Benerlaci Diœcesis Eboracensis Oppido Anno 1459. honestis parentibus natus, & optimis præceptoribus traditus in disciplinis, mirum in modum excelluit. Eius Pater Robertus Fischerius Mercator satis honestus moriens, filium hunc reliquit impuberem, qui matris, & aliorum propinquorum pia cura apud quemdam Sacerdotem Ecclesiæ Benerlacensis positis Grammaticæ rudimentis liberales omnes artes egregiè perdidicit, atque ad eas linguarum Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ notitiam adiunxit. Deinde ad grauiora studia animum conferens in Cantabrigiensi Academia Philosophiæ, ac Theologiæ totum se addixit, & in ijs adeò profecit, vt per omnes gradus paulatim ad Magisterij apicem conscenderit, & sacerdotali charactere initiatus Doctoris lauream sit consecutus in ipsamet Cantabrigiensi Academia. Mox Collegio D. Michaelis, cuius Alumnus fuerat Præpositus, ei per biennium summa cum laude præfuit, ac demùm totius Academiæ Rector, & Cancellarius communibus suffragijs fuit electus. Quibus è muneribus, cùm eius virtus tamquam è sublimiori theatro radijs clarioribus effulsisset à Margaretha Comitissa Regis Henrici VIII. matre verè principe fœmina expetitus est, ac in suam adscriptus familiam, vt suæ, suorumque conscientiæ arcanis præesset, cuius ipsa suasu, atque Consilio duo insignia Collegia Cantabrigiæ regio sumptu fundauit, & Oxonij Sacræ Theologiæ dogmata magno vniuersæ Britanniæ fructu doceri, & explanari publicè fecit. Ab Henrico VIII. vetæ pietatis, tunc & fidei laude claro perspecta Ioannis eruditione, ac pietate ad Ecclesiæ Roffensis gubernacula moderanda vocatus est Anno salutis humanæ 1504. Roffa enim, seu Rocestria Ciuitas est inter Cantuariam, & Londinum. Tali autem præfuit gregis totius vtilitate, indefesso labore, & pauperum præcipuè literatorum magnifico Hospitio, vt idem Rex meritorum ipsius intuitu ad Lincolniensem, & Eliensem Episcopales Cathedras Roffensi multò opulentiores promouere voluerit; sed animum constantem numquam inflectere potuit, vt prioris suæ sponsæ paupertate relicta, aliam sibi locupletiorem superinduceret. Rexit erga Roffensem Ecclesiam annis tribus, & triginta, quibus omnium amorem, & venerationem sibi deuinxit. Zelo autem Catholicæ Fidei exæstuans gliscentem per ea tempora Lutheranam impietatem, qua concionibus efficacissimis, quà eruditissimis libris repressit, & nouæ hæreseos veneno nouum, ac præsentissimum do-

doctrinæ suæ pharmacum apposuit. In eum verò Lutherani insurgentes, ac insanientes tot lucubrationum ab eo compositarum volumina igne absumpsere, quot robustus equus iusto onere baiulare posset, vt testatur Ioannes Pitsæus de illius tribus Angliæ Scriptoribus. Intereà veritus Lutherus ne populus Pontificis, Cæsaris, Regumque Auctoritate permotus eum vbique edictis, & calamo persequentium suos libros reijceret, aut saltem haberet suspectos ascripsit acceptum illud dedecus odio, & inuidiæ æmulorum Theologorum, quos aiebat scriptis suis, argumentisque conuictos desperata victoria Leonem, & Carolum circumuenisse, vt ipsum Pontificia, Cæsareaque vi opprimerent. Edidit verò nouum librum, quo articulos omnes à Leone Summo Pontifice damnatos fucis, argutijsque confirmare nisus est, præfixitque hunc titulum: Asserrio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X. nouissimam damnatorum. Ad cuius nefaria molimina, atque Apostolici Decreti, & fidei veritatem eam assertionem confutanit, in cuius Præfatione hæc habet. Si Lutherus hæreticus non sit nemo vnquam fuit hæreticus, &c. & cùm Lutherus in toto opusculo venenum adinstar rabidi Draconis expuisset, vel ex eo probat hæreticum longa inductione. Exijt etiam ex orco Oecolampadius sepultam hæresim, quod in Eucharistia non esset verum Christi Corpus, sed sola figura, contra quem, vt refert Coclæus pijssimus, atque doctissimus vir Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis in Anglia quinque egregios scripsit libros, errores, & mendacia illius exactè reprobans, laruam qua vsus erat ad decipiendos simplices ipsi detrahens, & ex ipsius obiectione Eucharistiam confirmans; Si enim, vt mentitur Oecolampadius in Eucharistia Christi Corpus non esset frustrà à Christo mannæ anteferretur, cùm manna pani triticeo præferenda sit, & aptior Corporis Christi figura, quàm panis triticeus, & maiori cum fide posse manducari, quàm Oecolampadij placentulam. Impendens Vrbis exitium, nisi Romani resipiscerent præsago animo persensit, & promulgauit. In Catholicorum mores deprauatos inuectus est, ac imperterrito animo Regem ipsum aliquando reprehendit, & in publico Concilio à Volsæo Cardinale Legato Eboraci congregato de relaxata Cleri disciplina seuerè expostulauit, atque ipsius Cardinalis fastum non obscurè notauit. Inde sibi eiusdem creauit inuidiam, qui ab eo tempore non cessauit in Ioannem Regis animum concitare, cui quamuis aliàs fuisset acceptissimus, & in tanta eruditionis fama, vt eum omnium Europæ Theologorum sapientissimum appellaret, & in Commentario de septem Sacramentis eiusdem Henrici notato nomine aduersùs Lutherum, vel habuerit Auctorem, vel saltem Adiutorem, tandem Volsæi artibus factus est odiosus. Hæc autem fuit huius infaustæ catastrophis mutatio. Animaduertens Cardinalis Volsæus, qui vnus omnia tunc in regno poterat, vir patriæ suæ, & Ecclesiæ excidio natus Regem Annæ Bolenæ turpi amore captum, non modo regiæ cupiditati non obstitit, sed vt per fasque, nefasque, se se in animum Regis insinuaret suasit, vt Catharinam Ferdinandi Regis, & Elisabethæ Hispaniarum Reginæ filiam lectissimam fœminam, Arthuri olim fratris sui relictam, quam ex dispensatione Apostolica ipse postmodùm sibi in vxorem desponderat, dimitteret. Nec multò post sententia illius infausti diuortij à Thoma Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, qui priùs Annæ à Sactis fuerat, totusque ab ipsius voluntate, ac nutu pendebat, pronuntiata, optatis nuptijs Henricus potitus est; prodijtque libellus decreto Regij Senatus edito, qui totius rei factæ rationem redderet. Sed Roffensis illam omninò impugnauit, & volumen à se conscriptum obtulit Cardinalibus Legatis Volsæo, atque Campegio, quo pluribus argumentis ostendit, ad solum Pontificem pertinere de huiusmodi causis iudicare, nec potuisse humana vlla auctoritate Sacrosancta inniti cum Catharina Matrimonij iura violari, aut abrumpi. Quantum id Annæ nuper ad regium thorum admissæ displicuerit, superuacaneum est dicere, quæ impotenti odio in virum sanctum tamquam Herodias in alterum Ioannem cogitauit, quomodo ipsum è medio tolleret, & quemdam ipsius coquum, qui tanto Antistiti venenum pararet, subornauit. Sed diuina prouidentia factum est, vt ea die præter consuetudinem priuatim pranderet, sicque periculum euaderet, quo multi ex familiaribus suis casu extincti sunt. Cùm autem clancularium illud consilium Annæ Bolenæ ex voto non successisset, confugit ad aliam autem, non minùs perniciosam confugit; induxit enim Regem ad faciendam legem, qua omnes Clerici præsertim idem Sacramentum Regi præstare tenerentur, quod ipsi Papæ facere consueuerant. Id cùm à Roffensi præcipuè exigeretur prima fronte auersatus est eam

Sacramenti exhibitionem. Sed vbi perpendit, quantæ inde ftrages effent orituræ, quantoque Innocentum fanguine Anglia fędanda effet, fi regiæ voluntati fidem in aliquo non obtemperaret, innoxio vt putabat iuramento fubfcripfit, hoc appofito temperamento, quatenus fcilicet diuinis legibus, facrifque canonibus licitum effet. Verùm cùm inde Rex occafionem fumpfiffet omnes Epifcopos, & Abbates in fuam pertrahendi fententiam, quod arbitrarentur Roffenfem diuortio fubfcripfiffe, ac in eam tandem infaniam erupiffet, vt fe Anglicanæ Sectæ caput, abiurato Summo Pontifice, qui eum excommunicauerat, conftitueret, tunc Roffenfis facti pœnitens, religione tactus, quod inde fcandali plurimis anfam præbuiffet ob feruandam forfitan Regis gratiam, ex lapfu fortior, indicauit Regi, & Miniftris fe velle magis Deo, eiufque Vicario obedire, quàm Anglicani Parlamenti Senatoribus fpe,& metu ad eam fententiam adactis, omninòque fibi conftitutum effe iufiurandum propofitum de Primatu Romanæ Sedis in Anglia abolendo reijcere. Quamobrem à fatellitibus comprehenfus eft, qui pecuniæ, & fanguinis illius auidi totam domum luftrarunt, nil inuenientes nifi libros, per 15. dies integros conftitutus eft in carcere, vt forfan fententiam mutaret: At nil potuere contra eius conftantiam minæ, blanditiæ, imò magna veluti fax magis eft contrario flatu accenfa. Audita intrepidè mortis fuæ fententia, quam auidiffimè expectabat, ait: De Regio Primatu fentio, vt femper fenfi, & nunc palàm affirmo Regem, nec poffe, nec debere Auctoritatem fibi in Ecclefia Dei vindicare, neque hactenùs vnquam auditum terrenum aliquem Regem id fibi arrogaffe, imò portento fimile videri hominem laicum Status Ecclefiaftici caput effe? Intereà Paulus Tertius audiens quanta Roffenfis pateretur pro Romani Pontificis defenfione eum facra purpura infigniuit, & Presbyterum Cardinalem S. Vitalis creauit, tum vt pręmiaret ipfum, tum vt reftatur ipfemet Pontifex in literis Apoftolicis, quas de eius promotione, & poftea de nece fcripfit ad varios Principes, vt ea dignitate vbique Sacrofancta accedente ad Epifcopalem falutem faciliùs confequeretur, fed contra euenit; nam Rex multò magis in eum excauduit, accufauitque eum tamquam pileum rubrum quæfiffet, inter condemnationis capita enumerauit, dixitque, mittat Pontifex galerum fuum, cùm volet, ego interim operam dabo, vt cùm appulerit, caput, cui ille imponatur, non habeat. Sanè Cardinalitius pileus à Papa tranfmiffus à Caletenfis Vrbis Præfecto, quæ tunc Anglis parebat detentus, in Angliam non peruenit. Cæterùm poft latam in fe capitalem fententiam, nil turbatus, per triduum orationi incubuit fubuculam mundiffimam, & ornatiora veftimenta loco cilicij confueti induit, vocans nuptiarum diem lac loco ientaculi petijt. Vt verò ad fcænam gloriofi certaminis peruenit, cùm theatrum confcenderet, abiecto baculo; Eia inquit, pedes officium facite, breuis nunc reftat via. Conftitutus in loco Martyrij versùs ad populum inquit, fe libentiffimè pro Ecclefiæ libertate, & fide mortem fubire, iuffit ipfos orare pro fe, pro regno, & Rege, vt Deus illi meliorem mentem infpiraret; & canens Hymnum, Te Deum triumphalem, ceruicem grandem fecuri obtulit, ætatis anno 70. manfitque inhumatus, & ne moueret pietatem proiectus in Tamefim. Multa reliquit ingenij fui monumenta, quæ Theologorum omnium manibus teruntur. Epiftola refponforia ad epiftolam Lutheri contra Captiuitatem Babylonicam Lutheri ad Epifcopum Elienfem. Confutatio articulorum Lutheri, quos Leo X. damnauerat. Defenfio Sacerdotij contra Lutherum. De Veritate Corporis, & Sanguinis Chrifti contra Oecolampadium, & Richardum Epifcopum Vvintonienfem. Concio Londini Anglicè, quando combufti funt publicè libri Lutheri. Pro damnatione eiufdem. De vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum Stapulenfem. Additiones de Magdalena. De fructu orationis. Expofitio Orationis Dominicæ. Commentarius in feptem Pfalmos Pœnitentiales. Concio de paffione Domini ad Sororem Elifabetham. Concio de iuftitia Pharifæorum, & Chriftianorum. Methodus perueniendi ad fummam perfectionem Religionis ex carcere ad Sororem Anglicè, Latinè facta à Ioanne Fennio, Epiftola de charitate Chriftiana. De neceffitate orandi Tractatus. Pfalmorum, & precationum fafciculus lib. 1. de Purgatorio. Defenfio Matrimonij Regis Henrici cum Catharina Hifpan. Denique contra Vlrichum Velenum, quod Romæ fuerit, de feptem Sacramentis, &c. Liber autem de fiducia Dei eft alterius, vt notat Bellarminus, & eft in Indice prohibitus. Laudant eum innumeri primi nominis Auctores. Cardinalis Hofius vocat inter alios infignem, qui pro Ecclefia Catholica vitam profundere non dubitauerit.

Tho-

Thomas Morus pluribus in locis eum commendat. Certè cauſam ſic prætereà tractaſti, vt ne decem quidem Eraſmi potuerint abſolutiùs; & cùm eſſet propè mortem, ait, non ſum iuſtus, nec ſanctus, vt ſeruus tuus Fiſcherius, quem elegiſti. Stapletonus, virum illum ità reuereor, vt planè ei parem in toto hoc regno non eſſe exiſtimem, ſeu prudentiam, ſeu eruditionem, ſeu ſpectatiſſimam pietatem ſpectes. Eraſmus in ſuis epiſtolis, vocat omnibus Epiſcopalibus virtutibus ſuffaſcinatiſſimum, & alibi, Aut egregiè fallor, aut is eſt vnus, cum quo nemo ſit hac tempeſtate, vel integritate vitæ, vel eruditione, vel animi magni ordine. Paulus Iouius, vocat animi pietate, candore, conſtantia priſcis illis ſanctiſſimis Chriſtiani Orbis,& Ordinis Patribus comparandum, Thomas Bozius virum ſanctiſſimum, ac doctiſſimum Cardinalem, Cardinalis Bellarminus vocat eum Martyrem Chriſti, & Victorellus ſperat eum, vt talem declarandum ab Eccleſia Romana, Nicolaus Sanderus appellat non tantùm Angliæ, ſed & Orbis Chriſtiani lumen,à Spondano dicitur Angelis ipſis venerandus. Diuus Carolus Borromeus quaſi eadem veneratione proſecutus eſt cum Diuo Ambroſio, & vtrumque ad viuum depingi fecit. Innumeri etiam de eo ſcripſerunt. Ciacconius, Panuinius, Iouius in Elogijs, Bellarminus in epiſt. ad Epiſcopum Angliæ, Io: Pitſeus de Rebus Anglicis, Ferdinandus, Vghellus, Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciacconium, Petrus Ribadeneira de Schiſmate Anglicano, Ioannes Leſlæus de origine Scotorum, Hieronymus Polinus in hiſtoria Anglicana, Aubery in vita, Laurentius Surius in Comment. Bzouius in Annalibus Eccleſiaſticis, Nicolaus Sanderus de Schiſmate Anglicano, Io: Rho in exemplis virtutum, Henricus Spondanus,Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis,& tot ferè Auctores, quot eo tempore, & poſt illud ſcripſerunt.

LIBELLI CONVELLENDI TITVLVS.

IN hoc libello grauiſſimis, certiſſimiſque in ſacra Scriptura fundatis rationibus varijs probatur, Apoſtolum Petrum Romam non veniſſe, neque illic paſſum, proindè ſatis friuolè, & temerè Romanus Pontifex ſe Petri ſucceſſorem iactat, & nominat, &c.

Liber hic duas habet particulas, quarum prior decem, & octo comprehendit perſuaſiones, quod Petrus nunquam poſt Chriſti paſſionem Romæ fuerit, & quod Hieroſolymis, & non Romæ paſſus ſit.

Altera particula ſeptem habet cauillos, quibus Romana Curia illis perſuaſionibus occurrere conſueuit, quibus tamen viciſſim ſeptem correſpondent reſponſiones, eos non aliter, atque rudera quædam diſſipantes.

PERSVASIO I.



CVm diligentiſſimè euoluerim quotquot ad manum fuerant hiſtoricorum, ac Theologorum, eoſque non infimæ conditionis libros, de aduentu Petri Romam, de paſſione, & auctore mortis ipſius, nihil aliud, quàm meras controuerſias illic reperire potui, cùm nemini ferè cum altero ſatis conueniat, ſed quilibet ſuum proferat Iudicium, vel hoc ſolo ſuſpectum, quod à cæteris diſſentiat omnibus. Et vt paucos commemorem è multis. Quidam in exordio Imperij Claudij Petrum Romam veniſſe contendunt, quorum è numero eſt Oroſius hiſtoricus non triuialis. Quidam anno Claudij ſecundo, & illi ſunt Hieronymus, & qui ſuæ innituntur auctoritati. Quidam anno eiuſdem imperij quarto; atque eſt liber ille, qui temporum hiſtorias, ceu faſciculo quodam comprehendit. Prætereà ab his omnibus diſſentit liber ille, qui ſanctorum vitas enarrat, & communiter paſſionale nominatur. Is enim anno poſt paſſionem Chriſti, Petrum Romam applicuiſſe teſtatur, qui quidem annus tredecimus fuit Imperij Claudij. Similiter, qui annos mundi, & annos ab Vrbe condita recenſent, vſque ad aduentum Petri Romam, vel eius paſſionem, quàm mutuo pugnent, nemini obſcurum eſt, qui modò Enneades Antonij Sabellici, hiſtoriam Pontificum Platinæ, ipſumque Oroſium viderit. Quæ quidem diuerſitas, & ſi nil aliud eſſet teſtimonio, ſuſpectum tamen Petri Romam aduentum redderet, & falſam hanc probaret coniecturam, quod Petrus vmquam Romæ fuiſſet. Quæ tamen adeò innaluit, vt tot ſæculis, qui ei reclamare auſus fuiſſet, habuerit adhuc neminem. Et parum abſuit, ne Romanenſium aulicorum tyrannis in fidei articulos eam retulerit: vt quod nulla ratione probari poteſt, ſola neceſſitate credi videatur. Accedit ad hæc, licèt neuter hiſtoricorum cum altero ſentiat, tamen aduersùs legem Chriſti, quaſi ex compoſito omnes decertant, vt vel hoc vnum vanas eorum fabulas,

sas, ac delitamenta prodat, quod cum Paulo Apostolorum omnium in scribendo locupletissimo, cum Luca Euangelista simul, & Apostolicarum actionum historiographo, inexcusabiliter contendant, vt inferiùs liquidò probabitur. Si nulla est sacræ Scripturæ adstipulatio, qua id confirmari possit, & tam remota historia adeò confusa est, & fallax, non, sinitè Petrum numquam Christi post passionem Romæ fuisse creditur. Alioqui si illic eum aliquando fuisse verum esset, vero omnia, dicente Philosopho, consonarent. At dissonante lege, diffidentibus mutuò historicis, quis nisi emotæ mentis verum hoc aliquando putauerit? Quanta sit enim in tam vetustissimis rebus, tàm remotæ historiæ fides, argumento est Bartholomæus ille Platina, qui Rom. Pontif. res gestas describens, ac multò etiam posteriora illis tempora tractans, sæpius conqueritur variationem historiæ, maiorum neglectum, temporum perturbationem, quibus districtus, nihil intereà affirmare audet. Nempè, si Petrus Romanorum fuerat Episcopus, dicant quem sibi successorem nominauerit? & quis in locum ipsius fuisset suffectus? Si Linum dixerint, Latinorum turba obiter reclamabit, quove id probet, diem dicet, immò & Græcorum plurimi in hac causa Latinos non destituent, Chrysostomo in secundam ad Timothæum epistolam dicente: Hunc Linum, aiunt quidam, secundum post Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse. Donatus verò Terentianus interpres inquit: aiunt, vsurpatur de re incerta, quam nos dicimus esse falsam. Sin autem Clementi hic honor dabitur, quod multis placet, plures adhuc erunt, qui id improbent, & hanc gloriam erga Linum reponant, Clementem non priorò, nec secundò, sed tertiò gradu primum, post Petrum statuentes. Deindè Pius ne Anicetum, vel Anicetus Pium præcesserit? Vrbanus sub Diocletianonè, vel sub Aurelio Antonio degerit? Cornelius sub Gallo, an sub Volusiano, vel fortè Decio passus sit? historia variat, nec aliquid certi de his rebus definiri potest. Nec mirum, si & multò his posteriora tempora, eorumque gesta adeò sunt historicorum figmentis deprauata, vt nemini post hac integrum sit res grauiores eorum libris tueri: siquidem id merentur, vt habet prouerbium, mendax, ne si vera tamdem dixerit, ei credatur. Porrò si ne Theologi eadem hic sentiunt, falsitas exindè illorum emergit. Discordia enim in scriptoribus, vt dixit ille, testimonium est falsitatis. Immò Augustinus veritatem ex eo cognosci docet, si scriptores concorditer in ea conuenerint, neque vnus dissentiat ab altero, vel à pluribus plurimi. Et idem Augustinus cum in multis alijs locis ad Hieronymum, & Fortunatum, tum & hic ad Vincentium, de quorumlibet etiam sanctissimorum hominum scriptis loquitur. Hoc genus, inquit, literarum, ab auctoritate Canonum distinguendum est: non enim sic leguntur, tamquam ex eis ita testimonia proferantur, vt contra sentire non liceat. Et non Theologis dumtaxat, in eiusmodi rebus ex sacra Scriptura non deducibilibus, & ex eorum varietate dubitabilibus, credere non adstringimur, sed nec Ecclesiæ quidem, vt Thomas in quodlibetis disputat. Eapropter ad hunc modum sermonem claudere licèt, quod Petrus numquam post passionem Christi Romæ fuerit, de cuius aduentu illuc diuina Scriptura silet, historia rerum diuariat, Doctores minùs digni sunt, quàm quibus hic credatur, præsertim dum ita mutuò disceptent.

Calumniæ primæ summa.

Scriptores hac de re non consentiunt. Orosius exordio Imperij Claudij id contigisse scribit. Hieronymus anno Claudij secundo. Fasciculus temporum anno eiusdem quarto. At is demùm, qui sanctorum vitas collegit, accessum Petri Romam fuisse contendit anno Claudij tredecimo. Sed & de Petri successore non minùs variatum est: quidam enim Linum Petro proximum faciunt, quidam Clementem, nonnulli Clementem quartum à Petro locant. At si verum esset, Petrum fuisse Romæ Primum Pontificem, neutiquam etiam inter historicos discordia tanta.

RESPONSIO:

Cvi calumniæ respondemus, quòd ad hunc modum plurima, quæ ab historicis tradita sunt, & sanè quàm verissima, facillimè tamen falsa esse conuinceremus, cum nihil apud historicos desideretur magis, quàm temporum concordia. Facilè quiuis tametsi circumspectissimus fuerit, labi tamen potest in temporum supputatione. Quæ res, vt de prophanis historijs taceam, in sacris abundè conspici potest. Nam quis quamtumuis arte supputandi fuerit exactissimus, Hæbræorum historias, ac Latinorum conquadrabit? Nam vt exempli gratia nonnihil afferam 70. Interpretes haud paucos annorum centenarios supra veritatem Hebraicam accumularunt, quemadmodum Lectori cuiuis facilè perspicuum erit. Sic enim Genes. 11. legitur iuxtà veritatem Hebraicam: Vixit Arphaxat 35. annis, & genuit Sale, cum tamen in septuaginta sic habeatur: Arphaxat 135. annorum, genuit Chaynan. Chaynan vero, 130. annorum, genuit Sale. Ecce Hæbreis inter Arphaxat, & Sale, 35: dumtaxat interponuntur. At his Interpretes 70. (quos Latini sequuntur) adiecerunt 230. Sed neque Sale genitum ab Arphaxat tradunt, sed à Chaynan, & Chaynan ab Arphaxat. Quibus, & Lucas in Euangelio subscribit, vt Lucæ 3. videre licèt. Nec hoc loco solùm, ita variatum est, sed in alijs plerisque, vt in generatione Enos ex Seth, in generatione Malalehel ex Chaynan, & in generatione Iared ex Malalehel. Et quamquam tanta legatur in annorum numeris discrepantia, nemo tamen orthodoxus de historiæ veritate secum animo vacillat. Ad hæc, quis vnquam locum de septuaginta Danielis hebdomadibus sic explicuit, vt cum ijs temporibus, quæ cæteri digesserunt, congruere faciat? Videre licèt apud Hieronymum, quàm varie sudarum in hoc negotio sit à pluribus, qui tamen inter se mirè diffident. Recenset enim in commen-

tarijs

tarijs apud Danielem, qui Africanus egregius temporum scriptor hac de re senserit, quid Eusebius Pamphili iuxtà trifariam opinionem differuerit, quid Hippolitus, quid Appollinarius, quid Clemens, quid Origenes, quid Tertullianus, quid demùm ipsi Iudæi doceant. Nec isti modo, verùm etiam recentiores inter se plurimum discrepant. Pugnat enim cum Lyra Burgensis, & ab vtrisque dissentit Annius. Et quamquam isti sic inter se digladientur, Danielem tamen omnes vera scripsisse nihil hesitamus. Denique Christum ipsum seruatorem nostrum, nec mortem pro nobis obijsse credemus, si diuersa scriptorum supputatio, sententiaque discors eius rei fidem nobis auferre possit. Nam & inter graues auctores, nec parua quidem est hac de re controuersia. Quidam enim anno trigesimo secundo, alij trigesimotertio, complures trigesimoquarto, nonnulli denique quadragesimosexto. Tertullianus primùm in eo libro, quem aduersùs Iudæos scribit, asserit, Christum anno Tiberij Cæsaris 15. fuisse passum, hoc est, cum annos haberet ille quasi 30. Idem sentit, & Appollinarius, auctore Hieronymo super Danielem. Conuenit, & Lactantius, atque Paulus Orosius, omnes hi decimoquinto Tiberij, Christum asserunt fuisse passum. Ignatius autem, & ipse contemporaneus Apostolis, Christum, cum esset annorum 30. fuisse baptizatum putat, & tres annos vltra docuisse. Sic enim in epistola ad Trallianos scribit: Triginta annos agens Christus, baptizatus est à Ioanne, & tribus annis predicauit Euangelium. Cui subscribit item Chrysostomus homilia 10. super Matth. his verbis. Post 30. annos Christus Iesus venit ad baptismũ, legem veterem soluturus. Quòd si completis annis 30. venerit ad baptismum, iam oportet, vt trigesimoquarto, aut quinto, Crucem sit perpessus Beda tamen, & in exordio trigesimi anni baptizatum supputat, ac deindè supra triginta, vixisse tres annos cum tribus mensibus. Sic enim libro de temporibus cap. 47. scribit: Habet enim ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plus, quàm 33. annos vixisse. Augustinus verò, & qui cum eo sentiunt, opinantur Christum in exordio anni trigesimi baptizatum fuisse, & anno subinde tertio, fuisse passum. Sed & idem Augustinus, libro de Doctrina Christiana secundo, scribit: quòd ignorantia Consulatus, quo natus, vel quo passus est Christus, nonnullos coegit errare, vt putarent 40. annorum ætate passum illum fuisse, iuxtà numerum annorum, quibus ædificatum erat templum, quod & Dominici corporis imaginem tenet. Ecce quanta sit opinionum varietas in supputando tempore necis Christi, vt nihil mirum sit, si de morte Petri fuerit ab auctoribus variatum. Cæterum quanquam inter scriptores tanta sit controuersia, nemo tamen ob hæc negat Christum pro nobis obijsse, nec super huius rei fide trepidat quouismodo. Quod & similiter de Petri Pontificatu Romæ gesto, par est omninò sentiamus. Cum enim ex tot scriptoribus nemo vnquam aut scripserit, aut senserit, contrarium, quin Petrus Romæ fuisset, sed omnes id concorditer asserant, & quòd Romæ sederit annos plurimos, impudentissimum erit, vt si qua fuerit inter eos pro annorum supputatione discordia, quisquam ob eam rationem ausit affirmare, Petrum numquam accessisse Romam. Et hæc pro calumnia prima confutanda sufficiunt.

PERSVASIO II.

PEtrum Romam venisse in exordio, vel secundo, vel quarto Imperij Cæsaris Claudij, hoc est octauo, nono, vel vndecimo post passionem Christi anno dicentes, eorum in primis refellit opinio, qui Petrum in Oriente quinque, vel secundum alios, septem annis sese continuisse, tandem Antiochiam diuertentem, septem annis in Episcopali Sede resedisse, & in Ponto, Galatia, Bithynia, ac circumiacentibus Asiæ Prouincijs aliquam moram eum fecisse adstruunt. Non enim, si id verum esset, Romam venire, nisi post quatuordecim, aut quindecim annos, hoc est septimo, vel octauo Claudij anno potuisset. Quibus patrocinatur gestorum Apostolicorum scriptor Lucas cap. 15. Controuersia enim inter quosdam de hæresi Pharisæorum ex vna, & Paulum, ac Barnabam ex altera parte, de circumcisione, obseruationeque legalium habita, eas ob res discutiendas, in Hierusalem illi descenderunt. Et factum est consilium Apostolorum, & Seniorum, inter quos & Petro primæ loquendi porrectæ sunt partes, quamquam Iacobi Hierosolymitanorum Presbyteri sententiæ omnes tandem subscripserint, eiusque approbauerint oratiunculam. Quæ res manifestat Petrum nondum Romam diuertere potuisse, sed vna cum Iacobo, & quibusdam alijs Hierosolymæ mansisse, vel fortè in partibus Iudææ Christum aliquandiu docentem, Hierosolymam tunc temporis redijsse. Et tamen multorum est opinio, Hieronymo super epistolam ad Galatas dicente, quod circiter 18. annum post Christi in Cœlum, Ascensionem id factum fuisset. Quod facillimum est creditu, si quis modò seriem rerum ab Apostolis gestarum diligentius examinauerit. Cui ergo maior habenda fides, Lucæ ne Euangelistæ, qui rebus ab Apostolis factis, vel interfuerat ipse, vel à Paulo Apostolo, cuius indiuiduus fuerat comes, & quo præsente, hanc scripserat historiam, erat edoctus? An istis bellantibus mutuo historicorum, ac Theologorum, opinionibus? Quòd si id necessariò mihi dabitur, vt Claudij primùm nono, aut vndecimò Imperij anno, Petrus Romam venerit, & ibidem 25. annis Episcoparum tenuerit, iam non à Nerone, sed Vespasiano potiùs martyrium passus fuisset, quod neminem adhuc vnquam, vel dixisse, vel scripsisse comperi. Et hinc manifestarium est, ad nonum Claudij annum Petrum Romam venire non potuisse.

Secundæ calumniæ summa.

PEtrus, Concilio super legalibus habito Hierosolymis, interfuit, auctore Luca, cui merito credendum est magis, quàm historicis, & Theologis mutuò dissidentibus, At hoc Concilium Hieronymus circiter an-

num

num ab Afcenfione Chrifti 18. afferic habitum fuiffe. Quod fi verum fit, neceffariò confequitur, quòd Petrus non ante nonum annum Claudij Romam venerit. Porrò fi nouem illis annis adiecetis 25. quibus Petrum aiunt fediffe Romæ, iam non à Nerone, fed à Vefpafiano martyrium fuiffet paffus, quod adhuc nemo, vel dixiffe, vel fcripfiffe compertus eft.

RESPONSIO.

Refpondemus, quòd hæc calumnia feipfam interimit. Nam cum nemo compertus fit hactenus, qui vel fcripferit, vel dixerit, Petrum vltra Neronis tempora vixiffe, fed omnes conueniunt illum fub Nerone fuiffe paffum, necnon & Romæ viginti quinque annis Epifcopatum tenuiffe, iam neceffariò fubinfertur, quòd diu ante nonum annum Claudij Romam venerit, cum ab anno Claudij nono, ad vltimum vfque Neronis, non plures interceffcrint, quàm nouendecim. Claudius enim haud expleuit annos 14. quibus fi coniunxeris 14. annos Imperij Neronis, fumma fit viginti octo, demptis igitur nouem annis Claudij, iam refidui funt, non vigintiquinque, fed nouendecim duntaxat. Et cum Hieronymus horum vtrumque non femel fatetur, hoc eft, quòd Romæ fedit Petrus annis vigintiquinque, & quòd vltimo Neronis cruci fuit idem affixus, conftare fecum haud quaquam poteft, fi Concilium illud fuper legalibus, afferat circiter annum ab Afcenfione Chrifti decimumoctauum fuiffe celebratum. Nam annus decimusoctauus ab Afcenfione Chrifti, prorsùs incidit in ipfius Claudij nonum annum; quod ex Eufebij fupputatione manifeftum eft. Neque fieri poteft, nifi ego vehementer fallor, vt quis ab inconftantia, immò repugnantia Hieronymum tuetur, nifi fortè dixeris, Petrum huius Concilij gratia, ex Roma Hierofolymam rediiffe. Quod fi quis opinabitur, palàm erit nihilominùs hanc calumniam non procedere.

PERSVASIO III.

Denique, quòd ne nono quidem anno illuc venire potuiffet eiufdem Imperij Petrus, Tranquillus in Claudio eft auctor, qui Chriftianos tunc temporis Roma fuiffe pulfos fcribit: Claudius, inquit, Iudæos impulfore Chrifto affiduè tumultuantes Roma expulit. Vbi Orofius addubitat, vtrum contra Chriftum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iufferit, an etiam Chriftianos fimul, velut cognatæ religionis homines voluerit expelli. Qui profectò fi vel hiftoriam rerum geftarum ab Apoftolis, vel faltem Paulinas legiffet epiftolas, non ambigeret Chriftianos Iudæorum impietate, & verfutia Cæfarem, ac Populum Rom. ad vindictam excitante, vna cum eifdem Roma expulfos fuiffe. Quippe vel Apoftolo ad Romanos in epiftola atteftante. Inter alios namque Chriftianos, quos falutare iufferat, Salutate, inquit, Prifcillam, & Aquilam, adiutores meos in Chrifto Iefu, qui pro anima mea fuas ceruices fuppofuerunt; quos fanè nifi Chriftianos Apoftolus nouiffet, in Cathalogo falutandorum Chrifti fidelium neutiquam repofuiffet. Attamen quomodò Iudæus genete Aquila ille fuerat, quamuis in Chriftum vna cum coniuge crediderit, nihilominùs hunc tamen Lucas in actibus Iudæum Ponticum nominat in hæc verba: Pofthæc, inquit, egreffus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Prifcillam vxorem eius. Eo quòd præcepiffet Claudius difcedere omnes Iudæos à Roma, acceffit ad eos, & quia eiufdem erat artis, manebat apud eos & operabatur.

Et (ne quis dubitet, Chriftianos eos fuiffe, addit Lucas in eadem cap. 17. dicens: Iudæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephefum, potens in fcripturis; hic erat doctus viam Domini, & feruens Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ funt Iefu, fciens tantùm baptifma Ioannis, quem cum audiffet Prifcilla, & Aquila, affumpferunt eum, & diligentius expofuerunt ei viam Domini. Hæc Lucas ad verbum. Et totum hoc caput declarat Prifcillam, & Aquilam Chriftianos ex Iudæis factos, Roma vna cum alijs expulfos fuiffe. Quod iterum docent Paulinæ literæ, quas nouiffimè iam vbi tempus refolutionis fuæ propinquauerat, ad vnicè dilectum difcipulum Timotheum fuum miferat, Saluta, inquit, Prifcillam, & Aquilam. Vndè non folùm Chriftianos, fed fincerrimos quoque Chriftianos eos fuiffe conftat, vtpotè quos Apoftolus data modò occafione omnino non falutabat. Nihil hic moror, quod Stapulenfis tam in hac ad Timotheum, quàm ad Romanos epiftola innouat, verba Apoftolica ad hunc modum exponens: Salutat vos Prifcilla, & Acyla; vel Prifca, & Acyla. Origenem, Chryfoftomum, Ambrofium, tot doctiffimos alios interpres, immò, & veterem ipfam traductionem, cui in hac parte Erafmus nihil derogat, hic fequi malo. Quid reftat igitur dicere, quàm Petrum ad nonum vfque Claudij annum Romam non veniffe? Qui enim illac venire tunc potuerit, cum cæteri omnes, cùm Iudæi, tum Chriftiani indè pellerentur, & in cantùm ftomacharetur Roma? Qui fi poft hac Romam aliquando venerit, ac vigintiquinque illic deliterit annis, Vefpafiano eius imputaretur martyrium, quod de tam benigniffimo erga omnes principe credere nefas eft, & nemo eft omninò, qui hoc affirmare audeat.

Tertia Calumnia fumma.

Claudij temporibus, circiter annum imperij eius nonum eiecti funt ab vrbe Iudæi, fimul, & Chriftiani, quod ex Tranquilli pariter, & Orofij conftat hiftorijs, vna cum Apoftolorum actis. Teftantur enim acta, Prifcillam, & Aquilam, qui non Iudei modò, verùm etiam Chriftiani fuerunt, Roma per Claudium expulfos fuiffe, quibus, & fe commendat Paulus, femel ad Timotheum fcribens,

bras, dum Roma pulsi diuersarentur in Ephe so, atque iterum quod scribit ad Romanos, illis tum Romam ab exilio reuersis. Non potuit igitur ante nonum annum Claudij, Petrus venisse Roman, vndè Iudæi simul, & Christiani pellebantur, cum palàm sit Priscillam, & Aquilam, & Iudæos, & Christianos fuisse.

RESPONSIO.

RESpondemos, quod hæc calumnia nullius omnioò momenti est, atque id quidem plerisque nominibus. Primùm, quia fieri potuit, vt quamquam aduersus Iudæos, atque Christianos ædictum eiusmodi fuisset promulgatum, vt Petrus, vel amicorum fauore, quemadmodum ferè fit in huiusmodi negotijs, vel quia mortem non metuisset, Romæ nihilominus contineretur. Deindè, nec Tranquilli verba videntur aliud quicquam efficere, quàm quod impulsore Christo Iudæos assiduè tumultuantes, è Roma Claudius repulisset. At Petrus, nec ex illis erat, qui sic tumultuabantur, nec is, quem Christus ex vrbe voluit eijci, immò contrà potiùs, Euangelij docendi gratia, voluit in vrbe commorari. Tertiò, si Priscilla, & Aquila discessissent ex vrbe, metu Claudij, non ideò protinus conficitur, quòd cæteri quique parem habuissent metum, & quòd nullus omninò Iudæus, remansisset in vrbe. Quartò, vt demus, Petrum indè cum cæteris fuisse pulsum, nihil tamen hęc argutia prohibet, quin Petrus ante potuit venisse Romam, quamobrē, & aduersatius ineptissimè colligit, inquiens: Quid restat igitur dicere, quàm Petrum ad nonum, vsque Claudij annum Romam non venisset? neq; enim oportet, vt si nono anno Petrus Romam non venisset, neque proinde potuit ante nonum illuc accessisse. Nos enim ante nonū, ipso videlicet anno Claudij quarto, non dubitamus illum aduenisse Romam. Quam rem pluribus illustrium autorum testimonijs, mox ostensuri sumus. Sed ista iam sufficiunt.

PERSVASIO IV.

PErgamus iam eo ordine ostendere; ne ad vigesimum quidem annum post Christi passionem, vel in celum ascensionem, Petrum Romam venire potuisse. Quod ex verbis Discipuli à suspectione apud Galatas sese purgaotis clarissimum est. Dicit enim in ea, quam ad Galatas dederat, epistola, non à quopiam hominum, sed solo Christi munere, euangelicum mysterium sibi contigisse. Et quod dixerat, ne cuiquā videretur falsum, probat, inquiens, post miraculosam suam ad fidem Christi conuersionem, non in Hierusalem ad Apostolos se declinasse, sed protinus Arabiam abijsse, tandem iterato Damascum repetijsse, & tum tertio loco primùm tribus reuolutis annis Hierosolymam videndi Petri gratia transmigrasse. Denique post quindecim dies, postquam Petrum, & Iacobum fratrem Domini vidisset, dicit, quod iterum Hierosolymam reliquit, ac in partes Syriæ, & Ciliciæ deuenit. Deindè assumpto Barnaba, & Tito, post integros quatuordecim annos, rursum Hierosolymam redijt, quo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat, cum his, qui Apostolorum videbantur columnæ conferret, & iterum Petrum vnà cum Iacobo, & Ioanne illic reperit. Et sic certum est totis illis septendecim annis Hierosolymis, & in collimitaneis regionibus Petrum sese continuisse, nec vmquam Romam recessisse. Additis enim quatuordecim annis, quibus Hierosolymam reuenerat, ad annos tres, quibus prosimè post conuersionem suam visitauerat Hierosoymam, decem, & septem anni prodeniunt.

Demùm postquam Petrus aliquandiu citrà Paulum moraretur, Antiochiam veniens, in eum incidit, quem ille acerrimè illic obiurgauerat, & eidem in faciem restitit, eò quòd non rectè ambulasset ad veritatē Euangelij, & simulationi non modò ipse fuit obnoxius, sed ad hanc alios quoque iam tum pertraxerit. Dixi, inquit, Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis Iudaizare? Inter quam reprehensionem Petri, & pristinam eorum ab inuicem discensionem aliquid temporis certè interuenerat. Ad hæc post Christi ascensionem, non mox Paulus Christum agnouit, nimirum qui dum Stephanus saxis obrueretur, enecareturque, assistens, mortem ipsius in delicijs habuerat. Dicitur enim Act. 7. Testes autem deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et solusmet inferius cap. 22. ad Christum queribundus loquitur: Cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.

Vide quam hoc tempus ab ascensione Christi, ad usque obiurgationem Petri Antiochiæ à Paulo factam, facilè viginti etiam annos superet, quibus tamen Petrum, certum est, Romæ non dum esse potuisse, quamuis nec posteà vnquam illic fuerit. Verùm demus hoc aduersatijs, quòd Petrus anno vigesimo Romam appulisset, iam ad tredecimum vsque annum imperij Claudij ille aduentus prorogaretur. Quòd si huc trahantur vigintiquinque anni, quibus Romanam moderatus est Ecclesiam, interim Vespasiani temporibus eius mors irrogaretur. Quod omnes omnium historicorum libri, vt falsissimum auersantur. Producamus hunc Romanorum Imperatorū tempora, quo res fiat euidentior.

Lucas Euangelij sui cap. 3. anno imperij Cæsaris Tiberij quindecimo, Christum dicit verbum Dei prædicare incepisse: qui tandem post tres annos, & aliquot menses prædicationis suæ mortem sustulit, anno eiusdem Imperij decimooctauo, vel vltrà. Tiberio post passionem ipsius annis tribus imperāte. Post hunc Caius Caligula annis tribus, mensibus decem, & octo diebus imperans vita functus est. Claudius anno quatuordecimo imperij moritur. Nero totidem annos in imperio explesse dicitur. Otho Syluius infrà nonagintaquinque dies imperium alteri cessit. Aulus Vetellius octo mensibus imperauit, post hunc Vespasianus decennio Romanis sese Imperatorem præstitit, sub quo Christiani pacificè Romæ degebant, nullis ab eo vexati

xati perfecutionibus. Quæ igitur iniquitas in tam benigniffimum principem hanc reijcere iniuriam, tamquam ille Petri interfector aliquando fuerit,

Quarta calumniæ fumma.

SVpputat aduerfarius annos viginti, priufquam Petrus poft Chrifti afcenfionem Romam accedere potuit. Nam vt ait, aliquantum temporis interceffit ab afcenfione Chrifti, priufquam Paulus conuerfus effet ad fidem, cum legitur ipfe, vel adolefcens illorum feruaffe veftimenta, qui Stephanum lapidabant. A conuerfione verò mox conceffit Arabiam, vbi nonnihil moratus, Damafcum repetijt. Indè poft annos tres acceffit Hierofolymam, Petri videndi gratia, apud quem, & manfit dies quindecim, rurfum ex Hierofolyma reuerfus, & peragratis regionibus Syriæ, Ciliciæque, poft annos quatuordecim redijt Hierofolymam; vbi negotium de legalibus præfente Petro tractabatur. Pofthæc & nonnihil temporis interuenit, anteaquam Paulus Antiochiæ Petro in faciem reftitit. Hæc omnia tempora, fi quis in vnam fummam colligat, conficietur annorum numerus circiter viginti. Quamobrem confequitur, vt ante vigefimum annum Romam accedere nō potuit.

RESPONSIO.

REfpondemus primùm, quòd inter Pauli conuerfionem, & tempus illud, quo Paulus denuò Hierofolymam afcenderat, quod nimirum erat, cum fuper legalium obferuatione concilium agebatur, non potuerunt anni plures, quàm quatuordecim interuenire. Quod nec Hieronymus ipfe negabit, modò cęteris (quæ ab eo nec femel afferta funt) ftare voluerit. Nam ipfe Hieronimus hæc tria fatetur.

Primum, quòd vltimò Neronis anno Petrus, & Paulus Romæ necati funt.

Alterum, quod Petrus priufquam pateretur, annis vigintiquinque Romæ fedit.

Tertium, quod inter Afcenfionem Chrifti, & poftremum Neronis, non plures anni fluxerint, quàm 37. Qui fiet igitur, vt vltrà quatuordecim annos à Pauli conuerfione concilium ipfum deftiterit, cum anni 25. quatuordecim adiuncti, plures annos conficiant quam 37. Quamobrem, & pofteriores illos quatuordecim annos, quorum ad Galatas meminit Paulus, nemo, velut à prioribus omninò diuerfos, fupputare debet. Non rectè igitur anni illi quatuordecim, quafi prorsùs à tribus illis prioribus diuerfi numerantur, fed fupputatio mox à conuerfione Pauli fumit exordium. Nam inter Pauli conuerfionem, & concilium illud habitum fuper legalium obferuatione, 14. anni dumtaxat interfuerunt, vt mox palam oftenfuri fumus. Neque obftant nobis verba Pauli ad Galatas, cum illic non id agit Paulus, vt annos vitæ fupputet, fed vt oftendat fe nihil ab hominibus didiciffe, quod de Chrifto doceret cæteros, nec fibi vllam cum Apoftolis tantilli temporis fuiffe confuetudinem, vt ab eis in Euangelio potuiffet erudiri. Confitetur igitur ingenuè Paulus, fe bis conueniffe Petrum: femel, quando non vltra quindecim dies apud eum manfit, intrà quod temporis fpatium confummatam aliquam eruditionem nequiuit affequi. Atque iterum, quando cum ipfo contulit Euangelium, quod inter gentes quatuordecim annos ante, prædicabat. Quod, & ideo fecit, vt Galatæ certum haberent, fe non ab Apoftolis Euangelium Chrifti didicisse, cum tot annos ipfum antea publicè docuiffet. Confequitur igitur, vt fi firmum fit (quod omnes concorditer afferunt) Petrum videlicet annis 25. Romæ fediffe, quòd ipfum Concilium pro legalibus habitum, non vltra quatuordecim annos à conuerfione Pauli diftare potuit, nifi fortè quis dixerit, vt fuprà memorauimus, quòd Petrus poftquam aliquandiu manfiffet Romæ, Hierofolymam eius concilij gratia reuerfus fuiffet, nimirùm vt in negotio tam arduo fatisfaceret Iudæis. Et quid vetat iftud opinari, quando nihil, aut in facris, aut prophanis literis, huic rei palàm contradicit?

Sed & multò fatius effet modum aliquem inuenire, quo tot auctores, fi fieri poffit, inter fe conciliëntur, quàm fententias eorum temerè condemnare, præfertim cum in hoc omnes confentiant, non Latini folùm, verùm etiam Græci, quòd Petrus haud dubiè Romanus aliquandiu fuiffet Epifcopus. Perfpicuum igitur eft calumniam iftam nullius roboris effe, cum omninò cadat, fiue dixerimus non effe rectè fupputatum, feu, fi rectè fupputatum fit, nihil tamen fcripturis repugnare, Petrum è Roma Hierofolymam rediiffe. Sed hactenus, vt calumnia reijciatur, fatis opinor dictum.

PERSVASIO V.

SVb hæc, neque tunc temporis, quando Paulus Romanis fcripferat, Petrum Romæ fuiffe, hæc ipfa epiftola ad Romanos porrecta argumento eft, quam quidem fatis longo tempore ab Apoftolo non fuiffe fcriptam conftat. In qua ipfe, vt Origenes meminit, omnibus numeris abfolutior fuerat, quam dum Corinthijs fcripferit. Et idcircò poft vtramque ad Corinth. epiftolam hanc fcriptam fuiffe contendit Origenes. Athanafius verò, & poft primam quoque ad Theffalonicenfes, attamen alteram ad Corinthios, non mox poft eam, quæ prior eft, exarauit Apoftolus. Si quidem in ea, quæ prior eft, inceftum quemdam Corinthiorum Ecclefiæ feniorem, qui cum vxore patris rem habuerat, acriter taxat, & ex vnitate fidelium emancipandum præcipit, huneque fpiritui maligno in poreftatem tribuit, modò fpiritus in diem Domini Chrifti Iefu faluus fieret.

In altera verò, poftquam ille refipuit, ac admiffum digna compunctione, atque pœnitudine defleuit; rurfum vnitati, membrorumq; Chrifti communioni reftitutus eft. Ac tandem poft miffas ad Theffalonicenfes literas, vbi iam tertio Corinthum venerat, per Phœben Cencherenfem fœminam ad Romanos epiftolam direxit, in cuius calce multos

fta-

fratrum nominatim salutere iubet, & qui pridem illius opera in Christum crediderunt, & qui quapiam in eum dexteritate vsi fuut. Tum qui Ecclesiæ illius antistites, ac seniores fuerunt, veluti Narcissum, Andronicum, Iulian, Priscillam, & Aquilam. Qui igitur fieri potuit, si Paulus Petrum tunc Romæ fuisse credidisset, vt digna hunc salutatione non dignaretur, cuius ille obseruantissimus esse, & nihil honoris ei non deferre pro sua canitie: & Apostolatus honestate debuerat. Sed ineluctabilis hæc est ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuisse. Facessat ergo vafricia Romana hanc sibi gloriam ambire, nihil enim æquè falsum est, atque hæc arbitraria æstimatio.

Calumnia quinta summa.

PAulus literis suis ad Romanos, complures ex fratribus nominatim salutere iubet, & præsertim Ecclesiæ ipsius Antistites, ac Seniores, veluti Narcissum, Andronicum, Iulian, Priscillam, & Aquilam. Qui potuit igitur fieri, si tunc Petrũ fuisse Romę credidisset, vt digna hunc salutatione nõ dignaretur, cuius ille obseruantissimus esse, & nihil honoris ei non deferre pro sua canitie, & Apostolatus honestate, debuerat. Quoniam igitur hæc epistola ad Romanos posteriùs scripta fuerat, quàm, vel vtraque ad Corinthios, vel illa, quæ ad Thessalonicenses prior est, oportet, vt non adeò tempestinè Romam Petrus venerit, atque prædicatur à multis. Manet igitur ineluctabilis hæc ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuisse.

RESPONSIO.

QVamquam hæc ratio, quam aduersarius ineluctabilem vocat, nemini non perspicua sit, vel ob id omni robore carere, quod ex negatiuis proficiscatur, nos tamen alijs modis eam diluere conabimur. Fieri quidem potest, cùm ex alijs causis, quas hi soli norunt, qui Paulo ipsi fuerant consuetudine quędam intimiores, tùm ex ijs, quas mox dicemus, vt eùm ad Romanos Paulus scripserit, complurelque salutere iusserit, Petrum tamen haud nominatim salutarit.

Et primùm, quia nec id facere consueuit in alijs eius epistolis, vt cùm ad Ecclesiam aliquam scribat, salutete nominatim iubeat Presbyteros, aut Episcopos Ecclesiarum. Quod & facilè patebit si per singulas epistolas discurramus. Et principio, neminem in priori epistola ad Corinthios salutauit, cùm tamen ex longa consuetudine, quam per annum, & sex menses cum eis contraxerat, multos habuit familiares. Sed nec in posteriori, nominatim quemquam impertit salute. Et tamen credibile est iam adfuisse Stephanum, & Achacium, & Fortunatum (qui Paulo fuerant charissimi,) de quibus & in priori epistola mentionem fecit. Ad Galathas item neminem salutat, cùm tamen in Episcopum constituisset Timotheum vnicè sibi dilectum, & multos prætereà familiares illic haberet, vtpotè, qui triennium apud eos mansisset. Ad Philippenses quoque neminem, præter Enodium, & Syntichen, duas fęminas, quas tamen, haud salutere iussit peculiari aliqua salutatione. Ad Colossenses insuper ne vnum quidem, cùm tamen eis præfuisset Archippus eorum Episcopus, & à Paulo constitutus, quem & alibi commilitonem suum vocat. In epistola rursum ad Thessalonicenses priori, cùm hortatur multitudinem, vt agnoscant eos, qui præsunt in Domino, & vt habeant illos in summo pretio, nullius tamen exprimit nomen, cui salutem impertiat. In posteriori similiter nec vnius quidem meminit. Et in ea demùm, quam ad Hebræos misit, cùm alioqui parere eos iubeat ijs, qui sibi præsunt, neminem tamen ex eis nominatim salutat. Liquet igitur in ijs epistolis, quas ad Ecclesias dedit Paulus, neminem ex Presbyteris, aut Episcopis illum salutasse. Quid mirùm igitur, si in vna hac reliqua, ad Romanos data, Petrum non salutarit? At inquis Ecclesiæ ipsius Antistites salutere iussit nominatim.

Dic ergo, quos Antistites? Respondes Narcissum, Andronicum, Iulian, Priscillam, & Aquilam. At miror tales Antistites Romam habuisse, cùm alibi Paulus iusserit fœminas in Ecclesia silere penitùs. Constat enim ex superioribus, Priscillam Aquilæ coniugem fuisse, & Iulian, siue Iunian, Andronici, quemadmodùm Athanasius, seu Vulgarius tradit. Sed Narcissus, inquies, Episcopus erat. At hunc non salutauit Paulus: Sic enim legitur in epistola Pauli: Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, nempè familiares Narcissi, non ipsum Narcissum. Erat enim is Narcissus, vt tradit Ambrosius, Presbyter quidam, sed officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes. At cæteros opinor non probabis vmquam fuisse Presbyteros. Liquet igitur ex his, nequaquam in morem fuisse Paulo, vt Præfectos Ecclesiarum in suis epistolis nominatim salutaret. Sed & aliæ quoque potuerunt interuenire causæ, cur iam non literis ad Romanos datis salutasset Petrum. Quid enim si Petrum ob aliqua negotia tùm absentem nosset, quemadmodùm & quidam de Narcisso tradunt, quòd abfuerat ab Vrbe, quo & factum est, vt hunc fortè non salutaret Paulus. At redeuntem saltèm Petrum iussisset salutari. Sed vides, nec hoc de Narcisso fecit. Cæterùm, quid si per Phœben, priuatam à se iussisset salutationem. Aut fortè priuatas Petro scripsisset literas. Quis enim huius rei, iàm post tot annorum curriculo, certam expromere queat rationē. Sed dices: iàm igitur extarent ipsæ literæ. Nihil oportet, neque enim dubium est, plerasque ex his, quas Apostoli scripserant, deperijsse, quod & nemo, qui scripturis assueuit, ignorare potest.

PERSVASIO VI.

ACcedit & istud ad corroborandum, quòd Petrus ab ea tempora, quibus Paulus Romanis literas destinauerat, Romę non fuisset, quia diuus Ambrosius super epistolam ad Romanos, in quibusdam vetustis codicibus dicit, si legisse Narcissum illo tempore Romæ Presbyterum fuisse, cuius domum Apostolus sal-

salutere iubet; hic tamen, inquit diuus Ambrosius, officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes. Quòd sanè nuperus Romanus Presbyter neutiquam facetet, à quo nihil tam est alienum, quàm verbi Diuini prædicatio. Et id propter, velut claudus, vt Plautino vtar dicterio sutor, domi totos sedet dies, cupediarum delirijs voratrinam explens; nisi fortè ostentandæ pompæ causa, ad Lateranense Palatium interdum prorepat. Vt ad rem veniamus, hic scito est opus, apud primitiuam Ecclesiam nullos fuisse, qui dicerentur summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi. Nempè quæ duos solùm Ecclesiasticos habuit ordines, Presbyteros videlicet, & Diaconos, vt ex ea claret, quam Philippensibus Apostol. è Roma dederat, epistola. Paulus, inquit, & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus Sanctis, qui sunt in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis. Nàm ijdem vocabantur Presbyteri, Episcopi, vel Seniores, vt ex epistolis Paulinis est manifestissimum. Cùm in actis quoque Apostolorum, ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros inquit: Quia vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, Et Petrus, qui & ipse Presbyter multarum Ecclesiarum fuerat, ad Presbyteros dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ scribens, seniorem se nominat, dicens: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum; Ignorauerat credo tùm adhuc supercilium summorum Pontificum nomen, vel abhorruerat planè. Et vt regrediamur ad priora; Presbyteri dicebantur, qui Ecclesijs veluti quidam proceres præerant, Vnde Apostolus in 1. ad Timoth. epist. Qui benè, inquit, præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt. Et ad Titum: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per Ciuitates Presbyteros, sicut ego præscripsi tibi. Igitur hic per Narcissum Presbyterum seniorem, aut Episcopum Romanæ Ecclesiæ fuisse intelligimus, qui non modò eius, sed & aliarum circumiacentium Ecclesiarum, & Christi-fidelium curam gerebat, cuius etiam familiam, ob ingenuas eius virtutes Paulus salutare præcepit, Insuper Andronicus, & Iulian, duo è septuaginta duorum Apostolorum numero, vt Origenis est opinio, Romæ ea tempestate fuerant, quos hac prærogatiua honoris, ad Romanos in epistola salutat Apostolus. Salutate, inquit, Andronicum, & Iulian cognatos meos, & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui antè me fuerunt in Christo Iesu. Adde, Priscilla, & Aquila, vt Ambrosij suffragatur auctoritas, non otiosè Romam venerunt, qui quoniam propensiores erant in deuotione, ideò ad confirmationem Romanorum missi fuisse intelliguntur; de quibus ad hunc modum Paulus loquitur: Salutate Priscillam, & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt. Eapropter quid opus Roma tunc habuerit Petro veterano, & iàm viribus defecto, non conijcio. Nempè cùm haberet legitimum Presbyterum Narcissum, & Apostolos Christi doctrina insignes, Andronicum, & Iulian, & cooperatores in Euangelio non contemnendos Aquilam, & Priscillam. Sed hoc citrà omnem controuersiam verum est, quòd Romæ tunc temporis non fuerit. Nàm si neminem non salutat eorum Apostolus, vel qui Seniores fuerant, vel qui cognati, & cogniti, quomodò vnum Petrum non salutasset, quo cùm firmissimam amicitiam, & societatem iampridem inierat, & eius videndi desiderio antea Hierusalem petere non dubitauerat? Et hinc apparet, vsque ad Neroniani imperij tempora, eterum Romæ non fuisse. Quòd si viginti & quinque annis illic resederit, à quo tandem mortem passus est? Hic tussiunt Romani Sycophantæ, non secus, ac indocti quique cantores; qui locum fecerunt prouerbio, hæsitatio cantorum, vt communiter dicitur, tussis est,

Calumnia sexta summa.

HAbuit Roma, cùm Paulus ad Romanos scripserit, multos egregios fidei præceptores, & in primis Narcissum, quem Ambrosius ait se legisse fuisse Presbyterū Romæ. Quòd si Presbyter, & Episcopus, cùm ea tempestate nihil erat discriminis inter Episcopos, & Presbyteros, vt ex Paulinis epistolis est manifestissimum. Habuit & Andronicum, & Iulian, duos è septuaginta Discipulis, vt Origenes opinatur. Habuit demùm Priscillam, & Aquilam, quos Paulus appellat suos adiutores in Christo; & Ambrosius dicit, eos missos fuisse Romam, ad Romanorum in fide confirmationem. Quando igitur tales habuerit Roma præceptores, quid opus fuerit, & Petrum identidem habere, nempè veteranum, & iàm defectum viribus? Colligit igitur ex hoc, citrà omnem controuersiam, verum esse, quòd Romæ tunc temporis Petrus non fuerit, & proindè nec antè Nerouis tempora venisse Romam.

RESPONSIO.

VT demus primum, illos fuisse coadiutores Pauli, & discipulos Christi, etiam si vis, Presbyteros, & Episcopos. Non ob id Roma Petro non habuit necopus? Quasi nec Ephesijs Paulus fuisset vtilis, quòd Timotheum habuissent Episcopum, neque Corinthijs prodesse potuisset, quòd apud eos Apollo, & Cæphas, ac alij præfuissent. Frustrà quoque cæteras ipse, cùm suis literis, tùm viua voce, docuisset Ecclesias, in quibus alioqui Presbyteri fuerant, & Episcopi. Sed & Romam cur se venire est pollicitus, vt eis impartiretur donum aliquod spirituale? quandoquidem illic adesse noscet tam egregios & præceptores, & Episcopos. Quod si præsentia Pauli Romanis necessaria fuerit, tametsi Roma tales habuisset Presbyteros, cur non identidem & Petri? Sed ais Petrum tùm fuisse veteranum, & defectum viribus. At nec ingenium eum destituerat, neque Spiritus, qui in eo loquebatur, & qui per eum tot adoiranda gessit opera, præsertim in eo conflictu, quo Simonem ipsum Magum deuicit. De quo non solùm Ægesippus, & Eusebius, verùm etiam Linus, & Clemens, alijque complures testan-

teſtantur. Cæterùm de Narciſſo, quòd refers, haud vſquequaque verum eſt. Credo ſanè Narciſſum Presbyterum fuiſſe; ſed talem, qui peregrini fungeretur officio, quemadmodùm & ex Ambroſio receņſuiſti, nimirùm, qui ſæpiùs Vrbem egrederetur, vt ſuis exhortationibus credentes in fide firmaret, cuius rei gratia, & tùm abfuiſſe creditur, cùm ad Roman. ſcripſerit Paulus. Non eſt verum igitur, quòd Narciſſus Vrbis Romanæ fuerat Epiſcopus, neque quiſquam eum hactenùs ità vocarat, cùm tamen omnes concorditer id dignitatis Petro paſſim tribuant. Porrò, quòd Andronicum, & Iulian è ſeptuaginta duorum Diſcipulorum numero ſuiſſe putas, auctore Origene. Certè nec Origenes id affirmat, ſed tantùm dicit, Id ità fuiſſe poſſibile, ſic enim in epiſtolam ad Romanos ait: De quibus poſſibile eſt, & illud intelligi, quod fortaſſis ex illis 72. (qui & ipſi Apoſtoli nominati ſunt) fuerint. Ecce, dicit, poſſibile, & fortaſſis. Quibus verbis, ſatis conſtat, eum ancipitem fuiſſe quinam eſſent. At ſi vis noſſe, qui fuerint, legas Athanaſium. Sic enim tu vocas Theophilactum, ſeu Vulgarium. Is in eamdem epiſtolam ſcribens, Iulian, ſeu (quod græcè habetur) Iunian, fœminam aſſerit fuiſſe. At in illo Diſcipulorum numero nullum haberi fœminam apertiſſimum eſt. Adde, quod hi, qui ſeptuaginta duorum Diſcipulorum cathalogum collegerunt, nec Iulian, nec Iunian cæteris annumerarunt.

PERSVASIO VII.

HVc producam, & quod Paulus Apoſtolus ad Galathas narrat in epiſtola: Creditum eſt (inquit) mihi Euangelium præputij, ſic & Petro circumciſionis. Qui namque operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt, & mihi inter gentes. Tandem manifeſtat, quomodo pactus fuiſſet cum Iacobo, Petro, & Ioanne, in Synodo, quæ Hieroſolymis ſuper legalium obſeruatione habita eſt, vt ipſi in circumciſionem, hic verò inter gentes cum Barnaba prędicatum proficiſceretur. Quomodo itàque tam citò Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes ſibi vſurpare, cum Roma totius Paganiſmi mater tunc fuerit? Quinimmò, ſi circuncisionis fuerat Apoſtolus, quomodo Romæ tot annis ad Pauli videlicèt illac aduentum, cum Iudęis nihil ei fuerat negotij? Adueniente namque illac Paulo, vt Lucas in actis Apoſtolorum ait, dicunt Iudęi ad eum: De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique contradicitur. Rogamus enim te audire, quæ ſentis. Nos enim neque literas accepimus de te, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus eſt quid de te malum. Quos tandem copioſa illa, ac vberrima oratione ſua alloquutus eſt Paulus, à mane vſque ad veſperam ſermonem protrahens. E quibus aliqui dictis crediderunt, quidam verò renuerunt credere. Et nunquam anteà audita auribus haurientes, adinuicem tumultuabantur, & multam inter ſe habebant quæſtionem. Quid ergo Romæ tantò temporis interuallo fecerat Petrus, ſi Iudęis, ea, quæ à Paulo audierant, noua, & inaudita videbantur, nec aliquem ſe priùs audiuiſſe dixerunt, qui eius ſectæ inſtitura, & ritus eis declaraſſet? Et proindè Paulum, vt quæ ſentiat, diceret, velut vno ore poſtulabant omnes. Videat, qui vult, quàm ſit tutum Romæ Petrum aliquando fuiſſe cedere.

Calumniæ ſeptimæ ſumma.

COnuenit inter Apoſtolos in ipſa Synodo Hieroſolymis habita, quòd Paulus apud gentes, Petrus, apud Iudęos Apoſtolatum iniret. Sic enim Paulus ipſe Galathis ſcribens teſtatur; Creditum eſt, inquit, mihi Euangelium pręputij, ſicut & Petro circunciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolum circunciſionis, operatus eſt, & mihi inter gentes. Et cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cæphas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe dexteras dederunt mihi, & Barnabæ, ſocietatis, & nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem. Quomodo itàque, tàm citò Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes vſurpare ſibi? cùm Roma totius Paganiſmi mater tunc fuerit. Quinimmò ſi Petrus circunciſionis fuerat Apoſtolus, quomodo Romæ tot annis, ad Pauli videlicèt illac aduentum, cùm Iudęis nihil ei fuerat negotij? Nam ex Paulo Iudæi tum audierant plurima, quæ ſe numquam priùs audiſſe teſtati ſunt, quemadmodum in actis abundè patet. Quid ergo Romæ tanto temporis interuallo fecerat Petrus, ſi Iudęis ea, quæ à Paulo audierant, noua, & inaudita videbantur, nec aliquem ſe priùs audiuiſſe dixerunt, qui eius ſectæ inſtituta, & ritus ei declaraſſet? Et proindè Paulum, vt quæ ſentiat, diceret, velut vno ore poſtulabat omnes.

RESPONSIO.

DVobus Scripturæ locis hęc calumnia videtur inniti, alteri, ex epiſtola ad Galathas, alteri ex Apoſtolorum actis. Sed hos quis velit in aduerſarium retorquere, multò validiùs eum impetet, quàm ille nos impetijt. Nam ſi circumciſionis Apoſtolus erat Petrus, vt prior ipſe locus apud Galathas docet, & non paruus circunciſorum numerus Romæ fuerat, vt habet locus poſterior ex actis, iure debuit, vt ex pacto ſe Petrus Romam conferret, nimirùm vt Iudæos Romam incolentes in fide teneret, & maximè cum Hieroſolymis Iacobum reliquiſſet, & Antiochiæ Enodium, Barnabam item Cypri, & Ioannem in Aſia noſſet, Paulum inſuper non ignoraret, omnes illas adiacentes regiones haud ſegniter peragrare. Intelligis igitur, vt ex vtroque loco ſimul iniuncto, Petrus adactus fuerit Romam adire. Porrò locus ille prior, nempè de pacto, non minùs aduersùs Paulum, quam contra Petrum facit. Quid enim ille tam citò pacti factus immemor, vbique Iudæorum Synagogas ingreditur? quemadmodum paulò poſt finitam illam Synodum legimus in actis cap. 17. cùm, inquiunt, iter ſeciſſent Paulus, & Sylas per Amphipolim, & Appolloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi erat Synagoga

nagoga Iudæorum. Secundum confuetudinem autem fuam Paulus introiuit ad eos, & per fabbata tria differebat eis ex Scripturis adaperiens, & allegans, quòd Chriftum oportuiffet pati, & refurgere à mortuis, & quod hic effet Chriftus Iefus, quem Paulus annunciabat eis. Et mox eodem cap. cum veniffet Athenas, difputabat in Synagoga cum Iudæis. Rurfum cap. 18. difputabat autem in Synagoga per omnem fabbatum, fuadebatque Iudæis pariter, & Græcis. Sed & pofterior ille locus nihil aduerfum nos facit. Quid enim fi quidam ex primoribus Iudæorum, Romæ degentium, in Chriftum non crediderint? Numquid non vbique gentium eiufmodi reperit Paulus? Quoties enim ipfe in locis, vbi prædicauit, reliquit tales? vt nemini mirum fuerit, fi non omnes, qui Romæ tum fuerant, conuertiffet Petrus. Cæterum & aduerfarius apertè falfum illic affirmat, nempè quod Iudæi, quos Paulus conuocari fecit, dixerant fe neminem priùs audiffe, qui eius fectæ inftituta, & ritus fibi declaraffet. Neque enim in actis iftud continetur; neque fieri potuit, cùm illic ex Iudæis tot fuiffent Chriftiani, qui huius fectæ ritus & inftituta pridem audiffent. Quid enim? Elingues erant Narciffus, & Andronicus, ac cæteri, qui probè nouerant hanc fectam, & eius ritus, ac inftituta? Aut fortè non aufi fuerant annunciare Chriftum? Tamen pro Pauli falute non formidabant fuam ipforum ceruicem fupponere? Falfum eft igitur, quòd illi dixerint fe neminem priùs audiffe, qui eius fectæ inftituta, & ritus fibi declaraffet. Neque tale quiddam in actis habetur. Sed negabant fe de Pauli factis vllas è Iudæa literas accepiffe, neque indè quemquam aduenientem locutum fuiffe quicquam mali de Paulo, de fecta tamen Chriftianorum, quod vbique fciffent ei contradici, fe cupere dicebant audire ex Paulo, quæ fentiret. Non quòd ante nihil audiffent à quoquam, fed quòd noua quædam, & fortè, quæ fectam illam confutarent, à Paulo fe fperaffent audituros. Et hęc hactenus, ob Calumniæ feptimæ conuulfionem.

PERSVASIO VIII.

IAm ad ea vfque peruenimus tempora, quibus Hierofolymis Iudæorum coactus infolentia Paulus, ad Cęfarem appellauit, ac Romam deductus, catenis horrendis in carcerem coniectus eft, illicque in conducto fuo, quod ei carceris fuerat loco, toto biennio permanfit. Nec profectò parua hæc erat manfio, vt Hieronymus in epiftola ad Philemonem loquitur, ad quam Iudæorum turbæ quotidie confluebant. Nam fufcipiebat omnes, vt in actis Lucas fcribit, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ funt de Domino Iefu Chrifto cum omni fiducia, fine prohibitione, allectans ad fidem Chrifti homines, vt in verbis, ità & literis. Multos enim, eo concionante, non modo plebeos, fed & de regia Nerouia Chrifti fidem fufcepiffe, ipfius epiftolæ oftendunt. Ad Philippenfes enim è conducto fuo fcriptitans: Salutant vos, inquit, omnes fancti ac quidem maximè, & qui de Cæfaris domo funt. Quin epiftolas quoque aliquot in vinculis dictauerat pia admonitione, & Chriftiana pietate plenas, ne Ecclefiæ Chrifti pulchrè ab eo inftitutæ, eius abfentia in deteriùs laberentur. Nam quos viua voce conuenire non poterat, fcriptis tantifper admonebat, ne fuæ profeffionis obliti, à Chrifto aliquando exciderent, præcipuè Galathis poft pfeudoapoftolos, retrò à Chrifti fide, ac fuis rudimentis abeuntibus, epiftolam è Roma fcribere non dubitauit, verbis etiam afperioribus eos commonefaciens, ne vafritia, & aftu à Chrifto abduci fefe paterentur. Deum obteftans, quòd quæcumque ille in mandatis dederat ea non ab hominibus, neque per homines nactus vnquam fuiffet, fed fola benignitate Iefu Chrifti; nimirùm quibus tam firmiter credi oporteat, vt fi angelus quoque, vel ipfemet fecundario ad eos aliquando venerit, ac diuerfum quiddam docere voluerit, probrum, ac execrabile id fieret; In qua epiftola Petri aliquot locis meminit, cuius teftimonium in hoc negotio, vt Galathis, quod dixerat, faciliùs perfuaderet, mirum in modum illi fuerat neceffarium. Non tamen vfpiam eius mentionem facit, an Romæ ipfum tunc habuerit collegam, vel fi eis, quæ fcripferat, & ille fubfcribere voluerit. Qui certè, fi tum Romæ fuiffet, faltem eius nomine eos falutaffet, quo faciliùs tàm eminentis Apoftoli vocabulo permoti, refipifcerent, & ab extranea doctrina fegregati, ad mentem redirent quandoque. Attamen nihil horum fecerat Apoftolus, quod maximo eft teftimonio, neque ea tempeftate Petrum Romę fuiffe, cum tamen viginti quinque anni, vel fecundum quofdam viginti feptem, à Chrifti paffione, aut Afcenfione præterierint. Cæterum neque in ea, quam ad Ephefios Romæ fcripferat, epiftola vllam eius mentionem facit, cuius tamen hæc femper aliàs fuerat confuetudo, vt collegarum fuorum nomine, in Chriftum credentes falutaret.

Calumniæ octaua fumma.

PAulus Galathis è Roma fcribens, Petri nonnullis locis meminit, cuius teftimonium in hoc negotio, nimirùm vt Galathis ità quod dixerat, faciliùs perfuaderet, mirum in modum illi fuerat neceffarium. Admonuiffet igitur eos Paulus in epiftola fua, vel quòd tum Romæ Petrum habuiffet collegam, vel quòd idem epiftolæ fubfcripfiffet fuæ. Nam ità Galathæ faciliùs, tam eminentis Apoftoli vocabulo permoti, refipuiffent, & ab extranea doctrina fegregati, ad mentem rediffent celeriùs. Seque fimiliter ad Ephefios è Roma fcribens, vllam omninò Petri mentionem facit, cuius tamen hęc femper aliàs fuerat confuetudo, vt collegarum fuorum nomine, cre dentes in Chriftum falutaret. Quamobrem & hæc maximo teftimonio funt, non ea tempeftate fuiffe Romæ Petrum.

RESPONSIO.

Haud facilè nobis eſt, poſt tot ſeculorum volumina cauſas reddere, cur aliquando Paulus collegarum ſuorum in epiſtolis meminerit, & contra nonnunquam eacuerit penitùs. Nam vtrumque fecisse, cuius epiſtolas eius legenti poteſt apertiſſimum eſſe. ſcripſit enim vno tempore, cum eſſet in cuſtodia Romæ, quatuor epiſtolas, quod & Hieronymus in commentarijs epiſtolæ ad Philémon, exactiſſimis docet rationibus, hoc eſt ad Philippenſes, Coloſſenſes, Epheſios, & ad Philemonem. In quarum tribus adiungit ſibi Timotheum, hoc eſt, ad Philippenſes, Coloſſenſes, & Philemonem. Verùm in epiſtola ad Epheſios, nec ſemel Timothei meminit. Ad Philippenſes enim ſic orditur: Paulus, ac Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis. Ad Coloſſenſes ità: Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Thimotheus frater ijs, qui ſunt Coloſſis. Ad Philemonem ad hunc modum: Paulus vinctus Chriſti Ieſu, & Thimotheus frater, Philemoni dilecto, & collegæ noſtro. Cæterum in ea, quam dederat ad Epheſios, ità præfatur: Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei ſanctis omnibus, qui ſunt Epheſi. Ecce ſubticetur Timothei nomen: Sed nec in calce ſalutem vllam illis ex Timotheo, Paulum dixiſſe legimus, Cum igitur Petrus, nec ipſi Paulo familiarior fuerat, neque Epheſis coniunctior, quàm erat Timotheus, quippè quem Epiſcopum eis ipſe reliquerat, quid mirum eſſe debet, ſi Petri nomen ſubticuerit, ſicut & de Timotheo feciſſe iam abundè perſpicuum eſt? Erat enim Romæ Thimotheus, cum ad Epheſios Paulus ſcripſerit, ſimul, & dictandis ipſis literis præſens, etatque Paulo chariſſimus: necnon & Epiſcopus illis fuit, ad quos Paulus ſcripſerat, & tamen eius nullam omninò Paulus facit mentionem. Fruſtra igitur ex eo contenditur, Petrum non fuiſſe Romæ, quòd Paulus indè ſcribens, nullam in ſuis literis mentionem de illo faciat, quando videmus eumdem Paulum, Timothei iam præſentis ne verbulo quidem ad Epheſios ſcribentem, meminiſſe.

PERSVASIO. IX.

Indicio ſunt Petrum tempore Pauli Romæ non fuiſſe, & literę, quas per Epaphroditum ad Philip. dederat Apoſtolus, in quibus multorum nos admonet, & quæ erga illum, tùm temporis gerebantur, manifeſtat, maximè autem, quantum illic in Euangelio profecerit, dicens, ſua occaſione paſſim Romæ Euangelium prædicari ab omnibus, eodẽ quidem impetu, quamuis diuerſo ſtudio. Quidam enim vinculis, & conſtantia ipſius animati, ſincero affectu, & verè Chriſtiana intentione, fidem Chriſti Romæ omni timore exuto, iuuulgabant, quidam verò ſola cupiditate nocendi Paulo, ad euangelizandum Chriſtum trahebantur. Putabant enim forè, quòd Neronis tyranni, cui nomen Chriſti fuerat peroſum, prouocata iracundia, Pauli-na gloria in Euangelio faceſſeret, ac tyrannus in eum, vti eius profeſſionis auctorem, grauiùs animaduerteret. Fit enim, quæ maximè nobis nocitura ſciuerint, ſiuè hoc ad noſtram perniciem, inibi palàm euulgant. Tùm ait Paulus ſibi non eſſe curæ, dùm quouis modò Euangelium anunciatur, & Chriſtus orbi innoteſcat, ſuum hoc ad vitam, ſiuè ad mortem illi ſit ceſſurum. Maluit enim cum Euangelij lucro mori, quàm abſque profectu viuere. Res profectò miraculo digna, ſi Petrus tunc Romæ fuerat, quemadmodum multis iam annis inibi agere debuerat, quomodo Chriſti nomen, tàm moleſtè à Paulo Romæ audierit, vt ſubornati in hoc etiam plerique homines doloſi, ſub Chriſti prędicationis obtentu, Pauli exitium quærerent? Nùm verò otioſus tot annis illic delituerat, & Chriſti occultauerat fidem Petrus, timens ne in eum ſæuijſſet tyrannus, vtque faciliùs eorum inſidias, qui aduerſabantur Chriſto, ſubterfugerit? Nàm ſi annuatim Euangelium Romæ prædicauerat, ea res non debuit eſſe Paulo timori, ſiquidem Roma, tot iam annis antea Chriſtum patientiſſimè à Petro audierit: Imò quantumcumque tumultuante Roma, tyrannus ad vindictam irritaretur, in Petrum primùs reſultaſſet hæc iniuria, vtpotè qui caput eius negotij fuerit. Ecquid igitur formidarat Paulus, ne faba hæc in ſuo, quòd dicitur, cuderetur capite, non video. Adhæc, in fine eiuſdem Epiſtolæ ſubdit: Salutant vos omnes ſancti, maximè verò, qui de Cæſaris aula ſunt, maximè protſus dicere debuit, Petrus, omnium noſtrum, veluti quidam anteſignanus. En quam inſecurum eſt dicere, etiam tunc tempore Petrum Romæ fuiſſe, dũ Paulus captiuus illic teneretur, hac perſuaſione clariſſimum eſt.

Calumniæ nouæ ſumma.

Similitèr ad Philippenſes ſcribens, ſua dicit occaſione paſſim, ab omnibus Euangelium Romæ prædicari, eodem quidem impetu, quamuis diuerſo ſtudio. Quidam enim vinculis, & conſtantia Pauli magis animati, ſincerè & abſque metu Chriſtum prædicabãt. Quidam verò ſola cupiditate nocendi Paulo, rem aggreſſi ſunt, ſperantes ità Neronem acerbiùs in Paulum ſæuiturum, vtl ut in eius profeſſionis autorem. Quòd ſi Petrus Romæ eũm fuiſſet, qui fieri potuit, vt à Paulo Roma, tàm moleſtè Chriſti nomen audiſſet? Nùm verò tot annis otioſus, illic delituerat Petrus, & Chriſti fidem occultauerat, timens ne in eum ſæuiſſet tyrannus? Nàm ſi Petrus Euangelium annuatim prædicaſſet, in eius magis, quàm in Pauli caput, hæc faba cuderetur, omnimòque ipſe, quaſi Princeps totius negotij fuiſſet. Adhæc, in fine eiuſdem Epiſtolæ, ſubdit Paulus: Salutant vos omnes ſancti, maximè verò, qui ſunt ex Cæſaris domo. Quòd ſi Petrus illic tùm fuiſſet, dixiſſe proſùs debuit: Maximè verò Petrus, omnium noſtrum, veluti quidam anteſignanus.

RES-

RESPONSIO,

QVam fallax fuerit, hæc argutia, quæ petitur ex eo loco, nempè quòd non Petri nomine Paulus eos,ad quos fcripferat,falutarit, opinor fatis dilucidum effe factum, ex ea refponfione, quam proximè fuperiori calumniæ fubdidimus. Quamobrem, nec operæ pretium erit, pro pofteriori huius arguriæ parte quicquam ampliùs in medium adducere. Sed ad priorem tantùm refpondebimus. Quæ profectò nihil habet roboris, quo queat euincere Petrum non fuiffe Romæ. Neque enim repugnat quicquam, vt antequam aduenifset Paulus Romam,Petrus vna cum alijs, illic Euangelium, diù docuiffet, & ijdem tamen præfentia Pauli magis concitati, vehementiùs, ac ardentiùs idipfum facerent,quod antè cęperunt. An non experimur quotidie ligna, quæ paulò antè in fornace lentiùs arferunt, per appofitionem aridioris cuiufdam furculi,magis,ac validiùs accendi, neque iam excitatum ardorem prioribus lignis imputari, fed huic potiùs, quod poftremò fuit adiectum. Ità quid prohibet, quominus Chrifti prædicari, iam recens exorta flamma, Paulo magis afcriberetur, quàm Petro, cæterifque, qui Paulũ in hoc negotio præcefferunt, vt interim fileam quantus ignis, præ cæteris omnibus concionatoribus, in ipfis Pauli pectore flagrabat, vt nemini mirum effe debeat, fi per acceffum Pauli, Euangelij prædicatio magis exardefceret. Satis igitur iftam calumniam nouam labefactant,

PERSVASIO X.

COloffenfibus per Tychicum, ac Onefimum fcribens Paulus, in receffu epiftolę addit: Salutat vos Ariftarchus concaptiuus meus, & Marcus confobrinus Barnabæ, & Iefus, qui dicitur iuftus, qui funt ex circumcifione. Ij foli funt auditores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt folatio. Salutat vos Epaphras, qui veftras eft. feruus Iefu Chrifti, Salutat vos Lucas medicus chariffimus, & Demas. Vide quàm omnes nominatim enumerat, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius erant in regno Dei, hoc eft, Ecclefia Chrifti, Gregorius enim inquit: Sæpè in facro eloquio Regnum Cœlorum, præfentis temporis Ecclefia dicitur. Et Chriftus apud Lucam Regnum Dei, inquit, intrà vos eft.Quas ob res Paulus dicit: Ij foli funt auditores mei in Regno Dei. Quid ergò Petrus? numquid tamquam veteranus quidam, ac emeritus miles in otium tunc fe receperat, vt non pro fua virili euangelicas adiuuaret partes, cooperatorque in Regno Chrifti non fieret? quod de Petro fentire horret animus, proindè non te habuit, tunc Roma Petre. Nàm fi fuiffes Romæ, & Paulum eundem Chriftum prædicantem, non iuueris, eius iam factionis fuiffes Apoftolus, quæ non Chriftum ædificaret, fed deftrueret, ac demoliretur. Omne enim regnum, Chrifto dicente, in fe diuifum defolabitur, ac domus fupra domum corruet.

Calumniæ decimæ fumma.

COloffenfibus identidem Paulus fcribens, in Epiftolæ receffu fic dicit: Salutat vos Ariftarchus concaptiuus meus, & Marcus confobrinus Barnarbæ, & Iefus, qui dicitur iuftus, qui funt ex circumcifione. Hi foli funt adiutores mei in Regno Dei, qui mihi fuerunt folatio. Salutat vos Epaphras, qui veftras eft, feruus Iefu Chrifti. Salutat vos Lucas medicus chariffimus, & Demas. Vides quam omnes nominatim enumerat, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius, erant in Regno Dei, hoc eft, Ecclefia Chrifti. Quid ergò Petrus? numquid tamquam quidam,ac emeritus miles, in otium tunc fe receperat, vt non pro fua virili euangelicas adiuuaret partes, cooperatorque in Regno Chrifti non fieret? Cùm igitur hoc animus horret de Petro fentire, palàm eft eum, tunc Romæ nequaquam fuiffe.

RESPONSIO.

SI non fuiffent plures in Regno Dei Cooperarij, quàm quos hic enumerauit Paulus, vbi quæfo Iacobus tùm fuerat, vbi Ioannes Euangelifta, vbi Barnabas, ac cæteri Apoftoli? quorum plerique nemo dubitat, quin iam extarent, nulla tyrannorum adhùc crudelitate necati. Sed inquies. Hi nequaquam Romæ fuerunt. Quid fi Romæ non fuerant? laborabant nihilominus in Regno Dei. Neque negabis opinor,quin alibi,quàm Romæ, Dei Regnum vigebat. Sed de his (inquis) Paulus intelligit,qui Romæ laborabãt. At neque de omnibus his intellixiffe Paulum, vel ex argutia tua proxima conftare poteft, qua teftaris dixiffe Paulum, quòd fua occafione paffim Romæ prædicatum ab omnibus, fuit Euangelium Chrifti. Hoc tu affirmas, fcripfiffe Paulum ad Philippenfes. Quandò igitur eodem tempore fcripta fuerat, hæc ad Colloffenfes epiftola, qui fieri potuit, vt Paulo tùm Romæ, non effent plures ad Regnum Dei Cooperarij, quàm hi tres, nimirùm Ariftarchus, & Marcus, atque Iefus, cùm idem, vt tu recenfes, afferat Euangelium, Romæ paffim ab omnibus, occafione fua iam fuiffe prædicatum? Nũm hoc eft paffim ab omnibus prædicari, cùm à tribus dumtaxat Euangelium prædicatur? Erras igitur, Paulum haud rectè capiens. Neque enim is tantùm dixit: hi foli Cooperatij funt ad Regnum Dei; fed adiecit, qui fuere mihi folatio. Vt intelligas hos præ cæteris, qui ad Dei Regnum Paulo cooperabantur, eidem fuiffe maiori folatio. Et more fuo fortaffis hyperbolicè locutus eft, volens ità peculiatius eos Colloffenfibus commendare. Non prorsùs itàque negat Paulus, alios fuiffe fibi ad Dei Regnum cooperarios, fed ex nullis alijs, qui operarij effent fibi, tantùm folarij fuiffe fuppeditatum. Nam erant adhuc, cum aliis plerique, tùm Narciffus Romæ. Erant Andronicus, & Iunias, Prifcillaq; & Aquila, quos, è Corintho Romam fcribens, adiutores fuos vocauit, ac falutauit amantiffimè.

Nihil

Nihil igitur agit hac arguria Velenus, aduersus præsentiam Petri Romæ, cùm fieri potuit, vt esset Romæ Petrus, & vel in alia custodia multùm distante positus, vel tot, tantisque fidei negotijs occupatus, vt assidere Pauli vinculis, & ei solatium assiduum impendere non licuerit. Possumus tamen, vel ex eo deprehendere Petrum, tunc fuisse Romæ, quòd Paulus in eadem epistola, Marci consobrini Barnabæ mentionem faciat, quem Petrus charissimum habuit, & in epistola sua priori vocat filium, quemque passim historici tradunt Romæ, cùm Petro fuisse, & euangelium, quod Marci iàm dicitur, ibidem scripsisse. Neque alius iste Marcus est ab eo, quem Velenus dicit, à Paulo vocari in epistola ad Philemonem, Marcum Aristarchum, de quo mox plura sumus dicturi.

PERSVASIO XI.

ONesimus, quem Phrygem gentre, quidam fuisse putant, Philemonis Colossei seruus, compilatis rebus quibusdam, ipsius Romani fugitiuus venerat, illicque Paulo de Christo concionante audito, Christi nominis factus est candidatus, ac baptismate in Christicolarum consortium ascitus. Porrò ne quid labijs pristinæ sceleste vitæ, in eo remanserit, conscientiam Apostolo aperuit, & iniuriam, quam Domino suo intulit, rebus quibusdam illius surreptis, confessus est, quem Paulus, quia nimium adamarat, non sibi temperare potuit, quin potiùs benigno, ac scito epistolio cum Philemoni reconciliasset, hanc sibi iniuriam in Philemonem benèmeritus donari postulans. Et si quid damni re, pecuniaria, aut alia quauis, Onesimi profugio acceperit, pro eo se vadem ponens, omniaque se depensurum eius loco promittens. Et in epistolij principio Philemonem, Appiam vxorem ipsius, & Archippum Colossensis Ecclesiæ Episcopum salutans, quo id faciliùs, pro quo interpellauerat, vt sensit Chrysostomus, impetrasset, Timothei nomen adiungit dicens: Paulus seruus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni, &c. Cur hic Petri nomen, in salutatione Paulus supprimit, si Timothei apposuit, qui faciliùs, tàm magni euangelici præconis auctoritate motus offensam fortè Onesimo condonasset. Proh pudet me tot seculorum, quibus Paulinæ literæ tineis corrosæ, situ ac pædore fœdatæ, intra angulos delituerant, passimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in Ecclesia subnascerentur, vel sola occurrere potuerit. Quid enim tàm manifestè ostendere potuit, Petrum Romæ non fuisse, quàm hæc ad Philemonem epistola à Roma, per Onesimum transmissa? Sed numquid fortè Philomenem, & Presbyterum Colossensem Archippum, nomine Petri saluere iubet Apostolus; ad finem epistolæ properemus: Salutat te Epaphras, inquit, concaptiuus meus, Marcus Aristarchus, Demas, & Lucas adiutores mei, O infœlicem Petrum, si tùm Romæ fuerat, & Paulum in hoc honestissimo destituit negotio,

Calumniæ vndecimæ summa.

RVrsùm Paulus datis ad Philemonem literis, ob Onesimi serui reconciliationem, quo faciliùs ab eo, quòd petijt, impetraret, nomen adiungit Timuthei. Paulus, inquit, seruus Iesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni, &c. Cur hic Petri nomen, si Romæ tùm is affuisset, in salutatione subticuisset Paulus, cùm credibile sit, Philemonem Onesimo faciliùs offensam condonasse, audito nomine Petri, quàm plurium Timotheorum. Sed cùm nec eius nominis meminerit, in epistolæ recessu, vbi ex alijs multis Philemoni, simul & Archippo salutem dicit; quid potest manifestiùs ostendere, Petrum eo tempore neutiquam fuisse Romæ?

RESPONSIO.

SVpra monstrauimus, haud satis efficacitèr, ex eo consequi, Petrum Rome non fuisse, quòd indè scribens Paulus eius, haud quaquam meminisset. Et sanè quisquis obseruat, quanta diligentia Paulus, vbique suam tueri studet auctoritatem, is facilè perspiciet, quòd nihil ista repugnant, nempè, quòd Petrus Romæ fuerat, & tamen eius nullam omninò Paulus fecerat mentionem. Aduerte quoties ad Ephesios literas mittit, nempè semel ad ipsam Ecclesiam, & bis ad Timotheum, dum is ibi moraretur, & tamen Ioannis Apostoli, qui fuerat Ephesiorum Episcopus meminit nusquam. Et rursùm ex Italia scribens ad Hebræos, Iacobi tamen Hierosolymitanorum Episcopi nullam omninò mentionem facit. Sed & ad Ephesios, cum scriberet è Roma, quemadmodum antè diximus, quanquam secum haberet tunc præsentem Timotheum, quem & ex Epheso discedens Ephesijs antè commendarat, nihil tamen, vel in epistolæ ipsius initio, vel in calce, ne verbo quidem Timothei meminit. Et quòd magis mirabere, dictatis eodem tempore literis ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, semper sibi Timothei nomen adiungit, & Thimothei nomine salutat eosdem. Quis hic nobis Pauli consilium explicabit, aut exactam reddet huiusce rei rationem, cur in his expressit, in illis prorsùs reticuit Timothei nomen, com tamen vno tempore scriptæ fuissent, & ipse quin etiam Timotheus, dum omnes dictarentur, esset tum præsens? Cæterum cum neque tanti momenti fuisset ea res, quam Paulus ab ipso Philemone postularat, neque satis apparet, quam Petrus, cum Philemone consuetudinem priùs habuisset, nulla ratio videtur, cur Petri nomen in ea epistola debuisset adiungi. Frustrà igitur hic Velenus exclamat inquiens: proh pudet me tot seculorum, quibus Paulinæ literæ, tineis corrosæ, situ ac pædore fœdatæ, intra angulos delituerant, passimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in Ecclesia subnascerentur, vel sola occurrere potuerit. Quasi non essent hæ literæ veteribus illis theologis nocturna, diurnaque manu versatæ,

nempè Tertulliano, Athanafio, Chryfoftomo, Ambrofio, Hieronymo, cæterifque, tàm Græcis, quàm Latinis innumeris, quorum nemo, tàm oculatus fuit, hunc errorem deprehendere potuerit, quem iam, fi dijs placet, reperit Velenus. Quod fi lectio fola, quemadmodum Velenus, his erroribus potuiffet occurrere, mirum eft, quomodò tanta, & tam fplendida ingenia, quæ nulla re magis, quàm Paulinis epiftolis exercitata fuerunt, vfque adeò cæcutiebant, vt nequiuerint id deprehendere, quod tàm acutè cernit Velenus, nempè tot locis Paulinis repugnare, quòd Petrus vnquam Romæ fuerat.

PERSVASIO XII.

PEracto iam dicto biennio, multifque Romæ ad fidem Chrifti conuerfis, ac epiftolis hinc, indè per Ecclefias tranfmiffis, tandem Paulum in libertatem afferuit Nero, è compedibufque dimittere fecit, quod ipfemet ad Timotheum teftatur Paulus dicens: Liberatus fum de ore leonis. Captiuitas etenim hæc intra hoc quinquennium fuerat, de quo Traianum Imperatorem Sex. Aurelius dicere folitum memorat: Procul diftant cuncti Principes à Neronis quinquennio, adeò enim comis, benignus, affabilis, & modeftus, quinque primis fui Imperij annis Nero fuerat, vt de eo Tranquillus fcribens, à pietate hunc Imperij exordia fecifse dixerit: Et tantum aberat, vt infrà hoc quinquenium Nero morti denouerat quempiam, quòd moleftè, & indignanter eis, qui mortis fententiam in aliquem pronunciauerint, pro confuetudine fubfcribere etiam fuerat folitus. Nàm femel admonitus, vt in fupplicio cuiufdam capite damnati, ex more fubfcriberet, quàm vellem, inquit, nefcire literas. Hic igitur pro fua erga omnes beneuolentia Paulum tunc temporis demifit liberum: Reliquis autem nouem imperij fui annis, in omnim luxum, turpitudinem, truculentiam adeò fe effudit, vt impietate omnes facilè, fceleftiffimos etiam homines, fuperaffet. Quamuis Iofephus libro antiquitatum 20. cap. 6. nimis incertam de Nerone effe hiftoriam tradat, dicit namque: Multi de Nerone hiftoriam confcripferunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum eius neglexere veritatem. Alij verò propter odium, & eius inimicitias, fic impudenter mendacijs inuoluti funt, vt aperta reprehenfione fint digni. Ideò fæuiente iàm Nerone, ac tyranno non Imperatore exiftente, poft decenium iterùm Paulus in vincula relapfus eft, & peiùs quàm vnquam ante ab eo habitus. Vnde epiftolam illam, quæ ad Timotheum habetur altera, fcribens, prioris captiuitatis meminit his verbis: In prima mea defenfione nemo mihi aftitit, fed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur, Dominus autem mihi aftitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus fum ex ore leonis. Vbi tunc Petrus fuiffe cenfendus eft? Romæ reuera non fuit, alioqui Paulo caufam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & fefe defendenti eum non adfuiffe, iniquum prorsùs fuiffet. Quòd fi ex induftria quoque dereliquerit, nulla excufatione deinceps dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius iudico, Petrum numquam Romæ fuiffe credere, quàm hanc calumniam, quòd Paulum deftituiffet, in tàm fublimen Apoftolum reijcere.

Calumnia duodecima fumma.

PAulus peracto iàm dicto biennio, libertati fuæ reftitutus per Neronem, quem adhùc conftat benigniffimum egiffe principem, denuò poft aliquot annos, in carcerem ab eodem Nerone iàm fæuiente, & tyrannidem exercente, coniectus fuit. Ex carcere igitur, fecundam, quæ ad Timotheum habetur, epiftolam fcribens, prioris captiuitatis meminit, ad hunc modum: In prima mea defenfione, nemo mihi aftitit, fed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur, Dominus mihi aftitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus fum ex ore leonis. Vbi tunc Petrus fuiffe cenfendus eft? Romæ reuera non fuit, alioqui Paulo caufam pro capite, apud Neronis tribunalia peroranti, & fefe defendenti, iniquum prorsùs fuiffet non affuiffe Petrum. Quòd fi Paulum ex induftria dereliquiffet, nullam deinceps excufationne dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius iudicio, Petrum nunquam fuiffe Romæ credere, quàm hanc calumniam, quòd Paulum deftituiffet, in tam fublime Apoftolum reijcere.

RESPONSIO.

QVamquam ipfam calumniam Veleni, breuiorem in formam contraximus, reiectis multis, quæ fuperuacanea videbantur, tamen vt eadem adhùc magis friuola cunctis appareat, paucioribus eam perftringere curabimus, ad hunc modum: Paulus teftatur fe fuiffe derelictum ab omnibus, quam obrem, & à Petro, fi tum is fuiffet Romæ. At hoc de Petro quemquam affirmare nefas eft, nempè quòd Paulum in tanto difcrimine deftituiffet. Non fuit, itàque Petrus Romæ. Nos hìc dicimus, Paulum de his fuiffe locutum, qui fibi pridem miniftrarunt, de quibus, & paulò antè conqueritur: Demas, inquit, me reliquit, amplexus præfens feculum, & profectus eft Theffalonicam, Crefcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. An non erat ex eorum numero Petrus, à quibus ipfe Paulus tale minifterium expectauit? habuit enim Petrus negotia fua. Curam egit gregis fui. Et iàm fortè vidit inftare tempus, quo maximè confirmari deberent in fide, ne metu conflernarentur, & à fufcepto Chriftianifmo deficerent, cum ipfum Paulum, nempè tantum Apoftolum, audirent fifti Cæfaris tribunalibus. Adde quòd fatis ipfe nouit Pauli facundiam, nec de eius conftantia quicquam dubitauit, fed & perfuafiffimum habuit Spiritum ei non defuturum. His, aut alijs fortè rationibus permotus Petrus, vtilius forè duxit, vt non deeffet gregi fuo (quem Chriftus ei tantopere commendauit) quàm, quòd ftudio

dio Pauli (quem, vel Spiritu fortè prænoſcit pro Chriſto moriturum) gregem ſibi commiſſum periclitari ſineret. Intellexit ergo Paulus, cum ſe derelictum fuiſſe quęreretur, vel de his, quos ex Iudæa ſecùm aduexerat, vel de alijs, quibus in negotijs ad ſe ſpectantibus familiariter vti conſueuit. Sed de Petro nequaquam, quippè, qui nunquam ei ſolitus fuit adhærere. Et dixit, omnes, more ſuo loquendi, cum certum ſit, non omnes eum deſeruiſſe. Sic enim, & alibi dixit: Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti; cum ſciret eſſe nonnullos, qui ſatis ardenter Chriſtum quærerent, nempè Petrum, Iacobum, & Ioannem. Et ad eundem modum hoc loco dicit: Omnes dereliquerunt me. Cùm tamen Lucas eum, haud quaquam deſeruiſſet, id quod in eadem epiſtola teſtatur: Lucas, inquit, eſt mecum ſolus. At Lucas, inquis, nihil iuuare Paulum in ſua defenſione potuit. Potuit haudubiè, quandoquidem, & alibi de eo ſcribit Paulus, quòd eſſet laus eius in Euangelio, per omnes Eccleſias. Et rurſùm in epiſtola ad Philemonem, Marcum, Ariſtarchum, Demam, & Lucam, vocat auditores ſuos.

PERSVASIO XIII.

Notum eſt Lucam Euangeliſtam, & Apoſtolicarum actionum hiſtoriographum, indiuulſum totius peregrinationis Paulinæ fuiſſe ſocium, quem ille filij ſemper dilexit loco, honorificamque eius mentionem plerique facit in locis dicens, illius maximam laudem in Euangelio fuiſſe. Nàm cum omnes etiam à Paulo defecerint, hic ſolus nunquam ei non adhærebat, non minis, non vinculis, non ſexcentis perſecutionibus perterritus. Cuius hiſtoria ad hæc vſque tempora, quibus Paulus vinctus è Hieroſolymis Romam perductus, ibique in conducto à milite cuſtoditus eſt, peruenit. Veluti eius rei capite vltimo copioſè meminit, quomodò videlicet Paulus Romam perductus fuerit, quomodò fratres, qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appij forum ei obuiam venerint, quomodò trium dierum ſpatio euoluto, Iudæos ad ſe accitos habuerit, quomodò colloquutus cum eis fuerit, quomodò eos confutauerit, & ſingula ordinatim proſequitur. Nullam tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuiſſet toto hoc biennio, vel quid rerum Petrus Romæ fecerit interim, dum Paulus verbum Dei ardentiſſimè illic tum prædicaſſet. Et tamen tunc temporis hanc hiſtoriam fuiſſe ſcriptam creditur, quando Paulo Romæ in catenis degenti, ille intrepidè miniſtrauerat, qui vſque adeò Pauli ſtudioſus fuerat, vt quicquid hactenus de eo comperterat, cuncta in ſuam hiſtoriam diligentiſſimè congeſſerit, etiam Hieronymo de viris illuſtribus atteſtante: Lucæ, inquit, hiſtoria vſque ad biennium Romæ commoranti Paulo peruenit, ideſt, vſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem Vrbe librum eſſe compoſitum. Igitur viſionem Pauli, & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, vt indiuiduus comes Apoſtoli inter cæteras eius res hoc ſolum ignorauerit? Hactenus Hieronymus. At quid hoc nonne non ſolùm Apocryphum, ſed pluſquàm falſiſſimum erit Petrum Romam ſecundo Claudij anno veniſſe, ibique vigintiquinque annis Epiſcopatum tenuiſſe? Cuius Lucas in tam præſtantiſſima, diligentiſſimaque hiſtoria nullam mentionem facit, qui dubio procul, ſi tunc Romæ fuiſſet, non hoc toto biennio otioſus complicatis, vt dicitur, manibus illic ſediſſet, vel ſaltem non ſic delituiſſet, quin à Paulo, vel Lucas conſpici, inueniri que interdum potuerit.

Calumnia tredecima ſumma.

Lvcas Euangeliſta, geſtorum Apoſtolicorum ſcriptor, & totius peregrinatonis Paulinæ comes indiuulſus (cuius hiſtoria ad ea tempora, quibus vinctus è Hieroſolymis Paulus Romam per ductus, ibique in conducto à milite cuſtoditus eſt, peruenit) copioſè meminit, quomodò fratres, qui eo tempore Romę fuerant, ad Appij forum, Paulo venerint obuiam, quomodò trium dierum euoluto ſpatio, Iudæos ad ſe accitos coràm habuerit, quomodò collocutus cum eis fuerit, & eoſdem confutaurit; ac ſingula proſequitur ordinatim. Nullam tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuiſſet hoc biennio toto, vel quid rerum Petrus Romæ feciſſet interim, dum Paulus ardentiſſimè Dei verbum ibidem prædicaſſet? Id quòd hauddubiè, nec Lucas ſiluiſſet, nec prætermiſiſſet Petrus, modò tunc fuiſſet Romæ.

RESPONSIO.

Hæc calumnia ſi roboris alicuius eſſet, æqua facilitate colligerem, alia plurima nunquam eſſet facta, quæ tamen reuera fuerant. Quid enim Lucas de ijs, que toto illo biennio Paulus egit, memorat, niſi ſummatim & quàm pauciſſimis verbis? Manſit, inquit, Paulus biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipſum, prædicans Regnum Dei, ac docens, quæ ſunt de Domino Ieſu, cum omni fiducia, nemine prohibente. Hactenus ipſe Lucas.

Neque aliud quicquam de toto hoc biennio narrat. Nihil de illis omninò dixit, quos ex domo Cæſaris magna ſibi neceſſitudine coniunxit Paulus, quorum etiam nomine Philippenſes auſus eſt ſalutare: Salutant, inquit, vos omnes ſancti, maximè autem, qui ex Cæſaris domo ſunt. Nihil de literis, quas certum eſt Paulum ex conducto ſuo miſiſſe varijs Eccleſijs, nempe Galatarum, Epheſiorum, Philippenſium, Coloſſenſium, quas adhuc orthodoxi maxima veneratione legunt. Nihil de Pauli raptu ad prætorium, aut de ſua defenſione, cum tamen Paulus ad Philippenſes teſtetur, vincula ſua manifeſta facta fuiſſe in toto prætorio cæteris omnibus. Quamobrem ſi negatiuum argumentum quicquam valeret, nihil horum aliquando fuiſſe

pari efficacia conuinceremus, Sed vt propius ad rem veniamus, eadem calumnia paucis monstrabimus, Petrum Antiochiæ fuisse nunquam. Quod tamen falsissimum esse, Paulus ad Galatas apertissimè docet. Cum venisset, inquit, Petrus Antiochiam, palàm ei restiti. Nam antequam venissent quidam à Iacobo, vna cum gentibus sumebat cibum. Cum autem venissent, subduxit se, ac separauit se ab illis, metuens eos, qui erant ex circumcisione, ac simulabant vna cum illo cæteri quoque Iudæi, adeò vt Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem. Verùm vbi vidissem, quòd non recto pede incederent ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu cum sis Iudæus, gentiliter viuis, ac non Iudaicè, cur gentes cogis Iudaizare? Ecce quomodo Petro cum Antiochiæ fuerat, palàm restitit ei Paulus, & qua ratione. Cæterum de ijs Lucas ne verbum quidem scripsit, Quamobrem, & iuxta cauillum tuum numquam fuisset Antiochiæ Petrus. Sed Hieronymus eiusmodi sophistas, qualis Velenus est, præuidens, hunc locum in epistola ad Ephesios tractans, his prosternit verbis: Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit. Et paulò post: Denique primum Episcopum Antiochię Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exindè translatum; quod Lucas penitùs omisit. Perperam igitur aduersarius colligit, non fuisse Romæ Petrum, quòd Lucas de præsentia eius nullam fecerit mentionem. Ad hæc, omnes testantur, Ephesi Ioannem sedisse, vbi & rogantibus eum Asianis Episcopis, Euangelium suum scripsit. Verumtamen cum sæpiùs Ephesum venisset Paulus, ibique triennium, vt acta perhibent, fuisset commoratus, nihil vnquam Lucas meminit, an vel alloquio suo Ioannes Paulum aliquando fuisset dignatus hoc toto triennio, vel quid rerum Ioannes Ephesi fecisset, interim dum Paulus ardentissimè Christi verbum illic deprædicasset. Quis iam non perspicit, quàm ineptissimè dialecticatur Velenus noster, colligere molitus, Petrum numquam Romæ fuisse, ex eò quòd Lucas aduentum Pauli Romam, describens, nullam de Petro fecisset mentionem, Sed heus, bone Velene, legisne apud Lucam vltimo capite, quòd cum audissent fratres de Paulo, prodierunt in occursum eius vsque ad Appij forum, ac tres tabernas. Et qui scis, an inter istos fuisset Petrus, præsertim cum indiscriminatim omnes appellari fratres consueuerunt? Sed inquies: Tum expressisset Petrum nominatim. Nihil oportet. Nam & alios possum commemorare tibi locos, quibus ità non facit, Sed neque deinceps ad finem vsque libri cuiusquam alterius, præterquam vnius Pauli, nomenclaturam apposuit, cum non sit dubium viros egregios, & insignes in ea nihilominus fuisse multitudine. Sed iam abundè satis enervatur ista calumnia.

PERSVASIO XIV.

Circiter vigesimumseptimum post Ascensionem Christi ad Patrem, ac Neroniani imperij quartum, aut quintum annum, Petrum Romæ nondum fuisse, id iam tàm manifestum, quàm quod manifestissimum est, Sed quia neque vltimo Neronis anno, hoc est, post passionem Christi, & eius ad paternis dextram ascensionem trigesimoseptimo, illuc venire potuerit, hoc deducitur. Quoniam Paulus è manibus Neronis elapsus, in Hispaniam, vt Lyra, & alij quidam volunt, & partes Occidentis iter adornauerat. Eius enim intentionis Apostolum fuisse, etiam cum Romanis literas scripserat, certum est. Peractis autem ibi decem annis rursum ad Neronis manus deuenit, & mortem accelerare videns, scripto Timotheum commonefacit, vt assumpto secum Marco Romam sese recipiat, eò quòd præter Lucam nullus iam ei residuus fuerit collega. Sed quomodo tuis dictis, mi Paule, fidem habere potero, cum tota hæc Romana colluuies, à secundo Claudij anno vsque ad finem imperij Neroniani, Petrum perpetuò Romæ durasse exerta voce proclamet? Qui ergo fieri potuit vt solus cum Luca Romæ fueris? O Doctor Gentium, facilè id tuæ credo veracitati, Petrum Romæ numquam te vidisse, & alijs recedentibus, solùm cum Luca remansisse. Nihil me mouent verba sacræ Scripturæ tyrannorum, qui Christum, ac tua dicta adulterare, fœdissimèque prostituere in delicijs habent. Cæterum eadem epistola scribit: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit: det illis Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die, Non obscurum est ex his verbis, quantæ gratitudinis erga eos fuerit Apostolus, qui officium aliquod in eum contulerint, vt non possit hic satis gratulari, ac suum gaudium verbis exprimere, quod ei conciliauerat Onesiphorus suo aduentu, qui peregrè veniens, non tamen conquieuit, donec hunc inuenisset. Potuit certè Onesiphorus hic à Petro, si tunc fuerat Romæ, certior effici, quo locorum Paulus Romæ sese continuerit, & liberatus fuisset multùm anxia illa sollicitudine, qua Paulum hinc, indè per Romam discurrendo inuestigauerat. Mirum, si Paulus neminem prætetit, à quo aliquod persentiscerit beneficium, quòd Petrum Romanum, vt aiunt, incolam, suum numquam scribit aduisitasse carcerem, quem tamen amantissimum sui semper habuerat fratrem, nempè à quo in Catholica illa sua Paulus charissimus nominatur frater. Quamobrem verissimum est ad vltimum vsque Neronis annum Petrum Romæ non fuisse, cum neque salutere iubens Timotheum, fratrum, qui Romæ tunc aderant, nomine, Petrum admemoret. Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes; non video, cur ex industria supprimere Petri nomen voluisset, cuius alioqui semper fuerat obseruantissimus. Quomodo idcirco viginti & quinque annis Romæ egit? quomodo à Nerone passus est, cum nec sub eius imperio venire quoque illac potuerit.

Calum-

Calumnia quartadecima summa.

IN secunda ad Timotheum epistola, commonefacit eumdem Paulus, quatenus assumpto secum Marco Romam sese recipiat, eò quòd præter Lucam, nullus iam ei residuus esset collega. Quod sanè verùm esse non potest, modò Petrus fuisset Romæ. Sed neque Timotheum salutere iubens fratrum nomine, qui Romæ tum fuerant, Petrum admemorat, cum alioqui Paulus Petri fuerat obseruantissimus, & is viciſſim in catholica illa sua, Paulum chariſſimum nominauerat. Debuit itàque, vel ob hanc rationem, Petrus humanitatis aliquod officium exhibuiſſe Paulo, atque is viciſſim illius officij meminiſſe, cum ad Timotheum scripſerit; quemadmodum, & meminit Onesiphori, quod se studiosius Romæ quæsierit, quæsitumque tandem inuenerit.

RESPONSIO.

PErgit Velenus in sua consueta dialectica, subinferre studens, Petrum ex eo Romæ non fuisse, quòd cum Paulus datis ad Timotheum literis, à nominatis aliquot fratribus ei salutem diceret, nihil omninò de Petro sit locutus. Sed hanc futilem dialecticam nos ante sæpiùs explosimus. Neque enim eum ad Ephesios, vt ante diximus, ipse Paulus scriberet, quamquam præsentem habuiſſet Timotheum, quem & illis ante præfecerat, nequaquam tamen eius nomine salutauit eosdem, sed neque ipsius vllo verbulo meminit. Quòd autem in illa epistola, potius Onesiphori, quàm Petri meminiſſet, in causa fuit, quod ille eum Ephesi domicilium habuerit, vbi & Timotheus est commoratus, sed & fuerat vtrique valdè familiaris. Porrò Timotheus, an Petro notus fuiſſet, obscurum est, eum ille non ante fuerat circumcisus, quàm Petrus ex Iudæa commigraſſet. Nam post Barnabæ à Paulo separationem, venit Timotheus in notitiam Pauli, vt in Actis 16. capite traditur. Sed iam reliquum est, vt priorem huius calumniæ partem diluamus, in qua recenset aduersarius, dixiſſe Paulum, quòd præter Lucam, nullus iam Romæ residuus ei collega fuerit. Vnde & colligere molitur, nec Petrum fuiſſe Romæ. Nam si Romæ fuiſſet Petrus, Paulus eum haud dubiè collegam habuiſſet. Cæterum Paulus nequaquam Id dixit, nempè se non habuiſſe collegam Romæ, sed ità, Lucas mecum est solus. Quid verò per hæc verba Paulus intelligi voluit, iam disquiramus.

Primùm, non intellexit, quòd nulli tum fuiſſent alij Christiani Romæ, præter sesipsum & Lucam. Neque enim credibile est, cum tanta multitudo iampridem ad Christum fuiſſet conuersa, quam rem & Palus ipse testatur ad Philippenses, quòd iam omnes essent auersi, & prorsùs ad vnum à fide defeciſſent. Nam si Romæ fuerat collecta Ecclesia Christi, priusquam ibi Paulus prædicaſſet, vt & fuiſſe compertiſſimum est, nemini dubium esse potest, quin per eius præsentiam, & viuam prædicationem, eadem facta sit confirmatio.

Adde, quòd nec eius temporis Ecclesia decrescere facilè potuit, cum vt Hilarius 7. de Trinitate testatur: Hoc habet proprium Ecclesia Christiana, vt dum persecutionem patitur, floreat, dum opprimitur, crescat, dum contemnitur, persistat, dum læditur, vincat, dum arguitur intelligat, tunc stat, cum superari videatur. Hæc Hilarius.

Superfuit igitur, quando Paulus secundò Romam aduenit, Christianorum illic aliqua multitudo. Sed nec ista multitudo pastore caruit, quem & sub se multos habere coadiutores necesse fuit. Vides igitur, vt Paulus istos non exclusit, cum dixerit: Lucas mecum est solus. Cæterum nec ijs verbis, recentiores quosdam exclusit comites. Nam vt in eadem epistola testatur, tum præsentes habuit Eubulum, & Pudentem, Linumque, & alios fratres. Sic enim in epistolæ suæ calce scripsit: Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Pro veteribus, atque comitibus locutum fuiſse Paulum oportet, cum dixerit, Lucas mecum est solus. Nam & ipsos ante nominauit. Demas, inquit, me reliquit, amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicam, Crescens in Galaciam, Titus in Dalmatiam, Lucas mecum est solus. Liquet igitur aduersarium hoc sophisma, sicut & cætera priora de nihilo struere fuiſse conatum.

PERSVASIO XV.

PRæter epistolas iam dictas Pauli è Roma missas, sunt quædam aliæ familiariores responsiuæ epistolæ ipsius ad Senecam, Neronis Imperatoris præceptorem scriptæ, quas ego nonnullis argumentis, tunc fuiſse scriptas arbitror, cum Paulus secundò iam Neroni præsentaretur.

Primùm, quia iam Nero Cæsar furibundus, atrox, petulcus, adulter, & omni propè vitiorum contagio fuerat pollutus, quod de priori eius quinquennio nullus credere potest.

Secundò, quia id temporis Paulinæ quędam epistolæ, quas, vbi in priori captiuitate Romæ teneretur, ad quasdam Ecclesiarum scripserat, ad manus Senecæ iam tunc deuenerant, ex quibus ille nonnihil profecit; quod priori biennio, quo Romæ tenebatur Paulus, fieri non potuit.

Tertiò, quòd Seneca in vna epistolarum ad Paulum descriptarum, Romani incendij à Nerone facti meminit, quod ad finem, declinante Neronis imperio, factum est, cum Orosius non ità multò post Petrum, & Paulum communi mendacio deceptus, à Nerone martyrium passos, scribat. Et sequenti mox autumno, pestilentiam Romæ obortam, adeò magnam, vt vno autumno ad triginta millia hominum vita decesserint, quam pestilentiam Neronis imperio decrescente factam, Suetonius in vita ipsius designat. Illis itaque ambobus Romæ degentibus, Paulo in carcere, Seneca in regia Neronis, cum alter de altero magna sibi polliceretur, & neuter neutrum alloqui potuiſſet, vel quod indè vtrique immineret periculum (quandoquidem lege cautum fuerat, ne quispiam Christianum, aut

Iudæum

Iudæum alloqueretur) vel quod Senecæ non fuerat integrum, Paulinum carcerem aduisitare, ne quid exinde tyrannum offenderet, aut ipse quoque conijceretur in carcerem. Quapropter epistolis hanc colloquendi sarciebant penuriam, & quidem mutuum amorem vtrinque præ se ferentibus, neuter tum Petri alicubi meminit, qui vigintiquinque annis iam tum Romæ agere debuerat, nondum tamen fuerat Senecæ doctissimo, in Christianosque benignissimo homini cognitus, cui proculdubio nonnihil gratificatus fuisset, si quod Paulus ob carceris impedimentum non poterat, ipse eius desiderio satisfecisset, & de Christo secum confabulatus, in numerum Christi fidelium asseruisset. Quod Paulus etiam facere debuit, vt ablata sibi Senecam alloquendi copia, eum ad Petrum nulli Apostolorum postponendum relegaret, qui nihilo deterius fidei Christianæ primordia ei tradiderit. Sed quis, ni forte exoculatus, non videat omnia hic repugnare pestiferæ huic opinioni, quòd Petrus Romam vnquam venerit à Nerone passurus, cum tot rationibus conuincatur, ad vltimum vsque Neronis imperij annum, Petrum Romam nunquam venisse, tantùm abest, vt martyrium ab eo passus fuerit. Nam legitur, & in ea, quæ tertia est Senecæ ad Paulum epistola, quòd eius plurimum rei causa Nero Apostolo fuerat indignatus, quòd à ritu, & secta pristina Iudæorum, qui pharisæus olim fuerat, non solùm ipse recesserit, sed & alijs hoc suaserit faciendum. Quod planè Petrus prior Paulo Romę facere debuerat, si tot annis ante aduentum in vrbem ipsius illic resederit.

Calumniæ quindecimæ summa.

IN epistolis insuper illis, quæ Pauli, & Senecæ nominibus inscribuntur, nulla prorsus fit mentio Petri. Sed & in ea, quæ tertia est Senecæ ad Paulum, legitur, quòd eius rei causa Nero plurimum indignabatur Paulo, quòd à ritu, & secta pristina Iudæorum (qui pharisæus olim fuerat) non solùm ipse recesserit, sed & alijs hoc suaserit faciendum. Quod planè Petrus prior Paulo facere debuerat, si tot annis ante aduentum ipsius in vrbem illic resedisset. Quare nec Romæ prior fuit Petrus.

RESPONSIO.

NEc vllius ponderis hanc calumniam esse, manifestissimum est, non modò quòd ex negatiuis ipsa procedit, verùm etiam, quòd epistolæ dictæ, vel eruditissimorum censura, negantur à Paulo, Senecaque conscriptæ. Testatur hoc in primis Erasmus, cuius vnius in hac parte iudicium, aduersùs alios mille, mihi sufficeret. Sed fingerem ità se habere, quòd illorum essent hæ epistolæ. Quid in eis quæso continetur, quod cum nostro pugnet instituto? Numquid si Paulo, quia pharisæus fuerat, & sectam reliquerat pharisaicam, Nero succensuit, propter hoc debuit, & Petro succensere, qui pharisæus non erat, neque talis vnquam sectæ cultorem se profitebatur?

Sed Iudæus, inquis, erat Petrus. Esto. Neque iam negaret se Iudæum esse, quamquam Christianus esset factus, cum & Christianus quisque multò verius Iudæi nomen teneat, quàm is, qui solùm carnaliter est Iudæus. Sed vnde quæso compertum est cuius, quòd non similem aduersùs Petrum Nero concepisset indignationem? Num epistola Senecæ palàm id negat? Audiamus epistolam, quæ sic habet: Seneca, & Lucilius Paulo. Nimis tuo angimur secessu. Quid est, vel quæ te res remoratum faciunt? Si indignatio Domini, quòd à ritu, & secta veteri recesseris, & alios rursùs conuerteris, erit postulandi locus, vt ratione factum, non leuitate, hoc existimet. Vale Paule charissime. Hæc est illa videlicet epistola tam eximia, vt Senecæ, & Lucilij nomine digna sit, quæ ad Paulum scribatur. Quæ certè nec affirmat, quòd Nero sit aduersùs Paulum indignatus. Sed vt hoc affirmarit, non negat tamen, quin pariter & aduersùs Petrum verè succensuerit. Et tamen, ex hac epistola molitur aduersarius ostendere, Petrum non fuisse Romæ.

PERSVASIO XVI.

NEminem adeò hebetem, ac stupidum puto, quin intelligat Petrum non modò Romæ passum non fuisse, sed nec eum fuisse illic quidem. Et ne quis moueatur inuerecunda illa Romanæ Curiæ voce tot testimonia proferentis, perpendat secum, quàm item de passione Petri, & Pauli alterutrum conueniant auctores, Ambrosius sermone illo 17. de Petri & Pauli martyrio differens, dicit: Vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam; & hæc cum multis alijs communis est ei opinio, immò totius Romanæ Ecclesiæ in eorum solemnitate decantantis: Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ità & in morte non sunt separati. Falsa vero esse hæc, passiones vtriusque sub nomine discipulorum Pauli confictæ produnt, dum neque cum istis, neque secum conueniant. Quod enim hic dicitur, vna die eos passos fuisse, id Linus apertissimè negat, & hoc varia quidem ratione, quas ego ob prolixitatem huc non adduco, verum lectorem ad passiones illas per commentitium Linum descriptas, & à Iacobo Stapulense latinitate donatas remitto Dionysius verò, non ille Pauli discipulus, sed nescio quis mendacissimus nebulo, priori opinioni subscribit. Sed numquid, & vno in loco passos concorditer omnes scribunt? hic vide mendaciorum portenta. Quidam enim hoc fatentur ingenuè, cãtante etiam Romana Ecclesia, nec in morte eos fuisse separatos, sed sicuti vna die, ità in vno loco morti fuisse traditos. At Linus Petrum in loco, qui Naumachia appellabatur, cruci præpostere affixum scribit: In quo autem Paulus ceruicem amiserit, non meminit: Sed hoc vno satis testatur noluisse se dicere, vno in loco passos, cum alios apparitores, & carnifices, alios mortis spectatores eorum vtrique assignet. Porrò Dionysius ille, apertis verbis ab eorum diuariat sententia, nam inquit, cum ad mortem ducerentur, & ab inuicem separarentur,

Pe-

Petro dixisse Paulum: Pax tecum, fundamentum Ecclesiarum, & Pastor ouium, & agnorum Christi. Deinde quòd Neronis edicto ambo ad exitium peruenerint, ne hic quidem consentiunt. Nam cum omnes eius rei Neronem pronuncient auctorem, solus tamen Linus Agrippam Petrum interimere imperasse testatur. Scribit namque quòd Petro Romæ degente,multæ sexus fœminei monitu Petri, illecebris luxuriæ abrenunciauerunt, inter quas Agrippæ concubinæ quatuor fuere, quarum continentia indignationis materiam Agrippæ præbuerat, ita vt Petrum cruce interimere iusserit, hac de re quamuis tota Roma tumultuaretur, Imperatore tamen nihil sciente. Et multa sunt figmenta, quibus illi mutuò diffident, dum nihil certi super ea re pronunciare nouerunt, quæ ibi ergo fides, vbi nulla est concordia? Nam vel hoc solum diffidium mendacium eorum prodit,nec dum vnum vidimus arbitrum, qui hanc intolerabilem inter eos litem derimere aliquando ausus fuisset.

Historiæ enim,quam de Nerone quidam nobis reliquerunt, in securum est credere, vt iam Iosephi adscripsimus verba; Immò res profectò miranda, quod Iosephus ipse, qui à Vespasiano, expugnata Hierosolyma, Romam perductus est, ibidemque agens, Domitiani ferè superauit tempora; & historiam Iudaici belli in vrbe conscribens, Vespasiano, eiusque filio Tito nominatim dicauit, in eaque à Nerone interemptorum, vt etiam aliàs in Antiquitatibus meminit, nec vllam mentionem de Petro, ac Paulo facit, qui tamen erga Christianos fauentissimus fuerat, & arrepta occasione, non sine honoris procemio eorum solebat meminisse, velut Ioannis Baptistæ in Macheronta castello obtruncati, libro Antiquitatum duodeuigesimo. Et Iacobi Apostoli fratris Christi Iesu, ac Hierosolymitanorum presbyteri, lib. 20. idpropter crediderim ego vitæ exitum Hierosolymis vna cum Iacobo, & quibusdam alijs Petrum accepisse, siquidem Iosephus & alios nonnullos tunc temporis cum Iacobo, ab Anano Iudæorum Pontifice interfectos scribit. Nam & ipsa reclamat ratio, Petrum vna die interitum cum Paulo habuisse, qui à Christo vocatus, vxorem & liberos, immò socrum, quam Christus à febre vexatam pristinæ sanitati reddidit, habuisse legitur; & omnium Apostolorum habebatur annosissimus, vtpotè cuius caniciem Paulus, vt Athanasio placet, reueritus, post tres conuersionis suæ annos, eius videndi gratia Hierusalem accessit, cum tamen ipse adolescens adhuc fuerit, vt habetur Act. 7. Attamen in Euangelica functione tamdiù versatus est, vt ad discipulos vnicè sibi dilectos scribens,ætate se iam confectum aliquoties fateretur. Quis se commitat labyrintho huic inextricabili,quem vobis tortuosissimis suis opinionibus, velut muscipulas quasdam adornant scriptores? nec quippiam tam certi alicubi occurrit, quo ceu filo quodam ducti ad exitum earum perueniamus.

Calumniæ sedecimæ summa.

Scriptorum dissidia planè docent, nec Petrum fuisse passum Romæ, cum neque de tempore, neque de loco conueniant. Ambrosius primùm, sermone 67. scribit,eos vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerasse sententiam. Linus contra, non vna die passos fuisse contendit, & quamquam locum, quo Petrus mortem oppetijt, exprimat, in quo tamen Paulus ceruicem amiserit, non meminit. Sed hoc vno satis testatur, noluisse se dicere vno in loco passos, cum alios apparitores, & carnifices, alios mortis spectatores eorum vtrique assignet. Porrò Dionysius apertis verbis ab eorum diuariat sententia. Nam is ait, cum ad mortem ducerentur, & ab inuicem separarentur, Petro dixisse Paulum: pax tecum fundamentum Ecclesiarum, & pastor ouium, & agnorum Christi. Cæterum nec de iudice consentiunt. Nam quidam Neronis edicto ambos ad exitum peruenisse contendunt. Linus tamen, Agrippæ testatur imperio, Petrum cruci fuisse affixum. Sed neque Iosephus, qui Romæ suam conscripsit historiam, & multorum à Nerone peremptorum meminit, vllam de Petro, Pauloue mentionem facit, qui tamen erga Christianos erat fauentissimus, & scriptis necem tam Ioannis Baptistæ, quàm Iacobi fratris Domini mandauit. Adde quòd, & ipsa reclamat ratio,Petrum simul cum Paulo diem eumdem obijsse. Nam Petrus, quando à Christo vocabatur, vxorem habuit & liberos, immò socrum, & omnium Apostolorum annosissimus habebatur, vtpotè cuius caniciem Paulus, vt Athanasio placet,reueritus, post tres conuersionis suæ annos eius videndi gratia, Hierusalem accessit,cum ipse tamen adolescens adhuc fuerit, vt Act. 7. habetur, & post id in Euangelica functione tamdiù versatus sit, vt ad discipulos vnicè sibi dilectos scribens, ætate se iam confectum aliquoties fateretur. Ob quas rationes opinari se dicit aduersarius, non Romæ, sed Hierosolymis Petrum fuisse passum, & eodem tempore, quo Iacobus Hierosolymitanorum Episcopus vitæ suscepit exitum. Nam Iosephus,& alios nonnullos tunc temporis cum Iacobo ab Anano Pontifice scribit interfectos.

RESPONSIO.

Intelligis lector, vt hæc calumnia non est simplex, sed varia continer in se sophismata, quibus & iam per ordinem respondebimus. Et primùm ad illud, de scriptorum discordia, putamus nos abundè satis dixisse superius,vt quamquam inter eos de tempore, & loco,& iudice variatum fuerit, quia tamen in hoc nullus eorum alteri non subscripserit, nempè quòd Romæ Petrus, & Paulus occubuerint, oportet eos consensu omnium, aliquando Romæ fuisse. Sed & minima debet putari discordia, quæ fit ob vnam diem, id, quod ei, qui vel aliquot historias legerit, est notissimum. Adde, quod si scriptorum varietas ob vnam diem, fidei rei gestæ queat de-

derogare, nec Chriftus ipfe crucifixus credetur. Nam veteres aliquot, inter quos & Tertullianus eft, Chryfoftomufque, & Cyrillus, 7. Calendas Aprilis id factum afferunt. Nicera vero, & ipfe Græcus auctor, 10. Calendas Aprilis. Theophilus Cæfarienfis, 11. Calendas Aprilis. Victorinus Lenionicenfis, vt Beda tradit, 7. Calendas Aprilis. Rogerus Bachon, & ipfe fcribens ad Clementem Papam, non aliquo Calendarum Aprilium, fed die tertio Aprilis colligie Chriftum fuiffe crucifixum. Ecce, quanta fir ob diem paffionis Chrifti varieras inter fcriptores. Quamobrem fi fcriptorum varieras detrahere fidem hiftoriæ poffer, nec Chriftum fuiffe crucifixum exiftimabimus. Cæterum nec iftud aduerfario concefferim, quòd tanta fir inter auctores hac de re controuerfia, quanram ipfe prætexit.

Nam femel & iterùm vtriufque Apoftoli vitas, quas à Lino fcriptas, Faber latinitate donauit, perlegi, nec vllam inter Ambrofium, & Linum difcrepanriam inuenio, præterquàm de Iudice, de quo mox videbimua. At quantum ad diem, quicquid Faber in præfatione dixerit, nihil apud ipfum Linum variatum lego. Sed nec quantum ad locum. Nam cùm diuerfum ipfe Linus locum baud exprimat, nec ex ipfo pores aftruere diuerfo Ioco fuiffe necatos. Sed pone diuerfa fuiffe loca particularia, nihil ramen id Ambrofio reluctatur, cùm ipfe de loco generali, nempè Roma fuiffet locutus. De iudice verò quid vetat ab Agrippa morti Petrum adiudicari, & tamen idipfum edicto Neronis fuiffe factum? Sed nec Dionyfius cæteris quicquam aduerfatur. Quid enim, fi verba quædam ab Apoftolis mutuò fibi dicta, Dionyfius memorat, quæ tacent alij, num ob id alijs erit ipfe contrarius? Neutiquam id confequitur.

Sed iam veniamus ad Iofephum, qui licèt duorum, qui ad Chriftum attinebant, hoc eft, Ioannis Baptiftæ, & Iacobi fratris Domini, necem non tacuerit, de Stephano tamen, & altero Iacobo, cæterifqua compluribus locutus eft nihil. Sed & hic non fatis aduerfarij vafriciem, nefcio dicam, an malitiam potiùs, mirari poffum, qui, cùm opinarur Petrum Hierofolymis fub Anano Pontifice cum Iacobo, cæterifque compluribus extinctum fuiffe, nec ex eo quicquam oftenditur, quòd Iofephus Petri nomen fuppreflerit: & tamen hoc loco ram exactè requirit, & vrget, vt iam fubtiecri nequaquam debuiffer. Porrò, quod dicit, rationem ipfam reclamare, quòd Paulus vna die cum Petro mortem fubijffet, cùm alrer effet adolefcens, alter annofiffimus. Si de morte naturali fermo foret, non admodùm reluctarer, fed cùm de violenra nece loquimur, quid prohibet, quo minùs eodem tempore ambo fuiffent paffi? Quandoquidem & vterque pro naturę curfu diutiùs adbuc vixiffe potuerat.

Cæterùm & illud rifu digniffimum eft, quòd aduerfarius Petrum opinarur Hierofolymis faro conceffiffe, id quod nemini fcriptorum vnquam in mentem ante venerat. Euoluantur omnium hiftoriæ, quas ad hunc vfque diem confcriptas quifquam norit, legantur interpretes, difcutiantur commentarij, nemo penitùs inuenietur, Græcus, aut Latinus, doctus, aut Indoctus, quem non puduit fingere tam infigne mendacium. Sed & vfque adeò cæcuit aduerfarius, vt non aduerrat, quomodo priores calumniæ fermè omnes in fuum caput retorqueantur. Nam prima, quæ diffidio nititur hiftoricorum, præfens aduerfarij commentum facilè tollit. Nam fi quorumdam hiftoricorum mutua inter fe contradictio alicuius hiftoriæ fidem eneruet, quid putabimus, vbi concorditer omnes contradicunt, quemadmodum & hoc loco fieri compertiffimum eft? omnes enim vna voce reclamant, alibi Petrum occubuiffe, quàm Romæ. Secunda etiam idipfum refellit. Nam prope finem eius colligitur, fub Vefpafiano Petrum haud quaquam obijffe. Quia nemo fcriptorum hactenùs hoc, vel dixiffe, vel fcripfiffe compertus eft.

Quæ collectio, cur non æquè valebit hoc loco, cùm nullus vnquam Scriptor, aut dixerit, aut fcripferit, fed ne fomniauerit quidem, Petrum Hierofolymis exitum habuiffe? At prolixum foret fingulas retorquere calumnias. Et fexta molitur, quod cùm iam Roma Narciffum habuerit Epifcopum, nihil opus effet habere Petrum, hominem veteranum, & defectum viribus. An non pari modo fubinfertur? Cùm Hierofolyma Iacobum & Apoftolum, & Epifcopum haberet, quid opus fuerit, fimul habere Petrum, nempè veteranum, & defectum viribus? Sed veniamus ad 13. Lucas, inquit, qui diligentiffimè fcripfit aduentum Pauli Romam, & quomodo fratres ei veniffent obuiam, nihil de Petro meminit. Quamobrem nec Romæ tum Petrus erat. Numquid non æquè colligitur, Petrum haud quaquam fuifse Hierofolymis, quando Paulus illuc poftremò concefserit? Nam idem Lucas, in hoc aduentu, Iacobum & cæteros fratres prolixum cum Paulo fermonem habuifse teftatur? cùm tamen de Petro nulla facta fit mentio.

Adde, quod hoc mendacium longè deterioris conditionis Petrum facit, quàm aliorum Apoftolorum quemlibet, cùm ramen ipfe princeps omnium fuerit. Nam de cæteris fermè omnibus certum eft, quòd eorum corpora magna veneratione à Chriftianis habeantur, & in eis præfertim locis, vbi ipfi velut Epifcopi præfuifsent aliquando. At iuxtà hoc mendacium nefcitur vbi locorum Petri corpus iam fuerit. Sed neque vfquam in terris certò veneratur. Nam fi Romæ non occubuerit Petrus, non eft id corpus Petri, cui tantus honor à Chriftianis impenditur, nifi quifquam certò pofset docere, quomodo tranflatum ipfum fuifset Romam. Adde, quòd cùm de cæteris Apoftolis Ecclefia compertum habuerit vbinam occubuifsent, abfurdiffimum eft, vt per tot fecula putetur ignorafse, quo loco Princeps Apoftolorum Petrus martyrio viram finierit. Cęterùm vt expendamus Iofephi teftimonium, vnde tam leuem aduerfarius acceperit coniecturam. Sic capit. 21. poftremi libri de antiquitatibus habetur. Ananus Pontifex fe credens inuenifse tempus opportunum, Fefto mortuo, & Albino in itinere conftituto, Concilium fecit Iudicum, & quofdam deducens ad femetipfum, inter quos & fratrem Iefu, qui dicitur Chriftus, nomine Iacobum, quafi contra legem

gem

gem agentes accusans, tradidit lapidandos. Hæc Iosephus.

Ecce vides hic lector, nullam omninò Petri factam mentionem; quod argumentum aduersario satis efficax ante videbatur, quo colligeret, numquam fuisse Petrum occisum Romæ. Nempè quia necis eius Iosephus, Christianis alioqui fauentissimus, nihil meminisse, saltem nominatim. Adde, quòd cùm de lapidandis Iosephus loquatur, nihil hoc ad Petrum, qui Crucis mortem fuit passus, vt & in libris vbique legitur, & in picturis quoque conspicitur. His accedit, quod Petrus omnium testimonio septem annos Iacobum superuixisse traditur. Nam is anno septimo Neronis fuisse sublatus interijt, Petrus verò septem annos prætereà superuixit. Nihil ergo Iosephi testimonium confert aduersario, nec proinde calumnia nocet quicquam.

PERSVASIO XVII.

Ostenso, quòd Petrus Romæ mortem non receperit, restat dicere, vbi locorum pro Christi nomine passus sit. Et antequam id probem, id testor priùs, nullum testimonium diuina ex literatura huc trahi posse, quo quis Paulum indubiè Romæ passum fuisse à Nerone ostendat. Nam dum postremò iam Neroni oblatus fuerat, & ad Timotheum scribens, hæc interposuit verba: Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. In eis Paulus decrepitam, & non martyrium suum intellexit, quem intereà dum hæc scripserat, valdè senio detritum, & decrepitum planè fuisse, si non alio testimonio, certè vel hoc solo constat, quoniam ante decem annos Philemoni suo scribens, senem se nominauit: Cùm talis sim, inquiens, vt Paulus senex.

Quantum verò putas intrà hoc decennium continuis laboribus, omnium Ecclesiarum solicitudine corpusculum Pauli exhaustum, & maceratum? vt indicare Timotheo suo charissimo cogeretur, quo Romam accelararet, suoque aduentu mortem ipsius præuerteret, qua ipse breui fuerat resoluendus. Nam quod Spiritu sancto illustratus liberationem sui è carcere præuiderit, verba ipsius indicant, significans enim quomodo in priori ante Neronis tribunal statione, causam suam solitarius, & omni patrono destitutus perorauerit, à Neroneque ereptus fuerit, sub hæc ità loquitur: Liberatus sum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cœleste, hoc est, ad ministerium corporis sui mystici, Ecclesiæ sanctæ, quemadmodum per regnum cœleste, Gregorij auctoritate, Ecclesiam in sacris Scripturis sępiusculè nominari diximus. Sicut enim sua spes non illum fefellit, vbi in priore captiuitate constitutus, Philemoni scripserat: para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis; ità neque hic eum decepit.

Sunt enim & alia testimonia eum à Nerone liberatum etiam secundariò fuisse, veluti Epistola illa Senecæ, quam Apostolo in carcere degenti miserat ipse. Ex quibus procliue est creditu, Neronis violentiam Paulum euasisse. Verùm ne hic longiùs iusto immoremur, iam Petrum, & Paulum Hierosolymis passum, testimonijs irrefragabilibus confirmabimus. Primitùs solius Christi, ad Scribas, & Pharisæos, imò ipsam Hierosolymam apud Matthæum, & Lucam loquentis: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ędificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt; Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Ideò dico vobis: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos, &c. Tandem dicit: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, &c. Hæc loquutum Christum non de prophetis legis veteris, sed de Apostolis exponit Ioannes Chrysostomus, homilia in Matthæum 75. ac ità dicit: Significat ijs verbis Christus Apostolos, & eos, qui cum Apostolis, & post Apostolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant.

Quod Diuus Hieronymus literarum sydus, clariùs erga hæc verba Christi immoratus interpretatur, dicitque: Simul hic obserua, iuxtà Apostolum scribentem, varia esse dona Discipulorum Christi, alios prophetas, qui ventura prædicent, alios sapientes, qui nouerint, quando debeant proferre sermonem, alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati, in Actibus Apostolorum, Apostoli, & persequuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudęa, vt ad gentium populum transmigrarent. His verbis Hieronymus clarissimè, vt Stephanum, ità & Paulum, & Petrum Hierosolymis passos declarat. Et ne cuius testimonium desideretur, Nicolai Lyræ horum Christi verborum interpretationem subnectamus: Ex eis occidetis, exponit Lyra, sicut Iacobum fratrem Ioannis, Act. 10. & Stephanum, Act. 7. & multos alios. Et crucifigetis, vt Petrum, & Andream fratrem eius, & multos alios flagellabitis, sicut Paulum, & Sylam, vt Act. 16. & 2. Corinth. 11. traditur. Quis contra hæc firmissima testimonia, vel hiscere deinceps poterit? quis reclamare? quis non modò Hieronymum, Chrysostomum, Nicolaum Lyranum, sed & Christum mendacij arguere poterit? Cùm ipsemet apud Lucam eadem repetens verba, de Petro, Andrea, & alijs quibusdam Apostolis, ea sese loquutum designat, inquiens: Dico autem vobis amicis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant, ostendam autem vobis, quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Prętereà dicit Christus, Hierosolymis, & non Romæ, à Scribis, & Pharisæis, & non Imperatoribus Romanis occidendos suos Apostolos, quamuis non negem quosdam, & extrà Hierusalem fuisse interemptos.

Calumniæ decimæſeptimæ ſumma.

CHriſtus in Euangelio Scribis, & Phariſæis dicit: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequimini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos, &c. Tandem ſubdit: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, &c. hæc locutum Chriſtum non de Prophetis veteris legis, ſed de Apoſtolis: exponit Ioannes Chryſoſtomus, homilia in Matth. 75. Sed Hieronymus eamdem tem apertiùs, & pluribus explicat, Obſerua, inquit, iuxtà Apoſtolum ſcribentem varia eſſe dona Diſcipulorum Chriſti, alios prophetas, qui ventura prædicent, alios ſapientes, qui nouerunt, quando debeant proferre ſermonem, alios ſcribas, in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati, in Actibus Apoſtolorum, Apoſtoli, & perſecuti eos ſunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudęa, vt ad gentium populum tranſmigrarent. His verbis Hieronymus clariſſime vt Stephanum ità Paulum, & Petrum Hieroſolymis paſſos fuiſſe declarat. Et ne cuius teſtimonium deſideretur, Nicolai Lyræ horum Chriſti verborum interpretationem ſubnectamus: Ex eis occidetis; Exponit Lyra, ſicut Iacobum fratrem Ioannis, act. 12. & Stephanum, act. 7. Et crucifigetis, vt Petrum, & Andream fratrem eius: & multos alios flagellabitis, ſicut Paulum, & Sylam, vt act. 16. Quis contra hæc firmiſſima teſtimonia, *vel hiſcere* deinceps poterit? Quis reclamare? quis non modo Hieronymum, Chryſoſtomum, Nicolaum Lyranum, ſed & Chriſtum mendacij arguere poterit?

RESPONSIO.

HAnc eſſe meram calumniam, merumque ſophiſma nemo non intelligit, qui Hieronymum, aut Lyranum aliquando reuoluit. Nam hos auctores aduerſarius apertiſſimè contra mentes eorum citat, vt mox apparebit.

Sed Euangelij verba primum excutiamus. Nihil ex prioribus illis verbis occurrit, ex quo conuinci poteſt, Petrum, & Paulum Hieroſolymis occiſos fuiſſe. Neque enim Chriſtus in verbis illis alterutrius nomen exprimit, ſed tantùm affirmat, quòd ex ijs, quos ipſe miſſurus eſſet, Iudæi nonnullos occiderent, & crucifigerent, aliquos flagellarent in ſynagogis ſuis, & perſequerentur de ciuitate in ciuitatem.

At hoc quid ad Petrum, & Paulum? Qua dialectica colligitur ob id iſtos Hieroſolymis occubuiſſe? Neque enim ſequitur: Quidam ex illis, quos Chriſtus erat ad Iudæos miſſurus, ab ei ſdem occidendi fuerunt & crucifigendi: Ergo Petrus, & Paulus Hieroſolymis à Iudęis occiſi fuerant, & crucifixi.

Sed Chryſoſtomus, inquit, permittendos à Chriſto, prophetas intelligit nouæ legis. Eſto. Non admodum refragor. Erant tamen alij, quàm Petrus, & Paulus nouæ legis prophetæ, de quibus prædicta verba perimpleri potuerunt, vt haud dubiè fuerunt impleta. Nam palàm eſt, Stephanum fuiſſe Hieroſolymis lapidatum, & Simonem Cananæum Apoſtolum fuiſſe crucifixum, Iacobum Domini fratrem gladio percuſſum, alterum Iacobum fuſte fullonis excerebratum, alios itidem flagellatos, & denique multos fugatos ab Vrbe. Vides igitur, vt nihil vrgeant priora Chriſti verba, Petrum, & Paulum Hieroſolymis interijſſe.

Sed neque poſteriora, cum dicit: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Nam certum eſt, non omnes prophetas nouæ legis ibi fuiſſe occiſos, quod & Velenus ipſe non diffitetur.

At dicis Petrum, & Paulum, Hieronymus exprimit à Iudæis occiſos, & alterum fuiſſe crucifixum.

Sed haud rectè capis Hieronymum Velene. Neque enim à Iudęis affirmat hos occiſos fuiſſe.

Sed duplicem in eo loco generationem diſtinguit, alteram bonorum, malorum alteram. Regula, inquit, ſcripturarum eſt, duas generationes bonorum, & malorum noſſe, hoc eſt ſingulorum ſingulas. De bonis dicitur; hęc eſt generatio quærentium Dominum; de malis verò, vt in præſenti loco, generatio viperarum. Et requirentur omnia à generatione iſta. Hæc Hieronymus.

Vult igitur Hieronymus quod à generatione malorum hæc facta ſunt Apoſtolis, atque ideò dixiſſe Chriſtum ventura illa omnia ſuper generationem iſtam, hoc eſt ſuper generationem malorum. Nam alijs locis Hieronymus tam apertè ſcripſit, Petrum, & Paulum Romæ fuiſſe interemptos, vt hìc vſque adeò diuerſum ſentire non potuit.

In epiſtola contra Vigilantium teſtatur oſſa Petri Paulique Romæ venerari.

In commentarijs ad Galathas, affirmat Petrum ex Antiochena Sede, Roma fuiſſe translatum.

In cathalogo virorum illuſtrium ſcribit, cum Romæ 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuiſſe, & ibidem ſub Nerone cruci fuiſſe affixum.

Et Paulum ſimiliter eodem, quo Petrus die Romæ capite fuiſſe truncatum. Palàm eſt igitur, Hieronymum haud quaquam ſenſiſſe Petrum, & Paulum à Iudæis. Hieroſolymis occiſos fuiſſe.

Sed iam veniamus ad Lyranum. Nec hic haud dubiè credidit Petrum, & Paulum à Iudæis Hieroſolymis necatos. Non enim ignorauit eos Romæ fuiſſe paſſos. Sic enim in commentarijs ſuper Exodum ſcribit: per iſtos duos arietes immolatos, intelliguntur Petrus, & Paulus, duces Chriſtianæ plebis, quorum martyrio conſecrata eſt Eccleſia Romana. Ecce Romanam Eccleſiam, Petri, & Pauli martyrio conſecratam. Adde, quod cap. 15. ad Roman. de Paulo dicit, quòd non intendebat diutiùs morari Romæ, eò quòd ibi tum fuerat Petrus Apoſtolus cum ſuis diſcipulis. Ob quod nec erat ibi Pauli prædicatio

catio vsque adeò necessaria, sicut in Hispania.

Sed & in actis, in calce postremi capitis ità scribit: Paulus anno secundo Neronis fuit adductus Romam, & biennio mansit ibi, vt dicitur hic. Nero verò imperauit 14. annis, in quorum vltimo interfecit Petrum, & Paulum. Et sic videtur, quòd tempore intermedio Paulus iuerit ad prędicandum in partibus Occidentis, & maximè in Hispania, & posteà redijt Romam, vt circa finem Imperij Neronis ipse cum beato Petro per martyrij palmam transiret ad gloriam. Hæc Lyranus.

Sed vel ex hoc Lyranus intelligi potest non sensisse, Petrum fuisse Hierosolymis crucifixum, quòd Petro coniungit Andream fratrem, quem palàm est, nec à Iudæis, neque Hierosolymis fuisse crucifixum. Similiter, & cum de flagellatione loquitur, exemplum producit Pauli, & Sylæ, quemadmodum in actis cap. 16. traditur; quòd erant flagellati. At istud apud Philippenses factum fuit, qui Gentiles erant, non Iudæi.

Nam vt illic scriptum est, Domini cuiusdam puellæ, quæ phitonica diuinatione sua magnum eis quæstum peperit, Paulum, qui spiritum ex ea malignum eiecit, vna cum Sylæ rapientes, duxerunt ad magistratus, quorum iussu virgis cæsi sunt. Non igitur opinatus est Lyranus, hæc omnia facta fuisse à Iudæis, nisi quatenus ipsi quasi capita fuissent generationis malorum, vt ex Hieronymo superiùs diximus.

Cæterum vt horum testimonia iuxta tuum sensum, hoc est, à Iudæis Petrum, & Paulum interemptos fuisse donauerimus, nulla tamen adhuc ratione colligere poteris, eos Hierosolymis fuisse interemptos. Nam friuola consecutio est. A Iudæis interempti sunt, ergo, & Hierosolymis interempti. Sicut non sequitur, Christus à Romanis crucifixus igitur, & Romæ crucifixus. Quamobrem & istam quoque calumniam inanem esse manifestum est.

PERSVASIO XVIII.

Videre mihi videor satis prolixè eorum, me subneruasse opinionem, qui Petrum vt Romanum Episcopum celebrant, & hoc nomine Romanis Pontificibus nihil non tribuunt, dum in Summi Apostolorum Principis, vt aiunt, ipsi locum suffecti sint, hancque desultoriam potestatem, ceu per manus sibi tradunt.

At verò si quis roget, quomodò hæc falsissima persuasio in Ecclesiam obrepserit, dicam compendio. Si alia quoque non minùs nociua, quorum recens est adhuc memoria, negligentia temporum rata habentur, vt nihilominùs pro articulis fidei reponantur, quamquam, & historicorum de his taceant libri, & Christi dogmata velut ex diametro cum eis decertent, solo tamen Ecclesiæ prætextu, non minus quàm quæuis alia, sine quibus hominibus salus non contingit, credi præcipiuntur, quibus si quispiam bono fretus testimonio occurrere voluerit, æquè hæreticus habetur, quàm qui in legem Christi fuerit impiùs.

Quid ergo de tā remotis, ac perturbatissimis temporibus, Romanæ Curiæ palpones, circa Petri Romam aduentum, passionem, & Pontificatum confingere non poterant? Putas ne Ecclesiam, quam egenus constituit Christus, quam omnium facilè pauperrimi auxere Apostoli, opibus ditario portere, vnum in ea cæteris omnibus dominari, immò Ecclesiam non aliud, quàm tyrannidem fieri debere? Ecquis hoc dixerit? At verò hodie solemne id habetur, hoc gloriosum putatur, vt vnius arbitrio omnia fiant, circa vnum summa, & caput reip. Christianæ consistat, vnius iussu, aut iniussu singula gerantur, ex vnius nutu cuncta pendeant.

Quòd si quis minus reuerenter hos Ecclesiæ proceres incesserit, si corripuerit, si annuere noluerit, continuò fremunt classica, vndelibet plebs Christiana conclamatur ad arma capessenda, ad omnes Christianos Principes id aiunt pertinere, ne expolietur Christus, neue iacturam patiatur Ecclesia, dum aliquot annui census denarij eis decreuerint, omnia sursum, ac deorsum versare non verentur, ac tot Christianorum fœdam dilacerationem, & stupendam perniciem, interim ne pili quidem faciunt.

Adeò tyrannis hęc Romanæ Curiæ isthac perniciosa opione inualuit, dum Primatum mediante Petro supra omnes Ecclesias sese accepisse iactitat, & Romanus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ Episcopus censetur, repugnantibus omnibus omnium fermè libris, voce ipsiusmet Christi, & ritu, ac exmplo primitiuę Ecclesiæ. Cumque recens adhuc sit memoria, quando hæc tyrannis exordium sumpserit: Nonne tamen inueniuntur plerique qui id perpetuò fuisse scribant; id probent, pro coque ad aras, vsque (quod solet) digladientur, quibus non aliter, quàm soliùs Christi verbi passim vulgus credit.

Præterea Siluestrum à Constantino Imperatore honestis muneribus donatum, in Sedeque Imperatoria repositum, quis hoc hodie è populo non credit? resistentibus omnibus historiographis, eorumque commentitias bullarum nuga fortissimis rationibus, doctissimisque viris reprobantibus.

Quantum tamen veritatem promoueaut apud hanc futilem plebeculam pseudosacerdotum prestigijs delusam, in propatulo est omnibus, cum non minùs reuerenter in has opiniones, quàm in Christi verba iurent ipsi. Non difficile est exindè diuinare, quantum illis procliuè fuerit, quæ hodie de Petro ferantur, confingere, cum eorum temporum nullam certam habeamus historiam, prætee commentitias illas aliquot de Petro, & Paulo passiones, quæ adeò sibi non constant, vt omnibus etiam tacentibus, ipse se satis confutent, præsertim quæ Grecorum linguagio consciptæ sunt.

Quod vel solùm argumento esse possit, eas falsissimas esse, cum hæc natio ab omnibus passim scriptoribus in historia mendacij accusetur, Iuuenale dicente; Quicquid audet Grecia mendax in historia. Et alibi, non sine ioco mendacem Greculum nominat. Et breuiter, nemo miretur hoc apertissimum mendacium suos patronos habere, cum non desinit etiam, qui tusciam patrimonium Pe-

tri appelleoc, quæ voce numquam delirius dici, aut cogitari aliquid potuit. Et Plinius haud ignobilis au&ctor, nullum tam impudens mendacium inueniri dicit, quod teste careret.

Calumnia duodeuigefima fumma.

NEquis miretur, vndè tantus error obrepferit in Ecclefiam, non defunt alij fimiles huius, quos oftendere pofsumus, haud diffimiliter emerfifse.

Et vnus inprimis eft de primatu Papæ, cui nunc omnes afsentiuntur, haud aliter, quàm articulo fidei. At cui quæfo credibile eft, Ecclefia,quam egenus conftituit Chriftus, quamque omnium facilè pauperrimi auxere Apoftoli, opibus ditari oportere, vnum in ea cæteris omnibus dominari, immò Ecclefiam non aliud, quàm tyrannidem fieri debere. Alius infuper huic, haud longè diffimilis eft, de donatione, per Conftantinum Cæfarem, Syluestro facta, quam nullus hodie non credit è populo, refiftentibus tamen omnibus hiftoriographis, rationibufque reprobantibus.

Ex ijs nimirùm diuinare licet, quem in modum, & prædictus error Petri Pontificatu confictus fit: & maximè, cum eorum temporum nullam certam habeamus hiftoriam, nifi quæ vel à Græcis confcripta fit, vel quæ cum alijs plufquam ex diametro pugnet. Quoniam igitur Græcorum natio paffim ab omnibus fcriptoribus in hiftoria, mendacij accufatur, non eft cur eorum teftimonijs in hac re fidem habeamus.

RESPONSIO.

ERror fuerit necne,quòd de primatu Summi Pontificis, aut de donatione per Conftantinum Syluestro facta, pleriquc credunt,non eft præfentis opufculi difserere, fed productiùs volumen id negotij poftulat. Nos etiam inter confutandum articulos,quos Lutherus afserere molitus eft, penitùs eneruafse putamus, quicquid aduersùs primatum Papæ,Lutherus attulerit,vt iam non erit opus quicquam in ea re copiofiùs dicere.

Porrò quantum ad Petri Sedem fpe&ctat, non video, cur ea res commentitia dici queat, cum Au&ctores habeat grauiffimos, ac fpe&ctatiffimos, & eofdem vicinos Apoftolorum temporibus, de quibus omninò nulla fufpicionis aufa capi poteft, cur voluiffent iftud confingere. Sed & Græcis, cur in hac parte fides adhiberi non debeat, ratione prorfus omni caret. Quid enim fi prophani Græcorum Scriptores, mendaces habiti fuerint, nùm & facri pariter eodem vitio laborare putandi funt? Abfit. Nàm cùm ex Chriftianifmo veritatem hi profeffi fint, qui credi poffunt mendacia Chriftianis legenda tradidiffe? Sed neque probabilitatem vllam habet, Græcos, quantumvis prophaniffimos, voluiffe comminifci, quòd Petrus, relicta Græcia, Romam fe conferret, Cathedram ipfi pofiturus, cùm ea res totius Græciæ gloriam obfcuret, haud mediocriter. Quamobrem & Græcis in hac re potiffimùm eft adhibenda fides. Cæterùm nos & Græcos, & Latinos, huiufce rei teftes iuratiffimos, in medium afferemus.

Tertullianus in primis au&ctor grauis, & ipfe Latinus, Apoftolorum quoque vicinus temporibus, in libro de præfcriptionibus Hæreticorum, hanc rem teftatur, inquiens: Percurre Ecclefias Apoftolicas, apud quas ipfæ adhùc Cathedræ Apoftolorum fuis locis præfidentur, apud quas ipfæ authenticæ literæ eorum recitantur, fonantes vocem, repræfentantes faciem. Proxima eft tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos. Si potes in Afiam tendere, habes Ephefum. Si autem Italiam adijceris, habes Romam, vndè nobis quoque au&ctoritas præfto eft ftatuta, fœlix Ecclefia, cui totam do&ctrinam Apoftoli cum fanguine fuo profuderunt, vbi Petro paffioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoftolus Ioannes, poftquàm in oleum igneum dimerfus nihil paffus eft, in infulam relegatur. Hæc Tertullianus.

In quibus verbis multa licet adnotare.

Et primùm, quòd ex Ecclefijs, quas hic memorat, fola iàm remanet in fide fuperftes Ecclefia Romana.

Deindè, quòd cùm Ecclefiæ cæteræ florerent, ex Ecclefia Romana tamen in cætera fluxit au&ctoritas.

Tertiò, quod & ad noftrum inftitutum magis fpe&ctat, Petrum apud Romam paffioni Dominicæ fuiffe adæquatum, hoc eft, cruci affixum.

Quartò, Paulum illic Ioannis Baptiftæ exitu, hoc eft, capitis detruncatione fuifse coronatum.

Quintò, Ioannem Euangeliftam (poftquam in feruens oleum efset demerfus, cùm nihil ex co damni pateretur) in Pathmos infulam fuifse relegatum.

Sextò, trium horum Apoftolorum præfentia, Romanam Ecclefiam nobilem, ac illuftrem efse redditam, fed ex co præcipuè fœlicem, quòd Apoftoli duo, Petrus, & Paulus totam huic Ecclefiæ do&ctrinam vnà cum fanguine fuo profuderunt.

Sed hactenùs pro Tertulliano. Quem & Cyprianus imitatus epiftola 3. Romanam Ecclefiam vocat Petri Cathedram, & principalem Ecclefiam, vndè Sacerdotalis vnitas exhorta eft.

Et epiftola rurfum o&ctaua, cun&ctos hortatur, quatenùs eam totius Ecclefiæ Catholicæ matricem, & radicem agnofcant, ac teneant.

Accedit his Ambrofius, qui de natali fan&ctorum Apoftolorum Petri, Paulique loquens, ait: Non fine caufa fa&ctum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni toleranere fententiam, vna die paffi funt, vt ad Chriftum pariter peruenirent, vno in loco, ne alteri Roma deeffet. Sub vno perfecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conftringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perfecutor decretus eft pro virtute. Et in quo tamdem loco martyrium pertulerunt? In Vrbe Romana, quæ Principatum, & Caput obtinet nationum. Scilicet, vt vbi caput fuperftitio-

stitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis. Et vbi Gentilium Principes habitabunt, illic Ecclesiarum Principes morarentur. Hæc Ambrosius.

Subscribit Leo in sermonibus de Apostolis, inquiens: Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum Mundi corpus effunderet.

Et pauló post: Iàm populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras. Iàm Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iàm Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bythiniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de specie tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te Diuinis ordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis. Hæc Leo Papa.

Hieronymus quoque cùm alibi sæpè, tùm in cathalogo virorum illustrium: Simon, inquit, Petrus, filius Ioannis, Prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochiensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Pontio, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythinia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis, idest, decimumquartum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est. Hæc Hieronymus.

Sed & idem scribit, Philonem cùm esset denuò Legatus ad Claudium, in Vrbe Romana cum Petro fuisse collocutum, amicitiamque cum ipso tùm inijsse, atque ob id, Ecclesiam, & sectatores Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam ornasse laudibus.

Testatur & Beda supputator temporum exactissimus, libro, quem de temporibus edidit, sic scribens: Petrus Apostolus, cùm primùs Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram tenet Episcopalem, idest, vsque ad vltimum Neronis annum. Hæc Beda.

Eutropius etiam, & ipse Romanæ historiæ Scriptor, haud contemnendus, de Nerone sic scribit: Denique omnibus flagitijs suis etiam hoc addidit, quòd sanctos Dei Apostolos Petrum, Paulumque trucidauit. Hæc ille.

Consentit & Orosius cap. 4. lib. 7. histor. suæ: Tyberius, inquit, Claudius ab Augusto Quartus, Regnum adeptus, mansit in eo annos 14. Exordio Regni eius Petrus Apostolus Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem Fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit. Exindè Christiani Romæ esse cœperunt, sentitque hoc collatum fidei suæ Romæ beneficium.

Et rursùm cap. 3. de Nerone loquens ait: Primus Romæ Christianos supplicijs, & mortibus affecit, ac per omnes Prouincias pari persecutione excruciari imperauit, ipsumque nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Hæc Orosius.

Prætereo recentiores historicos Platinam, Sabellicum, Volateranum, & Ioannem Baptistam, viros eruditissimos, qui testatissimum idipsum in suis scriptis reliquerunt, neque hactenùs quisquam, antè Velenum, repertus est tam impudens, vt Petrum negaret Romæ aliquando fuisse, cùm & Græci confiteantur idipsum, quamquam & ipsi sint alioqui Romanæ gloriæ nimis quàm infensissimi.

Ægesippus primùm, & ipse vicinus Apostolorum temporibus, libro 3. excidij Hierosolymitani, ca. 2. narratis his, quæ Romæ cum Simone Mago Petrus magnificè gessit, docet eum ibi tandem cruci adiudicatum, atque ità necatum fuisse; sed eius verba, si quis fortè requirat, hìc subijciemus: Erant tunc temporis Romæ Petrus, & Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum, Neronem aduersum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, qui sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, subiectiones gentium, vitæ longæuitatem, salutis custodiam, feralibus artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum, quandoquidem etiam Præsulem suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur: sed vbi Petrus eius vanitates, & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, non solidum aliquid, aut verum efficere demonstrauit, ludibrio habitus, & digno est consumptus mœrore. Et quamvis in alijs terrarum partibus, Petri expertus potentiam, tamen præueniens Romam, ausus est iactare, quòd mortuos resuscitaret.

Et rursum, haud pauló post: Denique, dato, vt comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus, vt sese aliò conferret. Resistebat ille, dicens, nequaquam se facturum, vt tamquam metu mortis territus crederet, bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset, non mortem illam, sed immortalitatem futuram, tamquam indignum, vt ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit, se hostias pro Christo offerre, deberi sibi secundùm Domini vocem, & vt ipse in passione sua Christo gloriam, atque honorem daret.

Hæc, & alia Petrus obtexere; sed plebs lachrymis quærens, ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas Gentilium destitueret, victus fletibus Petrus cessit, promisit se Vrbe egressurum, proxima nocte salutatis fratribus, & celebratione oratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventū est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò venis? Dicit ei Christus: Iterùm venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd in eo Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conuersus in Vrbem redijt, captusque à persecutoribus, cruci adiudicatus, poposcit, vt inuersis vestigijs cruci affigeretur, quòd indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, vt passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ità debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia perse-

perfecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipse, & Paulus, alter cruce, alter gladio necatus est. Hactenùs Ægesippus.

Eusebius item historiæ suæ lib.2.cap.14. Petrum ipsis Claudij temporibus affirmat venisse Romam, vbi salutaris prædicationis verbo primus, vt ait, Euangelij sui clauibus ianuam Regni Cœlestis aperuit. Sed & Euangelium, quod ab eo prædicatum, Marcus discipulus eius ad Romanorum instantiam exceperat, Ecclesijs legendum tradidit: cuius rei, & testes alios producit, nempè Clementem in suarum disputationum libro, simul & Papiam Hierapolitanum Episcopum. Adde, quòd idem ex ipso Papia recenset, Petrum in priori epistola sua meminisse Marci, atque in ea, tropicè Romam Babyloniam nominasse, cùm dicit: Salutat vos ea, quæ in Babylone est Ecclesia, & Marcus filius meus, cui Tertullianus, & Hieronymus, ac cæteri quique subscribunt. Quod si Petrus ex Roma priorem illam epistolam scripserit, quid manifestiùs comprobare posset eumdem aliquando fuisse Romæ?

Sed & in chronicis Eusebius testatur, Petrum secundo Claudij venisse Romam, illicque sedisse vigintiquinque annis, & vltimo Neronis ibidem gloriosè occubuisse.

Irenæus item in tertio aduersùs hæreses libro, successionem Pontificum Vrbis Romæ digerens, asserit Petrum, & Paulum fuisse Romæ.

His accedunt Chrysostomus, & Theophilactus, qui tradunt Linum fuisse post Petrum Ecclesiæ Romanæ secundum Episcopũ, in commentarijs epistolæ posterioris ad Timotheum.

Præterea multos, quos Volateranus recenset tam Latinos, quàm Græcos, qui de Pontificum vitis conscripsere.

Et hi omnes vnanimiter asserunt, Petrum Vrbis Romanæ primum Episcopum fuisse.

Quòd si res hæc, tot, & tam illustrissimis auctoribus, Græcis pariter, & Latinis adeò dilucida reddita sit, quis iàm, nisi mente captus, ambigere secum diutiùs potest, nùm Petrus fuisset Romæ, & maximè cùm nullus vmquam Scriptor, antè Velenum, oe somniare quidem contrarium potuerit? Sed ista pro calumnijs omnibus diluendis, sufficere putamus.

Sequitur altera Libelli Particula.

PROLOQVIVM.

Solet interdùm fieri, Lector mi, vt dum vegeto semine agrum conspergimus, ni simul nociua quæque radicitus extrahamus, vrenda filix subnascens, sementis pariat iacturam. Quòd dum hic timemus, ne quidam cauilli animum tuum torqueant, nostris ijs persuasionibus minus te credere permittant, alteram libelli particulam addidimus; In qua cum septem quibusdam Romanensium cauillis manus conseramus, de eis dignis rationibus si sors fauerit, prædam ablaturi. Proindè interim Romanum quempiam, obesis faucibus, ac ventre prominulo, imaginer sycophantam, qui sic more suo nobis instet.

SECVNDÆ PARTIS CONFVTATIO.



PRæter has duodeuiginti calumnias, quas aduersarius persuasiones vocauit, septem insuper adiecit cauillos, cum quibus ipse manus conferere dignum existimauit, ne quisquam prioribus suis persuasionibus minorem habiturus esset fidem. Cæterum an prioribus eius argutijs, iam quãtum opinor abundè confutatis, quisquam habiturus sit fidem, nescio, suspicor tamen, vbi nostra perlegerit, neminem vsque adeò mente captum esse, vt non risu digna putet ista, quæ sequuntur. Sed ne nimia prolixitate, quemquem tædio afficiam, iàm aduersarium, cum suis cauillis concertantem, audiamus.

CAVILLVS I.

QVòd in persuasione dictum est quarta, improbius dictum est, quàm vt credi debeat. Paulus enim dum binam suam versùs Hierosolymam peregrinationem, in ea, quæ ad Galatas est epistola commemorat, in quatuordecim annis post conuersionem suam, vtranque fuisse factam intellexisse volunt, & non in septem, & decem annis, vt tua fert opinio, idque Nicolai Lyræ testimonio confirmatur. Triennium enim, quo antè Paulus Hierosolymam venerat, in subsequentibus quatuordecim annis, quibus secundario illac cum Tito, & Barnaba perrexerat, absorbetur, ità Nicolao verba Pauli exponente. Deindè post quatuordecim annos, videlicet à conuersione sua, assumpto Tito, & Barnaba, &c. Et sic Petrus quatuordecim illis annis prætercla bentibus Romam diuertere poterat.

Responsio.

Bella Lyræ, nisi à tot bonis auctoribus, quibus ne matellam dignus erat ipse porrigere

re diſſentiret, crederetur expoſitio, ſed quia non auſim dicere, an vllum habeat, qui iſthoc ſibi conſentiat, rationabilius tot celeberimi ſequendi ſunt interpretes, quàm hic vnus, & quidem ignobilior, qui in hoc ſpero aucupabat ſibi gloriam, ſi ſtultè ab alijs diſſentiret omnibus. Et quia contra inermem, & imbicillem frequentia militum non ſolet deſiderari, quem vnus probatæ fortitudinis vir, vel euiſcerare poſſit: vnicum Hieronymum tot Lyranis anteponendum contra hunc producam, qui epiſtolam ad Galatas exponens, hos ſeptemdecim annos non ſemel reperit. In principio fidei, inquit, in tranſitu Paulus Apoſtolos videt, poſt annos, vt ipſe ait decem & ſeptem, plenè cum eis loquitur, & ſe humiliat, & ne fortè in vacuum, aut curreret, aut cucurriſſet, inquirit. Et inferius: Contulit Euangelium cum Apoſtolis, non quòd Paulus timuerit, ne per decem & ſeptem annos falſum in gentibus Euangelium prædicaſſet, ſed vt oſtenderet prædeceſſoribus ſuis non ſe in vacuum currere, aut cucuriſſe, ſicut putauerunt ignorantes. Hæc Hieronymi verba; quibus manifeſtè, quantum Lyra deliret, oſtenditur.

RESPONSIO.

ADuertis lector, quemadmodum aduerſarius cum ſeipſo nugatur, frigidè ſibi ipſi obijciens, & nihilo frigidius reſpondens. Sed nos ex dicto cauillo robuſtiorem obiectionem firmabimus. Superius, vbi ſecundam calumniam diluimus, oſtendimus Hieronymi ſupputationem manifeſtè repugnare cum his, quæ nec ſemel idem alibi dixerat. Nunc autem apertè docebimus, nec eam ſtare poſſe cum ea ſupputatione, quam aduerſarius ipſe, ſub perſuaſione quinta collegit. Sic enim annos à paſſione Chriſti, vſque ad vltimum Neronis, aduerſarius ibi digeſſit. Tiberio Cæſari, poſteaquam Chriſtus paſſus fuit, tres dumtaxat annos tribuit. Caio Caligulæ poſt Tiberium imperanti, tres item annos, menſes decem, & dies octo. Subindè Claudij numerat annos non plenè quatuordecim. Poſtremò Neronis quatuordecim deputat annos. Summa omnium vix complet annos 35.

Et quoniam idem aduerſarius confitetur Paulum ſecundo Neronis anno Romam fuiſſe perductum, duodecim anni ex imperio Neronis reſidui ſunt, quibus ex priori numero, hoc eſt 35. ſubductis, iàm non pleni remanent 23. Nec plures his, inter paſſionem Chriſti, & Pauli aduentum Romam, ex hac ſupputatione conſtat interueniſſe. Rurſum ex ijs ſi dempſeris id temporis, quod inter Chriſti paſſionem, & Pauli conuerſionem intercidit, quod & aliquot annos aduerſarius opinatur continere, iàm ad maximum ſuperſunt 21. Sed ab hoc numero ſi adhùc ſubtraxeris annos, & menſes, quos Lucas memorat egiſſe Paulum, dum Aſiam, & Græciam docendi Euangelij gratia peragrarat, comperies in Actis expreſſos annos ſex integros, præter fractiones, & præter eos, qui veriſimili coniectura non minimum annorum numerum conficiunt. Cæterum ſi ex priori numero nempè viginti vno, non niſi ſeptem dempſeris annos, intelligis quatuordecim dumtaxat ſupereſſe. Quo fit, iuxtà propriam ipſius aduerſarij ſupputationem, anni illi quatuordecim à Pauli conuerſione numerandi ſint. Sed quia diximus ex Actis, poſt finitum dictum Concilium, præter annos illic expreſſos, veriſimili coniectura colligi poſſe non minimum annorum numerum; age idipſum iàm oſtendamus. Primùm 18. cap. traditur, Paulum Corinthi ſediſſe, præter annum, ſex menſes; deindè cap. 19. apud Epheſum, in Synagoga tres menſes, & poſt hos, in ſchola Tyranni cuiuſdam, per biennium præterea diſputaſſe. Rurſum capite 20. tres menſes Athenis commoratum fuiſſe. Deniquè cap. 24. biennium expleuiſſe apud Cæſaream. Ex ijs naſcitur ſumma ſex annorum. At tunc ſi reliquas temporum fractiones conſideraueris, nempè quas inſumpſit Paulus viſitandis, & confirmandis fratribus, qui in varijs erant Ciuitatibus, toties per eas diſcurrendo, facilè videbis longè maiorem excreſcere ſummam. Quæ res dilucida fiet, ſi quis à tempore dicti Concilij Pauli diſcurſum diligenter annotauerit. Nàm ex 15. cap. quo dictum Concilium tractatur, Paulus, & Barnabas, finito Concilio, demorati ſunt Antiochiæ, docentes, & annunciantes ſermonem Domini cum alijs pluribus. Deindè, poſtquam alter ab altero ſeiungeretur, Paulus Syriam, & Ciliciam perambulabat, confirmans Eccleſias, atque ità Derben, & Lyſtram peruenit, vbi & Timotheum circumcidit. Poſt hæc Phrygia, Galaticaque regionibus peragratis, & Eccleſijs vbique confirmatis in fide, Paulus in Myſiam ſe recepit, indè Troiadem, ex Troiade per Samothracem, & Neapolim venit, tandem Philippos, vbi & multo tempore manſiſſe traditur, non minori patientia, quàm rebus geſtis clarus. Indè profectus per Amphipolim, & Appolloniam, adijt Teſſalonicam, vbi per tria Sabbata de Scripturis diſſeruit, adeò vt tumultu per Iudæos concitato vix euaſit Paulus per noctem in Berrhoeam, vnde poſtquam Berrhoenſes inſtruxit in fide, conceſſit Athenas, & hic Dionyſium, alioſque conuertit ad fidem. Ex Athenis, Corinthum adijt. Ex Corintho peruenit Epheſum. Ex Epheſo, Cæſaream, indè Antiochiam. Ex Antiochia profectus, Galaticam regionem, & Phrygiam ordine perambulabat, confirmans fratres. Quibus peractis, redijt Epheſum. Poſtquam autem Epheſi tres menſes, & biennium expleſſet, præmiſſis duobus è miniſtris Macedoniam, quò & ipſe ſtatuerat ire, manens adhùc in Aſia, multa perpeſſus eſt. Peragratis poſthac Macedoniæ partibus, & fratribus, vbiq; ſermone prolixo cóſirmatis, tandem venit in Græciam, vbi longo peracto tempore, demùm inſidijs Iudæorum impeditus, ne ſolueret in Syriam, per Macedoniam eſt reuerſus. A Philippis igitur adnauigauit Troiadem, ex Troiade peruenit Aſſon. Indè per Mytelenem, & Sanium, acceſſit Myletum. Et poſt prolixum ibi ſermonem habitum, ſoluens, venit Choum, indè Rhodum, atque ità tandem Pataram, vnde conſcenſa naui, Tyrum conceſſit. A Tyro ſubindè, deſcendit Ptolomaidam, ex Ptolomaida Cæſaream. Atque indè tandem Hieroſolymam, vbi poſteaquam dira fuiſſet à Iudæis

paſ-

passus, vinctus reductus est Cæsaream, ibi manes biennum in custodia. Sicque post multos labores, demùm perductus fuit Romam. Si quis igitur secùm diligenter expenderie, quot Ciuitates, immò quot regiones, & quàm longum terrarum tractum, Paulus, Euangelij docendi gratia, nec semel peragrauerit, quòd aliquando biennium, & ampliùs in vna quapiam illarum Ciuitatum necesse fuerit commorari, planè deprehendet, ista haud paruo annorum numero fieri potuisse. Et sanè, iuxtà digestionem Eusebij, plus minus 13. annorum spatium complectuntur.

Cæterum ne nos aduersarius existimet, huius calculi neminem præter Lyranū auctorem habere; Beda, qui temporum exactissimus erat supputator, non id verbis nudis dicit, sed argumento colligit irreuincibili. Sic enim in commentarijs super Acta cap. 15. scribit: Scimus enim Petrum, & Paulum Apostolos, anno post passionem Domini 38. idest, vltimo Neronis, passos fuisse martyrium, & beatum Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse Cathedram. Viginti autem quinque, & quatuordecim, non 38. sed 39. faciunt. Sequitur ergo, vt beatum Petrum eodem quartodecimo, post Domini passionem, anno, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus, hoc est, quarto Claudij Cæsaris, Romam venisse credamus. Simulque, nisi fallor, ex hac positione beatum Paulum Apostolum eodem, quo Dominus passus est, & resurrexit, anno, ad fidem venisse probatur. Hactenus Beda. Intelligis lector, quam validissimè Beda rationem reddit, cur debeant illi quatuordecim anni à conuersione Pauli supputari, & annus quartusdecimus esse quartus Imperij Claudij, non secundus, vt Eusebio, Hieronymoque visum est. Nàm hi colligunt Petrum anno Claudij secundo Romam venisse. Quòd si verùm esset, iàm per duos annos antè dictum Concilium Petrum venisset Romam. Rectius ergo Beda, qui Concilium ipsum habitum fuisse docet anno à conuersione Pauli quartodecimo, quem & annum Imperij Claudij quartum facit. Cæterum, siue quartodecimo, siue post quatuordecim annos, id Concilium celebratum fuisset, palàm est, nec Eusebio, nec Hieronymo conuenire, vt post septendecim annos habitum fuisset, eum vterque Petrum anno Claudij secundo venisse Romam, & ibidem annis 25. sedisse tradit. Sed hæc pro aduersarij responsione diluenda sufficere putamus.

CAVILLVS II.

QVidni creditur Petro Apostolorum primati, qui è Roma epistolam, quam Catholicam dicunt, scribens, se Romæ fuisse proprijs exprimit verbis? Salutat vos, inquit, Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Quantum piaculum dissentire à Hieronymo, & Lyrano, quorum neuter Romam per hanc Babylonem non interpretatur, Hieronymus in libro virorum illustrium, Lyranus autem hæc verba Petri explanans; dicit enim vterque Romam figuraliter nomine Babylonis designari.

Responsio.

Duplicem esse Babylonem à Cosmographis didicimus. Vnam in Assyria, quàm Babylo sapientissimus Medi filius condidit; vel (si Herodoto credimus) Semiramis. Alteram, quæ Ægyptiaca dicitur, non procul ab Ægypto distans, de qua Ludouicus Cælius in antiquitatibus, & Raphael Volaterranus in sua Geographia, & quidam alij. Strabo tamen plus in Arabia, quàm Prouincijs Ægypti hanc esse sitam ostendit, vnde Arabum lingua, Chayrum illam vocant, quæ vox non aliud eis designat, quàm si Babylonem nostrates dixerint. Et sic persuasissimum est Petrum ex hac Babylone, vel, si quem Arabum oblectat dictio, Chayro, epistolam suam scripsisse, qui in Iudæa, & conterminis vndique circum, & circa regionibus Christi nomen diuulgabat. Iudæa antem, vt Hieronymus vult, confinem sibi haber vtramque Arabiam, hoc est, & Arabiam petream, & Arabiam desertam. Ab Oriente enim habet Arabiam petream, & iuxtà hanc ad meridiem tangit Arabiam desertam. Et Apostolus hoc testatur quoque, dicens: Syna mons est in Arabia, quæ coniuncta est ei, quæ nunc dicitur Hierusalem. Quas ob res in eis collimitaneis Hierosolymæ Prouincijs Petrum prædicasse Christum, & ex Chayro ad dispersos è Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, Christi fideles epistolam scripsisse, hoc iam quis neget? Atque eo modo verba Petri: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta; intelligenda sunt. At sinamus præterea suis figuris ludere Lyranum. Quia sicut, inquit, Babylon fuit Ciuitas maxima, & idolatriæ dedita, sicut patet in Daniele; Sic Roma posteà fuit ex simili opere. Sed quid de ea Babylone, cuius mentio apud Danielem agitur, Deus per Hieremiam loquitur, dicens: Egredimini de medio Babylonis populi meus, vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini. Sed numquid etiam eodem tropo cæteras Noui Testamenti Scripturas patietur interpretari Lyranus? quod certè necesse est. Quid de hac Babylone, hoc est, Roma purpurata, & versuta, vt Hieronymi vtar verbo, meretrice Ioannes in Apocalypsi loquatur, simul audiat: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dęmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt; Et mercatores terræ, de virtute delitiarum eius diuites facti sunt. Mercatores hìc nominat, de quibus loquitur Petrus; Erunt in vobis magistri mendaces, qui in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Post hæc Ioannes: Et audiui aliam vocem dicentem; Exite de illa populi meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eorum ne accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad Cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Ecce quid eis sua figurata afferat interpretatio, vt omnibus, scilicet à Romana Curia impunè liceat deficere. Ecquid ergo nos culpamur Boemi? O vtinam omnes pari modo ab hac, nostro ducti exemplo, deficerent

Babylone, quo fortassè à sua impietate resipisceret citius. O verè typum gessit Romanæ Curiæ Occidentalis Babylonis, illa non modò Propheticis, sed etiam gentilium litteris damnata Babylon, cui indultum, ac licitum fuerat, vt Plutarchi repetam verba, psallere, scorta alere, cauponæ indulgere, sinuosis tunicis amiciri, pudicitiam prostituere.

An non æquat modò, immò etiam superat Roma verissima Babylon ista omnia? Nonne, & corporis, & rerum sacrarum castitatem impudentius prostituit, quam vel illic munditiem corporis impudentissimę fęminæ? Apud illas enim, quæ ex fœdo coitu prouenerat: Veneri sacra fuit stipes, hic quod rerum sacratissimarum affert prostitutio, Christo acceptum ferri dicitur. Sed ne hoc loci in Babylonem Romanensem pluribus inueham, aliquantisper me cohibeo, nam hæc aliàs pertinent.

RESPONSIO.

QVod tanto verborum ambitu conatur aduersarius, perstringam paucis. Non fuisse Romæ scriptam priorem illam epistolam Petri, neque per Babylonem illic tropicè Romam intelligi debere, quoniam apud Cosmographos, duas constat esse Babylonias, alteram in Assyria, alteram haud procul ab Ægypto. Sed non multis ad hanc responsionem explodendam opus erit, præsertim, cum aduersarius, aut ex scripturis, aut ex aliquo sacrorum interpretum, nullum prorsus afferat testimonium, sed merum sui capitis commentum, omnis rationis expers. Et esset profectò magna rerum Christianarum inconstantia, si quod à patribus per tot secula ratum accepimus, iam ob vnius hominis tàm futilè commentum, & ob tam leuissimum aeris flatum, illicò mutauerimus.

Quid enim si propè Ægyptum, altera quædam Babylonia fuerit? num propterea consequetur, vt ex eo loco Petrus Epistolam illam suam Catholicam scripserit? Qua, precor, dialectica consecutionem istam comprobare poterit aduersarius? An hoc ignorabant priores Ecclesiæ proceres, de vetustissimis loquor, à quibus ad nostra vsque tempora per cæteros dimanauit, & quasi per manus traditum est, quòd Petrus eamdem epistolam Romæ scripsisset, & quòd in eadem ab eo Roma tropicè vocata sit Babylonia. Superius enim idipsum ostendimus, non à Lyrano solùm, verùm etiam à Tertulliano, à Hieronymo, ab Eusebio, & demùm à Papia Episcopo Hierapolitano.

Quod si recentiores, quis auctores desiderauerit, Beda sui temporis eruditissimus, in eiusdem epistolæ commentarijs ita scribit: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Babylonem typicè Romam dicit, videlicet, propter confusionem multiplicis idolatriæ; In cuius medio sancta Ecclesia, iam rudis, & perparua fulgebat, iuxta exemplum plebis Israeliticæ, quæ quondam parua numero, & captiuata, super flumina Babylonis sedens, absentiam sanctæ terræ deflebat, nec Canticum Domini in terra aliena cantare valebat. Et paulò post: Marcum autem filium suum Euangelistam dicit, qui eius in baptismate dicitur filius effectus. Vndè patet, quòd priusquam Marcum Alexandriam de Roma ad Euangelizandum mitteret, epistolam hanc scripsit.

Tempore autem Claudij Principis, & Petrus, & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus, descripto Romæ Euangelio suo, Alexandriam missus est. Vndè colligitur, quia epistolam hanc Petrus, dum quæritur, vbi vel quando scripserit, locus erat Roma, tempus Claudij Cæsaris. Hactenus Beda. Frontem igitur meretriciam indutus aduersarius, nihil erubescit aduersùs totius Ecclesiæ proceres, stolidam suam opinionem confingere, cum nec vnum ex interpretibus sacris, habeat sui mendacij fautorem, sed nec vllam afferre probabilitatem potest, aut ex literis sacris, aut ex profana qualibet historia, quòd Petrus vnquam propè partes illas accesserit. Et mirum est, si Princeps Apostolorum ad eam regionem accessisset, quòd apud nullum scriptorem aliquod itineris eius vestigium superesset, cum de quolibet altero tntius peregrinationis suæ descripta sit historia. Sed hæc ad responsionis eius conuulsionem sufficiunt.

CAVILLVS III.

SI nihil aliud, hoc profectò solum, magno esset argumento, Petrum Romæ antè priorem etiam Pauli illac aduentum fuisse, quòd dum è Hierosolymis, vt Lucas in actis Apostolorum tradit, militibus comitatus, Romam vinctus duceretur, occurrerunt ei fratres ad Appij forum, quibus visis, gratias Deo egit ille. Nam quo monitore in Christum credidissent, si tunc Petrus Romæ abfuerit.

Responsio.

Christianos protinùs post Christi passionem, & non dumtaxat Paulo illac veniente, Romæ fuisse, Orosius, Tertullianus, Platina, immò Christianorum hostis Suetonius Tranquillus testantur. Orosius enim libro 7. ad hunc modum scribit: Postquam passus est Dominus Iesus Christus, atque à mortuis resurrexit, & Discipulos suos ad prædicandum misit; Pilatus præses Palæstinæ Prouinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit, de passione, & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum factæ fuerant, vel per Discipulos eius in nomine eius fiebant. Et de eo, quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur, Tiberius ergo cum suffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundùm morem delatum est, vt de suscipiendo cultu priùs ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit, edictoque constituit, exterminandos esse ex Vrbe Christianos, præcipuè cum & Seianus præfectus Tyberij suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret.

Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est, de quo Tertullianus in Apologetico aduersùs gentiles modestius aliquantò loquitur: Tiberius, inquit, cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit, aut nunciatum sibi ex Syria, Palæstinaque, illic veritatem illius diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Omitto dicere, quod scribant Suetonius, & Platina, hic in Christi, ille verò in Tiberij vita. Quibus satis insinuatur, tutam fuisse à Tiberij temporibus, ad Neronis vsque Imperium, & sub eius Imperio ad vsque Pauli aduentum, Christianam Romæ religionem, Tertulliano adstipulante, his verbis: consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam Cæsariano gladio ferocisse. Quare nullus mirari debeat tot fratres Romæ fuisse, qui Paulo venienti occurrerint, quoniam gliscente etiam illic pietate, ordinatione Spiritus sancti, nec Presbyteri illis defuerant, vti Narcissus, Andronicus, Iulias, & cæteri, quatenùs nihil opus habuerint Petri præsentiam desiderasse, quos deindè Paulus quoque ipse tum per epistolam faciendorum admonuerat, tum præsentialiter inuiserat, vt iam abundè in priori nostri libelli particula singula hæc indicauimus.

RESPONSIO.

Obijcit hic aduersarius sibi, quod neminem alium arbitror obijcere voluisse. Neque enim ex hoc vrgere quisquam potest, fuisse Romæ Petrum. Nam nihil est necesse, quòd illuc priùs accessisset Petrus, quàm vlli alij Christiani. Simul, & credibile est, fratres ipsos, qui tum obuiam Paulo venerant, aliquam ante cum Paulo necessitudinem habuisse, neque primum Romæ fuisse conuersos ad Christianismum. Debilis igitur obiectio est, nec ratione multò robustiori conatur aduersarius eam confutare. Quid enim si dum Tiberius imperaret, fratres quidam, facta per Stephani mortem dispositione, quemadmodum in actis traditur, concessissent Romam? num ob id non fuisset item præsentia Petri necessaria? An non legimus in actis, quòd cum audissent Apostoli, quòd Samaria per Philippum recepisset Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem? Ecce cum accepisset Ecclesia, Samaritas per Philippi prædicationem ad fidem fuisse conuersos, & baptizatos, operæ pretium tamen fuisse duxit, vt nihilominùs Petrus & Ioannes eo se conferrent.

Eat nunc Velenus, & arguetur: Roma Narcissum habuit, Andronicumque, & Iulian atque Priscillam, & Aquilam, idcircò nihil opus habuit Petri præsentiam desiderasse. Necessaria profectò fuerat Petri præsentia Romæ, cum ob alias causas, tum quòd magi Simonis artes apprimè callebat, cuius gratia potissimùm, & Samariam pridem accessit. Nam vt in actis proditur, ille apud Samariam artem exercebat magicam, ac gentem Samariæ dementabat, dicens se esse queinpiam magnum, cui auscultabant illi à minimo vsque ad maximum, dicentes: hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Hactenùs ex actis, cap. 8.

Ob huius nimirùm artes Apostoli, qui tum erant Hierosolymis, metuentes ne Samaria conuersa relaberetur, Petrum & Ioannem eò miserunt. Pudefactus itaque Simon, illicò recessit Antiochiam, quò, & Petrus haud diu posteà se recepit. Cæterum & indè cum esset per Petrum fugatus, Romam se contulit. Ob quam rem, & eum secutus Petrus, tandem venit Romam. Nam eadem causa, quæ Petrum ante ad Samariam, & post hoc Antiochiam traxit, iam adegit quoque Romam adire. Si non eius conflictationis, quam Romæ cum Simone Petrus habuerat, plerique scriptores meminerint, inter quos & Ægesippus est, nemo nobis credat. Sed iam ad Orosium veniamus, ex cuius historia, nobis aduersarius citat, Tiberij tempore Senatum edicto constituisse, exterminandos ex Vrbe Christianos. Quamobrem, & oportuit Tiberij tempore, Christianos Romæ fuisse. Sed audiat aduersarius, quid idem Orosius eiusdem libri cap. 4. scripserit, in hunc modum: Exordio regni Claudij, Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit. Exin Christiani Romæ esse cœperunt. Hactenus Orosius.

Audiat istud Velenus, nempè cœpisse Romæ Christianos post aduentum Petri, & ori digitum apponat. Idem testatur, & Eusebius cap. 14. lib. 2. de Petro loquens: Salutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Roma Euangelij sui clauibus, ianuam regni Cœlestis aperuit. Ecce primus in Vrbe Roma, Petrus verba salutaris prædicationis, hoc est, clauibus Euangelij sui, Cœlestis Regni ianuam Romanis aperuit. Nec contradicit Orosius sibi. Stat enim & conuersos aliquos ex Iudæa, vt supra diximus, Romam ante Petrum venisse, qui nihil ibi publicitus docuerunt, & tamen Petrum primum fuisse, qui Romanis erat concionatus, & ex ipsis Romanis aliquot ad Christianismum conuertetit. Cæteri verò, quia præter Orosium nihil alicuius momenti afferunt, nullam à nobis exigunt responsionem. Et hactenùs pro responsione ad tertium Cauillum dictum sit.

CAVILLVS IV.

Qvibus ea res magis comperta fieri debuit, atque Discipulis Apostolicis, & qui proximè viguerunt post Apostolos. Ac illi hoc nobis indubitato prodidere, Petrum, & Paulum Romæ passos fuisse, quorum vnius videlicèt Lini, Timotheum salutauerat nomine Apostolus dicens: Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus. Alterius autem in actis Apostolicis celebratur memoria, inquiente Luca; Quidam verò viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus, & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. Præterea Ægesippus, qui Aniceti X. post Petrum Romani Pontificis tempore Ro-

mani

mam aduenerat, in laudibus fidei Christianæ versatus, eiusce passionis Petri, & Pauli meminit.

Responsio.

Si mihi nil aliud esset, quatenus probem passiones illas Petri, & Pauli, ab eorum Discipulis non fuisse conscriptas, diuersitatem illam, & discrepantiam, quæ illic reperitur, firmissimæ probationis loco ponerent. Sed quia sunt mihi pleraque multa ad perditam hanc suspitionem tollendam, illius ne meminero quidem. Persuasum est doctis omnibus, non modò Discipulis Apostolicis, sed & ipsis Apostolis adhuc superuenientibus hanc iniuriam sæpius factam fuisse, vt multa eorum sub nomine Christianæ professioni repugnantia, in publicum ederentur. Nomine enim Pauli (vt Origenes testis est) ad Thessaloniceos, à pseudnApostolis, quo faciliùs deciperentur, porrecta fuit epistola. Quos Apostolus re tandem comperta, propria ad eosdem data epistola admonet his propè verbis: Non citò mouamini, inquit, à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam. Et Hieronymus visionem Pauli, & Teclæ, ac baptizati Leonis fabulam sub nomine Pauli, à quodam Asiæ Presbytero fuisse editam scribit, quod ipsemet posteà, Tertulliano teste, se fecisse Pauli amore confessus est. Clementis item, cuius, Apostolus ad Colossenses scribens, mentionem facit, multis erroribus hæretici resperserunt libros, quorum quidam Eunomij hæresim sapiunt.

Nam disputat quodam in libro filium Dei ex nullis extantibus creatum. Item dæmones non voluntatis malitiam fecisse, sed creaturam eos esse diuersæ qualitatis ab alijs productam. Et longè plures alij inibi reperiuntur errores. Rursum Dionysij cuiusdam Alexandrini Episcopi, vsque adeò deprauati sunt libri, vt eius auctoritate Arrianorum hæresis, filium Dei non eiusdem substantiæ esse cum patre ausa sit confirmare. Origenis nondum mortui, tot iam subdititijs erroribus scatebant libri, vt sæpiusculè hanc iniuriam deplorasse legatur. Et Ruffinus in Apologia pro Origene; De hæreticorum, inquit, temeritate, vt credi istud scelus facilè possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum, quòd abstinere impias manus, etiam à sacrosanctis quidem Euangelij vocibus non potuerunt.

Apostolorum verò, vel actus, vel epistolas qualiter polluerint, qualiter corroserint, qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia, vel auferendo, quæ pia sunt, si quis vult pleniùs scire, ex his libris Tertulliani, quos aduersus Marcionem scripsit, plenissimè recognoscet. Et alibi inquit: Peruersi homines assertionem dogmatum suorum, sub virorum sanctorum nomine tamquam faciliùs credenda inseruerunt ea, quæ ipsi nec sensisse, nec scripsisse credendi sunt. Et ideò Origenes homilia 26. super Matthæo dicit: Oportet cautè considerare, vt nec omnia secreta, quæ feruntur in nomine sanctorum suscipiamus. Quantum ad Dionysium Areopagitam attinet, nulla est cunctatio, quin passio illa Petri, & Pauli ei adscripta non sit subdititia, probant enim, & Laurent. Val. & Erasmus Rot. in annotationibus libros, qui sub nomine eius circumferuntur, falsò ei attributos, vt sunt de Cœlesti Hierarchia, de Theologica Hierarchia, de diuinis nominibus, & cætera.

Nondum enim Ecclesia, cuius tempore viguerat ille, tantam nouerat cæremoniarum turbam, quanta in eis libris traditur. De cætero autem Petri, & Pauli, sub nomine Lini euulgatæ passiones, tantùm habent permixtæ sibi falsitatis, vt in multis, non modò Christo, & Paulinis literis, sed & Petri ipsius contradicant sermonibus, quòd equidem nisi me prolixitas arceret, promptum esset ostendere. Persuadeò tamen mihi græculum quempiam (vt Iuuenalis vtar verbo) mendacem, & lenonem potiùs aliquem, quàm Linum has passiones commentum fuisse, qui Paulinam ad Timotheum epistolam olfecerit magis aliquando, quàm intellexerit. Nàm cùm mendacem memorem esse oporteat, ille obliuione sua ingenuè, se mentitum ostendit. Arbitror eum legisse aliquando Paulum his verbis Timotheum ad sese allectantem: Festina ad me venire citò. Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus; qui quidem impostor non habens perspectum, vndè Apostolus epistolam ad Timotheum miserit, & vbi se locorum expectaturum dixerit, & vbi Titus, ac Crescens recedentes Apostolum reliquerint, passionem Pauli, ad hunc modum exorditur: Cùm venissent Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerunt Paulum in vrbe, quos cùm adueniens Paulus vidisset, lætatus est valdè, & conduxit sibi extrà vrbem horreum publicum.

Hæc verba illius, in quibus Apostoli primùm oblitus est dicentis: Crescens abijt in Galatiam, Lucas mecum solus est. Nàm præpostere Lucam dicit redijsse è Galatia, quò numquam abierat ipse, sed indiuiduus Apostoli fuerat minister. Et Apostolus Crescentem dixit petijsse Galatiam. Proindè credibilius fuisset, si eumdem redeuntem Galatia, hìc leno posuisset. Post hæc subinsert: Expectauerunt Paulum in vrbe, quasi Paulus è carcere quopiam recedere potuerit, & non aduentum Timothei, ac Marci, quos optauerat antè hyemem ad se venire, expectauerit, quomodo ergò venerat Romam, vndè non recesserat? Aut quomodo Lucas, & Titus expectassent aduenturum Apostolum, quem in carcere detineri sciuerant? nimirùm cùm Galatiam, & Dalmatiam proficiscentes, illic eum reliquerint. Vlteriùs scribit: & conduxit sibi horreum publicum, vbi cum ijs, & alijs fratribus de verbo vitæ tractaret, cœpitq; interea corrigere multitudinem maximam, & adijciebantur per eum fidei multæ animæ, operante Dei gratia, ità vt per totam vrbem sonus prædicationis, & sanctitatis eius fieret, & exiret fama, per vniuersam regionem de illo. Hæc ipse, sed Paulus diuersum quiddam in epistola sua dicit: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam

non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Confer verba Pauli, ac Linnis huius. Hic inquit, conduxit sibi horreum publicum. Ille, Onesiphorus catenam meam non erubuit, nisi fortè cùm catena ex aliquo carcere Romam Paulus profugerit, qua se liberare non poterat.

Hìc dicit, quòd fama, non modò per vrbem, sed & per omnem regionem, vndique de eo ferebatur, & concursus hominum ad eum fiebat. Ille verò Onesiphorum dicit solicitè se quæsiuisse, ac vix tandem inter catenas inuenisse, mirum quòd fama, quæ de Paulo volitabat, illac eum non perduxerit. Atque in hunc modum totam illam passionem, & alteram Petri possem suppilare, sed proprij voluminis, hoc iam esset negotium. Hæc enim pauca, ideò refello, vt maximum eorum ostendam mendacium, qui passiones has commentitas, & incerto auctore natas, in Linum transfundunt. Non enim tàm rudis fuerat Linus, qui tunc Paulo adhærebat, cùm epistolam ad Timotheum scripserat, vt statim dictorum obliuisceretur, immò confunderet verba Paulina, & diuersa scripserit ab eo. Quòd idem sentirem, & de Ægesippo qualitèr enim homo ille post multa tempora Romam veniens, historiæ seruare potuisset veritatem? Qui neque rei gestæ aderat ipse, neque Roma illa tempestate de eorum passionibus quicquam sibi conscia erat, siquidem multis post Ægesippum temporibus fabulam hanc fuisse fictam, certùm est.

RESPONSIO.

FAcilè fuerit ad hunc modum, scriptorem vnumquemque reijcere, si propter eiusmodi cauillos, nullius essent auctoritatis habendi. Nàm quis mihi quemuis auctorem dabit, cui, si meæ sententiæ fuerit contrarius, non obijciam: vel quòd eius scripta per hæreticos deprauari potuissent, vel quòd adesse nonnihil erroris, in eo calumniabor? At nisi, quis vel deprauationem palàm ostendat, vel idipsum errorem esse conuincat, quo nobis auctor ille subscripserit, nullo iure videri potest à nobis repellendus. Quid enim si Pauli nomine conficta fuisset quædam ad Thessalonicenses epistola? nùm ob id cæteris minorem habituri sumus fidem? Absit. Sed ea sola, quàm constat esse commentitiam, nullius apud nos momenti putetur. Reliquis verò quibuslibet, de quibus nulla prorsùs eiusmodi suspicio fuerit, honor manebit inuiolatus.

Doceat igitur Velenus si potest, qua ratione quisquam hæreticorum fingere voluisset, Petrum fuisse Romæ, aut cuius hæresis hac opinione, vel rantillum promoueri potuisset. Quòd si nequeat, vt & profectò nequit, cùm idipsum hæreticis, longè magis aduersetur, quàm prosit, non video cur suspicari quisquam debeat, illud cuiusplam auctoris operi fuisse ab hæreticis interfertum. Nec obstat illud Origenis, cùm admonet non oportere omnia à nobis suscipi, quæ sub nomine sanctorum feruntur. Nàm aliud est, non suscipere omnia, & aliud nulla suscipere. Voluit igitur Origenes, vt non sinè delectu susciperemus. Et propterea dixit: Oportet cautè considerare. Sed noluit, vt illud repelleremus, in quo nulla esset mali suspitio, quodque semper à primordijs Ecclesiæ fuisset, ab omnibus receptum. Cuiusmodi constat, & istud esse, de quo iam conflictamur, nempè quòd aliquando Romæ Petrus fuisset. Nàm ad hunc vsque diem, nemo repertus est, præter vnum Velenum, & hunc, vt nihil aliud dicam, Ecclesiæ Romanæ capitalem hostem, qui negarit vnquam Petrum fuisse Romæ, cùm tot, & tàm eximij scriptores, & ijdem vetustissimi, de quibus antè diximus, idipsum toties, & tàm vnanimitèr affirment. Esto sit nonnulla de anno, siuè de die, quo fuissent Apostoli necati, varietas. Nihil hoc obstare debet, quin Romæ fuissent necati, sicut nec de Christi morte Hierosolymis facta, dubitare licèt, cùm tamen, vt superiùs ostendimus, inter scriptores non de anno solùm, verùmetiam de die, quo fuerat crucifixus, haud parua controuersia est. Varietas igitur, quæ inter scriptores contigit de tempore necis Apostolorum, non amputat fidem huius, quòd Romæ fuissent necati, & præsertim, si nullum aliud esset indicium, quàm quòd Romæ tanta Petri, Paulique cineres, ad hodiernum vsque diem habeantur veneratione. Sed ex tanto scriptorum numero, tres duntaxat carbone notauit aduersarius, nempè Dionysium, Linum, & Ægesippum. At expendamus, quid istis obiecerit. Quantum ad Dionysium, inquit, Areopagitam attinet, nulla est cunctatio, quin passio illa Petri, & Pauli ei adscripta, sit subdititia. Probant enim & Laurentius Valla, & Erasmus Roterodamus, libros, qui sub nomine eius circumferuntur, falsò ei attributos. Atqui si Dionysij ipsius non fuerint? nùm propterea quicquid in eis contineatur, illicò damnari debeat? Plurimùm vtique Laurentij, sed multò magis Erasmi, iudicio tribuendum puto, qui nec reijcit tamen, quæ in ipsis libris tradita sunt. Rursum, Commenta mendaciaquæ vocat aduersarius, quæ Lino de Petri, Paulique passionibus, attribuuntur. Sed qua ratione? Ea nimirùm, quòd cùm Paulus epistola ad Timotheum secunda scripserit, abijsse Crescentem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, & solùm apud se Lucam tùm esse, passio tamen Pauli, sic inchoat: Cùm venisset Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerunt Paulum in vrbe; hactenus ex aduersario. Sed quid ista repugnant? Spectant enim ad diuersa tempora, quæ vel ordiat præpostere, vel inter se perperam commiscet aduersarius. Nàm id, quod Linus scribit, factum est, priusquam Paulus Romam secundò venisset. At illud ad Timotheum scriptum fuit, posteaquam venisset, & esset in vincula coniectus. Et quid prohibet, quo minus, vel ab Hispania, vel ab alia quauis regione rediturus Romam Paulus, præmisisset Lucam in Galatiam, aliquorum negotiorum gratia, & Titum similiter in Dalmatiam, & quod ijdem redijssent Romam, priusquam huc se recepisset Paulus? Et posteà rursùm quàm Romam aduenisset, quid vetat, Titum iterum in Dalmatiam misisse, & Crescentem in Galatiam, Luca solo secum remanente? Sed dicit aduersarius Lucam indiuiduum fuisse Pauli ministrum. Fuit vtique Lu-

Lucas miniſter Pauli, ſed non ſic indiuiduus, vt numquam alicuius negotij gratia diſceſſerit ab eodem. Id quod non ſolùm ex Actis patet, verumetiam ex epiſtola ad Corinthios poſteriori, quam per Titum, & Lucam fuiſſe Corinthijs redditam, omnes confitentur. Sed & ipſe Paulus in eadem ſcribit, vbi de Tito fecerat mentionem. Miſimus, inquit, vnà cum illo fratrem eius, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias, nec id ſolùm, verùm etiam delectus eſt ab Eccleſijs, comes peregrinationis noſtræ, haud dubiè Lucam apertè ſcribens. Porrò quod de horreo publico dicit aduerſarius, quid vetat Paulum, horreum conduxiſſe, priuſquam denuò in carcerem fuiſſet detruſus? Nec diuerſum eſt, quod ait Paulus, det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: Nam hoc factum eſt, poſteaquam eſſet Paulus ſecundò coniectus in vincula. Liquet igitur nullius eſſe roboris ea, quæ aduersùs Linum produxit aduerſarius. Neque profectò minus puerilitèr ſigillat Ægeſippum.

Quid enim ſi poſt multa tempora veniſſet Romam Ægeſippus? numquid non hiſtoriam ante ſcripſiſſe potuerit? Sed, & illuc accedens, nonne quæ fide publica didiciſſet ab alijs, ipſe literis pari fide potuit commendare? Cæterum hiſtoriam, quæ paſſim Ægeſippi nomine circumfertur, vel ex eo conſtat authenticam eſſe, quòd eam diuus Ambroſius latinam reddiderit, id quod haud quaquam tantus vir feciſſet, ni certò ſibi conſtitiſſet de auctore. Sed ſi dederimus aduerſario, trium horum libros fuiſſe commentitios, quid aduerſum reliquos hiſcere valebit? De quorum libris nemo dubitat, quique nec paruo numero ſunt, nec auctoritatis à quouis contemnendæ. Cæterum præter innumeros ſcriptores, tot eiuſdem rei monumenta ſuperextant, vt non poſſit non impudentiſſimus eſſe, qui contradicere moliretur. Prætereò conſtantiſſimam famam, quam hiſtoriç legem, cum alij tum Hieronymus nominatim appellat, taceo Myrſilij, Methaſtenisque Canones, quibus huius hiſtoriæ veritas exactè comprobari poſſit. Vereor enim ne mea prolixitas nimio lectorem affecerit tedio. Sed candidiores boni conſulent, ſcientes, quod argutationibus vſque adeò prolixis, paucis verbis reſponderi non poteſt. Cæterum iſta ſufficere putamus ad efficacem rarum labefactionem.

CAVILLVS V.

AT Eccleſia Romana, verba ex paſſione Lini, quem tu Leonem potius aliquem, quàm Linum fuiſſe blaſphemas, deprompta, anuuatim decantat, id neutiquam factura, ſi eam non legitimè deſcriptam ſciret. Inter cætera in paſſione Petri, & hæc ponuntur verba: Vt autem portam ciuitatis voluit egredi Petrus, vidit ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum ait: Domine quò vadis? Reſpondit ei Chriſtus, Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus: Etiã iterum crucifigar. Petrus autem dixit: Domine reuertar, & ſequar te. Et his dictis, Dominus aſcendit in cœlum. Petrus autem proſequutus eſt eum multo intuito, atque dulciſſimis lacrymis. Et quo id magis factum credatur, hactenus extat ibi loci exædificatum ſacellum, vbi hæc habita ſunt verba.

RESPONSIO.

BEnè habet, quòd vniuerſalis Eccleſia ſancta prophanum hoc mendacium contrà Chriſtum, contrà Paulum, immò contrà ipſummet Petrum, ac fidem catholicam non decantat, Orientales enim Eccleſiæ, quod ſat ſcio, & multi etiam in Occidente fidelium hanc vocem non recipiunt. Romanam verò Eccleſiam hæc mendacia approbare, profiteri, decantare quid prohibet? quæ mendacijs eſt alioqui refertiſſima. Potuitnè diſcipulus Apoſtolicus hæc portenta horrendiſſima toto cçtui fidelium ſcribere, vt iam Chriſtus Petro occurſurus tunc è cœlis deſcenderit? Et tanquam Petrus Chriſti verbis admonitus, rurſum Romam ſeſe recepit, fratribus ea, quæ euenerant, nunciaturus. Quid Petrus enim hac fabula apud eos promouiſſet non intelligo, quam vt pro ſeductore, & mendace haberetur ab omnibus. Qui quondam ad Iudæos de Chriſto loquutus, vt Actuum habetur tertio, dixerat: Oportet quidem cœlum Ieſum Chriſtum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ loquutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum, à ſeculo prophetarum. Quomodo tunc ergo cçlum terris Chriſtum reddiderat ante conſummationem omnium, quæ circa diem iudicij primùm eſt futura, dicentibus etiam Angelis ad eos, qui intuebàntur Chriſtum in nube pergentem ad cçlum: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum. Quod explanat Matthæus de aduentu eiuſdem ad iudiciũ. Videbunt, inquit, filiũ hominis veniẽtem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate, quemadmodũ enim in nube aſcenderat, ſic in nube ad iudicandum reueniet.

Ecce quã inconueniat credere, vt vnquam Chriſtus in ea perſona, qua à nube correptus in cœlum euolauit, in terras deſcenderit. Sed reuera ad diem iudicij primùm à fidelibus expectatur rediturus, vt ad eam ſententiam Pſalmiſta quoque alludit: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Vnde numquam adhuc perſonaliter deſcendiſſe creditur, vt alicui ſanctorum in terris apparuerit. Enimvero in cœlis ſemper apparere dignatus eſt, & abinde ad eos, & loqui. Stephanus enim intendens in cçlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Et Paulum appropinquantem Damaſco ſubitò circumfulſit lux de cœlo, qui cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule Saule quid me perſequeris? Qui tremens, ac ſtupens dixit, quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Quod ille, de ſua conuerſione mirificatum illic, cum Iudæos alloquitur, Act. 22.

Act.22. tum vbi apud Agrippam, & Festum præsidem, Act.26. data ei fese defendendi copia proprijs verbis attestatur. Cum item (inquit) Damascum, cum potestate, & permissu principum sacerdotum, die media in via vidi, rex, de cœlo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen. Et Petro olim, an gentibus prædicandum sit Euangelium hallucinanti, non quidem personaliter Christus apparuit, sed in extasim raptum, ne quid commune diceret, ac immundum, edocuit.

Et nusquam prorsùs post ascensionem suam alicui sanctorum apparuisse, in eo habitu, quo post resurrectionem suam, per dies quadraginta conuersatus est cum discipulis, conuescebatur, & loquebatur eis de regno Dei, Christum in sacra scriptura legimus, immò nec aliquando appariturum priùs, quàm dies iudicij venerit, credimus, fide catholica Christiani instructi. Quantum flagitium ergo, tanta contra legem Dei mendaciorum simulacra discipulo Apostolico attribuere, quibus bonum ille virtutis specimen de sese præbuerat, eorumque doctrinam pulchrè percalluit? Possem hic, & de sacello, quod in huius mendacij robur extructum est, nonnihil dicere, & probare copiosè, nullum sacellum, nec aliquam basilicam ad aliquot annorum centurias Romæ, & locis ei adiacentibus exædificatam fuisse, sed Christianos in latebris, & speluncis subterraneis conuenire solitos, vel ad mortem Domini annunciandam, vel hymnis, & orationibus Christi suffragium, & diuinam gratiam sibi demerendam.

RESPONSIO.

Intelligis lector, quid ex his aduersarius moliatur? Nempè quòd Christus prædicta non sit locutus Petro. At qua ratione? Nimirùm, quia nunquam à cælo descenderit Christus, citrà quam eò conscendisset, sed nec vnquam indè descensurus est ante iudicij diem. Id quod ex sacris literis astruere conatur. Et primum, ex ipsius Petri verbis Act.3. Oportet, inquit, cœlum Iesum Christum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo prophetarum. Quomodo ergo cœlum terris Christum reddiderat ante consumationem omnium, quæ circa diem iudicij primum est futura? Respondemus, quòd ex hac scriptura nihil ampliùs colligitur, quàm quòd Christus in Cœlo perpetuò sit mansurus, donec ad iudicium venerit. Neque istud quicquam aduersatur historiæ priori, quandoquidem Christus mirifica sua potestate se præsentem terris corporaliter exhibere potest, manens in cœlo nihilominus apud dexteram patris inconuulsibilem.

Nam istud, omnes, quotquot orthodoxi sumus, quotidie fieri nihil dubitamus, Christum enim in altaris sacramento verè præsentem credimus, & nihilominus apud patrem quoque verè præsentem in cœlis. Dedit enim haud dubiè ministris Ecclesiæ, sui corporis consecrandi potestatem, cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Et rursum, quod consecratum est, affirmauit verè suum corpus esse, cum dixerit, Hoc est enim corpus meum. Perspicuum est igitur, quòd Petri verbis ab aduersario recensitis, nihil repugnat quòd corporaliter, & personaliter Christus præsens fiat in terris. Neque enim ab eius persona corpus eius quouismodo separatur. Adde, quòd nisi quis diuorum vitas, quæ ad magnam Ecclesiæ totius vtilitatem conscriptæ sunt, penitus contemnere velit, ex eis abundè confirmabitur assertio nostra. Nam vt illæ testantur, sæpenumero Christus semetipsum eis præsentem exhibuit ad non mediocrem eorum consolationem; vt nihil mirum fuerit, si Petro iam in tantis angustijs constituto, Christus apparuisset. Ad hæc, non potest Paulus fuisse mendax, cum dixit se vidisse Dominum Iesum. Sic enim primæ ad Corinth.9. testatur: Annon sum Apostolus? inquit. Anon sum liber? Annon Iesum Christum Dominum nostrum vidi? Quod & dixit, ne cæteris Apostolis, qui Christum in terris corporaliter secuti sunt, habendus esset inferior. Et rursum cap.15. Postremò verò omnium velut arbortiuo visus est & mihi. At cum istud Paulus ad ostendendam veram carnis resurrectionē eo loci producit, oportuit eum vtique vidisse Christum corporaliter, & personaliter. Præter hæc, & locutum ei multa Christum fuisse, palàm est ex Actis, tam 9. c. quàm 22. Sed & Barnabas Act.9. narrauit Apostolis, quomodo Paulus in via Christum viderit corporaliter, & audierit ad se loquentem, quid prohibet quò minus, & idem contigisset Petro? Nam sicut in Actis traditur, quòd cum Paulus viso circumfulgurante lumine collapsus est in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saul Saul quid me persequeris? clamauit: Quis es Domine? Cui Dominus: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Et Paulus tremens, & stupens, ait: Domine, quid me vis facere? Subiecit Christus: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Quid huic colloquio dissimile refertur in historia Petri?

Quamobrem vt vera fuit historia, quæ de Paulo loquitur, ita & vera potuit esse, quæ refertur de Petro. Nam vtrique tam Petro, quàm Paulo, Christus corporaliter adeò propinquus fuit, vt videri potuerit ab vtroque pariter, & audiri. Cæterum huius historiæ de Petro neq vnicus testis est, sed plerique subscribunt eidem, & nominatim Eusebius, Linus, Ægesippus, Ambrosius. Sed ista, quæ iam respondimus, abundè satis deijciunt aduersarium.

CAVILLVS VI.

Marcus Euangelista Petri discipulus à præceptore admonitus Romæ scripsit Euangelium. Quod Petrus, dum audiuit, & approbauit, Ecclesiæ ad legendum auctoritate sua edidit, vt & Clemens libro informationum scripsit, & Hieronymus de viris illustribus meminit. De quo Petrus in epistola sua loquitur: Salutat vos Marcus filius

meus;

meus; qui poſt conſcriptum tandem Euangelium Ægyptum perrexit, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, illic Eccleſiam conſtituit, exantlatiſque laboribus, Neroniani Imperij anno 8. vita functus eſt. De cuius conuerſatione apud Alexandriam, Philo quoque Iudæus librum concinauit.

RESPONSIO.

QVi Clementi adſcribuntur libri, minus eſt tutum eis credere, quoniam eorum quidā ſuppoſititij ſunt, ac falsò Clementi adſcripti, quidam verò magna ex parte deprauati, ac erroribus infecti, vt iam antea probauimus. Itaque ſciendum quòd in noui teſtamenti libris, duos Marci cognomine fuiſſe inſignitos inuenimus, quorum prior dicebatur Ioannes Marcus. Et de hoc legitur Act. 13. Quòd Paulo cum Barnaba Antiochiæ inter prophetas, & Chriſti nominis doctores exeunte, poſteaquam viſum eſt Spiritui ſancto, vt ad opus miniſterij ſegregarentur, ſeniores impoſitis ſuper eos manibus in miniſterium eos confirmarunt. Qui profecti in Seleuciam, venerunt tandem in Cyprum inſulam, & Salaminam eiuſdem inſulæ vrbem, Chriſtum per Synagogas annunciantes; quibus erat adiunctus, & hic Ioannes, qui cognominabatur Marcus, non reprobus quidem miniſterio. Poſtquam autem peruenerunt Paphum vrbem in Cypro inſula ſitam, & indè nauigare vellent Pamphiliam, iam dictus Ioannes Marcus renuit proficiſci cum eis, ſed è conuerſo redit Hieroſolymam, & poſthac Antiochiam, Quò aſcendentibus poſt aliqua temporum interualla Paulo, & Barnaba, & aliquandiù Chriſtum illis docentibus, dixit ad Barnabam Paulus: reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeant, Act. 15. Barnabas verò ſecum volebat aſſumere, & Ioannem cognomento Marcum, qui pridem iam ab eis deſciuerat, ſed Paulus hunc rogatum habuit, ne id faceret, eò quòd non conueniat eum deinceps in munus Euangelicum reaſſumi, qui antea ab eis defecerat.

Et pergentes, Pamphiliam relinquens, diſceſſit Hieroſolymam. Et hinc orta eſt inter eos diſſenſio, ita vt alterutrim ſepararentur. Nam Barnabas aſſumpto Marco perrexit Cyprum, & Paulus electo Syla recepit ſe in Syriam, & Ciliciam. Qui quidem Marcus, Barnaba ob nomen Chriſti in Cypro impiiſſimè trucidato, quòd Ægyptum tamdem iter occupauerit, nemo id inficias, cum Philo magni nominis ſcriptor in Alexandria vrbe Ægypri propè oſtium Nili ſita, Chriſti nomen ipſū annunciaſſe prodat. Et Petrus ex Chayro, hoc eſt, Babylone, quam Stephanus, & Ptolomæus in Ægypto ſitam eſſe tradunt, epiſtolam ſcribens ipſius meminit, Salutat vos, inquiens. Marcus filius meus. Credibile eſt enim hunc Marcum Petro familiarem fuiſſe, cum Alexandria non procul à Chayro diſtet. Et de hoc Marco multa figmenta reperiuntur. Primum, quòd dum crediderit in Chriſtum, amputaſſe ſibi pollicem, vt ſacerdorio reprobus efficeretur. Deindè quòd Romæ ſcripſerit Euangelium ad vota Petri; quod protinus falſum eſt. Nuſpiam enim hunc Marcum perindè, nec Petrum in libris Canonicis Romæ aliquando fuiſſe inuenimus. Et ſcriptorum varietas mendacium hoc declarat. Hieronymus enim Clementis authoritate ſcribit, Marcum rogatum à fratribus Chriſti Euangelium ſcripſiſſe. Alij verò, quorum è numero, & Platina non ignobilis eſt hiſtoricus, tradunt, quòd Petrus Romanorum precibus motus, Marco, qui ad hanc rem videbatur idoneus, Euangelij conſcribendi negotium iniunxerit, quem omnes velut ex compoſito, octauo anno Neronis obijſſe, Alexandriæque ſepultum fuiſſe ſcribunt. Verum enimuero hos decepit eorum indiſcretio. Non enim alium Marcum inter Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe crediderant, & ideò quicquid de vtroque legitur, ad vnum falsò retulerunt.

Alter namque fuerat Marcus, nomine Ariſtarchus, qui cooperator, & diſcipulus fuerat Pauli, de quo ipſe in priori captiuitate ſua, qua biennio Romæ à Nerone detinebatur, ad Philemonem ſcribens, mentionē facit. Salutant te Marcus Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Denique vbi iam ſecundario in manus deuenit Neronis, & ingrauescente ætate, ac laboribus confectus, diem obitus accelerare videns, Timotheoque è carcere ſcribens, eiuſdem Marci iterum meminit: Feſtina ad me venire citò, Lucas enim mecum ſolus eſt, Marcum itaque aſſume, & adhuc tecum, eſt enim mihi vtilis in miniſterio: penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens, affer tecum, & libros, maximè autem & membranas. Quod Iacobus ille Stapulenſis non omnium deterrimus Apoſtolicus interpres, pulcherrimè exponit inquiens: Lucam ſecum habebat Apoſtolus, Marcum autem mandat obnixè, & membranas, quæ apud Carpum erant, deferri. Sed ad quidnam, niſi vt Lucæ, & Marco, electis à Spiritu ſancto diuinis ſcribis, eas relinqueret ad reponendum ſanctum Euangelium? Quid apertius his verbis dici poterat, quàm quòd Marcus Ariſtarchus, & non Ioannes Marcus ſacrum Euangelium conſcripſerit? qui facilè Neronis imperij annos ſuperauit, cum Apoſtolus circiter tredecimum eiuſdem imperij annum, epiſtolam hanc ſcribens, eum ſibi à Timotheo adduci poſtulat. Neque idem, ne quem id moretur, Ariſtarchus & Ioannes apud Hebræos ſonat. Ariſtarchus enim perindè Hebræis ſignificat, ac ſi dicas, ſuſcitans coronam. Ioannes verò gratia Domini. Ex his euidentiſſimè patet, fabulam eſſe, quod de Petro, & Marco quidam ſcriptitant.

RESPONSIO.

SVmma totius huius prolixæ reſponſionis in hoc conſiſtit, quòd duo fuerint, quorum vterque dictus ſit Marcus, alter Ioannes Marcus, de quo ſæpè in Actis fit mentio. Alter Marcus Ariſtarchus, cuius & meminit Paulus in epiſtola ad Philemonem dicens: Marcus Ariſtarchus, Lucas, adiutores mei. Et hunc Marcum Ariſtarchum aduerſarius aſſerit Euangelium ſcripſiſſe, non illum Ioannem Marcum, in cuius rei partem, & Fabrum citat teſtem. Sed nos hic primum oſtendemus,

mus, neminem in facris literis vocatum Marcum Ariſtarchum, non eum ſaltem, cuius Paulus ad Philemonem meminit. Nam in ea epiſtola prorſus alius eſt, quem Paulus Marcum vocat, & quem Ariſtarchum. Quod & ità fiet dilucidum. Eodem ipſo tempore, quo ſcripſit ad Philemonem Paulus, ſcripſit & ad Coloſſenſes, quod & ſupra docuimus ex Hieronymo. Nam etſi Tychicus ad has perferendas miſſus fuerit à Paulo, miſſus tamen ſuit cum Oneſimo, qui alias pertulit ad Philemonem. Sic enim Paulus ad Coloſſenſes teſtatur, de Tychico locutus: Quem, inquit, miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcat quid agatis, & conſoletur corda veſtra, vna cum Oneſimo fido, ac dilecto fratre, qui ex vobis, hoc eſt, qui veſtras eſt, nempè Coloſſenſis, vt erant illi. Propter quod, & Hieronymus ſubinfert: Ratio, inquit, ipſa & ordo deducit, quòd & Philemo quoque Coloſſenſis ſit, & eo tempore ad communem, & omnem Eccleſiam Oneſimus epiſtolam tulerit, quo priuatas & ſui commmendatrices ad Dominum literas ſumpſerat. Sed & aliud indicium annotauit Hieronymus, nimirum, quòd in vtraque epiſtola meminerit Archippi. Nam in ea, quæ ad Coloſſenſes inſcribitur, ſic ait: Dicite Archippo. Vide miniſterium, quod accepiſti à Domino, vt illud impleas. In altera verò ad Philemonem, in ipſa mox epiſtolæ fronte ſalutat Archippum: Et Archippo, inquit, commilitoni noſtro.

Tertium inſuper indicium eſt, quòd in vtraque ſe vinctum fuiſſe teſtatur. Sic enim ad Coloſſenſes ait: Propter quòd, & vinctus ſum. Et ad Philemonem: Paulus vinctus Ieſu Chriſti. Poſtremò quartum indicium eſt, quod & ad rem noſtram maximè facit. Nempe quòd in epiſtolæ receſſu, totidem vtrobique, licet non eodem ordine, ſalutantes introducit. Sex enim memorat ad Coloſſenſes, videlicet Ariſtarchum, & Marcum, Ieſum & Epaphram, Lucamque, & Demam. Et totidem, ni ſallor, apud Philemonem reperirentur, ſi non hallucinatum fuiſſet in nomine Ieſu. Sic enim ad Philemonem habetur: Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Quòd ſi nomen Ieſus in recto fuiſſet poſitum, iam totidem in hac epiſtola ſalutantes numerabis, quot in illa, quæ ad Coloſſenſes data fuit, vt ſi ad hunc modum legeremus: Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto, deindè ſequatur, Ieſus, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas adiutores mei. Vt cumque fuerit, palàm eſt Marcum, & Ariſtarchum, quemadmodum in epiſtola ad Coloſſenſes, duo ſunt, ità & in hac ad Philemonem duos eſſe, cum vtraque epiſtola eodem tempore fuiſſet conſcripta. Huc accedit, quod aduerſarius fatetur, hunc Marcum, cuius Paulus meminit ad Philemonem, Euangelium ſcripſiſſe, quòd nos ſecundum Marcum appellamus, & proindè negare non poteſt eumdem à Petro vocatum fuiſſe filium. At is, quem Petrus filium vocat, erat conſobrinus Barnabæ, vt ex Actis mox docebimus.

Quamobrem, & idem cum eo ſit, oportet, de quo mentionem ad Coloſſenſes facit Paulus. Nam Paulus ibidem ita ſcribit: Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ. Sed age iam oſtendamus eumdem fuiſſe dictum Petri filium, & cognatum item Barnabæ. Primum in Actis cap. 12. traditur, quòd Petrus, protinus vt è vinculis Herodianis euaſiſſet, liber ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, ſe receperit. Vnde facilè conijcere licet, Petrum tantam erga Marcum beneuolentiam concepiſſe, vt deinceps eum vocaret filium. Verumtamen haud multò poſt, Paulus & Barnabas eumdem aſſumpſerunt in ſuum miniſterium, vt in eiuſdem capitis calce palàm ſcriptum eſt. Cæterum vt in 13. cap. traditur, cum Paulus, & Barnabas Pergen Pamphiliæ veniſſent, Marcus ab eis digreſſus, rediit Hieroſolymam; propter quod, & Paulus, cum poſtea Barnabas ei ſuaſit, vt Marcum denuò miniſtrum acciperent, non aſſenſit, atque ità Barnabas aſſumpto ſecum Marco ſeceden à Paulo, nauigauit Cyprum. Erat enim affinitate coniunctus Marco, quod & hoc loco Beda palàm teſtatur, Veriſimile igitur eſſe iam liquet ex ijs, eumdem fuiſſe Marcum, quem Petrus in epiſtola ſua filium vocauit, & quem Paulus ad Coloſſenſes vocat conſobrinum Barnabæ. Porrò cum in Actis non ſemel Ariſtarchi mentio ſit, numquam tamen appellatur Marcus. Quamobrem, & omni probabilitate caret, aut quòd is in epiſtola ad Philemonem Marcus Ariſtarchus dictus fuiſſet, aut quòd in duabus illis epiſtolis, nempè ad Coloſſenſes, & ad Philemonem, duos expreſſiſſet Paulus, qui nomine Marci vocarentur. Hæc igitur, vt arguturio, cui ſub cauillo 6. nititur aduerſarius, omnino refellatur, opinor ſufficere poſſe.

CAVILLVS III.

Philo Iudæus, vir literatum pollentiſſimus, ſub C. Caligula à gente ſua Romam miſſarius factus, dum nonnihil periclitaretur, ſecunda vice ſub Claudij Imperio illac remiſſus, cum Petro Apoſtolo de nonnullis contulit rebus, & tam arctiſſimas ſecum iniit amicitias, vt tamdem quotiens modò licuit, in libris ſuis Chriſtianos honeſtis traduxerit laudibus. Et in Ioannis Marci præconijs, pleno libro verſaretur, vt Hieronymus in libro de viris illuſtribus prodidit.

Reſponſio.

Has nænias, vel ſolus riſus potis ſit explodere. Quinam Philo Iudæus ſub Claudij imperio, Petrum Romæ conuenire poterat, quem numquam etiam Romæ fuiſſe tot iam rationibus perſuaſimus, ſiquidem Paulus in fine imperij Claudij Romanos literis ſuis fidei, ac virtutum admonens, & omnes preſbyteros, ſeniores & muneris Euangelici coadiutores, tamen etiam quoſdam plebeios ſalutans, ſolius Petri ne tantillum quidem meminit. Tandem quarto Neroniani imperij anno Romam perductus, Petrum illic non inuenit, & biennio ibi exiſtens, nullam Eccleſiam eius ſalutat nomine. Lucas ad quartum vſque Neronis annum Hiſtoriam Apoſtolicam Romæ ſcribens, Petri nullam mentionem facit, Paulus decem præter labentibus annis

ſecun-

ſecundario Romæ captiuatus, nullum Petri præſidium ſenſit, ſed ab omnibus ferè deſtitutus rem Euangelicam cum vno Luca tractauit: ſin verò ea ratione Philo Chriſtianos laudaſſe putatur, quòd cum Petro inierit amicitiam, ego in Iudæa potius id contigiſſe crediderim, vbi Petrus Chriſtum prædicando, ætatem ſuam conſumpſit, & mortem inibi paſſus eſt. Aut numquid ſolus Iudæorum Philo Chriſti nomen dignis encomijs extulerie? Ioſephus enim, qui non commemoratur alicubi Petrum, vel vidiſſe, vel amicitias ſecum pactum fuiſſe, tamen adeo honeſtam Chriſti mentionem in ſuis de antiquitatibus fecit libris, vt interim mirum videatur, è tam peruicaciſſima gente, aliquem reperiri potuiſse, qui tanto laudis præconio Chriſtum extulerit. Sed quid mirum, Ioſephum talia de Chriſto dixiſſe, cùm & dæmonum legiones Chriſtum prædicare cogerentur? Cuius & nos veritatem in multa diſcrimina perductam nunc defendimus, ſceleraque, & errores occidentalis Babylonis patefacimus, præmia immarceſcibilis coronę ipſius benignitate dubio procul adepturi.

RESPONSIO.

Vides lector, quibus hîc ſtrophis aduerſarius vtitur. Cùm enim debeat ad Hieronymi teſtimonium reſpondere, non id facit, ſed iaculum declinans, prætexit ſe validiſſimis ante rationibus firmaſſe, Petrum non fuiſſe Romæ. Atqui ſatiùs omninò fuiſſet iſtud non obieciſſe, quàm tali vaſricie ſubtrahere ſe certamini. Quid enim hoc aliud eſt, quàm ſe plané victum oſtendere? Neque enim tergiuerſari poteſt, quin Philo Iudæus aliquando Romæ fuiſſet, tantus eſt ſcriptorum in hac vna re conſenſus. Atque ideò ſubterfugium quærens comminiſcitur Philemonem cum Petro in Iudæa potiùs amicitiam contraxiſſe. Verùm hoc, ſi factum in Iudæa fuiſſet, æqua facilitate potuit ab hiſtoricis enarrari, qua modò referunt id Romæ fuiſſe geſtum. Cæterùm, quòd in Iudæa cum Petro colloquium habuiſſet Philo, nec vnum quidem auctorem aduerſarius citare poterit. Et ſanè probabile eſt, id non illibentiùs ab eis fuiſſe relatum, quàm quòd modò referunt Romæ fuiſſe factum. Neque video, cur, eo præſertim tempore, quicquam fingi potuiſſet, aut Philonis, aut Petri, aut Marci gratia. Humilior enim Romanus Clerus, & rerum ſecularium contemnentior ad vſque Hieronymi tempora fuerat, quàm vt ſuſpicari quiſquam poſſit, illos eiuſmodi mendacia voluiſſe confingere.

Quod ſi coniecturas in hac re ſequi liceret, ego facilè crediderim, quòd Marcus ob eam neceſſitudinem, quam Romæ cum Philone iniit, dum is adhæſerat Petro, poſtea conceſſerit Alexandriam. Nam & Romæ tum erat Marcus, vt & epiſtola ad Coloſſenſes teſtatur. Neque dubium eſſe poteſt, quin tum ibi fuerat Petri cauſa, magis quàm Pauli, quandoquidem, & Paulus illum ante repuliſſe, vt ex Actis manifeſtè liquet. Sed & erat Philo vir Alexandrinus, vt teſtatur Euſebius, & ob ſeditionem inter Iudęos, & Græcos Alexandriæ ſuſcitatam, miſſus Romam in legationem pro Iudæis contribulibus. Et bis vtique Legatus mittebatur, quemadmodum & Hieronymus affirmat. Porrò quod aduerſarius ait, Ioſephum quamquam nec alicubi Petrum vidiſſe memoratur, haud minùs dignis encomijs extuliſſe Chriſti nomen, quàm fecerat Philo, nihil ad rem facit. Nam Hieronymus non de Chriſti nomine, ſed de Chriſtianis Alexandriæ ſub Marco degentibus, multa ſcripſiſſe Philonem aſſeruit, & in eorum laudibus copiosè fuiſſe verſatum.

Quæ res non parùm adſtipulatur his, qui Philonem affirmant Romæ cum Petro familiaritatem iniiſſe. Ioſephus autem, etſi de Chriſto ſcripſerat, tamen ab Egeſippo notatur, perfidiæ Iudęorum fuiſſe conſors, in hoc ipſo ſermone, quem de eorum ſupplicio manifeſtauit. Quorum (inquit) arma deſeruit, eorum tamen ſacrilegia non dereliquit. Deplorauit flebiliter ærumnam, ſed ipſius ærumnæ cauſam noluit intelligere. Nec mirum cuiuis eſſe debet, ſi Ioſephus Romæ Petrum non viderit, cum non ante Petri mortem Romam ipſe conceſſerit. Acceſſit enim Veſpaſiani temporibus: cùm tamen Petrus ante ſub Nerone Cruci fuiſſet affixus. Perſpicuum igitur ex his opinor cunctis factum eſſe, nihil aduerſarium hoc ſuo profeciſſe cauillo. Neque enim ſuſtulit, quin Philo Petrum conueniſſet Romæ, quod Euſebius, & Hieronymus, haud leues auctores, conſtanter affirmant. Et profectò niſi pudorem omnem abieciſſet aduerſarius, poſuit ijs indicijs adeò manifeſtis frenari, ne diutiùs aduersùs Petri pontificatum, quem is Romæ geſſit, oblatraret.

Et in primis ad hanc rem facit amicitia ipſa Philonis, & Petri mutua, quam auſpicatam fuiſſe Romæ, hiſtorici fide digni prodiderunt. Referunt ijdem, & Philonem Chriſtianos in Alexandria ſub Marco degentes, miris laudibus extuliſſe. Conducit & ſalutatio, qua Paulus è Roma Marcum in vna ſuarum epiſtolarum ſalutare Coloſſenſes facit. Confere & alia, qua Marci nomine Petrus è Roma Iudęos ſparſim incolentes Regiones gentium, ſalutae. Promouee inſuper eam rem, & Euangelium, quod à Marco Romæ fuiſſe ſcriptum, ab omnibus aſſeritur. Adminiculatur & epiſtola Petri prior, quam veteres vnanimiter affirmant ex Roma fuiſſe miſſam.

Ad hæc haud paruum indicium eſt huiuſce rei, conflictatio, quam cum Simone Mago Romæ Petrum habuiſſe, tam ab Egeſippo, quàm ab alijs enarratur. Adde, quòd ab eiſdem refertur, & colloquium, quod cum Chriſto Petrus habuerat, dum è Roma fugam meditaretur. Accedunt his, & loci, tam vbi necatus Romæ Petrus fuerat, quàm vbi corpus eius erat ibi ſepulturę traditum. Et demùm, quod negare nemo poteſt, cineres & oſſa Petri adhuc habentur Romæ, quemadmodum & Hieronymus ſuo tempore fuiſſe teſtatur. Sic enim aduersùs Vigilantium ſcribit: Malè facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem puluiſculum offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria.

Sed pręter hæc indicia tam apertiſſima, non deſunt innumera clariſſimorum auctorum teſtimonia, Græcorum iuxtà, ac Latino-

rum, qui passim vno ore confirmant; Petrum fuisse Romæ,cùm aduersarius nec vnius cuiuspiam habeat scriptoris testimonium pro sua parte,neque aliud quicquam, præter quasdam negatiuas argutias, vt quia Paulus non salutauit, & Lucas non meminit, cuiusmodi secundùm nullam dialecticam,alicuius momenti sunt. Tot igitur indicijs, & testimonijs pro nostra parte citatis, permonetur aduersarius, ne diutiùs contra veritatem vsque adeò dilucidam reluctaretur. Quin etiam pudor, vt ante diximus,hominem, si non perfrictissimæ frontis esset, cohiberet ab hoc mendacio tam insigni. Cæterùm Lutherani cuncti, malitiæ tantùm aduersùs Petri Sedem imbiberunt, vt non aliter quàm putris cloaca pestilentem halitum euaporat semper,sic isti quicquid excogitare calumniarum, & mendaciorum queunt,id omne in Pontificem & Sedem illam euomere non cessant. Sed de ijs hactenùs.

Totius Operis Conclusio.

Perspicuum igitur esse iam opinor, ex hac responsione nostra,quàm futilibus argutijs, quàm friuolis sophismatibus, quàm nugacissimis nugis aduersarius ostendere molitus sit, nunquam Romæ fuisse Petrum, & è Regione, quàm efficacibus rationibus, quàm solidis auctorum subscriptionibus, quàm apertissimis indicijs nos eumdem Romæ fuisse monstrauimus, vt nihil ampliùs pro hac re, iam desiderare lectorem, credam. Verumtamen ex abundanti rursùm ostendere conabimur,quantùm huic rei conquadrent ea,quæ in Euangelijs subseruiunt instituto, nos tria dumtaxat impræsentiarum memorabimus.

Quorum primum est,quòd Petrus,quamquam non esset primus à Christo vocatus,primus tamen inter Apostolos à Christo fuerat constitutus.

Alterum, quòd idem à Christo Petra dictus sit, super quam Ecclesiæ suæ structura consurgeret.

Tertium est, quòd eidem à Christo dictum erat: [Ego oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Hæc adeò manifesta sunt, vt negari, nisi ab impudentissimis, non possint. Expendat itaque secum lector, iuxtà primum horum, an non aptissimè congruat, vt cùm totus Orbis ad Christianismum esset conuertendus, Vrbs ea, quæ totius Orbis prima censetur, nulli alteri pro Sede, quàm ei, qui primus inter Apostolos erat, diuinitùs obtingeret. Nam si quispiam alius Apostolorum eam Sedem fuisset sortitus,iam non solùm Petrus in hoc haberet superiorem,verùm etiam indecore præcipua Sedes Apostolo non præcipuo distribueretur. Quamobrem & Leo primus in concione quadam de Apostolis, ad hunc modum scribit: Nam cùm duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio Mundum,distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem,efficaciùs se ab ipso capite, per totum Mundi corpus effunderet.

Cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe non essent? aut quæ vsque gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ philosophicæ opiniones, hic resoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hìc confutandus dæmonum cultus, hìc omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione erat collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Hæc Leo primus, cui in Chalcedonensi Synodo,summa patrum admiratione, ter sanctus acclamatus fuit. Secundum autem, quod ex Euangelijs protulimus, est, quòd à Christo solidum saxum, & præcipuum totius Ecclesiæ post seipsum fundamentum, constitutus fuit. Cui rei, tametsi Lutherani contradicant, tantus est tamen sacrorum Interpretum in eam consensus, vt quicquid illi deblaterent, haud aliter, quàm canum latratus exsibilari debeat.

Cæterùm vt sacros Interpretes omittamus, quibus Lutherani nec pilum deferunt, ipsæ Scripturæ satis eam rem testantur. An non apud Ioannem scribitur,Christum Simoni dixisse, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis? Et quid inter lapidem, & petram interest? Nihil sanè, quantum ad hoc negocij spectat. Quamobrem & cùm imposuisset ei Christus nomen istud, vocassetque Simonem Cephan, seu Petrum, hoc est, vel petram, vel lapidem, aut si manis saxum, nonne subiunxit: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Ee quorsum alio Christus illi nomen eiusmodi præ cæteris Apostolis imponeret,quod lapidem,saxum, aut petram significat, quàm quòd ab ipso, velut à præcipuo post seipsum fundamento Ecclesiæ structura consurgeret. Et istud impræsentiarum numquid non apertissimè cernimus impletum? Quis non aduertit Ecclesiam, quam habemus hodiè, non ab alio Apostolo, quàm à solo Petro promanasse? Vbi iam locorum sunt Christiani, quos aut Andreas conuertit, aut Ioannes, aut Apostoli cæteri? Nusquam omninò sunt, sed nec eorum aliqua successio iam extat, de veris loquor Christianis, non de hæreticis, neque de schismaticis. Neque enim omnes, quibus in ore Christus est, sincerè Christiani sunt habendi.

Reliquum est igitur, vt huius congregationis, quam hodiè vocamus Ecclesiam, solus ipse Petrus exordium habitus sit, vt & esse debuit, nimirùm ex oraculo Christi, Solus inquam, post Christum. Nam lapis omninò Christus, huius structuræ Christus fuit, quemadmodum & Paulus testatur: Ipso, inquit, summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio crescit in Templum sanctum in Domino. Sed deindè post Christum primus fuit Petrus,super quem ædificantur,quotquot hodiè Christiani sunt, veluti viui quidam lapides (vt idem ait) in domum spiritualem, quæ nimirùm est Ecclesia. Nam Ecclesia quid aliud est, quàm fidelium in quamdam vnitatem collectio,siue compositio? Quæ sanè iam non alia putari debet, quàm quæ temporibus Petri fuerat,tametsi nos, qui iam extamus, plurimùm ab illis sumus diuersi.

Cùm enim ipsa Christianorum successio, quæ cœpit à Petro, duràuerat hucusque peni-

nitùs interrupta, non immeritò poteſt vna prorſus Eccleſia dici tota ipſa collectio, quæ ab ipſo proceſſit. Quis non videt igitur, quantum illis Chriſti verbis congruat, quòd Petrus aliquando ſediſſet Romæ, cùm è Romana Eccleſia tamquam ex primo fonte, veræ fidei lux in cæteras, quæ iam per Chriſtianiſmum ſparſæ ſunt, Eccleſias deriuata ſit? Poſtremò, ſi penſitauerimus id, quod tertio loco fuerat memoratum, nempè de fide Petri, dilucidè perſpiciemus haud quaquam congruere, vt Petro pro præcipua Sede contigiſſet earum aliqua, quas iam occupant infidelitatis tenebræ. Non inficias eò, quin clara fidei lux olim Antiochiæ fulſerit, vbi primùm ſedit Petrus, ſed ea nunc per infideles adminiſtratur. Hieroſolyma quoque, quam rexit Iacobus frater Domini, iam Soldani regitur imperio. Andreas Achaiam conquiſiuit, at ea iam inimicis Chriſti, nimirùm Turcis eſt ſubdita. Minorem inſuper Aſiam Ioannes obtinuit, at ibi nunc magnus ille Turcarum princeps dominatur. Sic & portiones Orbis reliquas, quæ cæteris obtigerunt Apoſtolis, nunc propemodùm in infidelium manus conſtat deueniſſe.

Congruebat igitur, vt eam demùm Orbis partem occupaſſet Petrus, in qua fides euangelica neutiquam extingueretur. Id quod an cuiquam Apoſtolorum alteri contigerit? vix auſim aſſerere. Nam & ſi Chriſtus in vnius, aut alterius eorum Sede, fuerit adhuc prædicatus, verendum eſt, ne ſic prædicetur, quemadmodum ab hæreticis, & ſchiſmaticis fieri, nonnullis locis intelligimus. Et quamquam eadem ſit fides Petri, quæ & cæterorum fuerat, tamen quia Petro ſingulariter hoc erat dictum, congruum fuit, vt alicubi locorum, in quo Petrus hanc fidem prædicarat, ea ad hunc vſq; diem vigeret indefectibiliter, quod nuſquam ſanè fieri, præterquam Romæ, poteſt à quouis affirmari. Sed ait fortè quiſpiam: Nuſquam alibi vita Chriſtianorum Chriſto magis aduerſatur, quàm Romæ, atque id quidem inter ipſos Eccleſiæ proceres, quorum conuerſatio pluſquam ex diametro cum Chriſti vita pugnat. Chriſtus enim paupertatis amator erat, illi paupertatem vſque adeò fugiunt, vt nulli rei ſtudeant magis, quàm diuitijs accumulandis. Chriſtus huius Mundi gloriam auerſabatur, illi pro captanda gloria nihil non patiuntur, & aguot. Chriſtus denique ſeipſum crebris ieiunijs, & orationibus aſſiduis vehementer afflixit, illi nec ieiunant, nec orant, ſed luxui, libidinibuſque toti ſunt dediti. Sed & ijdem cunctis, qui ſincerè, Chriſtianèque viuunt, maximo ſunt offendiculo, quippè quorum mores à Chriſti doctrina tam alieni ſunt, vt per eos Chriſti nomen in toto Orbe blaſphemetur. Hæc fortaſſe nobis aduerſarius obiectabit.

At iſta noſtrum inſtitutum confirmant. Nam cùm cæterorum Apoſtolorum Sedes videmus iam paſſim ab infidelibus occupari, & hanc ſolam, quæ Petri fuerat, ad hunc vſq; diem, ſub ditione durare Chriſtiana, quæ tamen ob tot nefanda ſcelera, flagitiaque deleri cum cæteris promeruit, quid aliud cogitare poſſumus, quam veraciſſimum eſſe Chriſtum, qui tot & tantis laceſſitus iniurijs, promiſſa tamen ſeruat, vel inimiciſſimis. Fides per Petrum prædicata Romæ, non defecit hactenus. Et permanet adhuc Eccleſiæ vera ſucceſſio, quæ à Petro ſumpſit exordium, cuius & ipſe velut ſaxeum, & ſolidum à Chriſto fundamentum erat conſtitutus. Quis iam itaque non dilucidè perſpicit quantum iſta mutuò ſe fulciunt, hoc eſt, quantum Petri Sedes, quam is Romæ diuinitùs locauit, verbis Chriſti veracitatem aſtruat, ac viciſſim, quantum ipſa Chriſti verba, Petrum Romæ ſedere debuiſſe, validè corroborant? Nam quia Petrus fuit inter Apoſtolos præcipuus, congruebat, vt & præcipuam Sedem ipſe ſortitus eſſet.

Et quia Petrinę ſoliditatis ei nomen fuerat impoſitum, æquum erat, vt ab ipſo non euanida, ſed ſolida quædam poſteritatis ſtructura promanaret. Denique cùm ei particulariter à Chriſto fuiſſet dictum; [Non deficiet fides tua Petre.] decuit, vt alicubi fidem Chriſti doceret Petrus, quæ ſic duraret, vt aduersùs eam infidelitatis tenebræ neutiquam prævalerent. Quorum trium, vix vnum aliquod hodiè ſatis creditum eſſet, ſi cuiuſuis alterius Apoſtoli Sedes, quæ nunc ab infidelibus occupatur, Petro poſtrema contigiſſet. Horum euenta ſic permouerunt Auguſtinum, vt is per ea ſe planè fateatur in Eccleſiæ gremio ſuiſſe colligatum. Sic enim inter alia ſcribit, aduersùs Manichæum: Tenet me ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum. Tenet ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes iſta Eccleſia ſola obtinuit. Hæc Auguſtinus.

Ex quibus verbis palàm intelligimus ipſa tria. Primùm, Petri Sedem. Deinde, perpetuam Epiſcoporum à Petro ſucceſſionem. Tertium, quod inter tam multas hæreſes, hæc Eccleſia, quæ à Petri Sede promanauit, vel ſola Catholicæ nomen obtinuit. Opinor itaque iam vel ſole dilucidiùs apparere, Petrum verè fuiſſe Romæ, nihilque, niſi meras calumnias eſſe, quas aduerſarius ex virulenta malitia contra Romanæ Cathedræ Principatum euomuit. Sic enim Lutheranos nihil pudet, quicquid poſſunt mendaciorum aduersùs eam Sedem confingere. Sed cùm in hac re tam manifeſtaria velut impoſtores deprehenſi ſint, æquum eſt, vt quicquid de cætero ſcripſerint, ex hac metiamur, & ipſum, ceu venenum, ad fidelium perniciem propinatum, modis omnibus auerſemur.

EIVSDEM AVCTORIS.

CONFVTATIO ERRORVM LVTHERI circa Diui Petri Successores.

ARTICVLVS XXV.

LVTHERVS.

Romanus Pontifex Petri successor non est. non est Christi Vicarius super omnes totius Mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

EPISCOPVS.

Am tandem præstare conabimur, quod toties antè sumus polliciti, nimirùm ostendere, quòd Summus Pontifex sit totius Ecclesiæ caput. Quod & bifariam efficere moliemus. Primùm Scripturis, quibus multæ prærogatiuæ Petro tribuuntur. Deindè Patrum omnium Orthodoxorum, qui spectatissimi sunt, testimonijs. Et hæc quidem antè congressum faciemus.

Ac in ipsa conflictatione, præter hæc, alias eiusdem rei confirmationis accipiet Lector, adeò crebras, vt nisi pertinacia nimia cœcutiat, perspiciet, haud dubiè, Lutheri odio quodam, & animi sui malignitate, potiùs hæc contra Pontificem commuisse, quàm vlla subnixum veritate.

Sed age, primùm ex Petri prærogatiuis, quæ non paucæ sunt, ostendemus. Inter quas ordine prima est, quòd mutato nomine Christus illum Cephan, hoc est, Petrum vocari censuit, cùm anteà Simon vocabatur. Mutatio nominis iudicium semper fuit altioris cuiusdam mysterij, quod vel ex veteri Testamento paret, ex nominibus commutatis Abraham, Sara, & Israel: vt nec iàm absque grandi mysterio; Christum putemus, huic Apostolo nomen indidisse nouum. Tribus nimirùm Apostolis, qui ex cæteris apud Christum maioris erant auctoritatis, hoc est, Simoni, Iacobo, & Ioanni, nomina solus Christus indidit. Nàm hi dicti sunt Boanerges, hoc est, filij tonitrui. Simon verò Petrus vocabatur. Sic enim Marcus tradidit, vbi duodecim Apostolorum recenset nomina. Et imposuit, inquit, Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges. His tribus præ cæteris Christi familiariùs vtebatur, quos plerumque solos suæ conuersationis testes assumpsit. Nàm hi soli (dùm transfigurabatur) præsentes erant, & cum Iairi filiam suscitabat, & cùm paulò antè passionem orabat prolixius, vt non sine causa solis istis inpositum fuerit nomina. Simon tamen (vt singularis eius præeminentia fieret apertior) nomen haud aliunde, quàm ab ipso Christo deriuatum accepit. Christus enim, vt testatur Paulus, petra fuit. Ac proindè à Christo petra, dictus est Petrus. Nimirùm, vt hac nominis deriuatione, Christus nobis præsagiret, Petro suas vices, & præcipuam auctoritatem fuisse committendam.

Nàm alioqui, cur à seipso nomen hoc desumptum, Petro communicaret? Hùc accedit secunda prærogatiua, quòd quamquam Petrus non erat vocatione primus, Euangelia tamen vbique primas partes ei tribuisse constat. Fuit equidem Andrea Petrus quantum ad vocationem posterior, verumtamen in ordine primus huic tribuitur locus. Sic enim Matth. 10. scribit: Porrò duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus: &c. Similiter & Marcus 3. & Lucas 9. hunc primum faciunt. Nec est credendum Euangelistas suis arbitrijs, quemquam (qui vocatione posterior fuerat) collocasse primum, nisi certò scirent, eumdem à Christo fuisse cæteris præpositum.

Tertia subindè prærogatiua est, quòd propter illam eximiam Diuinitatis Christi confessionē, nempè Christum esse Filium Dei viui, Petro fuit dictum à Christo: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Perspicuum est, hæc non cæteris, sed soli Petro fuisse dicta, quando nemo cæterorum, sed solus Petrus vocatus fuit Simon Bariona. Et hanc tamquam insignem Petri prærogatiuam, Interpretes omnes vnanimiter annotarunt, de quâ & fusiùs mox dicemus.

Quarta verò post hanc sequitur, quòd soli Petro nominatim, claues Regni Cælorum Christus fuerat pollicitus. Cæteri sanè ligandi, soluendique potestatem acceperunt, sed in Cælo singulariter. Petrus autem pluraliter in Cælis. Simul & non vnius Cæli, sed Cælorum claues Petro à Christo promissas audiuit. Nec hic mihi quispiam dixerit, eamdem vtrobique potestatem significari. Nàm mihi persuasissimum est, nisi voluisset Euangelista diuersam aliquam rationem, & discrimen hic aliquid in his verbis indicasse, nequaquam tanta fuisset vsus varietate, præsertim cùm vno dumtaxàt intermisso capitulo, vtrumque tradat: & illud Petro pluraliter

fuisse

fuisse dictum, & istud singulariter cęteris Apostolis. Sed & hæc Origenes diligentiùs obseruandum indicauit. Cæterùm & de ija latiùs antè disseruimus.

Quinta subindè prærogatiua non parui ponderis est, quòd in soluendo didragmate, Christus Petrum solum præ cæteris omnibus Apostolis, sibi tamquam parem adiunxit. Quæ res tam apertum indicium cuiusdam præminentiæ fuit in Petro futuræ, vt indè mox inter cæteros (vt apud Matth. 18. patet) oborta quæstio fuerit, quis futurus esset maior in Regno Cælorum? Sed de hoc plusculum infrà dicturi sumus.

Sexta prærogatiua, nec obscura certè, non multò post sequitur. Facta enim inter Apostolos contentione (cuius & Lucas meminit) quis eorum videretur esse maior: Christus exemplo suo docet, quem in modum is se gereret, qui maior inter eos esset futurus. Et mox ad Petrum conuersus ait: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. An non his verbis palàm tribuit Christus Petro maiorem quandam præ cæteris sublimitatem? Præsertim, cùm protinus, vt docuerat, quem in modum is, qui maior esset futurus, seipsum gereret erga cæteros, subiecit, Sathanam omnes illos expetijsse, se tamen orasse pro Petro, quatenus ipse persisteret in fide, vt sic tandem conuersus, confirmaret & cæteros. Nisi enim hoc ità se habere dixerimus, insoluta manebit quæstio: Quis Apostolorum videretur esse maior. At ad hunc modum erit planè dissoluta. Nàm eum haud dubiè (qui cęteros confirmaret) maiorem instituit.

Septima prærogatiua fuit, quòd ad Petrum nominatim Angelus miserit ipsas mulieres, quæ tam illi, quàm cæteris Apostolis nunciarent, surrexisse Christum. Mar. vlt. Ite, inquit, dicite Discipulis eius, & Petro. Magnum id omninò fuit indicium præcellentiæ Petri, quòd eum Angelus magis, quàm cæteros nominauit. Sed hic fortè quispiam dixerit, hoc ad consolationem Petri fuisse factum, nempè ne desperaret, quòd ter antè negasset Magistrum suum Christum. Quasi non abundè Christus illum consolari potuit, qui soli Petro præ cæteris Apostolis primùm apparuisse legitur. Certè qui dignatus fuerat seipsum illi rediuiuum ostendere, potuit omnem ab eius animo desperationē amoliri. Vtrumque certè magnitudinis Petri non leue fuit argumentum, & quòd priùs quàm cæteris Apostolis, Petro Christus apparuit, & quòd ad illum nominatim Angelus nuncians ipsas miserit mulieres. Sed & vt tertium ijs accumulemus: Numquàm certè, nisi Petrus fuisset præ cæteris illustrior, tam insignem eius lapsum, omnes Euangelistæ tanto studio expressissent.

Octaua prærogatiua fuit, quòd primus ipse Christi monumentum ingressus erat. Et istud haud infimum indicium est præstantiæ Petri? Nimirùm, quòd cùm in eum locum priùs introierit, vndè surrexerat Christus, primus Christi vices in Ecclesia post Christum esset gesturus. Potuit enim Ioannes priùs ingredi, quippè, qui cursu preuenerat Petrum. Currebant enim (vt testatur Euang. Io. 20.) ambo simùl: at Ioannes præcurrit citiùs Petro, & cùm venisset prior ad monumentum substitit, nec est introgressus. Verùm Petrus, vbi venit ad monumentum, mox introijt. Primus ergo Petrus Christi locum intrauit, qui post Christum primus erat in Ecclesia futurus.

Nona prærogatiua fuit, quòd præ cæteris Petro nominatim suarum ouium curam commiserit Christus. Neque id negligenter fecit, sed cum ingenti studio, & apparatu. Cùm enim essent & cæteri præsentes, Petrum percunctatus est, num se plùs, quàm illi diligeret. Simon Ioannis, inquit, diligis me plùs ijs? Respondit ei Petrus: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit igitur ei Iesus: Pasce agnos meos. Et cum ad hunc ferme modum, iterùm, ac tertiò Petrum interrogasset, an se diligeret, Petroque toties id affirmante, tertiò suarum ouium ei curam iniungit: Pasce, inquit, oues meas. Quod documentum adeò clarum est pro magnitudine Petri, vt haud scio, an vllum potuit esse luculentius. Nam his verbis abundè testatus est Christus, totum ouile suum, hoc est, Ecclesiam vniuersam, vnà cum agnis, & ouibus, administrationi Petri fuisse creditam.

Decima prærogatiua fuit, quòd post hęc omnia, singulariter ei Christus dixerit: Sequere me. Quo sanè verbo significatur, Petri quædam, præ cæteris, in sequela Christi præminentia. Quod & Chrysostomus diligenter annotauit. His, inquit, verbis, iterùm curam, & familiarem in eum affectum, Christus ostendit. Insinuat vtique Christus, de Petro sibi curam ampliorem esse, quàm de cæteris, quòd illi speciatim dixerit: Sequere me. Quare & Petrus iàm audacior factus, interrogat de Ioanne (quem nouerat à Christo fuisse dilectum impensiùs) quid esset futurum, & an ipse pariter sequeretur. Neque enim in cœna fuit ausus interrogare de Iuda, sed Ioannem tunc mediatorem sibi fecit. At nunc vicissim, postquàm Petro Christus tanta communicasset (vt ait Chrysostomus) & Orbis terrarum curam demandasset, simùl & testatissimum fecisset eius amorem, Ioannes tacet. Petrus autem loquitur, & quærit ipse à Christo, dicens: Hic autem quid? Sed audit à Christo rursùs ingeminatum sibi: Tu me sequere. Porrò sequuti sunt, & Christum cæteri, sed Petrus propriæ mortis similitudine: nimirùm, vt simili quodam præ cæteris eum imitaretur mortis genere, cuius in Ecclesia vices præ cæteris erat administraturus.

Quisquis igitur has decem prærogatiuas exactè pensitat, atque inuicem adglutinat, quasi linum lino nectens, nihil dubito, quin eius conscientia rem ità verè se habere fatebitur. Hoc est, Christum voluisse Petrum maiori, quàm cæteros auctoritate pollere, suumque Vicarium in terris eum constituisse, simùlque ei totius Ecclesiæ commisisse curam, pariter & administrationem. Cur enim ei præ cæteris cognomentum ex seipso petitum adhiberet? Cur in ordine primum constitueret? Cur super ipsum ædificandam Ecclesiam polliceretur? Cur donaret clauibus Regni Cœlorum? Cur sibi Petrum solum adiunxit in soluendo didragmate? Cur pro solo Petro, ne is deficeret in fide,

fide, orauit, quatenus ipse conuersus confirmaret cæteros? Cur soli Petro singulariter, & priusquam cæteris apparuerit? Cur simili mortis genere, hoc est, in cruce finiri, voluit eum? Cur, inquam, vni Petro præ cæteris tot insignia contulisset Christus, nisi quia Vicarius eius esset futurus, & toti Ecclesiæ ceu princeps, & caput præficiendus? Sed hactenus ex Euangelijs.

Iam quibus vestigijs idipsum ex actis Apostolorum, & ex ijs, quæ post Christi ascensionem Petrus gessit ostendi poterit, indagabimus. Multa fortassis prima fronte, non parum huic instituto videbuntur aduersari, quæ tamen si diligentiùs expendatur, non solùm non officient, sed & conducent plurimùm. Neque enim Petro tum par fuit omnimodam exercere potestatem, sed ad multa necesse fuit condescendere, partim humilitatis, partim vnitatis gratia.

Nàm qui sic vrgebantur, vt immutarent ea, quæ Christus ipse postremis etiam verbis fieri mandauit, nempè de baptizandis gentibus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, simul & id genus alia nonnulla, quemadmodùm articulo decimosexto memorauimus, quid mirùm si de suo iure quisquam nonnihil imminui pateretur? Petrus tamen vbique sic suam à Christo sibi traditam executus est potestatem, vt cuiuis competentissimum esse posset, illum principem, & caput fuisse cæteris.

Principio quidem cum ipse congruum, & rationi consentaneum esse iudicabat, vt in locum Iudæ quispiam ad sacrum illum duodenarium explendum sufficeretur, habuit supere ea re concionem, ad reliquam tùm nascentis Reipublicæ Christianæ multitudinem.

Erant enim tunc, haud multò plures, quàm 120. Quibus & placuit ratum habere, quòd tùm hortabatur Petrus, atque ità sorte Matthiam delegerunt, vt is Iudæ locum suppleret. Atqui dicet hic quispiam: Non ergo Petrus hunc elegit. Certè. Sed vide, qua ratione ductus id permisit alijs. Quibusdam sanè Ioseph (qui & iusti cognitionem habuit) videbatur eo munere dignissimus, quibusdam verò Matthias. Nàm in hos duos consentit tota multitudo. Petrus igitur, ne suo sensui nimis inniti videretur, & ne quicquam offenderet vnitati, simulque & successores futuros erudiret, hoc gestorum suorum initio, neminem in eiusmodi muneribus conferendis, suũ affectum sequi debere, voluit sortibus hoc negotium agi, quatenùs in eo nullus humano affectui locus pateret, sed tantùm Diuinitùs fieri crederetur.

Propter quod & Dionysius cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ait: Oportet, inquit, Pontificem sanctum non motu proprio Sacerdotales ordinationes conficere, sed sub Deo agente has, Pontificialiter, cœlestique celebrare munditia. Hæc Ille.

Ob has, inquam, rationes suæ potestatis amplitudine tum vti voluit Petrus. Veruntamen auctor ipse præcipuus fuit totius rei gestæ, quemadmodum ex actis palàm constat. Huic confine est, & illud, quòd cum completis diebus Pentecostes, omnium linguis tota ipsa multitudo, dono Spiritus innens de Cœlo missi loqueretur: confluentibus ad miraculi nouitatem populis, ac stupentibus cunctis, qui tum aderant omnium nationum, & multis id miraculi temulentiæ cuidam ascribentibus, solus Petrus, vt Princeps, & caput cęterorum, concionem habuit, qua stultam illorum opinionem ex scripturis confutauit apertissimè, persuasitque pluribus, Iesum, quem ipsi crucifixerant, conscensis Cœlis, sanctum indè spiritum iuxta prædictionem suam, & aliorum prophetarum vaticinia super credentes tum effudisse.

Qua concione sic permota fuit ipsa multitudo, vt conuersi sint ex auditoribus ipsa hora, circiter tria millia. Et hic aduerte, quem in modum scriptura seorsum à cęteris, Petrum nominatim exprimit.

Stans, inquit, Petrus cum vndecim, quod & cap. 5. similiter facit. Respondens autem Petrus, & Apostoli dixerunt: Num ità seiungeret eum à cęteris scriptura, si non maior in eo, quam in cæteris fuisset auctoritas?

Tertiò, nec illud prętereundum est, quod proximè sequitur, cum videlicet occasione claudi, quem Petrus in nomine Iesu Christi sanabat, tertiam habuit ad Iudęos concionem, qua & conuertit ex eis quinque millia, nec dixerit hic quisquam Ioannem etiam fuisse. Affuit vtique Ioannes.

At solus Petrus hominem sanauit. Argentum, inquit Petrus, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Ecce Petrus in sua ipsius persona solùm claudo loquitur. Nec potuit ea res latere populum, cum is, quem sanabat, claudus fuisset ab vtero matris suæ. opera suntum quotidie baiulabatur, atque ad quandam templi portam reponebatur, eleemosynæ petendæ gratia. Vides vt hoc insigne miraculum, & sanè primum, quod à quouis Apostolo post Christi resurrectionem factum legitur, ipsi Petro velut Apostolorum Principi sit inscriptum, simulque, & conciones, quotquot hactenus habitæ fuerunt, non aliundè manauerint, quàm ab eodem Petro.

Quartò loco succurrit, & illud, quod de Anania, & Saphira scriptum est, in quorum fraudulentiam Petrus seueriter animaduertit. Nam & illi rebus suis, & possessionibus diuenditis, non vniuersum pretium attulerunt ad pedes Apostolorum, quemadmodum cæteri, sed aliquam sibi seposuerant portionem.

Quo factum est, vt primùm vir, deindè paulò post, & vxor, quæ facinoris etiam conscia fuerat (Petro fraudem vtrique palàm obprobiante) diuino iudicio percussi, protinùs expirarunt. Quis iam non apertissimè cernit, eximiam præ cæteris in Petro fuisse potestatem, cum ad eius verbum vterque alter post alterum, facto tamen horum trium interuallo, tam celeriter interierint.

Accedit ad hæc, & quintò. Quòd & Apostoli cæteri, multa signa, prodigiaque palàm ederent in populo, de nullo tamen id scriptura nominatim hactenus expresserat, quàm de solo Petro. Sic enim de illis scriptum fuit: Per manus Apostolorum fiebnat signa, & prodigia multa in plebe. De Petro verò traditum est consequenter, quòd tam

viri,

viri, quàm mulieres, in plateas infirmos exportabant, illicque, in lectulis, & grabbatis eos reponebant, vt illac transeuntis Petri, vel vmbra saltem adumbraret illorum quempiam.

Quòd etiam ægri, & qui vexabantur à spiritibus immundis (quos multitudo vicinarum ciuitatum eius rei gratia Hierosolymam attulit) omnes ab eo sanabantur. Ecce quantum hîc discriminis inter Petrum, cæterosque scriptura facit. Isti per manuum impositionem sanabant, Petrus verò per suam ipsius vmbram. Illi confusim, & indistinctè, Petrus verò solus, & nominatim. Illi denique, cùm plures essent, plurimos, at Petrus seorsum omnes, quotquot ex vicinis Vrbibus, ad eum sanandi causa confluxerant.

Occurrit iam sextò loco, de constitutis ministris septem. Quem sanè locum hi, qui nullam Petro præ cæteris auctoritatem tribuunt, obijcere solent. Atqui si res accuratiùs expendantur, perspicuum erit, eam nihil nobis obfuturam.

Primùm, non erat ea res magni momenti, sed quod à quoquis Episcopo fieri quotidie cernimus.

Deindè, nec Apostoli septem hos Diaconos elegerunt, sed permiserunt id negotij, discipulorum vniuersæ multitudini.

Tertiò, vide, quia res hoc exigebat. Fuit enim murmur Græcorum aduersùs Hebræos, eò quòd non satis accuratè prospectum fuerat illorum viduis. Ob quod & ministrorum horum electio, toti multitudini permittebatur, ne si fortè quisquam parum diligens huic officio præficeretur, amplioris in ipsos Apostolos murmuris indè surgeret occasio.

Quartò, & istud aduerte, quòd non alia ratione res hæc refertur à Luca, nisi vt constaret nobis, Stephanum, & Philippum, quorum acta consequenter explicat, ex numero septem Diaconorum fuisse.

Quid enim de constitutis vbique locorum Episcopis non meminit potiùs, quàm de septem illis ministris? Neque enim quisque Apostolorum, sibi à suo arbitrio suscepisse credendus est Episcopatum. De qua tamen re, nihil certi refert Lucas.

Atqui notum est Paulum Episcopos instituisse Titum, & Thimotheum, quibus & potestatem fecit Presbyteros locis congruis disponendi. Quid igitur dicemus? Licuisse illud Paulo, Petro non licuisse? Quid dici potest absurdiùs? Sed & Chrysostomus affirmat se credere, Iacobum à Petro totius Orbis magistro fuisse Hierosolymis Episcopum constitutum.

Quis ergo dubitare potest, quin & de cæteris quibusdam idem à Petro sit factum: Nec tamen ista memorat Lucas. Nihil ergo nobis oberit electio ministrorum, quin proderit magis, quod ex eo iam claruit, maior ea Petro fuisse reseruata. Cæterùm adhuc fortè dicet quispiam: Non solum Petrum eis manum imposuisse, sed vnà cum Petro cæteros item Apostolos.

Profectò. Sed hoc nihil derogat auctoritati Petri. Nam hoc ideò factum est, vt quò plures essent comprecatores, qui manus imponerent, tantò copiosior in electos descensura gratia speraretur.

Septimò loco, quod ad rem nostram pertinet, offertur ex actis de Petri gestis in Samaria. Id quod etiam aduersarij solent nobis opponere. Nimirùm quòd Petrus eò missus fuerat per Apostolos, quo moliuntur, & illum nihil præ cæteris Apostolis plus auctoritatis habuisse. Veruntamen si diligentiùs animum intendant, intelligent id non imbecillum esse pro Petri auctoritate testimonium.

Primùm, res erat vehementer ardua, tum propter Magum quendam nomine Simeonem, qui miris illam gentem præstigijs illuserat, vsque adeò vt crediderint in illum omnes, à minimo vsque ad maximum appellantes illum Dei virtutem, quæ vocatur magna. Tum profectò Christi verbum, qui prædixit Apostolos etiam in Samaria testes sibi futuros. Et quamquam Philippus ipsos Samaritas, sua prædicatione simul, & miraculis conuertisset, non potuit tamen eis signo sensibili conferre spiritum, vt metus fuerat, ne mox in pristinos errores relaberentur. Ob has igitur, aliasque rationes, necessaria fuit præsentia Petri, cui comes erat Ioannes adiunctus. Nam cum his duobus hactenùs præcipuè cooperatum fuisse spiritum, Apostoli compertissimum habuerant. Erant enim hi duo pariter in sanatione claudi præsentes ad portam speciosam templi. Erant, & insimul, quando ad Petri prædicationem conuersi sunt ex Iudæis quinque millia. Erant hi pariter in carcerem coniecti.

Sed & vnà coram Sacerdotibus, & Pontificibus examinati, die postera facti sui rationem reddiderunt. Quid si negotij difficultas præsentiam Summi Pontificis exposceret, cuiusmodi, & Cardinalibus omnibus visum fuit, quando Pius II. expeditionem in Turcas parabat, num ea profectio derogauit auctoritati suæ quicquam? an non auxit eam potiùs? cum negotij moles præsentiam tantæ potestatis exposceret.

Sic nimirùm, & magnitudo Petri magis innotuit ex hoc facto. Nam à Philippo priùs baptizati, protinus vt in eos manus Petrus imposuit, Spiritum sanctum acceperunt, id quod Philippus alioqui sanctissimus, & Spiritu plenus præstare non valuit.

Sed & insignem illum Magum Simonem, pecunia cupientem emere donum sancti Spiritus, ità repressit, vt etiam adegerit adueniam implorandam.

Octauò loco dilucida fit Petri auctoritas; ex visione cœlitùs ostensa, qua positus in mentis excessu vidit Cœlum apertum, atque indè vas quoddam velut lintheum magnum, quatuor initijs alligatum, submitti è Cœlo in terram; in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæque, & reptilia, & volatilia Cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre occide, & manduca.

Qua nimirùm visione, Petrus admonebatur etiam gentes incorporare Christo. Gentium enim immunditiæ per quadrupedia terræ, perque bestias, ac reptilia, & volatilia Cœli, significabantur, & illas iam Deus intra lintheum Ecclesiæ recipiendas decreuit. Propter quod; & Petro iussum erat, vt mactaret eas primùm, hoc est, per verbum Dei

(quod

(quod & gladio quouis vtrinque Pincidente penetrantius eft) tetrum peccati fanguinem effunderet, eifque fubindè vefceretur, hoc eft, more cibi traijceret eas in Ecclefiæ corpus, & incorporaret eas Chrifto.

Num ifta non indicant, Petrum totius Ecclefiæ caput fuiffe? Cui fic iuffum eft etiam gentes in Ecclefiam recipere, & eas corpori Chrifti adunare, fimul & cui myfterium iftud (quod adhuc cæteros Apoftolos latuit) tam apertè fuerat monftratum.

Et ne fcrupulus aliquis dubitationis eum teneret, fic ter fuit admonitus. Infuper & è veftigio poft vifionem venerunt à Cornelio viro gentili, quidam accerfendi Petri gratia quatenus illum in fide Chrifti erudiret. Nam & ità præmonitus ab Angelo Cornelius fuerat vt quofdam eius rei gratia mitteret ad Petrum, Petroque iufsum eft identidem à fpiritu, ne quicquam hæfitaret vnà cum illis ire. Cum igitur acceffiffet ad Cornelium Petrus, habita concione, nondum finitis verbis, cecidit illicò fuper omnes gentes, quæ tum aderant, Spiritus fanctus.

Nonò, cum diù pofthac, ob fubortam quæftionem fuper obferuatione legalium, habita fuiffet Synodus, in hac Petrus, vt princeps, & caput cæterorum, fuam fententiam primus dixifse refertur, nempè quòd gentibus ad Chrifti fidem conuerfis non effet hoc iugum imponendum, & maximè, cum per ipfius verba (Deo fic eum præ cæteris ad hoc munus eligente) gentes aliquæ credidifsent, fanctumque (fimiliter vt Iudæi) recepifsent Spiritum.

Quam fententiam fubindè Paulus, & Barnabas confirmabant, & poftremò Iacobus, quippè quem & decuit in fua Sede, totius Synodi recenfere decretum. Fuit enim is (vt fuprà diximus auctore Chryfoftomo) per Petrum illic inftitutus Epifcopus, quamquam ab alijs referatur, id à Petro, Iacobo, & Ioanne fuifse factum. Et fanè credibile eft Petrum id fecifse, ex confenfu cæterorum.

Decimò, confert & illud, quod ad Galath. fcribit Paulus, poft annos tres fe venifse Hierofolymam, Petri vifendi gratia, & apud eundem manfifse dies quindecim: Et vide quanam epiftola Paulus id teftatur. Nimirùm in ea, qua cæteris Apoftolis fuam auctoritatem æquare, vel enixiffimè conatur, & qua feipfum contraponit Petro. Nempè, quòd erat ipfe in gentium Apoftolatum miffus, quemadmodum Petrus in circumcifionis. Quamquam certè non potuit ignorare Paulus, Petro fpeciali quadam reuelatione fuifse commifsum, vt per eum in gentes fancti Spiritus gratia infunderetur, & maximè, cum interfuit Concilio Hierofolymitano, vbi Petrum audierat hanc fibi reuelationem factam expofuifse coti Concilio; Cæterum ne fuam Paulus apud Corinthios auctoritatem minueret, non quid Petro Chriftus, fed quid fibi copiosè donauerat, retulit. Et certè quidem id facere potuit, quando pfeudoapoftoli fub colore Petri magnos introduxerunt inter Corinthios errores.

In hac tamen epiftola tantum honorem fe Petro detulifse, vel ingenuè confitetur, quòd eius vifendi gratia, fe Hierofolymam venifse teftatur. Nam vt Hieronymus ait, quamquam non difcendi ftudio Petrum conuenifset, qui & ipfe eumdem prædicationis habebat auctorem, honoris tamen differendi caufa id facit.

Quam rem, & Ambrofius pariter atteftatur. Dignum, inquit, fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoftolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclefiarum. Non vtique, vt aliquid ab eo difceret, qui iam ab Auctore didicerat, à quo & ipfe Petrus fuerat inftructus, fed propter affectum Apoftolatus, & vt fciret Petrus illi datam licentiam, quam & ipfe acceperat. Hæc Ambrofius.

Quis iam non certò certius, ex ijs tot locis partim, ex Euangelio partim, ex Act. Apoft. depromptis, intelligit Petrum fuiffe principem, & caput totius Ecclefiæ? Neque enim Spiritus ille fanctus hanc rem in Scripturis toties inculcaffet, eamque varijs infinuaffet modis, nifi voluiffet eandem à cunctis firmiffimè credi. Cæterum ijs iam adiungamus ad facrorum interpretum teftimonia, quibus apparebit, eos ad hunc fenfum priores illas fcripturas intellexiffe.

Nam & hoc fecundò loco fuimus polliciti. Mihi quidem videtur, haud mediocriter huic inftituto conducere, fi docere queam, Ecclefiæ proceres vnanimiter ità fenfiffe. Nam ijs omni iure fides maior adhibenda eft, fententiam fuam fcripturis aftruentibus, quàm Luthero quantumuis pertinaciter neganti. Quamobrem, & illorum fententias in medium afferemus.

Hilarius primùm, cum alijs locis, tum lib. 6. de Trinit. fic ait: O mifetæ ftultitiæ furor impius, non intelligens beatæ fenectutis, fideique martyrem, & martyrem Petrum pro quo pater rogatus eft, ne fides eius in tentatione deficeret: qui iterata à fe dilectionis in Deum poftulata profeffione, tentari fe adhuc eamquam ambiguum, & incertum, tertia interrogatione congemuit.

Per id quoque à Domino poft tertiam tentationis purgationum infirmitatem, [pafce oues meas;] ter meritus audire, qui in cunctorum Apoftolorum filentio, Dei filium reuelatione patris intelligens vltrà humanæ infirmitatis modum, fupereminentem beatæ fidei fuæ confeffione locum promeruit. Hæc ille.

In qua fententia palàm alludit quatuor Petri prærogatiuis fuperiùs introductis, & eandem afferit Petrum propter confeffionem beatæ fidei fuæ, locum fupereminentem inter Apoftolos promeruiffe.

Subfcribit & Ambrofius fermonem quodam de pœnitentia Petri; Cùm, inquit, tertiò interrogaretur à Domino, Simon amas me? Refpondit tertiò; [Domine tu fcis quia amo te.] Ait Dominus, [Pafce oues meas.] Et hoc tertiò, quod quidem dictum ad compenfationem prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tertiò negauerat, tertiò confitetur, & quotiens culpam delinquendo contraxerat, totiens gratiam diligendo conquirit.

Videte ergo quantùm fletus profuerit Petro, antequam fleret lapfus eft, pofteàquam fleuit electus eft, & qui ante lacrymas præuaricator extitit, poft lacrymas paftor af-

fun-

sumptus est, & alios regendos accepit, qui priùs se ipse non rexit. Hęc Ambros.

Quibus profectò verbis testatur, Petrum post lacrymas omnibus Christi ouibus præfectum fuisse pastorem, & eas in sui regiminis curam accepisse.

Leo quoque sermone secundo de Pontifice assumptionis suæ anniuersario, sic scribit De toto Mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quidem cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Hactenus ille.

Ecce eria, quæ plurimùm annotanda sunt.

Primum, quòd vnus Petrus, vniuersarum gentium vocationi, omnibus Apostolis & cunctis Ecclesiæ patribus præponitur, ità vt sit omnium sacerdotum, & pastorum ipse sub Christo pastor; & rector primarius.

Alterum, quòd huic diuina dignatio, suæ potentiæ consortium tribuerit.

Tertium denique, quòd sine Petro nihil eorum, cuiquam dedit, quod cæteris permisit Apostolis. Astipulatur, & Gregorius in registro Epistola trigesima secunda. Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quòd voce dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippè dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur. Ecce Satanas expetijt cribrare vos, sicut triticum, & ego pro te oraui, Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis. Et rursùm inter Homilias suas 21. Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quòd nimirùm magnum actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alij miserere debuisset. Hactenus Gregorius. Vides igitur, & hoc auctore, Christum Petro totius Ecclesiæ suæ curam commisisse, proptereàque priùs permisisse eum labi, vt in sua culpa disceret, qualiter alijs, quibus pastor futurus esset, misereri debuisset.

Ad hæc Cyprianus, tractatu 3. de simplicitate Prælatorum, docet vnitatem Ecclesiæ ab vnitate Episcopatus Petri pendere, & quamquam ex Christi verbis post resurrectionem habitis, parem cæteris cum Petro potestatem facit, nimirùm quantum ad remissionem peccatorum spectat. Nam in ea re, non maiorem Petrus, quàm quisquam cæterorum potestatem habuit, tamen ex alijs, quæ priùs dixerat, ità præfert Petrum, vt exordium Ecclesiæ, post Christum à Petro, tamquam ab vnitate quadam fuisse profectum affirmet. Et paulò inferiùs, Episcopatus eius, quem vnum esse dicit, singulos asserit in solidum, non nisi quandam tenere partem: ipsum denique fatetur vnum caput, vnamque originem esse cunctis, sed & vnam identidem omnibus communem esse matrem, Ecclesiam videlicèt, fœcunditatis successibus copiosam. Adde, quod & alibi sepè fatetur Cyprianus, super hunc Petrum, Ecclesiam edificatam fuisse; quemadmodum inferiùs adhuc dicturi sumus. Augustinus item serm. 124. de tempore. Credendę, inquit, erant Petro Apostolo claues Ecclesiæ. immò creditæ sunt ei claues Regni Cœlorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitijs, passionibus, culpis innoluta, atque peccatis. Denique sic ad eum Saluator dicit: Tibi, inquit, dedi claues Regni Cœlorum.

Deindè sequitur dicens: Quęcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis, videlicèt, vt in clauibus fidelis ianitor, in sententijs esset clementissimus dispensator. Erat enim renerà hic Petrus paulò durior, & seuerior, sicut eius austeritatem truncata ob Christi iniuriam, serui principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tàm durus, tàmque seuerus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcircò diuinæ prouidentiæ secretum ità temperauit, atque permisit, vt primus ipse laberetur, ac rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorem sententiam proprij casus intuitu temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga salutem hominum, quantum curæ, quantumcumque solicitudinis impendatur, aduertite.

Totius corporis morbum, in ipso capite curat Ecclesiæ: & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem: in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobili fidei fundamento, in Petro sollicèt illo, qui dixerat: Etiamsi me oporteat mori tecum, non te negabo. Hęc ille. Ecce Petrum, hic Augustinus vocat, & caput Ecclesiæ, & verticem membrorum, ipsamque confessionis Christi crepidinem, & demùm immobile fidei monumentum, cui & claues Ecclesiæ, & innumeram populorum multitudinem asserit à Christo fuisse commissam.

Consentit & ijs Hieronymus. Nam præter hoc, quòd cùm alibi, tùm in commentarijs Epistolæ ad Gal. Petrum vocat principem Apostolorum, aduersùs Iouinianum, libr. 1. scribens: Postquam obiecerit sibi, quòd super Petrum fundatur Ecclesia. Respondet, quòd licèt idipsum in alio loco, super omnes Apostolos fiat, tamen inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis quoque tollatur occasio. Hoc Hieronymus. Nec est, vt quisquam hic dicat, hanc electionem Apostolos ex se fecisse. Nam palàm est ex multis scripturis superiùs introductis, non Apostolos, sed Christum hunc delegisse, qui futurus esset totius Ecclesiæ Pastor, & princeps, & caput cæterorum: à quo promanaret Ecclesiæ concors vnitas, & omnis diuisio schismatica tolleretur.

caput, & omnium Christianorum patrem, & doctorem existere: & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo, plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum, & in sacris canonibus continetur. Hactenus ex Concilio. Neque res hęc raptim, & properanter conclusa fuit, sed tractu mensium quindecim, accerrimis interim hinc, indè super hac re disceptationibus habitis. Græcis, & Armenis, pro sua parte, tàm scripturarum, quàm auctorum veterum testimonia proferentibus: Latinis contrà pro sua. Cæterùm, vti Blondus refert, qui tùm Eugenio fuerat à secretis, summo tàdem animorum consensu conuenerunt omnes, vt & Græcorum Oratores, omnia decreta Synodi palàm approbarent, hac subscriptione, quæ sequitur: Nos igitur Oratores nomine nostro, nostrique reuerendi Patriarchæ, & omnium Armenicorum, sicut & vestra sanctitas, in ipso Decreto attestatur, hoc saluberrimum Synodale Decretum, cùm omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia cùm omni deuotione, & obedientia acceptamus, suscipimus, & amplectimur. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipimus.

Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, ac damnat, nos pro reprobatis, ac damnatis habemus: profitentes tamquam veri obedientiæ filij, nomine, quo suprà ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus fideliter obtemperare. Hanc sanè concordiam, Franciscus Comes Mirandulanus, vir egregia literatura, testatur se suis oculis inspexisse, manu Imperatoris consignatam. Dilucidum igitur est, non modò Latinorum calculis, verùmetiam Græcorum, Petro tamquam Apostolorum principi, & capiti totius Ecclesiæ curam, & administrationem fuisse commissam. Sed iam tempus est; vt Lutherum audiamus, sua statuere molientem.

LVTHERVS.

Hunc facillimè probo per experientiam. Numquam enim fuit super omnes Ecclesias totius mundi Roman. Pontifex: sed neque adhuc est, neque vnquam in futurum erit, vt spero. Quid ergo necesse est, multis in hac re digladiari, cùm ipse omnium sensus nobis ostendat rei veritatem? Neque enim super Ecclesias Græciæ, Indiæ, Persidis, Ægypti, & Africæ vnquam fuit, neque adhuc est, quod cùm magna querela, & dolore confitentur ipsimet, frustrà tàm multis studijs, in hac rem consumptis.

EPISCOPVS.

Quid eas Ecclesias, quæ tàm procul sitæ sunt, memoras? Potuisses exempli gratia Boemorum Ecclesias nominasse, aut aliorum, qui se separarunt ab Ecclesia Romana, de quibus maiorem notitiam habere possumus. Nos tamen pro cunctis, vnam responsionem dabimus. Aut enim ex malitia se subtrahunt, aut ex veniabili quadam ignorantia: quemadmodum de quibusdam crediderim magis: euiusmodi sunt plerique simpliciores, qui vel per rui similes scripturarum interpretes, in errores abducuntur: vel forrassis numquam audierunt, quicquam hac de re disceptarum. Hos, si nulla idipsum ingenij prauitate fecerint, sed implicitè crediderint cuncta, quæ docuerit Christus, libenter etiam hanc veritatem crediturі, modò fuerint eam ab alijs docti, non facilè condemnarim. Sed illos (qui ex malitia se subtraxerint) palàm ausim asserere, nihilò magis ad Ecclesiam orthodoxorum pertinere, quàm Ecclesias Arrianorum, aut Donatistarum, aut aliorum id genus hominum. Nàm horum congregationes, Satanæ potiùs conciliabula dicendæ sunt, quàm Ecclesiæ Christi. Nihil itàque prohibet, quò minùs quisque Petri successor, dicatur Christi Vicarius super omnes Ecclesias, quæ ceu mēbra quædam vni catholicæ sunt Ecclesiæ connexa. Quod & abundè satis est ad tuam probationem refellendam. Secundò respondemus, quòd non solùm eorum, (qui iam sunt in Ecclesia Christi) sed & aliorum omnium, etiam Turcarum, & Iudæorum cura spectat ad summum Pontificem, quamquam ipsi nolint, hanc in ipso potestatem agnoscere. Quid enim si rebellis quispiam, & obstinatus Episcopi sui iurisdictioni reclamet, num propterea non pertinebit ad ipsius curam? pertinebit haud dubiè. Sic nimirùm, & de cunctis hominibus, quantumuis rebellibus, certum est, quòd ad summum Pontificem spectat eorum cura. Nam & Christus dixit, alias oues habuisse se, quæ non erant adhùc ex ouili suo. Quo verbo possumus intelligere, non solùm eas, quæ iam intùs fuerant in ouili, verùm eas etiam, quæ foris vagabantur. Quādo igitur Petro commisit Christus omnium suarum ouium curam, & pastorem ipsum sua vice suffecit, quis dubitare potest, quin ad successorem Petri, hoc est, ad ipsum, qui pleno iure succedit in Petri locum; cunctorū hominum, bonorum iuxtà, ac malorum, cura pertineat? vsque adeò, vt quantum in se fuerit, studere debeat omnes ad ouile Christi, hoc est, ad Ecclesiæ gremium, & vnitatem reducere. Per hanc itàque curam, qua sic tenetur ille cunctis, siuè subditis, seù rebellibus, superintendere, studiumque suum fideliter adhibere, quo celeriùs redeant ad ouilis vnitatem, omninò super omnes omnium hominū congregationes summus Pontifex, in beato Petro fuisse institutus. Neque enim rebellio quemquam ab omni pastoris cura, studioque penitùs eximere potest.

LVTHERVS.

Sed dicent, de iure, non de facto loquimur, & non quid faciant, sed quid facere deberent Ecclesiæ illæ rebelles quærimus.

EPISCOPVS.

Acu (quod aiunt) rem tetigisti. Sic enim haud dubiè sunt dicturi. An tu Paulum existimas non super eas Ecclesias fuisse constitu-

tum, quæ postquam ad Fidem, ab eo conuersæ fuerant, non perstiterunt in ea Fide, sed per Pseudo-apostolos factæ sunt rebelles? Nũ hæc rebellio ius Pauli sustulit? Nequaquam. Sic neque Petri profectò, successorùmque eius, propterea ius ablatum est, quòd ipsorum moderationi, plures hominum congregationes subdi neutiquam se patiantur, neque gubernationi se subijciant.

LVTHERVS.

Respondeo, hoc pro me facit. Si enim iure diuino institutus esset hic primatus, esset sine dubio aliquando impletus, cùm non prætereat à lege Dei vnum iota, quod non impleatur, etiam potius inferi, non præualentibus contrarium.

EPISCOPVS.

Consultiùs respondisses, si particulam hanc adiecisses, vel implebitur. Nàm certum est, quòd à lege Dei, vel vnum iota non præteribit, quin aut iam impletum sit, aut in posterum implebitur. Cæterùm adhùc omnia, nequaquam impleta sunt. Neque enim hactenus perfectè completum est illud: Et erit vnum ouile, & vnus pastor. Fuit nimirùm Ecclesia Christi, vt semper vna, ità semper vnum ouile. Et fuit hoc ouile priusquam gentes ad Fidem conuertebantur. Sed Christus illis verbis intellexit Gentes, & Iudæos in vnum pariter ouile fore coadunandos, quod adhùc futurum est, quando reliquiæ Israel saluæ fient, & Gentes omnes conuertentur ad Christum. Nàm si dixeris, iam completum esse propter eos, qui ex vtrisque, tàm Iudæis, quàm Gentibus nunc ad Christum conuersi sunt, iàm ergò completus est, vt sic dicam, pastoratus Christi, quem cùm ipse eundem contulit Petro, neque pastoratus iste, quicquam aliud sit, quàm primatus Petri, certè, & primatus Petri iàm impletus est. Neque enim quenquam ad Christi pastoratum dicere potes attinere, qui non idem attineat ad Petri pastoratum, & proindè ad primatum eiusdem. Eligas igitur vtrùm horum libebit magis, impletum iam esse, vel adhùc implendum, hoc Christi verbum: [Erit vnum ouile, & vnus pastor.] Si dixeris iam impletum esse, propter eos qui nunc sunt, vnius Ecclesiæ filios, & in istos item necesse est fateare iam impelum esse Petri primatum. Nàm qui Petri primatum spernit, Christum spernit, nec iure potest vnquam Ecclesiæ filius dici, sed ab Ecclesia separatus est. Sin dixeris adhùc non impletus, sed implendum fore, iam ipse tuam ipsius argumentationem dissoluisti, vt nos pluribus respondere nihil oporteat.

LVTHERVS.

Et omnia, quæ Deus præcepit, sunt ab aliquibus saltem impleta, & quæ promisit, sunt simpliciter, & semper, & vbique impleta.

EPISCOPVS.

Neutrum horum vsquequaque verum est. Neque enim primum illud tuum admitrit dogma, nempè quòd omnia, quæ Deus præcepit, sunt ab aliquibus saltem impleta. Quis enim iuxtà tuam opinionem, aut illud præceptum: Non concupisces, adimpleuit vnquam? aut istud: [Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis?] Non potes igitur ipse quouis asserere pacto, quòd omnia (quæ præcepit Deus) impleta sunt ab aliquibus. Sed & secundùm etiam à verò dissidet. Nàm promisit Deus omnia Christo fore subijcienda, quod hactenus (Paulo teste) non est impletum. Necdum, inquit, videmus omnia subiecta ei. Pollicitus est, & Christus suum Euangelium per totum Orbem prædicatum iri. Sic enim Matth. 24. ait: Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in toto Orbe, in testimonium omnibus Gentibus. Et Marc. 13. ità: Et apud omnes Gentes oportet priùs hoc Euangelium prædicari. Diuus tamen Augustinus asseuerat, suo tempore nondum in partibus Æthiopiæ fuisse quibusdam Gentibus auditum Euangelium. Quod, & antè ipsum Origenes homilia 28. multis verbis disseruit. His accedit & illud, quod paulò antè recensuimus, de vno ouili, & de vno pastore, quod neque hactenus integrè completum est. Falsum igitur, & illud est, quòd omnia, quæ promisit Deus, sunt simpliciter, & semper, & vbique impleta.

LVTHERVS.

At primatus iste, ne vna quidem hora impletus est vnquam.

EPISCOPVS.

Primatum hunc impleri, geminum habet intellectum. Potest enim plenitudo primatus huius intelligi, vel quantum ad potestatis donum, vel quantum ab potestatis executionem. Si vis horum discrimen exemplo dinoscere, sic habet. Testatur Christus, omnem sibi potestatem datam in Cœlo, & in terra. Plenam haud dubiè Christus, & integram à patre potestatem hanc accepit. Sed tamen huius potestatis executionem non exercuit hactenus plenè. Neque enim (vt dicimus) hucusque cuncta subiecta sunt ei. Sic quanquam Petrus non sit hactenus vsu plena suæ potestatis executione, nihil ob id oportet, vt non plena fuerit ei donata potestas. Christus haud dubiè primatum hunc ei plenissimè contulit, super omnes omnium hominum cogregationes. Iudæorum simul, & gentium quanquam adhùc vsque dicam, nec illi, neque successoribus suis omnes subiectæ sunt.

LVTHERVS.

Impossibile autem fuisset, cum non impleri, si vel præceptus, vel promissus fuisset.

EPI-

EPISCOPVS.

Primatus iste plenissimè datus fuit, & à Petro susceptus. Sed tu de subiectione loqueris, quam ego præceptam fuisse non dubito, simul, & promissam, neque tamen hactenus impletam, sed impleodam aliquando. Nimirùm quando illud implebitur, quòd erit vnum ouile, & vnus pastor, quando reliquiæ Iudæorum saluæ fient, quæ videlicet adhùc neqnaquam impletur. Palàm est itàque, tuam probationem pro vtraque parte prorsùs inefficacem esse. Nos tamen vtramque partem admittimus, & quòd ista subiectio præcepta fuerat omnibus, qui se velint saluos fieri, & quòd promissa quoque fuit, quanquam adhùc non sit impleta, quod & cunctis esse potest compertissimum.

LVTHERVS.

Eligant ergò, quod volunt, Deus primatum Petri instituit, ac promisit, & nunquam impleuit. Ergo mentitus est. Si non mentitus est, nunquam instituit, neque promisit.

EPISCOPVS.

Et in hac quoque ratiuncula tua planissimè deliberas, quod vel ex ijs apertissimum est, quæ suprà fuisse promissa memorauimus, nec dum tamen impleta. Nàm satis est ad veritatem promissionis, quòd id vel tandem impleatur, quod promissum est, neque sic mentietur, qui promisit. Quauquam certè (quantum ad primatus attinet veritatem) Petrus, & successores eius à Christo plenarium acceperunt, licèt eiusdem executionem non adhùc plenam exerceant, neque subiectionem plenam cuncti, qui tenentur, hactenus exibuerint. Sed hoc primatus veritatem non eripit: quæ non in subditorum arbitrio, sed in ipso præside sita est, cui fuerat primatus ipse donatus.

LVTHERVS.

Hanc ratiunculam, neque soluunt, neque soluent vnquam omnes papistæ in vnum chaos confusi.

EPISCOPVS.

Puderet te profectò, nisi frontis esses perfrictissimæ, tam inaniter fuisse gloriatum de tam futili ratiuncula, perindè ac si planè solidissima fuisset, ac prorsùs insolubilis, cum nec tantillum quidem valeat. Sed neque sic contentus, conuitium insuper adiecisti, cunctis primatus huius fautoribus, quasi prorsùs eos viceris, cum certè nihil minùs. Hæc an tuam professionem deceat, alij viderint. Ego tuis conuitijs non respondebo.

LVTHERVS.

Præterea quid non audeant præsumere? qui primatum tribuunt Romano Episcopo. Si non mouentur insuperabili, & à se ipsis confesso argumento. Quòd omnes Apostoli æquales fuerunt Petro.

EPISCOPVS.

Ex his, quæ præmisimus, abundè colligitur, non omninò pares fuisse Petro cæteros Apostolos. Frustrà enim tot prærogatiuis donasset eum Christus, si nolla prorsùs in re fuisset cæteris maior. Sed eius præeminentiam testatus fuit apertissimè Christus, quando præpositæ à cæteris quæstioni, quis eorum esset maior, ipse respondit, ministrum illum oportere fore, quin maior inter eos esset futurus, simulque Petro subiunxit, Simon, Simon: [Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum. Ego autem oraui pro te, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Nonne verbis istis apertissimè prodidit Christus, maiorem inter eos futurum fuisse Petrum, pro quo Christus se pollicitus est oratum, quatenus ille conuersus, confirmaret cæteros? An tu nihil istud opinaris, posse videlicet cæteros confirmare? Pares fuisse non neganerim, quantum ad remittendorum peccatorum attinet potestatem, & pares item in gradu Sacerdotali fuisse constitutos. Verùm ista non inferunt omnimodam paritatem. Nam alijs gradibus multis antecessit illos Petrus. Nemo enim illorum primus præter Petrum constitutus fuit. Nemo præter eum cognomentum accepit à petra Christo deriuatum. Solus item ipse Regni Cœlorum claues sibi promissas audiuit. Ab ipso quoque tanquam ab vnico post Christum principio, sua Christus pollicitus est emanaturam Ecclesiam. Pro Petro iuxtà, ac pro seipso Christus tributum, pependit, non pro cæteris. Pro Petro quin etiam orasse se Christus asseruit, quatenus ille posset cæteros Apostolos confirmare. Petro singulariter Christus, & priusquam cæteris Apostolis apparuit. Petro suarum ouium curam cæteris audientibus, vel tertiò commisit Christus. Sed & eundem præ cæteris eodem mortis genere, quo priùs ipse passus fuit, præmonuit ab hac vita migraturum. Quid simile fecit pro cæterorum aliquo?

LVTHERVS.

Et nullum eorum ipse elegit, fecit, confirmauit, misit, aut aliquid mandauit.

EPISCOPVS.

Iàm solita veteris dialectica tua. Sed mera negatiua nihil efficit. Quid si non elegerit, neque fecerit, aut confirmarit eos in Apostolos. Num propterea non potuit Christus illum præ cæteris fecisse maiorem? Hoc certè maior fuit, quòd (auctore Christo) confirmauit in fide cæteros. Et quanquam non misisse legitur, aut mandasse quicquam illis, an ob id non licuit misisse, & mandasse, cum tanta fuerit ei data potestas, illos in Fide confirmandi? Pro subrogando fanè quopiam loco Iudæ; primus ipse cæteros hac de re commouisse traditur, & cum sorte Matthias electus esset, hunc Petrus suffecisse dici-

tur

tur in Apoftolorum numerum. Sic enim facet fcribit Dionyfius cap. 5. Ecclefiafticæ Hierarchiæ. Et Beda in Actis tradit, quòd Petrus numerum Apoftolorum duodenarium integrauit. Nec certè repugnant Apoftolorum Acta, cum in illis fcriptum fit, quòd annumeratus eft Matthias cum vndecim Apoftolis. Et quis alius, quàm Petrus, illum cæteris annumerauit? Congruebat fanè, quatenus per eum, qui primus fuit inter Apoftolos, & fortis euentus promulgaretur, & electus cooptaretur cæteris.

LVTHERVS.

Quid enim facerent, fi femel miffum aliquem à Petro poffent oftendere, ficut nos oftendimus Petrum ab alijs miffum? Act. 8.

EPISCOPVS.

Mirum eft, quòd non aduertis ipfe, quàm bellè quadrat iftud cum Petri maioritate. Nonne dixit Chriftus, miniftrum illum effe debere, qui futurus effet inter Apoftolos maior? Sic ergo decuit Petrum fui magiftri prædictionem implere, vt miniftrum fe cæteris exhiberet. Quanquam hoc negotium, tantæ fuit arduitatis (vti fuperiùs oftendimus) vt vel maximè Petri præfentiam expofceret. In quo nimirùm eximia Petri magnitudo varijs modis euafit illuftrior. Partim ex Simonis Magi repræhenfione, partim ex donatione fancti Spiritus, quam Philippus præftare non valuit. Cæterùm quia pluribus hac de re fuprà differuimus, fimul & de Ioanne, qui cum fuit inter cæteros, poft Petrum, cum primis habitus vnà tamen cum Petro miffum fuiffe conftat, vt ex ijs tam egregijs nuntijs, rei difficultatem apertiùs intelligeremus. Quoniam, inquam, de ijs omnibus latè fuprà difceptauimus, iam vela contrahentes pergamus ad alia.

LVTHERVS.

Mifer ille homo Romanus Epifcopus fuam Ecclefiam Romanam, neque regit, neque pafcit, fed neque poteft. Deindè curiam fuam omnium fcelerum lernam, etiam nutrit, ac fouet, & totius Orbis Ecclefias fibi arrogat ad regendum, immò, nec fuam perfonam regere, iam à multis feculis potuit. Tàm craffas tenebras temeritatis adhùc non palpamus? Et hæc figmenta verborum incompofitiffima adhùc admittimus, verè credentes eum, verè pafcere, ac regere velle, aut poffe omnes Ecclefias, qui fuam proximam etiam vaftat. Lupus in fuo ouili, paftor erit in alienis.

EPISCOPVS.

Faciat nec ne Summus Pontifex ea, quæ caput, & paftorem decetne, alienum eft ab inftituto noftro. Nos hoc loco tantùm inquirimus, an caput reuera fit, & paftor à Chrifto conftitutus. Nec defenfionem fcelerum (fi quibus abundat Romana curia) iam ipfi meditamur, fed an Petro, fucceffforibuf que fuis tanta fit à Chrifto collata poteftas, quanta creditur, & afferitur à facris omnibus interpretibus. Parùm certè eum conuenit religioni (qualifcunque fuerit ille) mifcrum eum appellare, cui tot facri interpretes, tanta vel ab ipfo Chrifto tribui confitentur. Sed iam perfpicio fatis argumenta deeffe tibi, cùm ad ifta (quæ mera conuiria funt) fugias. Nunc enim cum nequeas argumentorum viribus illius auctoritatem minuere, malitiæ tuæ veneuum faltem in illum confpuere ftudes.

LVTHERVS.

Vnum hoc ego admiror, cur totus Orbis hoc primatu carere non poffit, cuius opus, & officium nunquam fenfit, nec vnquam fentire poteft? Quid enim principatus fine opere, immò contrario opere? Si Ecclefia ftat fine illius opere, & officio, etiam fine dubio meliùs ftabit, periodè enim eft, ac fi nullus fit, cuius opus, & officium nullum eft.

EPISCOPVS.

An totus Orbis hoc primatu carere poffet, id tuo cerebro difcutiendum relinquo. Chrifto fanè videbatur opportunum, vt vnufquifque fuo gregi præficeretur, qui fuarum ouium, non harum quidem, aut illarum, fed generatim omnium curam gereret. Quod quàm fit rationi confentaneum, mox dicemus. Si verò fuum officium non agat Summus Pontifex, aut Chrifti gregem curare neglicat, non proptereà confequitur, vt eiufmodi magiftratus non fit Orbi toti neceffarius. Sic enim, & Dioecefes plurimas fuis Epifcopis carere poffe, facilè cauillaberis. Atque ità fi tibi credimus, non modò Pontificatum illum fummum, fed minores etiam Pontificatus complures ab Ecclefia prorfus auferemus. Nec demitor fanè, fi non difficulter admiferis ifta, quando, vel abfque Sacerdotibus Ecclefias quaslibet regi poffe dogmatices. Et nec Sacramentis, neque Sacerdotibus opus effe cuiquam, fed Fidem folam, & Dei verbum fufficere cunctis opinaris. Nos verò, qui ex Chrifto, & Paulo didicimus, in Ecclefia varios effe gradus, & ordines oportere, non modò Sacerdotes, verùm etiam Epifcopos, & fummum etiam ipfum Pontificem (qui cæteris præfit) neceffarium penitùs exiftimamus.

LVTHERVS.

Quid ergo garriunt miferi, Papatum effe oportere, ad regendam Ecclefiam vniuerfalem, ne fit Acephala? quando regitur ab illo? Non eft Acephala, quæ capitis, neque motum, neque fenfum, immò contrarium experitur? Væ maledictis illis figmentis, quibus tot animas fallunt, & perdunt, dicentes: Caput Ecclefiæ, cum nullum fit capitis vfpiam indicium.

EPISCOPVS.

Multis rationibus congruebat, & vnus vice capitis toti præfideret Ecclefiæ.

Prima; Sic enim in Synagoga (quæ fuit vm-

vmbra dumtaxat Ecclesiæ) præfuit vnus, qui & princeps Sacerdotum dicebatur: sub quo multi gradus, & ordines fuerunt.

Secunda, Sic & Ecclesia triumphans, cui velut exemplari nostra militans respondet, vnum habet præsidem Deum sibi: sub quo nouem Angelorum ordines esse, cunctis est creditum.

Tertia, Quomodo igitur Ecclesia, quæ media inter vmbram, & exemplar est, ex vna quidem parte respiciens vmbram, ex altera verò spectans exemplar, carere potest vnitate præsidis? Sed & si naturæ modum intueamur, prospiciemus, omnem multitudinem, quæ quouis modo dicitur vna, numquam non ad vnum ceu caput, & principium referri.

Quarta, In arboribus multi ramorum ordines sunt, sed ij omnes ab vnitate radicis proficiscuntur. In animantibus multa quoque membra, sed hæc omnia reguntur vno capite.

Ad hæc, vt Cypriani verbis vtar, Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, & demum in politia quauis, non perperam instituta, referri debet ad vnum, totius rei prorsus administratio. Ex quibus nimirùm discere possumus, numquam posse Ecclesiam rectè gubernari, nisi tanta varietas ordinum ad vnum referatur. Id, quod ex tribus fiet dilucidum. Primùm quoties lites emergunt de rebus fidei, & quoties incidit de scripturarum sensu controuersia, necessè est, vt aliquem supremum iudicem habeamus, cuius iudicio stabitur: De qua re pluribus antè sub veritate tertia disceptatum est. Deindè cum plerumque necessitas vrgeat, vt generalia Concilia celebrentur, per quendam ceu principem (cuius mandato cæteri parituri sunt) conuocari faciliùs poterit Episcoporum Synodus. Nam alioqui fortassis accersiti, nequaquam accederent. Tertiò propter contumaces reprimendos, & maximè cum inter se dissentiant Episcopi, necessaria est capitis vnitas, quæ studeat eos ad concordiam reducere, ne fautoribus hinc, indè multiplicatis, pusilla principio iis in perniciosum tandem schisma prorumpat. Vides ergò, si non spontanea malignitate cæcutias, Papatus necessitatem. Sed tu conuitijs, vt soles, paginas reples.

LVTHERVS.

Quàm verè dixit Petrus secundæ epistolæ Petri secundo: Et fictis verbis in auaritia de vobis negotiabuntur.

EPISCOPVS.

Hoc ad ipsum spectat Luthere, modò cætera recensueris Petri verba. Nam paulò antè dixit 2. Petrus 2.: Fuerunt verò, & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negant, per quos via veritatis blasphemabitur. Et tum proximè sequitur istud, quod ipse memoras. Sed illa tu prætermittis, quæ te tuis coloribus depingunt. Et quis alius præter te, sectas perditionis introducere molitur? Ecclesia nimirùm ea, quæ ductu sacri Spiritus à maioribus nostris, viris vtique non minori vitæ sanctimonia, quàm eruditione præstantibus accepit, ad hunc vsque diem sequitur. Sed eam tu nunc tuis nouitatibus scindere paras, & viam veritatis (quam hactenus ipsa tenuit) execrandis blasphemijs tuis, iam conspurcare satagis.

LVTHERVS.

Tamen quò magis pateat operatio Sathanæ in errore isto, videamus, quibus verborum fallacijs, & figmentis, eum primatum probauerunt. Primùm adducunt illud, Matthæi 16. cap. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum. Quodcumque ligaueris super terram, &c.

EPISCOPVS.

Pro ijs Christi verbis explicandis: [Quodcumque ligaueris, &c.] aduertendum est: Ecclesiam haud confusam quandam, & indigestam esse congeriem, sed ordinatissimam Christianorum congregationem. In qua varios (vt nuper diximus) ordines, & gradus esse constat, qui tandem ad vnum, ceu Caput, & Principem referendi sunt. Eam à Petro Christus exordium sumere voluit, & ab ipso per successiones continuas ad finem vsque seculi perdurare. Compertissimum equidem est, Pontifices summos, alterum post alterum hactenus in Ecclesia successisse, nec interruptam fuisse successionis huius continuam progressionem ad hunc vsque diem. Qua successione præter cætera, diuus Augustinus haud mediocriter in fide se firmatum fuisse testatur, atque in Ecclesiæ gremio fuisse retentum stabiliter. Tenet me, inquit, ab ipsa sede Petri (cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit) vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.

Hanc haud dubiè successionem arbitramur generationem illam intelligi debere, de qua Christus in Euangelio dixit: [Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.] Marc. 13. Hæc, inquam, quæ tunc cœpit. Neque enim cuiquam dubium esse potest. Apostolos ipsos iam præterijsse, simul & cæteros vniuersos, qui tum superstites erant, nec tamen ad hunc vsque diem impleta esse cuncta, quæ tum prædixerat Christus. Palàm est igitur, ea verba de Christianorum generatione, quæ à Petro tunc sumpsit initium, intelligi debere.

Et certè non absque summa Dei prouidentia curatum est, vt Petrus in ea mundi parte sedem firmaret suam, vnde continua nobis, & interrupta Pontificum, & Sacerdotum successio, propagata sit. Discurre per cæterorum Apostolorum sedes, & iam, aut omnes vacuas inuenies, aut non legitimos habere successores. Nec Paulus, nec Ioannes, nec Iacobus, neque cæterorum fermè quisquam, successionem hodie reliquit vllam. Soli Petro sua successio permansit incolumis. Quamobrem, & hoic rectè dictum fuit: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quam profectò successionem,

cum

cum nec tyranni, nec hæretici, nec machinæ demùm vllæ diabolicæ, hactenùs infringere valuerunt, aptè fubiunxit Chriftus: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

LVTHERVS.

Hic per petram intelligunt poteftatem Petri, feu Papæ monarchiam illam, fuper quam ædificari volunt totam Ecclefiam, ideft, Ecclefiam fubijci huic poteftati. Hæc adulteratio, & deprauatio huius verbi Chrifti, & impijffima, & intolerabilis eft.

EPISCOPVS.

De poteftate monarchica difquiremus aliàs. At interea conftat per petram in ijs verbis Petrum intelligi poffe, quemadmodum iam explicauimus. In qua re certè nihil ipfis verbis adulterationis, aut deprauationis à nobis illatum eft, quin potiùs fenfum verè germanum eis reddidimus. Cui & fpectatiffimi confentiunt facrarum literarum interpretes.

Et Hieronymus in primis, qui rem aperit citra fucum omnem. Nam fuper Matth. ipfa Chrifti verba fic interpretatur: Ego, inquit, dico tibi. Quid eft, quod ait; Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixifti: Tu es Chriftus filius Dei viui: Et ego dico tibi, non fermone caffo, & nullum habente opus, fed dico tibi, quia meum dixiffe, & feciffe eft: [Quia tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam.] Sicut ipfe lumen Apoftolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino fortiti funt vocabula: ità & Simoni, qui credebat in petram Chriftum, Petri largitus eft nomen. Ac fecundum metaphoram petræ rectè dicitur ei. Ædificabo Ecclefiam meam fuper te: Hæc Hieronymus.

En fuper Petrum ædificanda fuit Ecclefia: Ædificabo, inquit, Ecclefiam meam fuper te. Aftipulatur & huic Chryfoftomus homilia quinquagefima quinta, fuper Matthæū. Hæc, inquam, omnia quæ folius Dei funt, fe Chriftus pollicetur daturum Petro. Ità & pater ad Hieremiam dicebat. Sicut columnam ferream, & ficut murum æneum pofui te. Sed ipfum quidem gentium pater, hunc autem vniuerfo terrarum Orbi Chriftus præpofuit. Et paulò poft ad lectorem ait: Tu verò mecum ex ijs omnibus, quanta fit Petri poteftas intellige. Ego tibi dico, inquit: Tu es Petrus, & ego fuper te ædificabo Ecclefiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum. Hactenus ille.

Vides & hìc fuper Petrum ædificandam Ecclefiam effe.

Bafilius item oftendit idipfum aduersùs Eunomium, libro fecundo,] quamquam paucis. Per hanc, inquit, vocem Petrum intelligimus Ionam, qui fuit ex Bathfaide, Andreæ fratrem, qui ex pifcatore in Apoftolatus minifterium vocatus eft. Qui quoniam fide præftabat, Ecclefiæ in fe ipfo ædificationem fufcepit. Hæc Bafilius.

Ecce & hìc affirmat Petrum Ecclefiæ in feipfo ædificationem fufcepiffe. Ambrofius etiam apertiffimè Petrum affirmat petram fuiffe, fupra quam Chriftus erexit Ecclefiam fuam. Pro foliditate deuotionis, inquit, Petrus Ecclefiarum petra dicitur, ficut ait Dominus: [Tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam.] Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta pofuerit, & tamquam faxum immobile totius operis Chriftiani compagem, molemque contineat. Petra ergò pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, ficut ait Apoftolus: Bibebant autem de fpirituali, confequente eos petra. Petra autem erat Chriftus, rectè confortium meretur nominis, qui confortium meretur, & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum pofuit. Petrus plantat: Dominus incrementum dat. Dominus irriguum fubminiftrat.

Hæc Ambrofius, fermone quadragefimo feptimo, de fide Petri. Subfcribit & huic Cyprianus, epiftola quadam ad Quintium. Nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & fuper quem ædificauit Ecclefiam fuam, cum Paulus de circumcifione poftmodum difceptaret, fe vindicauit, feu aliquid infolenter, aut arroganter affumpfit: vt diceret fe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & pofteris fibi potiùs oportere. Ecce & hìc multa notanda funt. Principio, quòd Dominus Petrum primùm elegit. At non vocatione profectò, fed dignitate. Deindè, quòd fuper Petrum ædificauit Ecclefiam fuam. Tertiò, quòd de primatu etiam facit mentionem. Et rursùm epiftola 3. ad Cornelium: Petrus, inquit, fuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclefia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclefiæ voce refpondens, ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Hæc Cyprianus.

In quo nec diffentit ab eo, quem folitus eft magiftrum appellare, nempè Tertullianum. Nam in libro de præfcriptionibus hæreticorum, de Petro fic interrogat: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclefiæ petram dictum, claues Regni Cœlorum confecutum, & foluendi, [& alligandi in Cœlis, & in terris poteftatem? Ecce quòd affirmat Petrum dictum fuiffe petram ædificandæ Ec-Ecclefiæ, quodque Regni Cœlorum claues confequutus fit, & poteftatem foluendi, ligandique in Cœlis, & in terris? Et is Tertullianus ex antiquiffimis Latinis erat, & temporibus Apoftolorum vicinus. Hilarius quoque de Petro loquens, & eadem interpretans verba, fuper Matthæum, fic ait; Beatus hic eft, vt vltra hominum oculos, & intendiffe, & vidiffe laudatus eft, non id, quod ex carne, & fanguine erat contuens: fed Dei filium Cœleftis Patris reuelatione confpiciens, dignufque iudicatus, qui, quod in Chrifto Dei effet, primus cognofceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclefiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauftra diffolueret. O beatus Cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreftre iudicium præiudicata auctoritas fit in Cœlo, vt quæ in terris, aut ligata fint, aut foluta, ftatuti eiufdem conditionem

obti-

obtineant & in Cœlo. Hactenus Hilarius.

Accedit his beatus Leo sermone quodam de anniuersario Pontificiæ suæ assumptionis die, prædicta Christi verba pertractans, ait: Ecego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, idest, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Hæc ille. His assentitur, & Gregorius lib. 6. epistola 37. ad Eulogium: Quis, inquit, nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Cui rursum dicitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me, pasce oues meas. Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum Principis sedes, in auctoritate conualuit. Hæc Gregorius. Augustinus insuper libro contra epistolam Donati, de Apostolo Petro sermonem faciens; quanquam alibi petram Petri Fidem interpretetur, hîc tamen affirmat, quòd in Petro tamquam in Petra, fundata sit Ecclesia, suamque sententiam confirmat carmine quodam Ambrosij, quod de Gallo gallinaceo scripsit, nimirùm isto: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Et idem inter sermones de tempore, sermone 16. eadem omninò verba recenset, quæ suprà protulimus ex Ambrosio. Sed & de Sanctis, sermone 26. sic ait: Primum signum mirabile, quod beatus Apostolus Petrus fecit, claudo, pedum restituendo (vt diximus) vestigia. Audistis frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, supra quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat, vt sicut in Ecclesia Fidei fundamentum continet, ità & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam pedes Christiano curat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ stare, sed robustus, & fortis incedere. Hactenus Augustinus. Nec dissentit Origenes, ad hunc modum scribens: Magno illi Ecclesiæ fundamento, petræque solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam suam, vide quid dicatur à Domino: Modicæ Fidei quare dubitasti? Hæc Origenes homilia 5. super Exodum. Intelligis ex ijs nostram sententiam, cui tot maiores Ecclesiæ, tam Græci, quàm Latini suffragantur, non adulterinam esse, neque verborum Christi deprauatricem.

Nos itaque cum ijs, & ij nobiscum sentiunt, Petrum exordium Ecclesiæ Christi fuisse, & ab eodem Christi Ecclesiam profluxisse, velut à summo capite, & supremo post Christum. Ab ipso certè promanauit Christianorum (qui iam sunt, quique posthac futuri sunt) generatio: cuius, & successio perpetuabitur, finem nullum habitura, quamdiu seculum hoc durauerit. Nonne cernimus Christianos è Sacerdotibus nasci, Sacerdotes autem ex Episcopis, Episcopos quoque ab ipso Pontifice summo (quoties necesse fuerit) propagari? sed & ipsum denique, qui iam summus est, ab ipso Petro per successionem, quæ nullis dæmonum insidijs hactenus interrumpi potuit, rectissima quadam linea descendisse.

LVTHERVS.

Quod euidenter monstrabo, in hunc modum. Christus dicit, quòd portæ inferi non sunt præualituræ vnquam aduersus hanc, siue petram, siue Ecclesiam super petram ædificatam. Nihil enim refert, siue aduersùs petram, siue aduersùs Ecclesiam non præualere intelligantur, immò periculosius est aduersùs petram, quàm aduersùs Ecclesiam præualere illas, cum tuente petra, Ecclesiam super petram sitam necesse quoque sit ruere, non autem è contra. Cum autem nemo possit negare, Papam & omnem potestatem eius sæpius fuisse vnà cum ijs, qui sub eo etiam pertinacissimè agunt, sub peccato, & imperante, pessimoque abusu, ac per hoc portas inferi horribiliter in eos præualuisse, eosque occupauerint, maximè in hodiernam diem possideant, cum hodie non seruiat ea potestas, nisi ad vastationem Ecclesiæ, vt omnium sensus cognoscit, manifestum est, petram aliud quippiam significare, quàm potestatem illam portis inferi tam horribiliter subiectam, & seruientem.

EPISCOPVS.

Per petram Petrum intelligi posse, multis aperuimus. Et stat Inuicta prorsus interpretatio nostra, stant & sententiæ Patrum inuictæ, quas antè memorauimus. Nihil his obsistunt illa tua blateramenta, quæ tot verbis effutieras. Quid enim si præualuissent astutiæ dæmonum in quosdam ex summis Pontificibus? Successio tamen hæc (quæ à Petro sumpsit initium) omninò perseuerat, nec violentissimis tyrannorum infestationibus, nec acerrimis hæreticorum argutijs, sed nec vlla Satanæ malignitate valuit vnquam impediri. Manet Petrus huius generationis immobile fundamentum. Nec ab hoc principio suo potest vllis aduersariorum insidijs Ecclesia diuelli. In quosdam ex pontificibus fraudes præualuisse diabolicas non refragor. Præualuerunt, & in Petrum, citrà quàm ad ipsum ea verba Christus habuerat, nimirùm quia peccato succubuit. Et quem ex vniuersa mihi dabis Ecclesia, qui non etiam interim peccato succubuerit? Verumtamen aduersus hanc Ecclesiæ promanationem à Petro, præualere dæmonum artes, nec potuerunt, nec poterunt vnquam. Quamobrem, per petram rectè Petrus intelligitur, & per Ecclesiam quoque promanatio Christianorum à Petro, aduersùs quam inferorum portæ numquam sunt præualituræ.

LVTHERVS.

Quare impiam, & intolerabilem blasphemiam esse dico, per petram, qua solus Christus, idest, Verbum, & Fides eius inseperabilis significatur, intelligere potestatem illam monarchicam, Satanæ sessum,& officinam. Sola enim Fides in Christum est, quæ nullis inferi portis ad vllum peccatum potest subuerti.

EPISCOPVS.

Hæc inter cæteras, vna ex Strophis tuis est, nec sanè rarius abs te vsurpata: nempè cum vnum aliquid duabus, aut pluribus, queat rebus accommodari, tu talem adhibeas fucum, vt vni soli, cæteris exclusis, appropriari videatur. Sed excutiamus, quàm dialecticè idipsum facias. Tria quidem sunt, Petrus, potestas Petri, & Fides. Tu colligere studes, super Fidem, cæteris exclusis, Ecclesiam ædificatam esse, & quòd aduersùs fidem, præualere nequeant inferorum portæ. Num igitur hæc consequutio tibi iusta videtur? Non super Petri potestatem ædificatur Ecclesia, ergo super solam fidem ædificatur? Et similiter ista: Portæ inferi præualuerunt aduersùs potestatem Petri, quamobrem non de potestate Petri, sed de sola Fide Christus est locutus. Primùm hæc posterior consequutio tua multifariàm vitiosa est, tum quòd verba Christi palàm est, rectiùs ad Ecclesiam referri debere, quàm ad petram. Et portæ, inquit, inferi non præualebunt aduersum eam, nimirùm Ecclesiam, de qua proximè loquutus est. Quamquam ergo non potuerint hæc verba de potestate Petri congruenter intelligi, intelliguntur nihilominùs de Ecclesia, & non quòd tu molitis de sola Fide.

Deindè nec satis efficaciter adhuc ostendisti, quòd aduersus potestatem Petri præualuerint inferorum portæ. Neque enim sequitur: Præualuerunt in Petrum, aut in successores Petri, ergo præualuerunt in potestatem, quæ vel Petro, vel Petri successoribus per Christum data fuit. Nam integram, & incolumem tam potestatem esse, non ambigimus, tam in Episcopis, quàm in Sacerdotibus, nedum in summo Pontifice, quamtumuis ipsi vitijs inquinati fuerint. Tertiò, non tantam habet Fides in quouis homine firmitatem, quantam habet hæc potestas à Christo Pontifici tradita. Nemo enim vsque adeò stabilis in fide est, vt labi non possit, alioqui non dixisset Paulus: Qui stat, videat ne cadat. Quæ res, vel in Petro fuit euidentissima, qui ter magistrum suum Christum negauit.

Verùm potestas ista, quam Petro, & Sacerdotibus dedit Christus, nullis dæmonum atribus potest infirmari. Præualeat quantumcumque libuerit Satanas in homines, aduersùs hanc certè potestatem præualebit numquam. Sed inquies: Neque aduersùs Ecclesiæ Fidem præualere potest vnquam. Hoc ideò fit, quoniam aduersùs Ecclesiæ successorem numquam præualebit. Semper enim Ecclesia perdurabit in Fide. Quia semper hæc generatio, & successio promanans à Petro, perpetuabitur.

Cæterùm ex Ecclesia nullum designabis membrum, de quo certum asserere posses, quòd eius fides non periclitabitur. Et vbi, te quæso, manet Ecclesiæ Fides? An tu separatam aliquam Fidem Ecclesiæ seorsum manere putas, ex qua pendeat Ecclesia? Non alia certè est, quàm quæ in mentibus hominum reponitur. Quamobrem, cum in singulo quoque Christiano Fides periclitari potest, potestas tamen Petri manet incolumis, multò solidiùs à potestate Petri deriuatur Ecclesia, quàm super alicuius hominis Fidem collocetur. Sed iam priorem similiter consecutionem expendamus. Ecclesia tametsi non fuisset ædificata super potestatem Petri, potuit nihilominùs super Petrum ædificari, & non super solam Fidem excluso Petro. Quamobrem nec consequitur: Non est Ecclesia super hanc potestatem ædificata, igitur super solam Fidem ædificatur.

Cæterùm, vt ingenuè fatear, hanc consequutionem insinuas magis, quàm explicas. Inuoluis enim hanc rem tuo more, neque vsquam apertè probas, quòd non super Petrum ædificata sit Ecclesia. Sed callidè priori parte verborum Christi dimissa, mox incipis ab altera, nimirùm hac: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, hoc est, iuxta tuam expositionem, aduersùs petram.

Nimirum vt ità versutè posses inferre, per petram intelligi non posse potestatem hanc (in quam, vt ais, horribiliter inferorum portæ præualuerunt) sed Fidem solam. De superiori verò particula nihil explicatim disseris. Ad id oportuit eum primis. Nisi enim ostenderis, super Petrum non fuisse ædificatam Ecclesiam, nihil agis. Sed hanc callidè pertransis, & repugnante dialecticâ, colligis Fidem solam esse, aduersùs quam portas inferi non præualituras affirmauit Christus. Cùm tamen ipse rectiùs intelligi potest de Ecclesia, quàm de Fide esse locutus. Neutrum igitur expugnasti, aut quòd super Petrum, aut quòd super potestatem Petri, non sit erectum ædificium Ecclesiæ, cum tamen alterutrum abundè sufficiet pro nostra parte.

LVTHERVS.

Patet ergo, quàm insigni blasphemia, multi Pontifices in suis decretis petram detorserunt ad suam potentiam: & verbum ædificare, ad Ecclesiæ externam subiectionem. Si enim ædificantur super petram, qui Papæ Monarchiam colunt, necesse est, vt portæ inferi nihil in eos possint. Cum verò portæ inferi in nullos homines plus possint, quàm in eos, qui religiosissimè Papæ subiecti sunt (sunt enim omnium, quod videmus, sceleratissimi, & impijssimi omnium dæmonum, & vitiorum serui) patet, quòd nihil minùs potestas illa sit, quàm petra ista, & illi nihil minùs sint, quàm ædificati super hanc petram.

EPISCOPVS.

Isto more argumentandi, nec Ecclesia super petram ædificabitur. Quis enim est ex tota Ecclesia, qui prorsùs omni peccato careat?

reat? Et maximè si tua dogmata sequamur. Cum asseras in omni opere bono peccatum esse, & opus quodque bonum optimè factum, veniale nihilominus esse peccatum: sed & veniale quodlibet suapte natura mortale esse. Quòd si quoduis Ecclesiæ membrum, sic immersum est peccato. Et tota pariter Ecclesia peccatis erit immersa. Nam quid aliud est corpus aliquod totum, quàm omnia sua membra? Sed & tibi serua diaboli sit necesse est Ecclesia, & eatenùs sub illius potestate, quatenùs ea peccatis est subiecta. Qui enim confitetur, inquis, se non habere Dei regnum, quod petit, cum orat: Adueniat regnum tuum, certè seruum diaboli se ex parte confitetur. Hæc tua verba sunt, negare non potes.

Quòd si diaboli serua sit Ecclesia propter peccatum, quò certè carere non potest, & propter absentiam Regni Dei, quomodò tibi super petram ædificatur? Quòd si ipsa, non obstantibus peccatis, super petram ædificata sit, cur non etiam alij (de quibus loqueris) possunt etiam super petram ædificari? Ad hæc: Si per petram, vt tibi placet, sola Fides intelligi debeat. Et tibi aduersùs hanc nec dæmones præualere queunt. Quomodò cernimus in tantam quotidiè Christianorum multitudinem præualere dæmones, cum tamen illi se Fidem habere confiteantur? Quòd si dixeris, in homines dæmones præualere, non in illorum Fidem. Sic & ego vicissim tibi respondeo; non in potestatem Pontificum, sed in ipsos Pontifices, quatenus homines sunt, posse dæmones præualere. Quamobrem & subruit ista consequutio, quam affers: Si ædificantur supra petram, qui Papæ monarchiam colunt, necesse est, vt portæ inferi nihil in eos possint.

LVTHERVS.

Adeste ergo huc Papa, & omnes papistæ in vnum, conflate studia vestra omnia in vnum, si fortè possitis hoc vinculum dissoluere. Saltem hæc auctoritas contra vos euicta, triumpharaque est. Nonne hæc auctoritas hactenùs fuit vestrum vnicum præsidium? Nonne per omnia Decreta iactata, ceu rupes inuicta huius potestatis? Prorsùs in nullo alio verbo vobis credimus, donec hoc mendacium, & hanc blasphemiam dilueritis. Suspecti, inquam, eritis in omnibus alijs, semel deprehensi in tam crassa temeritate deprauandi verbi Dei.

EPISCOPVS.

Hæc iam exprobras orthodoxis Ecclesiæ Catholicæ membris, quæ suo capiti studiosè fauent, vt par est. Et ego vicissim eadem in te verba retorquebo. Huc adsis, & tu Luthere, cum Lutheranis omnibus tuis, & omnia studia vestra in vnum conflate, neque vmquam efficietis, quin vera prædixerit Christus: Nempè, quòd super petram, hoc est Petrum, ædificaturus esset Ecclesiam suam. Stat contra vos hæc auctoritas inuicta, quæ etiam de vobis triumphat, & triumphabit. Neque vnicum hanc nobis præsidium esse credaris, cum non desint plura, & sanè quàm hæc multò validiora, quæ numquam infirmabitis. Et vt ex illis viginti locis, quos suprà recensui, partim ex Euangelijs, partim ex Apostolorum Actis, duos solos memorem, nempè de didrachmate, quod pro se, & Petro Christus persolui voluit: & de oratione, quam pro solo Petro fecit Christus, ne deficeret in Fide, quatenus ipse conuersus, confirmaret cæteros. Hos, inquam, duos locos nullis verborum ambagibus, nullis fucis, nullis imposturis, pro vestra parte contorquebitis vmquam. Et iam Luthere, postquam hic tantoperè gloriaris, & exultas, quasi rem euiceris, dic mihi precor, vtrauis harum id rationum feceris? An quia crassioribus ingenijs (licèt aliter tua censeat conscientia) videri vis, hic perperisse victoriam? Et tum demiror quomodò te non pudet, qui religionem professus es, ad hunc modum illudere plebi Christianæ. An magis, quòd ex animo rem ita verè se habere confidis? & tum certè nullo deinceps alio verbo credendus es, donec hoc mendacium, & hanc blasphemiam dilueris. Suspectus, inquam, eris & meritò quidem in omnibus alijs, semel deprehensus in tam crassa temeritate deprauandi verbi Dei.

LVTHERVS.

Mirius sanè errassetis, si per petram intellexissetis sanctum Petrum, quem aliquot sancti Patres fundamentum Ecclesiarum appellarunt.

EPISCOPVS.

Si vel vnicus ex ijs (quos produximus) hoc affirmasset Luthere, non is vsque adeò leuis esset auctoritatis, quin tibi, tuisque præponderaret. Quamobrem cum tot sint, & ex maxìs, spectatissimisque, quis non ijs omnibus Fidem adhibebit magis, quàm vni Luthero, & eidem in tot iam pridem, & tam crassissimis deprehensio mendacijs?

LVTHERVS.

Sed propter Fidem suam, non propter potentiam exteriorem id dixerunt. Non enim idem est: Sanctus Petrus, propter Fidem verbi Christi, & potestas Papæ sine Fide, & verbo, superabilis per portas inferi.

EPISCOPVS.

Quæcumque dixerint patres id ratione, compertissimum est, eos id de Petro sensisse concorditer. Et certè propter Fidei suæ confessionem, hoc ei Christus pollicebatur, & priùs item, quàm Christus potestatis illi creditæ fecerit mentionem. Priùs enim dixit ad eum Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ac deindè paulò post: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum. Cæterùm hi, qui Petro succedunt, tametsi non parem habeant cum Petro Fidei firmitatem, successores tamen Petri sunt, per quam successionem hactenus Ecclesia perpetuatur. Neque solùm in Petri locum successerunt, verumetiam in potestatem cum Petro parem, saltem quantùm ad ligandi, soluendique

dique pertinet auctoritatem. Quæ potestas nimirùm insuperabilis est, nec per vllas inferorum portas infringi valebit, quamtumuis hi peccato subiaceant, qui præditi sunt ea potestate.

LVTHERVS.

Quòd si etiam aliquot patres in sententia vestrea habeatis, frustrà eos iactatis. Quia nos clarum Euangelij sensum habemus meritò omnibus præferendum.

EPISCOPVS.

Non aliquot ex patribus, Luthere, sed omnes ad vnum pro nostra sententia faciunt, & suos huic addunt calculos. Quod cum ipsi faciant tam vnanimi consensu, frustrà tu prouocas ad Euangelium, quasi patres illi non intellexerint Euangelium. Sed, & Tertullianus, libro de præscriptionibus hæreticorum, potenter ostendit, hæreticos haud quaquam admittendos ad ineundam de scripturis prouocationem, quin etiam eisdem interdictam esse docet de scripturis disputationem, cùm in ipso congressu firmos fatigent, infirmos capiant, medios cum scrupulo dimittant. Non est igitur interpretationi tuæ, Luthere, de Euangelio contrà tot Ecclesiæ proceres credendum: cum aliter ipsi, vno ore, cuncti dictum Euangelium edisserant.

Cæterùm finge neminem eorum sic interpretatum fuisse, ipsa tamen Euangelij verba pro nobis militant apertissimè, quæ tu per vim torques, & diuersum sensum rapis, vel inuitissimè. Id quod monstrabo adhuc luculentiùs. Tu supra Fidem solam vis Ecclesiam ædificari. Nos super fidelem Petrum, qui primus Christum verè confessus erat fuisse filium Dei. Alij quidem antea confessi sunt Christum esse Dei filium, tam Nathanael, quàm qui in nauigio sedatam viderant tempestatem. Sed hi Christum, quendam inter multos à Deo magis dilectum putabant, non autem ex ipsa patris natum substantia. Petrus verò filium Dei ex ipsa Dei substantia genitum confitebatur. Cuius confessionis meritò dictum est illi: Beatus es Simon Bariona: solus vtique Petrus hac nomenclatura notus erat, nempè quòd erat Simon filius Ionæ. Quamobrem & in hunc solum, quicquid sequitur referri debet, non ad cæteros. Nemo enim illorum fuit Simon Bariona, præter Petrum.

In præconium itaque Petri, simul & suæ confessionis præmium Christus, quæ sequuntur, omnia protulit. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Non enim hæc docere te potuit pater tuus Ionas, qui caro, & sanguis est: sed pater meus cœlestis, qui Spiritus est, hæc tibi cælitùs reuelauit. Miserum te progenuit Ionas pater tuus: At è diuersò beatum hac reuelatione, meus pater effecit te. Cæterùm, & ego, quia me sic confessus es esse filium eius, plusculum adijciam. Ego vicissim dico tibi, quòd tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Magnum sanè donum fuit, quod Deus pater contulerat Petro, nempè reuelationem diuinitatis filij sui, quam adhuc nec Iudam, nec alios quosdam ex Apostolis, accepisse reor. Sed iam Petro propter vsum huius doni, Christus præmium longè cumulatiùs adiecit. Verùm agè, singula quæso verba diligentiùs expendamus. Primùm illud excutiamus, cur dixerit: Ædificabo Ecclesiam meam. An non erat Ecclesia iam pridem ædificata? Erant certè iam olim, qui Christum crediderunt, Nihilque inter illorum, & nostram Fidem interfuit, quàm quòd illi venturum Christum crediderint, nos autem venisse. Sed quia primus omnium Petrus hanc Fidem confessus erat, idcircò Christus non à prioribus illis, sed à Petro voluit exordium Ecclesiæ suæ sumere. Nam hi, quos Christus iam colligere venit, peculiariter ad Ecclesiam Christi pertinebant: propter quod & congregationem hanc, quæ cœpit à Petro, peculiatitèr suam Christus vocabat Ecclesiam. Quoniam igitur hæc futura iam erat, idcircò dixit: Ædificabo Ecclesiam meam. Cæterum vt intelligamus super Petrum Ecclesiam hanc ædificari. Quid aliud est Petrus (si quis interpretetur) quàm saxum? Et quid aptius cogitari potest, quod ceu fundamentum, in ædificio quouis locetur, quàm solidum saxum? Porrò quid inter saxum, & petram interest? Nihil omninò, nisi sola vocis diuersitas. Pensitemus itàq; quàm appositè sequitur. [Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Audis hic Petrum, seu petram: audis ædificationem: audis & Ecclesiam. Quid est aliud Ecclesia, quàm viuorum lapidum, non confusa quidem, sed ordinatissima constructio? Lapidum, inquam, rationalium, qui Fide non mortua viuunt. propter quod & ipse Petrus ait ad ædificatos: Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales. Hæc nimirùm domus Ecclesia non potest non intelliqi. Quando igitur apertum est, Ecclesiam ex einsmodi lapidibus constructam esse, quid tam coactè fundamentum aliud huic ædifitio quæris, quàm quod ijs congeneum sit? Cum enim homines hanc structuram, ceu viui lapides, ingrediuntur, quod fundamentum aliud citra Christum magis congeneum erit, quàm ipse Petrus? Quem & proptereà saxum Christus nuncupauit. Cæterùm quantum ad Fdem artinet, palàm est, nullum huius ædificij membrum carere posse Fide. Nam si Fide caruerit quispiam, iam foris est, & non in ædificio. Quòd si quodque membrum Fidem habere necesse sit, quomodò non etiam vnumquodque debeat Ecclesiæ fundamentum dici? Nam cur huius, aut illius fides, pro fundamento magis reputabitur, quàm alterius cuislibet? Neque enim, opinor, separatam aliquam Fidem, & imaginarism (quæ non sit in mentibus hominum) esse fingis, super quam ædificata sit Ecclesia. Quòd si cuiuslibet ChristianiFidem asserueris Ecclesiæ fundamentum esse, iam quæque pars huius ædificij fundamentum erit, & nihil præter fundamenta totum ædificium continebit. Quod si dixetis, quis non videt, quàm monstruosam hanc structuram efficies? Fides haud dubiè qualitas quædam est, tàm fundamento, quàm cæteris huius ædificij partibus, omninò necessa-

cessaria. Sed fundamentum, quid aliud est, quam primum, & præcipuum Ecclesiæ membrum? cuiusmodi, nec cogitari quidem Fides potest, cùm ea nequaquam sit cæteris congenea membris. Adde, quòd neque Fides iam primùm cœpit, sed in ipsis priscis fuerat. At Ecclesiæ futuræ fundamentum, Christus iam primùm iecit, & locauit. Ad hæc, nec Christus hoc modo fundamentum Ecclesiæ dici poterit, cum Fide careat, vtpotè, qui vera semper fruitus sit visione. Nobis verò Christus etiam fundamentum est, nec duo tamen ob id erunt fundamenta, cum Petrus non nisi vicem occupet Christi. Et propterea vides, petræ nomen, quod Christo proprium erat, Petro fuisse communicatum. In signum cuius, & didrachma pro se, & Petro duntaxat, soluit. Pro Petro quin etiam orauit, vt ipse confirmare posset cæteros. Sed & solius Petri Sedes, ad hunc vsque diem absque hæresens aliqua nota manet inuiolata, solidiorque saxo quolibet ipsa perdurat. Iàm si quis reliqua velit explicare, quomodò nec constructionem hanc diruere valeant inferorum portæ, simul & quomodò claues Cœlorum soli Petro fuerant promissæ: perspiciet, omnia vel sole clarius, pro nostra sententia penitùs dimicare: sed & cunctos sensu carere communi, simul & quauis talpa cæciores esse, qui id non vident.

LVTHERVS.

Atque ne alienis virtutibus glorier, Ioannis Huss, iniquissimè à vobis combusti, hæc est victoria, in hoc verbo Christi, immò ipsius Christi, ob quem ille exustus est. Non enim ex meo capite, sed ex illius libro de Ecclesia scripto, & à vobis damnato hæc habeo.

EPISCOPVS.

Dignus hoc magistro Discipulus es, cuius peruersissimo dogmate gloriaris. At hoc es illo nequior, quòd postquam illum noris totius Concilij sententia fuisse condemnatum, illius tamen hæresim te suscitare non pudet. Nec potes illius condemnationem imputare SummoPontifici, quippè, quòd hi, qui sententiam in illum tulerunt, & brachio tradiderunt seculari, multis Pontifici nominibus tum parùm accepti fuerant, & mores Pontificios modis omnibus ad normam redigere curarunt. Non igitur hoc egerunt, aut in Pontificis gratiam, aut per Pontificem inducti, sed sola veritate permoti, nimirùm quòd compertissimum habuerant, hominem contra sanctorum interpretum communem assertionem, etiam contra Scripturas Sacras, suo sensui pertinaciter adhesisse. Neque negare potes, quin de Sacramento altaris non rectè senserit, ob quem errorem, etiam te iudice, vel emendandus, vel condemnandus esset. At hoc etiam demiror, quomodò te non pudet hoc magistro gloriari, quem non ignoras, errore tam pestilenti fuisse prolapsum, & in eodem ad mortem vsque perrexisse, vel summa pertinacia.

LVTHERVS.

Alteram quoque afferunt authoritatem Ioannis vltimo. Dixit Iesus Petro: [Simon amas me? pasce oues meas, &c.]

EPISCOPVS.

Si cuique liceat ad hunc modum scripturas ab inuicem seperare, atque separatas seorsum vellicare, quid esse firmum potest, & à calumnijs tutum? Ingentem sanè scripturis iniuriam facit, qui sic eas aggreditur. Sed oportet accuratiùs pensitare, si quas alias habuerint, vnà secùm conspirantes. Nam quò maiorem habet scriptura quæuis cum alijs multis consœderationem, tantò fulcitur magis illa connexa, quàm si seiungatur à cæteris. Vt enim scitè quidam ait: Quæ non prosunt singula, multa iuuant, facillimè quispiam equinæ caudæ singulos vellicabit pilos, at simul cunctos euellere nemo facilè potest. Scylurus (vt est apud Plutarchum) cum relictis octoginta maribus filijs, obiturus esset, iaculorum fasciculum vnicuique proponens, confringere iubebat. Verùm singulis se id posse negantibus, ipse cùm singula iacula excepisset, facilè omnia perfregit: Sic illos docens, si vnà esse perseuerarent, firmos, validosque fore: Sin dissoluti, diffidentesque forent, infirmos, ac debiles futuros. Sic nimirùm, & consœderatio scripturarum plurimum habet roboris, & simul iunctæ multò validiores sunt, quàm si quis eas carpserit seorsum singulas. Quam rem, & Lucas in Actis docuit, de Christo tradens, quòd Apostolis præbuerat seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis. Porrò si quis hæc argumenta seorsum singula carpserit, nullum earum proteruienti satis fuerit efficax, tametsi cuncta simul, rem commonstrent, vel apertissimè. Vt igitur hæc scriptura, cui iam calumniari studes, genuino robore nequaquam destituatur, considerabimus quantam non modò cum noui Testamenti Scripturis, verumetiam veteris habet conspirationem. Neque enim semel astruit Paulus, quædam esse diuini iuris, & Euangelici, quæ tamen ex veteri Testamento deprompta sunt, quemadmodum, & illud est, exempli gratia, quòd Apostolis licuit ab illis victum exigere, quibus prædicabant. Hoc nimirùm idest, quod ad 1. Corinth. 9. Paulus docet esse diuini iuris. Et quonam argumento? Deut. 25. Scriptum est, inquit, in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hęc dicit? Nam propter nos vtique scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare. Hactenus ex Paulo. Vides itàque Dialecticam Pauli, qua (sumpto veteris legis testimonio) probet aliquid Euangelici iuris esse. Neque id sanè ratione caret, cum nihil aliud erant omnia veteris legis, quàm figuræ quædam legis nouæ, & quædam adumbrationes eorum, quæ in Euangelio continentur. Propter quod & ipse Paulus ait: Vmbram habens lex futurorum bonorum. Et alibi: Omnia in figura contingebant illis. Palàm est igitur Synagogam Iudæorum, Ecclesiæ (quæ iam Christiano-

no-

norum eft,) vmbram quandam fuifse, & populorum illum huius populi fuifse figuram.

Sed &,iter,quod illi per folutionē egerunt versus terram eis promiſsam, noftrum iter, quod per huius Mundi defertum agimus,versùs Patriam Cœleftem, quæ nobis eft promiſſa, fignificat. Cæterùm ductores populi, nempè Moyfes, & Aaron, fuis adumbrationibus carere non pofsunt. Cernimus plerunque, lucente fole, quandam arborem ramis dilatatam, folijs operatam, onuftamque pomis, fuper tellurem vmbram projicere, vfque adeò fibi fimilem,vt quicquid ramorum, foliorum, aut fructuum, in arbore fuerit, id in vmbra quiddam habeat fibi refpondens. Et viciffim, quicquid in vmbra contineatur, id quiddam in arbore folidum refpiciat. Vt & oculis vmbram cum arbore conferens, & vmbræ quamlibet portiunculam obferuans, dicere poteft: Hæc vmbræ portio hanc arboris partem fpectat, & ifta notat ramum, illa folium refert, alia pomum repræfentat, fic & quædam ftipitem, quædam autem arboris fummitatem. Quamobrem fi cuncta (quæ Iudæis contingerunt) futurorum vmbræ fuerant, necefse fuerit eiufmodi duos inuenire, quorum alter fub altero duxerit in hac Ecclefiæ peregrinatione, quales conftat Moyfem, & Aaron fuifse Iudæis, Nam quando cætera videmus, tum vel adamuffim refpondere: nempè Pharaoni, diabolum: Ægypto, peccatum: Exitui ab Ægypto, exitum à peccati tenebris: Iudæis, Chriftianos iter, itineri: deferto, Mundum: Cœleftem patriam,Iudææ: ità Moyfen, & Aaron velut vmbras item, quafdam fuis veritatibus refpondere necefſum eft.Et hi nimirùm funt Chriftus,&Petrus. Quod & nos quatuor indicijs comprobabimus. Primùm erit ratione Sacerdotij. Erant itàque Moyfes, & Aaron facerdotes veteris legis. Chriftus autem, & Petrus legis nouæ. Cæterùm vt à folo Deo Moyfes confecratus, fratrem fuum Aaron vnà cum cæteris huius filijs in Sacerdotes confecrauit, ità tamen, vt Aaron efset cæterorum princeps: Sic & Chriftus à folo Patre Deo Sacerdos fecundùm ordinem Melchifedech effectus, Petrum ipfum vnà cum cæteris Apoftolis conftituit eiufdem ordinis Sacerdotes. Sed Petrum cæterorum principem effecit, cui vel foli fuam nuncupatione communicauit, vt diceretur à petra Petrus, cum antea Simon vocabatur, hoc cognomine prorsùs indicans Petrum fupra cæteros vicarium fuum efse conftitutum. Sed hic operæpretium fuerit audire, quid Lutherus obiectet. In libello namque, cui titulus eft, Refolutio de poteftate Papæ, verficulum hunc tractar, immò lacerat magis: Moyfes, & Aaron in facerdotibus eius. Anacletus enim,qui poft Petrum quartus fuit,inter paucula quædam, quę fuo tempore Decreta fcripfit, hoc verficulo vtitur ad idem inftitutum, quod & nos meditamur. Extant nimirùm in varijs huius regni monafterijs pulcherrima volumina,quæ canones Apoftolorum,& quafdam Pontificum decretales epiftolas fimul, & concilia Patrum continent, quorum voluminum quædam Bedæ temporibus fcripta fuifse creduntur. Et tamen audacia Lutheri nihil veretur hanc decretalem Anacleti, aut Gregorio IX. aut Bonifacio VIII. aut Clementi V. tribuere. Semper, haud dubium eft, fuere Canones Apoftolorum fumma apud patres habiti reuerentia, fed & hanc Anacleti decretalem citant vetuftiffimi decretorum compilatores, vt de ea dubitari non pofset, nifi quis velit Academicorum more, cuncta in dubium reuocare. Cæterùm quem iomodum Lutherus hanc decretalis huius partem difcerpere ftudet, iam attendamus. Quid inquit, audio? quàm non fruftrà hos canones lego? quàm egregiè difco fcripturas intelligere? Sic Lutherus. Cæterùm hic aduerte lector.Iam puluerem ob oculos offundere molitur. Quoties ijs ftrophis incipit ludere, iam fecurus fis illi folida deefse argumenta. Quod & rei exitus comprobabit. Primum, inquit, documentum: Qui vnum folum fummum Sacerdotem, in veteri lege noui, nunc didici duos fuifse primos. Hoc fibi Luther. fatis putat ad rem totam eludendam. Sed mihi refpondeat. Compertum eft Aaron fuifse Sacerdotem fummum, & à Moyfe fuifse confecratum vnà cum cæteris ipfius filijs. Conftat, & Moyfem haud quaquam illi fubditum fuifse, cùm nec ab eo confecratus fuiffet, nec ab aliquo filiorum eius, fed à folo deo. Adde quòd in omnibus negotijs, quæ ad Deum attinebant, Moyfes erat, quàm Aaron fuperior. Sed & Scripturæ paffim præfuerunt Moyfem, quemadmodum in Pfalm. legitur: Deduxifti populum tuum in manu Moyfi, & Aaron: & alibi locis compluribus. Quamobrem, & Moyfes abfolutè fummus fuit: Aaron verò non abfolutè, fed comparatione cæterorum. Sicut & in noua lege, Chriftus abfolutè, & fimpliciter fummus eft: Petrus verò non nifi cæterorum comparatione. Et quid hoc modo prohibet duos efse fummos? Sed iam fecundùm documentum, quod irridet, audiamus. Secundò, inquit, etiam nouam gramaticam vide: In Sacerdotibus eius, idem eft, quòd primi inter eos fuerunt, cum hucufque hoc verfu pfalmi intellexerim, nihil aliud dici, quàm Moyfem, & Aaron facerdotes, vel de numero Sacerdotum fuifse, ficut Samuel inter inuocantes nomen eius, nihil de primitate,vel cogitans.Hactenus ille. Cui refpondemus id nobis fatis efse, quòd negare non poteft, vtrunque fuifse Sacerdotem. Nam ex hoc facilè colligetur, vtrunque fuifse fummum, alterum fimpliciter, alterum ex comparatione, quemadmodum prædiximus. Tertium documentum,quod eludere nititur Lutherus, eft, fummum Sacerdotem veteris legis fuifse figurā Romani Pontificis. Et iftud eludere conatur hoc pacto: Apoftolus, inquit, ad Heb. me mirùm in modum decepit cum vniuerfis Ecclefiæ Doctoribus, docens, non Romanum Pontificem, fed Chriftum folum fuifse per fummum, & vnum Pontificem fignificatum. Hæc Luther. Nos verò negamus Paulum hoc docuifse, quòd folus Chriftus per Aaron fuiffet fignificatus, fed nec vllus interpretum id vnquam afseruit. Tribus equidem perfonis,quæ legi veteri nonnullam tribuebant dignitatem, hoc eft, Angelo, Moyfi, & Aaron, Paulus Chriftum in ipfa epiftola comparat, & fingulis horum oftendit, Chriftum fuifse fuperiorem. Primùm Angelo, deindè Moyfe, tertiò pariter, & Aarone. Et docet certè Paulus per vtrunque

quę horum, Christum fuisse significatum. Per Aaronem quidem, quia summus ille Pontifex dicebatur. Per Moysem verò, quòd vt is, lecto omni mandato, sanguine cuncta asperfit: Ità & Christus proprio sanguine efficaciùs respersit omnia. Sed quid prohibet eandem rem diuersorum esse figuram? Quoties in sacris literis istud nobis occurrit? An non Leo Christum figurat? Figurat insuper, & diabolus. Sed & fermentum alibi Fidem, alibi peccatum signficabat. Non consequitur itàque: Aaron Christum significat, ergo solum Christum. Sed potuit, & figura Petri fuisse, vt & reuera fuit, quemadmodum, & Anacletus in sua decretali testatur.

Moses igitur, & Aaron Christum, & Petrum figurabant, vt sicut Aaron sub Mose Princeps erat Sacerdotum, ità Petrus sub Christo Princeps Apostolorum fuit. Propter quod (vt diximus) à semetipso Christus ei nomen indidit; Et super eum identidem, se pollicebatur suam Ecclesiam ædificaturum, nec non, & claues regni cælorum ei se daturum, vt quicquid Petrus ligasset in terris, in cælis ligaretur, & quicquid soluisset, id etiam in cælis esset persolutum. Hanc sanè tem, paulò superiùs ostendimus, tot Ecclesiæ procerum sententijs ità fuisse roboratam, vt nemini Christiano deinceps liceat super hac ambigere quicquam. Quid enim si Lutherus calumnietur ija, qui Pontificea ipsi fuerunt, & dicat eos quiddam humanum passos? quemadmodum, & de Leone primo viro doctissimo, simul & sanctissimo cauillatur. Quid tamen habet, quod latiùs cæteris obijciat, qui sanè quasi tot Ecclesiæ sydera, tam eruditione, quàm vitæ sanctimonia fulseruut? Nihil profectò: nisi voluerit in suspicionem eos adducere, quòd Latinæ fauissent Ecclesiæ, ac proindè Romano Pontifici plus quàm æquum esset, detulissent.

Verumtamen de Græcis, qui neque pauci sunt, nihil habet penitùs, quod obiectet. istud igitur indicium tot patrum calculis comprobatum, non parui momenti cunctis esse debet verè Christianis. Sed iam alterum etiam indicium huius rei proferamus. Alterum est, quod iam inter respondendum adduximus, nempè quòd quemadmodum Aaron comparatione cæterorum, summus habebatur, & Princeps, & caput, quamquam ipso Moses adhuc superior erat: Sic & Petrus cæterorum comparatione summus, & Princeps, atque caput dicitur, tametsi Christum habuerit superiorem. Quam rem, vel ex Euangelio palàm ostendemus. Erant vtique Romanis Iudæi tributarij, pro quo & census annuus à singularum familiarum capitibus exigebatur, ad valorem didrachmatis pro singulo quoque capite. Venerunt igitur exactores ad Petrum, eius rei gratia (quemadmodum Euangelista Matthæus enarrat) Petrum percontati, num esset magister eius tributum soluturus? Christus itaque iussit Petro, quatenus ipse mox accederet ad mare, staterem que illic in ore piscis reperiendum, exactoribus daret. Erat autem stater duplex didrachma. Voluit itaque Christus, non pro se solo tributum hoc dari, quamquam ipse caput esset totius familiæ, verumetiam pro Petro, cui suas vices committere meditabatur.

Quando igitur hoc tributum pro nemine pendebatur, qui non esset alicuius familię gubernator, & caput, & Christus vtriusque nomine dari iussit, tam suo, quàm Petri, palàm est, quòd Petrum Ecclesiæ totius gubernatorem instituit, & totius familiæ suæ caput. Propter quod, & Augustinus libro quæstionum noui, & veteris Testamenti quæst. 75. sic scribit: Didrachma capitum solutio intelligitur. Et paulò post Saluator cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causa magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum. Hactenus ille.

Ecce Petrum hic Augustinus affirmat caput à Christo cæterorum fuisse constitutum, ac propterea cum pro se Christus esse tributum soluturus, pro vtroque tam pro Petro, quàm pro se voluit ipsum pendi, quò cæteri liberi forent. Nam familia sub capite comprehenditur. Duplex igitur didrachma Christus dari iubet, cum tamen simplum exigebatur, nimirùm vt hoc facto suam familiam duo significaret habere capita. Quis itàque non perspicit, & hoc iudicio, Iudaicam vmbram Mosis, ac Aaronis Euangelicæ veritati, hoc est, Christo & Petro, vel adamussim conquadrare? Accedit his & tertium. In vmbra illa Iudaica, Moses apud Deum Aaronis agebat negotium. Aaron vicissim apud populum vice Mosi, negotia Dei gerebat. Sic enim in Exodo Mosi constitutum fuit à Deo. Ipse (inquit nimirùm Aaron) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Tu autem eris ei, in ijs, quæ ad Deum pertinent. Sic inquam, in vmbra fuit Iudaica. At quomodo respondet huic vmbræ Christianorum veritas, iam intelligemus. Dixit enimuerò Christus ad Petrum: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua. Quem quæso rogauit Christus pro Petro, cum is esset in tanto discrimine constitutus, vtpotè per Satanam expetitus, vt tamquam triticum cribraretur? Quem, inquam, nisi Deum patrem? Fuit ergo Christus tamquam os Petro in ijs, quæ ad Deum attinebant, nempè cum patrem orabat, ne Fides Petro deficeret. At Petrus vicissim, quomodo fuit os vice Christi in ijs, quæ spectabant ad cæteros? Nimirùm quia sequitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Num ipse, qui cæteros in Fide confirmabat, non erat os Christi? An non eius rei gratia, vel maximè Christus in hunc mundum venit? Quid enim potiùs, quàm Fidem Christus vbique quærebat? Quamobrem cùm Petrus in Fide cæteros confirmabat, velut os Christi, tum ipsius vice fungebatur. Quisquis hunc locum dignè pensitauerit, inuenier certè Mosen, & Aaron, mirificè Christo & Petro conquadrare, non aliter quàm vmbram corpori, de quo pendet. Simul & perspiciet, istud ingentem Petri prærogatiuam esse, quòd suum negotium sic apud patrem egit Christus, vt ille vicissim Christi negotium apud cæteros ageret Apostolos, nimirùm vt illos in fide confirmaret. Sed & hoc aduerte, quod Augustinus eumdem locum enarrans ait: Non orauit Christus pro Iacobo, & Ioanne, atque

pro

pro cæteris, fed pro Petro, io quo continebantur cæteri. Erat enim (vt fuprà memorauimus ex eodem Augusł.) Petrus conftitutus caput cæterorum, & totius familiæ Chrifti. Quamobrem fub ipfo comprehendebantur cæteri, quemadmodum, & fub capite familia continetur.

Quartum indicium hoc eft, quòd quemadmodum Mofes coufcenfurus montem, vt cum Deo colloquium haberet, poft fe reliquit Aaron, cui & vices fuas fuper curanda plebe commifit. Sic & poft paffionem fuam Chriftus cœleftem montem ad patrem confcenfurus, Petro fuarum ouium curam tradidit. Confcendit enim Mofes in montem Synai, vt cum Deo negotia populi tractaret. Confcendit, & Chriftus cæleftem illum montem, vt (quemadmodum Paulus teftatur) appareat vultui Dei pro nobis, & ficut Ioannes tradit, vt effet pro nobis apud patrem aduocatus. Priufquam igitur cœlum afcendiffet, Petro fuum gregem pafcendum commendauit, id quod non ofcitanter fecit, fed ferió quidem, & cum ingenti ftudio. Ter enim (cæteris illic præfentibus) Petrum percontatus eft, num plus quàm illi fe diligeret: Simon Ioannis, inquit, diligis me plus ijs? Soli Petro loquebatur, & præfentes cæteros indicabat. Nec erat alius quifquam inter eos, qui Simon Ioannis vocabatur. Ad folum itàque Petrum hæc interrogatio fpectabat, quandoquidem & ipfe præ cæteris magis dilexit Chriftum. Diligis, inquit, me plus his? Apoftolos nimirum indicans tum præfentes. Licuit hic eadem facilitate rogaffe cunctos, num fe diligerent, fi non magis propter Petrum, quàm cæteros hæc dicebantur. At folum Petrum haud dubiè fcifcitabatur Chriftus, ao fe plus quàm cæteri dilexiffet. Solus itaque Petrus refpondit dicens: Etiam Domine, Tu fcis quòd amem te. Subiungit ideò Chriftus: Pafce agnos meos. Potuit & hic fubftitiffe Chriftus, fi non rem vehementer feriam, & quæ cordi fibi plurimùm fuerat, iam tractaffet.

Iterum itàque percontatur Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et iterum Petrus refpondit: Etiam Domine, Tu fcis quòd amem te. Adiecit Chriftus *poimene ta probatamoy*. Quod fi quis ad verbum interpretetur, eft, Rege oues meas, *poimaino* certè vtrumque fignificat, & pafcere, & regere. Sed cum Chriftus iam mutarit verbum, certè nobis infinuat, & fenfum voluiffe mutare. Et non incongruè quidem. Nam cùm agni nouellos, & teneriores defignant Chriftianos, eos mitiùs tractari iubet Chriftus, & pafci folùm. Oues autem (quibus robuftiores indicantur) duriùs (cum opus fuerit) coerceri mandauit. Cæterùm ne paftus iftis negetur, quærit tertiò Chriftus: Simon Ioannis amas me? Contriftatus eft Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Quamobrem & refpondit: Domine tu omnia nofti, tu fcis quòd amem te. Subiecit itàque Chriftus. [Pafce oues meas.] Ecce iam tertiò loco pafcendas eafdem oues Petro commendauit. Et hoc nimirùm poft fuam refurrectionem fecit Chriftus, cum effet fummum illum montem, cœlum videlicet, ad patrem confcenfurus. Confer itàque diligenter inuicem hæc omnia, & nifi te malitia prorfus excæcauerit, perfpicies, nullam vmbram fuo corpori congruere poffe magis, & adamuffim exactiùs refpondere, quàm vmbram illam Iudaicæ adminiftrationis, rerum Chriftianorum veritati.

Sed cauillatur hic Lutherus per oues iftas Iudæos folos intelligi debere. Dicat ergo nobis, cur non apud Iudæos Petrus fedem locauerit fuam? Cur Iudæos relinquere non metuit, & ad Gentium curam fe conferre? An non ad Samaritas conceffit, qui Iudæis odiofiffimi fuerant, vt & illis Spiritum fanctum daret? An non acta teftantur, per Petrum & in nationes effufam fuiffe Spiritus fancti gratiam? Cur aufus fuiffet, relictis Hierofolymis, Antiochiam difcedere, atque ità tamdem Romam? Ifta planè conuincunt, non Iudæos modò, verumetiam vniuerfos (quicumque pertinuerint ad ouile Chrifti) Petro fuiffe creditos. Sed & orbis totius curam ipfi fuiffe commendatam, vel ex eo patet, quòd apud eam vrbem (quæ totius orbis tum caput fuerat) fedem poftremam delegerit. Quis hoc humana factum induftria credat, & non diuino potiùs inftigante fpiritu? Qualem enim fedem haberet hodie Petrus, vel Hierofolymis, & Antiochiæ? Profectò fi nullum aliud effet teftimonium, euentus ipfius rei, palàm docet, omnia firma effe, quæ de Petro credimus. Sed cum huic vndique tot fuffragentur teftimonia, tam facrorum interpretum, quàm etiam veteris, ac noui teftamenti, quis tam infanus eft, vt ijs non adhibeat Fidem? Liquet igitur, quàm iniquè Lutherus hanc fcripturam feorfum vexet, & vellicet, relictis omnibus alijs, cum quibus tantam ipfa confœderationem habet. Sed iam quibus cauillis eam eludere ftudet, aduertamus.

LVTHERVS.

Hic volunt omnes oues Petro, & Papæ commiffas, iterum folita impietate verbum Chrifti figmentis fuis adulterantes.

EPISCOPVS.

Tu profectò pro folita loquendi impudentia tua, non autem patres vlla fcripturas impietate adulterantur. Res nimirùm apertior eft, quàm vt facilè queat adulterari. Quid enim in ijs verbis obfcurum eft? Palàm eft, ad quem dirigit fua verba Chriftus: ad eum, qui Simon Ioannis vocabatur, quæ nomenclatura non alteri, quàm Petro conueniebat. Nec feorfum, & in aurem hæc dixit Petro, fed cæteris audientibus, iuffit agnos pafcere, iuffit item oues regere, fimul & pafcere. Et ne cuiquam dubium foret, cuius agnos, & oues pafceret, adiecit vtique, meas. Quotquot igitur ad Chriftum attinebant, fiue agni, fiue oues, illis verbis Petro commendabantur. Sed ne quis Iudæos folos exiftimaret oues Chrifti fuiffe, Chriftus alibi fe teftatur, alias oues habere præter Iudæos. Alias oues, inquit, habeo, quæ non funt ex hoc ouili. Quid hic coactum eft, aut contortum, aut demum (vt tuis vtar verbis) quid hic dictum, aut adulteratum eft? quòd fi Petro tum commiffæ fuiffent oues Chrifti, conuenit vt Petri fucceffor (quifquis ipfe fuerit) eadem folicitudine teneatur. Nifi quis dixerit pro folis illis (qui

tum

tum nati fuerant) Christum obijsse mortem: sanguinemque suum effudisse, quod planè falsissimum est.

Quamobrem si posterorum curam habuisset Christus, vt & habuit, & iam habet haud dubiè nihilò minorem, non solùm hanc solicitudinem Petro commisit, sed & ei quisquis Petri locum, & sedem esset occupaturus. Neque enim pro solis præsentibus, dixit Christus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nam illi propediem morituri fuerunt. Quamobrem de successione fidelium id debet intelligi, cum quibus (licèt non corporaliter) virtute tamen sua præsens est Christus, & erit semper ad finem vsque seculi. Ipsa successio, & generatio (de qua supra diximus) perdurabit in æuum. Quando igitur & nos (qui iam in Ecclesia præsentes sumus) nihilominùs Christo curæ sumus, quàm qui tum præsentes fuerant, neque minoribus, quàm illi versamur periculis, æquum est, vt quispiam loco Petri deputetur, cui iam pro præsentibus ouibus sollicitudo committatur, quemadmodum & tunc Petro factum fuit.

LVTHERVS.

Christus enim amare, & pascere exigit. Illi verò impudenter contra os Christi dicunt, non esse necessarium amorem pastori, cùm potestas sit ferenda, etiam si in malo sit vsu, & non amet.

EPISCOPVS.

Quid agis Luthere? Cur non probas, quòd Petro non fuerunt oues à Christo commendatæ? Cur ad calumnias te conuertis? Quid hoc ad rem nostram, si pastor non pascat, aut non amet? Nos, an Petro suas oues pascendas Christus commiserit disquirimus, & non an Petrus rectè suum officium egisset. Tu iam aliud introducis, nimirùm an amor pastori necessarius fuerit, & an ferenda sit potestas, quæ malo fuerit in vsu, & non amauerit gregem. Hæc certè cum extrà causam nostram sint, nihil ad me.

LVTHERVS.

Deinde verbum pascere, veneno suæ glossæ exponunt pro eo, quod est præsidere, & superiorem esse. Et sic verbum Christi extinguunt, & contrarium sensum sub eodem proponunt.

EPISCOPVS.

Inficiàs ire non potes, quin duplici verbo Christus illic sit vsus. Bis nimirùm dicit, *Bosce*, quod est pasce, & semel *poimene*, quod est vel rege, vel pasce. Quod verbum etiam habetur secundo Psal. [Rege eos in virga ferrea.] Vbi Græcè scriptum est, *poimaneis*. Similiter & in Act. Apostolor. 2. cap. [Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,] vbi pro verbo regere, habetur *poimainein*. Ad hæc, 1. Pet. 5. sic traduxit Hieron. ad Euagrium: Presbyteros in vobis precor Compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est particeps, regite Ecclesiam Christi. Vbi etiam Græcus codex habet *poimanate*. At regere certè præsidis, & superioris est. Quamobrem nec venenum aliquod subest huic glossæ, neque per eam Christi verbum extinguitur, sed neque sub eodem (quod tu tamen asseris) sensus proponitur contrarius.

LVTHERVS.

Dico ergo: Si potestas mala est ferenda, hoc non docetur à Christo in hoc verbo.

EPISCOPVS.

Satis apertum est ex ijs Christi verbis, oportere vnumquemque (qui cupit ad ouile Christi pertinere) ouis habere symbolum, hoc est simplicitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Non enim murmurat aduersùs pastorem, vel iniquum ouis, non conqueritur, non conuiciatur, non gregem scindere parat, nec sodales abducere meditatur. Væ, inquit Iudas, illis, qui in contradictione Choræ perierunt. Et paulò ante: Cùm Michael, inquit, Archangelus, cum diabolo disputans altercaretur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus. Quòd si Michael Archangelus sic cum diabolo se gessit, quis tu es, qui aduersùs potestatem à Deo constitutam, hoc est, aduersùs Ecclesiæ Principem, tot & tam virulenta iacularis, imò fulminas conuicia? Quem certè non dixerim, sed omni vipera sæuiorem.

LVTHERVS.

Hic non nisi amans Christi Petrus requiritur, qui si amans Christi non fuerit, nihil ad eum verbum istud. Quare sequetur, & Papam non esse Papam, si non amat Christum: & eum, qui amat, etiam non Papam esse Papam, si hoc verbo papatus instituitur. Amor, inquam, hic instituitur non potestas, quæ sine amore esse potest.

EPISCOPVS.

Petrus vtique, quia præ cæteris ampliùs amauit, hanc à Christo præ cæteris accepit prærogatiuam, vt cunctis illius ouibus ceu pastor præficeretur. Neque ignorare potuit Christus, quis præ cæteris esset sui studiosus magis. Et sanè deceret, eum, qui ad tantum fastigium sublimaretur, ampliori quàm cæteros amore Christum prosequi. Verumtamen quia diuersa res est primatus iste, quàm amor, potest alter ab altero separari: Et potest manere primatus, vbi non fuerit amor. Neque enim cum ista Christus Petro dixit, amorem tunc ei contulit, sed amanti dedit primatum. Priùs igitur amor fuit in Petro, cùm non esset is primatus, & potuit etiam ex amore postea Petrus decidere, primatu manente nihilominùs. Nam quàm diù non fuerat à Spiritu sancto confirmatus, potuit haud dubiè peccasse mortaliter, & tibi certè sic peccauit, etiam post acceptum Spiritum sanctum, quemadmo-

admodum in commentarijs tuis ad Galatas fcribis. Perijt igitur amor, manente primatu. Quamobrem & falfa funt hæc omnia, quæ colligere moliris.

Neque enim oportet, vt primatum amittat Papa, quoties non fuerit amans Christi. Neque fequitur: Papam non effe Papam, fi non amet Christum, fed neque quifquis amauerit, hunc oportet effe Papam. Falfum & iftud eft, quòd hoc verbo, Simon amas me, papatus inftituitur, cum hoc verbo dumtaxàt feifcitatur Chriftus, nihil autem inftituit. Falfum et & poftremum, quòd fine amore, nequeat hæc poteftas effe. Nam ficut manet abfoluendi poteftas, & baptizandi, atque etiam confecrandi Euchariftiam, amore per peccatum fublato: ità manet & hæc poteftas, quamquam ad tempus deperierit amor. Cæterùm hic tu patriffas, priores patres tuos, imitatus, hoc eft, hæreticos, qui negant poteftatem eiufmodi fpiritalem, nifi fuper amore fundaram. Quod & à plerifque doctiffimis copiosè fatis explofum eft.

LVTHERVS.

Secundò verbum pafcere fignificat, non præfidere, fed feruire. Non enim poteftatis, fed feruitutis verbum eft, licèt & hic fuis torfionibus, illufionibus, & confufionibus verborum, poteftatem illam feruitutem faciant. Verùm cum pafcere, fit, Euangelium Chrifti prædicare, & tractare: impoffibile eft, vt papatum fignificet, cùm aliud fit effe Papam, vt videmus, & aliud Euangelij miniftrum, vt non poffint ambo eodem verbo fignificari, nifi quomodo petra fignificauit illis papatum & Fidem Chrifti.

EPISCOPVS.

Dixi fupra, Chriftum hic duobus verbis vfum fuiffe, quorum alterum fignificat pafcere, & regere: alterum pafcere dumtaxàt. Vtrumque ad Papam fpectat, nimirùm efurientes verbo pafcere, & duros regere virga iuftæ correctionis. Neque quicquam obfiftit impugnatio tua. Quoniam & fi Pontifices nunc alijs preffi negotijs regnent folùm, non pafcant, fuere tamen optimi Pontifices, qui munus vtrumque, tam regendi, quàm prædicandi, per feipfos impleuerunt.

Quamquam igitur alterum verbum obfequium indicet magis, quàm poteftatem, & feruire potiùs, quàm præfidere: tamen alterum è diuerfo poteftatem, & præfidentiam infinuat potiùs, quàm feruitutem. Neque repugnant ifta mutuò, quando & Chriftus mandauit, vt qui maior inter eos foret, effet idem tamquam minor: & qui princeps, ficut miniftrator. Porrò de petra quid fignificet, fatis, fuperque fupra diximus.

LVTHERVS.

Eademque ratione concluditur, toties Ecclefiam fine papatu effe, quoties Papa nec amat, nec pafcit, id quod & verum eft.

EPISCOPVS.

Quid quando dormit Papa? quid cum aduerfa laborat valetudine? quid cum negotijs vrgentiffimis occupatur, vt otium prædicandi nullum ei fit? Num toties Papa non erit Papa? Sed & quis tam confirmatus eft, vt numquam peccet mortaliter? Quòd fi tunc papatum amiferit, quomodo recuperabit ipfum, quæfo? Num oportet, vt denuò iam eligatur? Et certè fi peccato pontificatum amittat, non poteft non inuafor eiufdem effe, donec ab electoribus iteratò ius ei reftituatur. Quod & totiès oportet fieri, quoties illum peccare contigerit. Sed hæc quis non videt, quàm fint abfurda, & quanta paffim ex his incommoda fequantur.

LVTHERVS.

Nam vbi non eft verbum Dei, ibi non poteft effe Ecclefia, cùm per verbum nafcatur, alatur, viuat, & feruetur: cùm autem Papa multis feculis, nec amauerit, nec pauerit, vbi manfit Papatus, & Ecclefia? Præfertim cum Ecclefiam fine papatu, ideft, amore, & paftu effe non poffe tam fortiter afferant.

EPISCOPVS.

Ifta parùm fibi cohærent. Primùm illud verum eft, quòd Ecclefia durare non poteft fine verbo Dei, cùm per ipfum nafcatur, alatur, viuat, & feruetur. At quid prohibet intereà per alienum, quàm per Pontificem ipfum Ecclefiæ verbum Dei miniftrari, cùm Pontifex legitimè fuerit impeditus? Atque ità Pontifex manebit Pontifex, & Ecclefia feruabitur incolumis, alio quopiam verbum adminiftrante.

Non probo tamen quòd Pontifex (nifi cum vrgentibus negotijs occupetur) Ecclefiam non pafcat. Veruntamen fi neglexerit hoc facere, non protinùs ob id adimitur ei pontificatus. Nulla enim confequentia iftud fubinfertur: Non concionatur Pontifex, ergo non eft Pontifex. Neque eft quifquam, qui vel papatum afferat abfque amore, & paftu, vel Ecclefiam fine Pontificis amore, & paftu nequaquam effe poffe, præter vnum Lutherum, & qui lepra pari laborant.

LVTHERVS.

Verùm adhuc rationes, oculos, & aures claudunt, qui tamen, fi vigefimam partem huius roboris pro fe haberent, cœlum, & terram clamoribus replerent, cùm nec fic vociferari definant, cùm nihil nifi mendacia infirmiffima pro fe habeant.

EPISCOPVS.

Miror impudentiam tuam, qua te non pudet has rationes vocare, cùm nihil fint minus. Meri cauilli funt, & ineptiæ meræ: nihil omninò rationis habentes. Malè profectò fentire videris de præfentis ætatis ingenijs, fi putes ea non poffe deprehendere, quàm fint

sint inania, friuolaque, quæ adduxeris, & tamen de ijs gloriaris perindè, ac si essent robustissima. Quis ferre posset hanc tuam comparationem, qua negas Pontificis fautores, vigesimam habere partem tui roboris, cùm illi pro sua sententia tantam habeant confœderationem, & veteris & noui testamenti, cum tot celebratissimis auctoribus, tot scripturas ex Euangelio, & Actis tam apertissimas? tu verò quàm paucissimos ex auctoribus affers, & eosdem vel non intellectos, vel alijs sibi contradicentes locis,

At ex scripturis nullum omninò producis testimonium, quod non vel inefficax sit, vel non contra tuam potiùs opinionem faciat. Et tamen cœlum, & terram reples clamoribus, neque desinis vociferari, tanta est audacia, & inuerecundia tua, cùm nihil tamen afferas, quod perspicacibus alicuius momenti sit. Sed vt tua in te regeramus, mera mendacia multiplicas, & eadem infirmissima. Magnam certè congeriem in tua resolutione super potestate Papæ cumulasti, quorum quædam hoc loco, quæ præ cæteris digna visa sunt, quibus respondeatur, recensebimus. Illud in primis, quod ex Actis allegas: Petrum & Ioannem ab alijs Apostolis missos fuisse Samariam, quàm nihil pro te faciat, superiùs ostendimus. Sed & illud Christi: Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor, sicut ministrator, si Hieronymi, simul & Erasmi traductionem sequamur, nihil inseruit tibi. Sic enim hi traduxerunt: Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui princeps, sicut qui ministrat.

Hic certè Christus quamquam ad humilitatē inuitet, affirmat tamen inter eos quemdam esse maiorem & principem, id quod aduersùm te palàm facit. Cæteri, quos producis ex Euangelijs, loci, eamdem rem tractant, hoc est hortantur ad humilitatem, quam si Romani Pontifices, pompa, fastuque seposito, aliquando præstarent, nihil haberes, quod vel hisceres aduersùm eos. Atque vtinam vel tandem aulæ suæ mores reformarent, ambitione, auaritia, luxu fugatis. Alioqui numquam istiusmodi maledicis, silentium imponent. Porrò quæ ex Actis ad ostendendam Petri cum cæteris Apostolis æqualitatem citas, tantùm abest, vt pro te faciant, vt & nostram partem adiuuent plurimùm, quemadmodum supra docuimus. Præter has scripturas, quo ad scio, nullam attulisti, cum quibus si quis nostras conferat, facilè videbit, quantum te numero scripturarum superamus. Ex auctoribus verò tres dumtaxàt illic memoras, Hieronymum, Cyprianum, & Gregorium. Et hi profectò si tibi quicquam faueant, parùm constabunt sibi, quòd in tantis auctoribus neuus est, & macula nequaquam admittenda. Hieronymum primo loco citas in epist. ad Euagrium, vbi presbyteros, vt ais, pares facit Episcopis. Verùm si diligentiùs expendas, quid hic Hieron. moliatur, intelliges cur hoc loco tantoperè presbyteros extulerit. Faciunt plerumque Scriptores, quemadmodum hi, qui cum virgam curuam dirigere studeant, tantò magis eam retrorsùm flectunt, quantum in contrariam partem ante fuerat inclinatior. Quod & Hieronym. hoc loco facit. Diaconum enim quemdam, qui se presbyteris antetulit, reprimere conatur; ob quam rationem presbyteros tot verbis efferre studet. Sed lege Hieronymum alijs locis, quos supra citauimus, & perspicies neminem Romanæ Sedis, & pontificiæ dignitatis assertorem seueriorem esse, quàm Hieronymum. Legas etiam eiusdem epistolæ calcem, quæ sic habet: Et vt sciamus, inquit, traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt: hoc sibi Episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Ecclesia. Hoc Hieronymus in eiusdem ad Euagrium epistolæ calce. Aduerte primùm hic discrimen positum inter Episcopos, presbyteros, & diaconos, ex traditionibus Apostolicis ad nos manasse, quæ non sunt minoris auctoritatis, quàm ipsæmet Apostolicæ scripturæ. Deinde quòd hoc discrimen deprompserint Apostoli ex veteri Testamento, vbi similes tres ordines fuerunt, hoc est, Aaronis, filiorum eius, & Leuitarum. Quis ignorat Aaron, summum fuisse sacerdotem, & longè maiori præditum potestate, quàm cæteros inferiores? Nam vt Paulus ad Hebræos testatur: Solus Pontifex quotannis, secundum tabernaculum (quod sanctum sanctorum dicebatur) ingressus est (id quod cæteris non licuit) sacrificandi gratia. Sed & huius imperio qui non obtemperabat, morte fuerat plectendus. Non irà cæterorum imperio ples tenebatur obedire. Ecce quemadmodum epistola, quam citas, summi Pontificis auctoritatem non mediocriter commendat.

Nec obsistunt ea testimonia, quæ ex Petro, Paulo, Ioanneque producit. Nam eadem inducit in epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem, vbi tamen Presbyterum ab Episcopo distinguit, & Episcopum asserit esse legem Presbyteri, Presbyterumq; ætatis nomen esse, Episcopum verò dignitatis. Presbyteros adhùc Apostolis respondere facit, sed Episcopum Christo. Ac demùm, vt celsiorem omnibus Episcopum ostendat, sic ait: In fossarijs spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est: In ostiarijs, doctores: In lectoribus, Prophetæ: In Subdiaconis, Angeli: In Diaconis, Archangeli: In Presbyteris, Apostoli: In Episcopis, Deus. Hæc Hieronymus illic. Nec est vt quisquam cauilletur, hanc non esse Hieron. quandoquidem ipse stylus rem palàm indicat. Nec obstat, quòd etiam ad Damasum scripta legatur. Potuit enim eam Hieron. scripsisse duobus, & potuit nunc integram, nunc truncatam edidisse. Porrò quantum ad commentarios in Tim. attinet, quis dubitat ipsum aliorum opiniones crebrò referre? Quod & ipse testatur, in sua defensione ad Augnst. scribens. Et hactenus pro Hieronymo. Cyprianus autem, nisi velis eum sibi repugnantem efficere, nobis apertissimè suffragatur, nimirùm in illis testimonijs, quæ suprà protulimus. Sed & idem epistola 2. lib. 3. scribit ad Cornelium Pontificem summum, se non priùs quosdam (qui negarunt primatum Summi Pontificis) intra suam Ecclesiam admisisse, quàm ipsi primatum illum denuò confiterentur, in hunc modum: Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotenti, & Christo Domino n[illegible] scimus. Nos errorem nostrum confitemu[illegible]

cumueuti fumus perfidiæ loquacitate factiofa amentes, videbamur quafi quandã communicationem, cum fchifmatico homine habuiffe. Syncera tamen mens noftra femper in Ecclefia fuit, nec ignoramus vnum Deum efse, & vnum Chriftum efse Dominum, quem confeffi fumus, vnum Spiritum fanctum, vnum Epifcopum in Catholica Ecclefia efse debere. Hæc Cyprianus. Ecce Cyprianus adegit eus, primarum Summi Pontificis palàm confiteri, Corneliumque tum Romanum Pontificem ab omnipotenti Deo, & Chrifto Iefu fuifse toti Ecclefiæ erectum, debereque in Ecclefia Catholica, vnum Epifcopum efse, quemadmodum in eadem eft vnus Deus Pater, & vnus Dominus Iefus Chriftus, & vnus Spiritus fanctus. Deinde quantum ad Gregorium fpectat, eifdem verbis, quæ ex ipfo producis, teipfum condemnas: & diluis cuncta, quæ ex eodem citaras. Gregorius, inquis, primus lib. 4. regifiti, epiftola 32. licet per auctoritates illas, [pafce oues meas, & tu es Petrus, &c.] Petro Apoftolorum principi, totius Ecclefiæ curam à Domino commifsam dicat: tamen in hac cura nullum Epifcopum ei fuccefsorem patitur. Hactenus tua verba funt. Vides quemadmodum pro nobis facit prior huius fententiæ pars, nempè qua fateris Gregorium ex illis duabus fcripturis afseruifse, Petrum Apoftolorum fuifse principem, eidemque totius Ecclefiæ curam à Domino fuifse commifsam. Hæc pars copiosè pro nobis militat. Alteram verò partem, nempè quòd Gregorius in hac vniuerfali cura nullum Epifcopum Petro fuccedere patitur, qua ratione ftatuere conaris, iam dicam. Nimirùm ex eo, quod in eadem epiftola fequitur. Sic, inquis, ait Gregorius: Cura totius Ecclefiæ, & principatus Petro committitur, & tamen vniuerfalis Apoftolus non vocatur. Ex hoc probatum putas, quòd Gregorius nullum in hac generali cura patitur Epifcopum Petro fuccedere. Sed qualis ifta probatio eft, Petrus non vocatur vniuerfalis Apoftolus, ergo non erat vniuerfalis, nec fuccefsorem habuit, cui commifsa fuerat vniuerfalis Ecclefiæ cura. Quanquam enim humilitatis gratia talem nuncupationem renuerit Petrus, fuit nihilominùs reuera talis, id quod Gregorij verba confitentur. Nàm Gregorius affirmat, totius Ecclefiæ curam, & principatũ fuifse Petro commifsum. Et quis non eft Ecclefiæ Pontifex vniuerfalis habendus, cui totius vniuerfalis Ecclefiæ cura, principatufque committitur? Non igitur hac ratione Lutherus conuincit, quòd Gregorius non patitur aliquem Epifcopum in hac cura Petri Succefforem fuifse. Neque enim fequitur: Non patitur Gregorius quenquam dici, & vocari vniuerfalem: Ergo neminem patitur vniuerfalem effe, aut quòd non patitur in illam Petri generalem, & vniuerfalem curam, alium vllum fuccedere. Certè quicquid de Petri fucceforibus in Ecclefia Romana Gregorius ftatuiffet, omninò pari non debuit, Antiochenum Epifcopum vniuerfalem vocari. Et quanquam recufaffet ipfe Gregorius nomen vniuerfalis, cum ei per Synodum Chalcedonenfem fuiffet oblatum, non id fecit, quia non reuerà fuerat vniuerfalis, fed ambitionis vitandæ caufa, & vt cæteris exemplum præberet, fugiendi nomina tam gloriofa. Neque certè credendum eft, tantam Synodum (fi non eo nomine Gregoriusfuiffet dignus, aut non diuino iure fic vocari licuiffet) hoc illi nomen vnquam in gratiam adulanter obtuliffe. Et Hactenus pro Gregorio. Cernis igitur, quàm nihil pro te faciant auctores ifti. Et præter hos tres, alium recenfuifti neminem. Cæterùm & hos, & cæteros, tàm Græcos, quàm Latinos, pro noftra parte fubfcribere, fuperiùs palàm conftitit. Hiftorias demùm, & ratiunculas congeris. Sed quantum ad hiftorias attinet, cum fingula (quæ ex ijs producis) facti fint, non iuris, nihil ad nos. Ratiunculæ verò quales fuerint, vel ex hac vna mentiemur cæteras. hanc inueniens lector inter Hiftorias, & rationes loco nouo pofitam. Sic enim illic ratiocinatur: Quid ad hoc dicemus? Veràne illa fententia, quam tota Ecclefia, omnia etiam decreta, omnes doctores tenent, effe videlicet Epifcopos Apoftolorum fucceffores, vt dift. 21. cap. In nono, Si eft falfa, quid iactatur tanta auctoritate? Si vera quomodò folus Romanus Pontifex eft fucceffor vnius Apoftoli Petri, & cæteri omnes Romani Pontificis funt fubditi? Cur non & alij Apoftoli habent fucceffores, aut fuerunt cæteri Apoftoli fucceffores vnius Petri? Cur cæteris Apoftolis aufertur fua gloria, & tribuitur foli Petro? Cur non quilibet Epifcopi habeat, quòd Apoftoli eorum habuerunt? Cum Romanus habeat, quod Petrus, fuus fucceffor habuit. Muta ergo verbum & dic, quòd Epifcopi funt Apoftolorum fucceffores, fed vnus Epifcopus Romanus eft vnius Apoftoli fucceffor. Summa rationis eft: Epifcopi dicuntur Apoftolorum fucceffores, ergo ficut Petro fuccedit Romanus Epifcopus, ità cæteris Apoftolis Epifcopi cæteri. Sed attende lector, quanti Lutherus venditat hanc rationem. Ifta ratio fateor, inquit, nifi ego fum infenfatior trunco, cogit & omnium obftruit os, effe Epifcopos omnes æquales. Hactenus de ratione Lutheri. Nos autem principiò refpondemus, Decretum iam citatum, plurimùm aduerfari Lutheri inftituto. Nàm planè teftatur Petrum Apoftolorum fuiffe Principem, quippè quem primum à Chrifto ligandi, foluendique poteftatem afferit accepiffe. Legat quifquis velit Decretum, fic prorsùs inueniet. Deindè negamus illic inueniri, quòd Epifcopi funt Apoftolorum fucceffores. Nufquam enim ea verba leguntur in toto Decreto. Verùm fic habetur: Ipfis (hoc eft Apoftolis) decedentibus, in loco eorum furrexerunt Epifcopi, hoc eft, Apoftolos Epifcopi referebant, non quòd in locum cuiufuis Apoftoli quifpiam fuccefferit Epifcopus. Sed & ipfa verba de cæteris vndecim, Decretum accepit, & non de Petro. Nam poftquam decretum afferuerit Chriftum voluiffe Petrum Apoftolorum effe principem, illicò fubiungit. Qui etiam iubente Domino, in toto Orbe terrarum difperfi, Euangelium prædicauerunt. De illis nimirùm Apoftolis hoc dicitur, quorum Petrus conftitutus fuit à Chrifto princeps. Neque enim fuijpfius princeps eft dicendus. Et rum proximè fequitur: Ipfis quoque decedentibus, in locu eorum fuccefferunt Epifcopi. Nec dixit, in

locis

locis eorum, itả vt cuilibet Apostolorum quispiam succederet Episcopus, sed in loco eorum, hoc est, iuxtà mentem Decreti, quòd Apostoli sub Petro typum gesserunt Episcoporum, quemadmodum, & paulò post asserit 72. Discipulos typum Presbyterorum gerere, vt iam in Ecclesia Romanus Pontifex, Petrum omnium principem referat, qui & vices gessit Christi: post ipsum Episcopi cæteros repræsentent Apostolos: tertio quoque loco Presbyteri 72. Discipulos exprimant. Hoc planè Decretum sentit. Stat ergo Romanum Pontificem, solum Petri successorem esse, quia verè succedit in Sedem Petri, nedum eum refert,

Cæteri Episcopi loco cæterorum Apostolorum sunt: quia referunt eos, non quia successerint in eorum sedes. Quis hodie, vel Ioannis, vel Andreæ, vel Iacobi, vel alicuius cæterorum, occupat sedem? Stat & Romanum Pontificem cæteris Episcopis Prælatum esse, quemadmodum, & Petrus Apostol. princeps fuerat, Et hæc demùm successionis gloria, cæteris adẽpta est Apostolis, solique Petro collata, vt aliquando tandem intelligas, Petro totius Orbis rerum curam fuisse commissam, & ab ipso ceu capite quodam, & fundamento post Christum, Ecclesiam promanasse. Quam promanationem inferorum portæ nunquam interrumpere præualebunt. Sed nimia prolixitate fatigo lectorem. At non possum aliter huius hominis ineptias detegere. Alteram & huic similem illic è vestigio rationem subdit, quam quia inuictam vocat, identidem subijciemus. Responde, inquit, si Romanus Pontifex præcepto Dei est Vicarius generalis in tota Ecclesia, sequitur ineuitabiliter peccare eos, immò esse hæreticos, qui non sub eo fuerint. At tunc Ecclesia tota primitiua, saltem vsque ad 400. annos, cum tot martyribus, & sancti hæretici erunt. Obsecro quid prodest tantam blasphemiam in Ecclesia pro fumidæ potestatis pompa statuere? Denique etiam sanctus Petrus erit hæreticus, qui antè Romanam Ecclesiam cum Apostolis fuit Hierosolymis, vincit me hæc ratio inuicta. Respondemus. Romanus Pontifex diuino iure, & prærogatiua, quæ per Christum Petro donabatur, vicarius est in tota Ecclesia generalis. Nec tamen sequitur ineuitabiliter eos omnes peccare, & hæreticos esse, qui primatum hunc non agnoscunt, si tamen id non fecerint ingenio malo, & animo pertinaci. Potest enim vel simplicitas eos excusare, quòd non aduerterint, vel quòd non exegerit ab eis hanc obedientiam Romanus Pontifex. Suprà diximus enim 1. Corinth. 9. diuino iure victum Paulo debuisse, quem tametsi, nec ipse petijt, nec illi præstiterunt, non ob id, aut is, aut illi peccauerunt, nec erant habendi tanquam hæretici. Veruntamen si Paulus istud ceu debitum quoddam exegisset, tum certè quisquis recusasset reddere, peccasset mortaliter. Et si pertinaciter docuisset non reddendum, planè fuisset hæreticus. Sic & si qui sint, qui subduntur Romano Pontifici, cum ipse nullam ab eis exigit obedientiam, nec illi nulla id proteruitate non præstent, non facilè dixerim eos, aut peccare, aut hæreticos esse. Cæterùm si quis animo proteruo, vel non subditur Romano Pontifici, vel dogmatizat non debere cunctos eos subdi, is & peccat, & hæresim tenet haud dubiè, nec potest in hanc partem vlla, vel pro Boemis, vel pro Græcis, afferri excusatio. Super qua re, & diua Brigitta, fœmina sanctissima, diuinisque visitationibus clarissima, talem accepit reuelationem. Nam libro septimo reuelationum eius, capite decimo nono scriptum est, Christũ hæc illi inter cætera dixisse: Græci hi, qui sciunt, quòd omnes Christianos tenere oportet vnã tantùm fidem Christianã Catholicam, & vni tantummodo subesse Ecclesiæ Romanæ, vnumque solùm Vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum Pontificem, supra se spiritualem habere Pastorem, & tamen nolunt se eidem Ecclesiæ Romanæ, & Vicario meo spiritualiter subijcere, & humiliter subiugare, propter eorum pertinacem superbiam, aut propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, siue propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni sunt post mortem, veniam à me, & misericordiam obtinere.

Alij verò Græci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt, tamen si scirent, & possent, deuotè & libenter susciperent, & Romanæ Ecclesiæ se humiliter subiugarent, & nihilominus secundùm ipsorum conscientias, in statu, & fide sua, in qua sunt, abstinent à peccando, & piè viuunt, istis talibus post ipsorum mortem in supplicijs misericordia mea debetur. Hactenus ex reuelatione. Ex his profectò dilucidum est, rationem (quam sic iactasti) non solùm non inuictam, verum etiam nullius omninò ponderis esse. Sed & Græcorum imperium huius sanctissimæ fœminæ minas persensisse creditur. Nam potuit & ad hunc perstitisse diem, modò permansissent ipsi in obedientia, quam dudùm Ecclesiæ Romanæ præstiterunt. Quoniam & in eadem reuelatione Christus Brigittæ dixisse legitur: Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium, & regna, siue dominia nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt, à quibus, & grauissima damna sustinebunt, & miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate, & charitate Ecclesiæ, & fidei Romanæ se deuotè subiecerint.

Hoc certè dictum fuit longè priùs, quàm perfido Mahumeti Constantinopolis in prædam data fuit. Sed quia minas istas parùm curarunt, immò contempserunt, idcircò iam, & totum amiserunt imperium. Nec alia sanè ratione crediderim alias nationes, quæ dudum Christianæ fuerunt, sua pariter amisisse regna, nempè quia Pontifici Romano colla subdere recusarunt. Quando igitur has rationes, de quibus tantoperè fidit Lutherus, vt eas vocet inuictas, & potentes ora cunctorum obstruere, si tamen ipse non fuerit insensatior trunco, iam constat, nec pilo dignas esse: quid de reliquis opinandum sit, lectoris iudicio duxi relinquendum.

LVTHERVS.

Reliquum est ergo, vt sicut Augustinus, & ipsemet sentiunt hunc locum Ioannis, nihil ad monarchiam, sed ad generalem omnibus

bus Pastoribus Ecclesiarum doctrinam pertinere.

EPISCOPVS.

Semper mihi suspectus videris Luthere, quoties Augustinum citas, non indicans eius rei locum, pro qua illum producis. Nam & in superioribus deprehensus es, & mendaciter eum recensuisse, cum locum non indicaris. Neque enim dubito, si palàm pro te facerent eius verba, non prætermisisses ea recensere, simul & ostendere locum. Nusquam equidem apud eum legi, quòd is locus nihil ad monarchiam Petri faciat, nec opinor te posse docere, quonam loco sic dixerit. Vnum scio, quòd Augustinus vbique Petrum facit Primum & Principem Apostolorum, ac Magistrum & Caput cæterorum, in quo & cæteros contineri dicit, sicut in capite cuiusuis familiæ reliqua comprehenditur multitudo. Quando igitur Christus hic eidem Petro suarum ouium tradit curam, quod & Augustinus apertè confitetur, quomodo non illum etiam hoc loco præficit, & præponit cunctis? Quisquis enim ouem Christi se confitetur, eum ijs verbis oportet subijci Petro. Propter quod, & Chrysostomus hunc locum enarrans. Petrum etiam Principem Apostolorum vocat, & totius Orbis terrarum curam asserit hic ei fuisse commendatam. Nec certè quicquam id minuit authoritatem Petri, quòd ipse typus sit cæteris Ecclesiarum Pastoribus, à quo & ipsi generalem pascendi doctrinam accipiant. Nullus enim Scripturæ locus, ità cuidam est accommodatus personæ, quin & indè cæteri complures exemplum trahere queant.

LVTHERVS.

Et eam Ecclesiam, quæ sub Papa regitur, quia sine amore, & pastu verbi Dei regitur, nihil minùs, quàm Ecclesiam esse.

EPISCOPVS.

Profectò si tam diù steterit Ecclesia Romana sine amore, & pastu verbi Dei, quis non indè solidiùs confirmabitur, vt prædictis Christi verbis credat? Quippè cum ipse pollicitus antè sit, portas inferi nequaquam aduersùs Ecclesiam (quæ super Petrum constituta est) præualituras. Nam video nunc illam perpetuari solo Christi vaticinio, non alique meritò Pontificum. Sed tibi fidem adhùc Luthere non habeo, quin in Vrbe illa plurimi sint, qui non solùm ament, verùm etiam creberrimè cæteros instituant in Verbo Dei.

LVTHERVS.

Et ipsum Papam nihil minùs quàm Pastorem Ecclesiæ Dei esse, sed Idolum aduersarium Christo, & Euangelio eius.

EPISCOPVS.

Hoc est quod moliris. Huc spectant omnia, quæ garris. Solo Romanorum odio rem hanc pessimam aggressus es. Doluit sanè tibi tot molestias audire, quas Romani Germanis tuis inferunt. Quas cum aliter amoliri nequeas, nullum non moues lapidem, quò Pontificis authoritas, aut tollatur funditùs, aut certè minuatur. Quo fit, vt torqueas, & per vim trahas Scripturam sacram in sensum omninò repugnantem, nihilque non magis, quò Romanis inuidiam concites apud cunctos. Sed esto, patria tibi chara fuerit, certè pro religione, quam es professus, multò chariores esse deberent Deus, & Scripturæ, Act. 5. Frustrà niteris aduersùs Deum. Gamalielis illud non ignoras, 2. Thes. 2. Si est ex Deo, stabit. Stabit vtique, velis nolis Ecclesia Romana. Schismatis quidem Author esse poteris. Nam & discessionem futuram Paulus prædixit. Sed væ homini illi, per quem discessio fiet. Postquam omnia feceris Luthere, manebit Petri successor, qui si mores aliquando suæ curiæ reformare studuerit, non dubito quin te valdè pœnitebit horum.

LVTHERVS.

Vbi ergo nunc stabit fictitius iste primatus? postquam duo hi loci, quibus nititur principaliter, prorsùs contra eum facere conuincuntur.

EPISCOPVS.

An conuiceris, aliorum erit iudicium. At certè calumniarum, & conuiciorum aduersum hos, abundè satis congessisti. Sed hoc non est conuincere. Hi nimirùm loci cum tot Scripturis, ac sanctorum Patrum assertionibus, vsque adeò colligantur, & indissolubiliter adglutinantur, vt infirmari non possint, nisi cæteris omnibus infirmatis. Si quicquam valeat, aut Pauli, aut Lucæ dialectica, quæ vel ille colligit ex vmbra veritatem, vel iste ex multis argumentis Christum resurrexisse: faciliùs loqui, quod aiunt, suum fulmen eripueris, & ex Herculis manu detraxeris clauam, quàm huic primatui veritatem auferas. Stat nimirùm, & stabit primatus iste, non fictitius, vt tu cauillaris, sed verus. Quis enim vnquam hæsitare de hoc primatu poterit, qui vel alterum prædictorum locorum probè intellexerit, atque expenderit, quàm expressis verbis Christus Petrum cæteris præposuerit Apostolis? Quòd si deinde reliquos Euangelij locos, & Actorum contulerit, qui non pauci sunt, sed & veterem adumbrationem aduerterit, quàm adamussim his respondeat.

Ad hæc si probatissimorum interpretum adiecerit testimonia, aut demùm (quod non leuissimi ponderis est) euentum rei trutinauerit, quomodo non Hierosolymis, nec Antiochiæ, nec alibi locorum postremam sedem elegerit Petrus, quam in ea Vrbe, quæ tum erat totius Orbis Caput, in qua iam ad hunc diem prosperatur, cum cæterorum Apostolorum sedes, vel parum venerantur, vel prorsùs euanuerint? Quisquis, inquam, hæc omnia simùl ceu linum lino, vt in prouerbio est, connexuerit, & tua quàm sint inania, friuolaque perpenderit, quamquam aduersùs ipsum Pontificem odio furias pluquam agit[illegible] non poterit, opinor amplius super hoc primatu dubitare.

LV-

LVTHERVS.

Non ergo tantillum curo, quòd longitudinem temporis, & multitudinem conspirantium mihi obiectent, quòd talibus argumentis mundus contra Apostolos quoque vsus fuerit, & tamen ab hoc veritatem Euangelij recentem, à paucis, & idiotis prædicatam, redarguere non potuerunt.

EPISCOPVS.

Non fuit æquum certè, vt contra Apostolos quicquam prævaleret cõsuetudo, quantumuis longæua. Quando illi, quæ docuerant apertissimis omnia miraculis confirmarunt. Et tu Luthere si tot, & tam euidentibus tua dogmata miraculis astrues, totus fortassis Orbis tibi crediturus est. Sed nostra interim satis copiosè non miraculis modò, verùm etiam ipsius Christi verbis, & priorum Patrum concordibus sententijs, qui iam pridem Spiritu sancto fuerant instructi, stabilita sunt, vsque adeò vt si non istis solidati fuerimus, erimus omni vento mobiliores, semper discentes, & numquam ad scientiæ veritatem peruenientes. Et hactenus ad huius articuli confutationem sufficere putamus.

ARTICVLVS XXVI.

LVTHERVS.

Verbum Christi ad Petrum: [Quodcumque solueris super terram, &c.] extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

EPISCOPVS.

Nihil oportere, vt in hoc articulo prolixi simus, quãdo superiùs de hoc non semel disseruimus. Errorem igitur huius, hoc loco paucis demonstrabimus. Petrus neminem ligare potuit ad peccatum, potuit autem soluere quotquot ad eum accesserunt, tam à reatu peccati, quàm à pœna peccatis ipsis debita. Quamobrem hæc verba non ad ligata solùm à Petro, verùm etiam ad ea, quæ numquam ligauit Petrus, extenduntur. Adde, quòd si neminem Petrus ligare potuisset, nisi per excommunicationis vinculum, tum si nullum vmquam excommunicasset, nullum potuit soluisse, sed nec eos, qui per alios fuissent excommunicati soluere potuisset vllo pacto. Accedit ijs, quod alibi Lutherus affirmat, neminem videlicet excommunicari posse, nisi qui seipsum antè per peccatum proprium excommunicauerit. Petrus ergo neminem inuitum, & qui non sua sponte peccasset ante mortaliter, ità ligare potuit, hoc est, excommunicatione vincere. Quamobrem si nec alium quemquam posset soluere, nullo pacto vetam, hoc verbo Christus Petro contulit potestatem, sed merè fictitiam, cum neque verè liget, aut soluat Petrus, verùm iudicet solum, quæ sint ligata, solutauè. Frustrà ergò dixit Petro Christus: [Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Sed iam æquum est, vt Lutherum audiamus.

LVTHERVS.

Primùm nego ad solum Petrum hoc Christi verbum esse dictum, neque ego hoc vmquam dixi. Interrogauit enim omnes Discipulos dicens: [Quem vos me esse dicitis?] Et Petrus omnium persona respondit: [Tu es Christus,] ità & in omnium persona accepit claues.

EPISCOPVS.

Probabile est, non omnibus fuisse reuelatum, quòd Christus esset Filius Dei, & vide qua ratione. Nam quod Paulus dicit de Iudæis, si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Idem, de Iuda dicendum opinor, si Iudas cognouisset Christum fuisse Filium Dei, & Dominum gloriæ, numquam crucifigendum vendidisset. At planè Iudas illum fuisse Filium Dei cognouisset, si fuisset hoc ei reuelatum. Consequens igitur est, hoc omnibus haud quaquam fuisse reuelatum. Sed neque singulariter Christus beatificasset Petrum, si res hæc tam arcana cæteris æquè reuelata fuisset, atque fuerat Petro. Nunc autem soli Petro dixit Christus: [Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.] Potuit ad omnes pari compendio dixisse: [Beati estis vos, quia caro & sanguis non reuelauit vobis, sed pater meus.] Cæterùm quia nomine proprio compellabat Petrum, & ei factam reuelationem asstruit, idcircò verisimilius est, solum Petrum beatificasse, & idem pro confessione suæ fidei, claues donasse Regni Cœlorum. Neque enim, quia credidit, clauium accepit promissionem, sed quia primus confitebatur. Multi enim olim crediderunt, quibus ea promissio facta non fuit. Ob id igitur, quia primus, & solus confitebatur Petrus, idcircò, vel soli, ceu confessionis suæ præmium claues conferebantur. At, inquies, tibi verisimilius contrarium videri, nempè quòd soli Petro claues hæ conferebantur. Sed istud qui probas? Cernis quantum verba ipsa pro nostra parte faciant, & quantum omnes interpretes sacri nostræ sententiæ subscribant. Nec ignoras totius Ecclesiæ consensum, & vis vt, contemptis his omnibus, tui capitis vertiginem sequamur, hoc an æquum fuerit, lector quiuis iudicet.

LVTHERVS.

Quare notandum, quòd sanctitas sanctissimi Domini Papæ hoc loco mentitur, sicut est moris eius, atque stili.

EPISCOPVS.

Qua in re, te quæso, mentita est sanctitas sanctissimi Domini nostri? Lege articulum. An non ità se habet verbum Christi ad Petrum, &c. An non ad Petrum locutus est Christus? Quis hoc negare potest? Sed, inquies: Non ad solum Petrum locutus est. Istud non asserit articulus. Neque enim dicit. Verbum Christi ad solum Petrum, sed verbum Christi ad Petrum. Quis hoc loco pote-

poterit excusare mendacium tuum? Et tamen hic (vbi palàm ipse mendax es) non te pudet Summo Pontifici, & eidem inculpato, mendacium impingere. Constantinus Cæsar, cùm Episcopi se mutuò criminarentur, fie dixisse fertur: Si proptijs oculis peccare Sacerdotem viderim, mox operire, vel mea chlamide peccantem studerem. Ecce laicus inferiorum Episcoporum vera crimina tegere studet, & tu Luthere (qui religionem professus es) Summo Sacerdoti fictum crimen imponere non erubescis? quin & insultas velut mendacij, cum fit tamen ipse veracissimus.

LVTHERVS.

Quòd autem potestas soluendi latior sit, quàm potestas ligandi, æquè mentitur sanctissimus ille, non enim hoc poterit probare vllo modo.

EPISCOPVS.

Quid est, quod non audeas Luthere? tanta est temeritas impudentiæ tuæ. Nimis quàm temerè iactitas, hoc probari non posse, nempè latiorem esse soluendi potestatem, quàm ligandi. Quos nos ità breuiter ostendere tentabimus. Summus Pontifex soluere potest à peccato, quod numquam ligauit, aut ligare potuit: Ergo latiùs extenditur soluendi potestas, quàm ligandi. Hoc scio numquam dilues, nisi velis negare Summum Pontificem à peccato soluere posse. Quod si feceris, negabis etiam omninò potestatem vllam his verbis contineri, ac proindè confiteberis, frustra Christum aliquam de ligandi, soluendique potestate fecisse mentionem. Quoniam si peccatum non soluat Pontifex, quid est, quod soluat? Nec est quòd ad Canones confugias, vt dicas Pontifices ad pœnas Canonum ligare posse quempiam, & ab eisdem soluere. Quoniam anteqnam de Canonibus quicquam erat cogitatum, hæc potestas Petro collata fuit. Etsi numquam fuissent Canones conditi, non ob id frustrari potuit donatio Christi. Soluere igitur Pontifex à peccato potest. At neminem inuitum, hoc est, qui nolit peccare, ligare potest peccati vinculo. Quamobrem, cui idipsum non ligault, quod tamen potest soluere, necessum est, vt soluendi potestas longiùs porrigatur, quàm ligandi.

LVTHERVS.

Quia sicut Christus dicit: Quodcumque solueris, ità dicit: Quodcumque ligaueris, vtrobique eodem signo vniuersali vtens, quare parem vtramque potestatem, apertissima verba probant Christi.

EPISCOPVS.

Quid si Christus vtatur eodem vtrobique signo? Num propterea necessum erit, tot per Petrum esse ligabilia, quot & per ipsum solubilia sunt? haud quaquam. Quæ res apertior fiet, si Christi pollicitationem ad multitudinem hominum contraxerimus, perindè ac si dixisset Christus? Quoscumque Petre ligaueris homines in terris, erunt & in Cœlis ligati, & quoscumque solueris homines, erunt identidem in Cœlis soluti. Quis dubitat, ex hominibus complures esse, qui mortali peccato careant. Et hi, nisi sponte sua deciderint in peccatum, ligari per Pontificem nequeunt, quod & ipse Luthere mordicùs asseris, & creberrimè quidem. Sunt è diuerso plerique, qui mortalibus grauantur admissis, quos (non est dubium) Pontifex, modò suis parere monitis voluerint, absoluere potest: quàm quos ligare, ac proindè constat solutionem latiùs patere, quam ligationem.

LVTHERVS.

Vt nihil moueant, quæ sanctissimus in contrarium blasphemat, non enim ei credimus nuda dicenti, multò minùs contra apertam veritatem insanienti, & blasphemanti.

EPISCOPVS.

Quæ te quæso Pontificis hic vlla blasphemia est? Nonnè verissimum est, ità Christum dixisse Petro? Quodcumque ligaueris, &c. Et numquid non ostendimus, soluendæ longè plura esse, quàm liganda? Quod si pauciora sint hæc, quàm illa, quis non illico videt, soluendi longiùs, quàm ligandi potestatem propagari? Quod si verum sit, vbi quæso falsi quicquam dixit Summus Pontifex? An non ipse magis blasphemiam contra Christum, & eius Euangelium iacularis? Tu planè si datam ijs verbis vllam Petro fateris potestatem, ea erit, qua peccatum soluitur, quod nequaquam Petrus ante ligauit. Atque ità porrectior erit solutio, quàm ligatio. Et tu qui hoc negas, insanis, & blasphemas in sanctum Euangelium. Sin verò nullam Petro datam potestatem asseris, ità mendacem facis Christum, quæ summa quoque blasphemia est. Atque hæc ad conuulsionem articuli sufficiunt.

ARTICVLVS XXVII.

Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsùs non esse statuere articulos fidei, immò nec leges morum, seu bonorum operum.

EPISCOPVS.

Non hic me fugit quosdam opinati, & inter hos in primis Ioannem Scotum, cuius acumen mihi summopere probatur, quòd Ecclesia non potest, quicquid ipsa velit, verum, aut non verum constituere.

Sic enim ipse distinct. 11. quæst. 3. quatti, de communicatione substantiæ panis, quę fit in corpus Christi, credenda, loquens dicit, quòd quamquam Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi decreuerit idipsum fore credendum, non fuit tamen in potestate Ecclesiæ hoc verum facere, aut non verum, sed Dei instituentis.

Cæterùm tametsi nequeat Summus Pontifex,

tifex, vnà cum Concilio, hoc est, Ecclesia Catholica, quicquam, aut verum, aut falsum facere, ac proindè nonos articulos fidei constituere, tamen quicquid hi nobis credendum tradiderint ceu fidei articulum, id cunctos, verè Christianos, haud aliter, quàm articulum fidei quendam, oportere credere. Quod & ipse Scotus eodem affirmat loco. Dicendem est inquit, quòd Ecclesia declarauit istum intellectuoi esse veritate fidei in symbolo edito, sub Innocentio Tertio, in Concilio Lateranensi firmiter credimus, &c. Vbi explicitè ponitur, veritas aliquorum credendorum, magis explicitè, quàm habebatur in symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Niceno. Et breuiter, quicquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei, & hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia. Hæc Scotus.

Cuius verba iam ob id citò, quòd te putem his velle cedere, sed vt intelligas quantum Ecclesiæ Scotus detulit, qui tamen alioqui suo iudicio, plurimum solet tribuere.

Sed Ecclesiam credidit eatenus Spiritu sancto fuisse afflatam, vt errare in istiusmodi rebus haud potuit. Propter quod & subdit; supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fide, spiritu scilicet veritatis edocta. Et ideò hunc intellectum elegit, quia verus est. Non quòd hunc verum Ecclesia fecerit, sed à Deo traditum explicauerit, directa in hoc vt creditur à spiritu veritatis. Hæc Scotus.

Si igitur argumentamur; Non inanem nobis pollicitationem Christus fecit, quando spiritum veritatis promisit in Ecclesia mansurum, qui nos de omni veritate certiores faceret. At ioanis fuisset ista pollicitatio, si Concilium legitimè conuocatum, & eo præsertim intuitu, vt de fidei negotijs Ecclesia certior fieret, errare permitteretur. Quamobrem certò credendum est, quicquid Concilium sic à Pontifice congregatum decreuerit esse de substantia fidei, id tamquam articulum fidei recipiendum esse. Confirmabimus istud hoc modo.

Nam vndè scimus, quis fuerit articulus fidei an secus, nisi per Ecclesiam? Sed neque Euangelia scimus, Euangelia esse, nisi per Ecclesiæ definitionem. Negat enim Augustinus se fuisse crediturum Euangelio, nisi quia Catholicæ priùs credidisset Ecclesiæ, quæ testimonium Euangelio perhibuit. Et certè spiritus ipse veritatis (quo verè credimus Ecclesiam regi (nunquam pateretur eam in ijs negotijs hallucinari.

Sed & de legibus morum, ac bonorum operum (quandoquidem superiùs ostendimus, non solam fidem nobis ad salutem sufficere, sed opera bona similiter exigi) quis ambiget, quando Pontifici simul, & toti Concilio visum fuerit, mores & opera quædam condemnare, tamquam Christianorum saluti contraria, quin ea fugere (velut animarum suarum perniciem) singuli Christiani teneantur? Alioqui Paulus frustrà dixisset: Obedite præpositis vestris. Et Christus item: Qui vos spernit, me spernit. Et alibi: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. At quando potiùs Ecclesiam audituri sumus, quàm cum Pontifici Concilium consentit, & Pontifex Concilio? Nam hi (procul omni controuersia) Catholicam Ecclesiam repræsentant.

Sed iam cum Luthero congrediamur.

LVTHERVS.

Probo hunc sic 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus: hic habes fundamentum ab Apostolis positum, at omnis articulus fidei est pars huius fundamenti, quare poni alius articulus, quàm positus est, nullus potest. Superædificari autem potest, vt idem dicit: Et ideò Papa debet nobiscum poni, & superædificari, non autem ponere: omnia enim credenda sunt in scripturis exposita plenè.

EPISCOPVS.

Si cuncta credenda, plenè sunt in scripturis exposita, mirum est, aut vndè tibi cum patribus de scripturis tantùm est dissidium? aut quibus oculis ipse cernas, quod illi contueri nequaquam potuerunt?

Sed vt ista prætermittamus, dic mihi vbi in scripturis inueniam diem dominicam obseruari præceptum, quem tamen Ecclesia colendum præcepit? Nec est hoc neotericum inuentum. Sed à primordijs Ecclesiæ traditum, & à Christianis hactenus accuratissimè custoditum. Veruntamen quia non habetur in sacris literis, iam per te, non ampliùs obseruandum est, neque credendum obseruari.

Dic rursum vbi iussum fuerit in scripturis, Diuorum imagines esse venerandas? Certè septima Synodus, quæ fuerat 367. patrum condemnaui execratores earum, & voluit omnes Christianos eas digna veneratione complecti.

Dic tertiò, quæ scriptura tradat, patrem ingenitum dici? Nam Augustinus hoc ipsum in scripturis nusquam inuenire se potuisse testatur. Et tamen ad substantiam fidei pertinet.

Sed nec quod filius Omousios dictus alicubi fuerit (si credimus Augustino) posset illic inueniri, & tamen hoc ipsum est articulus fidei.

Dic, qua scriptura cogemus proteruientem, vt fateatur Spiritum sanctum à patre simul & à filio procedere? & tamen idipsum est articulus fidei.

Dic, vbi reperimus, quòd Pascha non alio, quam Dominico die celebrandum sit? profectò nusquam in sacris literis istud comperies. Et tamen hoc à priscis illius obseruari districtiùs imperatum est.

Dic, vbi scriptum sit in sacris literis, quòd baptizatus ab hæretico non debeat rebaptizari? Et tamen hoc (etiam auctoritate Cypr. renitente) post mortem eiusdem Cypr. per Concilium Carthaginense decretum fuit. An non Christus asseruit multa se habuisse, quæ dicturus Apostolis fuisset, si tunc ferre ea potuissent? Et vbi quæso sunt illa scripta?

Sed & Paulus post suum editum quædam Corinthijs pollicitus est se dispositurum.

Cetera, inquit, cum venero disponam. Et hæc in sacris literis nusquam scripta inuenies. Falsum igitur est, quòd omnia, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad leges morum, & operum, plenè sunt in scripturis exposita. Id, quod oportet confitearis, alioqui probatio tua nulla est. Residuum autem argumentationis tuæ, nullius momenti est.

Quid enim si Christus (quod & nos affirmamus) fundamentum statuatur? Num propterea cuncta, quæ nobis credenda sunt in scripturis plenè sunt exposita? Quid hac consecutione potest stolidiùs cogitari? Sed & Petrum quid prohibet in Christo fundari, & nihilominus Ecclesiasticæ structuræ fundamentum esse? Nobis enim fundamentum omninò primum Christus est. Subindè post Christum Petrus. Tibi verò nec Christus fundamentum esse potest, quando fides (quam tu fundamentum collocas) in Christo nequeat esse. Per fidem vtique Christiani super Christum fundantur.

At hæc fides haud quaquam in ipso Christo est, sed in ipsis Christianorum pectoribus. Quam quia Petrus primùm confessus fuerat, & ipse primus post Christum lapis viuus in huius ædificij structura repositus fuit.

LVTHERVS.

Permitto tamen, quòd Papa condat articulos suæ fidei, & suis fidelibus, quales sunt: panem, & vinum transubstantiari in Sacramento: Essentiam Dei nec generare: nec generari: Animam esse formam substantialem corporis humani; Se esse Imperatorem Mundi, & Regem Cœli, & terrenum: Animam esse immortalem. Et omnia illa infinita portenta in Romano sterquilinio decretorum, vt qualis est eius fides, tale sit Euangelium, tales & Fideles, talis & Ecclesia, habeant similem labra lactucam, & dignum patella sit operculum.

EPISCOPVS.

Permittis ipse Pontifici? Benè scilicèt agetur cum Pontifice, si necessum ei sit ex tua permissione pendere.

Sed vbi (te quæso) Pontifex Regem Cœli, Deumque terrenum se vocauit? Quis te ferre potest ità semper, & vbique mendacem? Illud verò, essentiam Dei, nec generare, nec generari, quid tibi videtur, verumnè, an falsum hoc existimas? Si falsum putes, quòd essentia generat, aut generatur, cur debeat tolerari? An opinaris, vel minimum de Deo mendacium, leue quiddam esse? Quando igitur tui similes nihil veriti sunt, hoc de Deo mendacium confingere, qualem tu Pontificem illum dixisses, qui passus hoc fuisset impunè doceri? Rectè igitur Pontifex (qui tum fuit) Christianos admonuit, quid super hac de re credere debuissent.

Sed nec cæteri (quos obijcis) articuli, suis carent rationibus. Id quod palàm ostenderem, nisi quòd ex versutia quadam eos introduxisse te iam video. Hoc in te sæpiùs obseruari, quoties efficaces tibi desunt probationes, ad conuicia te vertis, & alia moues, quæ nihil ad rem attinent. Firmandus abs te potiùs articulus esset, quo certum asseueras esse, quòd non sit in manu Ecclesiæ, aut Papæ, statuere articulos fidei, nec leges rectè operandi.

Sed cum istum nequeas probare, ne nihil interim egisse videaris, tuo more latras in Pontificem.

LVTHERVS.

Non verò, qui non Papani, sed Christiani sumus, scimus, quòd nihil est fidei & bonorum morum, quod non abundè in litteris sacris sit expositum; vt neque ius, neque locus sit, alia statuendi vllis hominibus.

EPISCOPVS.

Tu te his verbis hoc scire iactitas, quibus palàm cunctis ostentas inscitiam tuam. Nos enim plurima superiùs memorauimus tàm credenda, quàm facienda Christianis, quæ nusquam in sacris literis habentur. Nec satis est, quòd dixeris te hoc scire, nisi præter hoc iustas item adduxeris probationes. Mihi profectò neutiquam satisfacis, cum te scire dixeris, nisi me quoque feceris idipsum scire.

Rectiùs aliqua recensuisses, de quibus ambigitur an in sacris literis contineantur, & indicasses vbi reperiri queant, quàm tot aliena citasses decreta, nempè de panis, & vini transubstantiatione, de essentia Dei nec gignente, nec genita, de forma substantiali corporis humani, atque alia nonnulla, quæ nihil ad rem pertinent. Nos (vt vides) recensuimus plurima, quæ nemo verè Christianus negare poterit, ad fidem, & bonos mores pertinere, nec tamen vbi sint abundè tradita, vel exposita in sacris literis, vllus indicare potest.

Et tu nihilominùs (tanta est inuerecundia tua) audes asserere: Nihil esse fidei, & bonorum morum, quod non abundè sit in sacris literis expositum.

LVTHERVS.

Porrò ceremonias potuit Ecclesia ordinare, sed ea in arbitrio sunt omnium fidelium, sicut dicit 1. Corinth. 7. Empti estis pretio nolite fieri serui hominum. Et Col. 3. Videte ne quis vos decipiat per inanem philosophiam, & fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa huius Mundi, & non secundùm Christum.

EPISCOPVS.

In ceremonijs profectò quisquis reposuerit spem salutis, longè fallitur. Attamen haud quaquam inutiles habendæ sunt ceremoniæ. Tolle cerimonias ab Ecclesia, & apud maximam Christianorum partem, Dei cultum statim extingues. Fac ne quisquam leuet manus, neque genua flectat, aut ne tundat pectus, aut oret non velato capite, aut non in pedes erectus stet, dum legitur Euangelium, aut id genus reliqua prætermittat, videbis intra paucos dies eam (quam vocamus deuotionem) euane-

euanescere penitùs. Nam ea, quæ adhuc viget in paucorum Christianorum pectoribus, quamquam sit pertenuis illius cultus scintillula, ceremonijs tamen enutritur.

Et nisi ad has cogerentur Christiani, propè diem, aut nullus, aut quàm frigidissimus cultus Dei futurus est. Neque scripturæ, quas adducis, ceremonias damnant. Cum enim Paulus ait: Empti estis pretio, nolite fieri serui hominum: Hoc propter eos dixit, quorum aliqui se Paulo, quidam Apollo se addicebant, velut in hominibus spem salutis statuentes, atque per hunc modum in miseram se tradentes seruitutem.

Sed & alia scriptura Pauli nihil aduersùs eas ceremonias, quibus Ecclesiam iam vtitur, militat: sed veteres Iudæorum obseruantias dumtaxat vitare iubet.

LVTHERVS.

Concedo ergo Papam habere potestatem condendi leges, sicut Assur Nimbrod habuit, vt esset robustus venator in terra coram Domino, vt extinguat libertatem Christianam.

EPISCOPVS.

Tu videri vis Christianæ libertatis assertor esse, cum nihil sis minùs. Nam tua libertas mera seruitus est. Sola fides tibi liberum facit quemque, quantumuis inquinetur vitijs vel sordidissimis. Tuæ libertatis est Ecclesiæ sacramenta contemnere, quæ semper apud patres fuere sacrosancta. Tantam tu Christianis libertatem, immò veriùs licentiam permittis, vt nullis alijs Ecclesiæ legibus obtemperent, quàm quæ in Euangelijs, aut Apostolicis literis palàm sunt traditæ. Tua libertas omnem ceremoniarum ordinem euertit, confusionemque proindè maximam pariet tandem in Ecclesia Dei.

Aptè profectò libertatem hanc tuam depinxit Diuus Petrus, cum vetuit Christianis, ne quasi velamen haberent malitiæ libertatem.

LVTHERVS.

Probatur hæc potestas per illud Christi Matth. 24. [Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes, ego sum Christus, & seducent multos.

EPISCOPVS.

Quis non videt hanc scripturam teipsum exprimere? quippè, qui tot sub Christi prætextu seduxeris, & quotidiè seducis. Quis non hic strophas tuas exploratissimè cernit, cum Christi vaticinium (quod tibi nemo non obijceret) tua vafrities adaptat Pontifici? Quis alius (quæso) plebem seducit potiùs, quàm qui eam auertit à Patrum commentarijs, in quibus ab Apostolorum temporibus, ad hanc ætatem vsque Christiana plebs Scripturam sacram didicerit. Ab his pascuis nunc tandem Lutherus abducit plebem, atque id quidem sub prætextu nominis Christi. Quis itaque non aduertit hunc ex eorum esse numero, de quibus Christus dixit: [Multi venient ad vos in nomine meo, & seducent multos.]

LVTHERVS.

Et iterùm: Cùm videritis abominationem stantem in loco sancto, quæ dicta est à Daniele Propheta, qui legit intelligat. Surgent enim Pseudo-prophetæ, & Pseudo-christi, & seducent multos. Tunc si dixerint: Ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere: dabunt enim signa, & prodigia, vt in errorem ducant, si fieri potest etiam electos. Ecce prædixi vobis.

EPISCOPVS.

Et hæc ad te quoque spectant, & tui similes. Quisquis enim prætexens Euangelium, hæresim docet, rectè dicitur abominatio stans in loco sancto. Et eiusmodi Christus ipse Pseudo-prophetas, & Pseudo-christos vocat, à quorum erroribus admonet cauendum. Propter hanc quoque causam, & spiritum ipse veritatis misit, quo sicophantias eorum Ecclesia discerneret. Nec erit quisquam ab eis tutus, nisi qui doctrinæ per Ecclesiam traditæ firmiter adhæserit. Ob quam rationem, & Paulus eam vocat columnam, & firmamentum veritatis.

LVTHERVS.

Et 1. Timoth. 4. Spiritus manifestè dicit quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteria, tam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem.

EPISCOPVS.

Profectò & prior huius pars te deliniat ad vnguem. Nàm vbi credis alibi manere fidem, quàm in Ecclesia Christi? Ego, inquit, Christus ad Petrum, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Petri fides, ne dubita, semper in successione Petri manebit, quæ est Ecclesia. In hac fide iampridem educatus ipse fuisti, quam nunc deseris, & ab ea discedis, attendens spiritibus erroris, non veritatis. Nàm si veritatis attenderis spiritui, Ecclesiam vtique non contemneres, in qua spiritus veritatis & residet, & loquitur. Palàm igitur est, te non veritatis audire spiritum, sed attendere spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.

LVTHERVS.

Ecce non solùm hìc probatur potestas Papisticarum doctrinarum, & legum, sed etiam admonitio nostri, vt ab ijs Pseudo-magistris caueamus, qui ceremonijs hìc, & illic Christum ostentantibus, nos à fide sincera alie-

alienane. Nàm & Danielis cap.8. prædixit Antichtiftum fore regem impudentem faciè, hoc eft ficut Hebræus habet, potentem fpeciebus, pompis, & ceremonijs externorum operum, extinćto interim fpiritu fidei, ficut videmus impletum, tot Religionibus, Ordinibus, Collegijs, ritibus, veftibus, geftibus, ædificijs, ftatutis, regulis, obferuantijs, vt nurum nominum eorum vix recites, quorum nullus Euangelium curat, donec irrita facta fuot omnia mandata Dei, præfertim Principes iuftitiæ fides Chrifti, propter traditiones has hominum impiorum. Ee hæc quidem milites fecerunt. Et hæc regno Antichrifti conueniebant.

EPISCOPVS.

Hic te video, puluerem ob oculos effundere molitom, nimirùm ex Hebraica literatura. Sic iftud ingenium tuum prorsùs Anaxagoricum, quicquid vult, vbilibet fe poffe reperire confidit, & vnam quamlibet fcripturam perfonæ cuilibet, adaptare. Quo fit, vt anfam iàm ex Hebræo captatam, moliris in Pontificem torquere, quæ nihil ad eum fpectant. Vt donemus igitur hunc locum, fic traduci poffe, non quadrat tamen in Pontificem id, quod fequitur: Et intelliget ęnigmata, feu potiùs, vt quemdam rediđiffe legi, diuinationes. Porrò quòd in arte diuinandi Pontifex peritus fuerit, noodùm à quoquam audiui. Sed planè Hieronymus, ac cæteri interpretes, de Antiocho filio Seleuci literam hanc interpretantur, quam tu per vim torquere conaris ad Pontificem, vt eum Antichriftum facias. Si nobis ad hunc modum fcripturis vim inferre liceret, multò quadrantiùs hæc in te competere doceremus. Nàm fi quis tuas verfutias expendat, mendacia numeret, impudentiam exploret, hypocrifim excutiat, conuitiandi libidinem exprimat, charitatis prætextum aperiat, malitiæ venenum detegat, cæterofque dolos, & artes innumeras, quibus in fe conflatus es, depingere velit, nonne plures te formas, ac fpecies habere monftrabit, quàm Protheus habuiffe refertur? Profećtò veriùs hæ tuæ dici poffunt fpecies, quàm quas attribuis Pontifici. Quid enim tanta religionum varietas, & cætera, quæ congeris, ad Pontificem fpećtant? aut quomodò potuetuue hæc omnia fpecies, & formæ dici Pontificis? Ecclefiæ nimirùm ifta varietas, rećtiùs exiftimabitur. De qua & fcriptum eft, Pfalm. 44. Aftitit regina à dextris eius, in veftitu deaurato circumdata varietate. Ee fanè perquam mirificè facit hæc varietas ad Ecclefiæ decorem, fi quis non colubriuis, fed columbinis eam oculis infpexerit. Neque certè Pontificem inceffere deberes, ob hanc tam multiformem varietatem, fed fanćtiffimos illos Patres potiùs, Bafilium, Hieronymum, Auguftinum, Benedićtum, Dominicum, & Francifcum, quorum vel minimo nequaquam conferendus es. Hoc femper malè habuit progenitores tuos, hoc eft, priorum hęrefium feminatores, quòd tanta fuiffet in Ecclefia Religionum varietas. Tu potiùs, quod iàm incumbit tibi, articulum aftrue, quemadmodùm promiferas, & define vim fcripturis inferre, quò Pontificem Antichriftum effe monftres. Certum enim eft ex facris literis, hauddum Antichriftum veniffe, nifi forfan tu nobis Antichriftus fis futurus. Iftis nugis, quod tibi in morem eft, oos in obliuionem prioris inftituti molitis inducere. Redi potiùs ad inftitutum, & proba nobis articulum, quemadmodùm es pollicitus, nempè, quòd nec Ecclefia, nec Pontifex poffet quicquam de nouo credendum, aut operandum ftatuere, præter ea, quæ in facris literis explicantur, id quod fcio numquam comprobabis. At propterea nugas iftas introduxifti, quemadmodùm foles, quoties tibi folida defuerint argumenta. Sed ifta pro articulo fufficiant.

ARTICVLVS XXVIII.

LVTHERVS.

Si Papa cum magna parte Ecclefiæ fic, vel fic fentiret, nec etiam erraret, adhuc non eft peccatum, aut hærefis contrarium fentire, præfertim in re non neceffaria ad falutem, donec fuerit per Concilium vniuerfale alterum reprobatum, alterum approbatum.

EPISCOPVS.

Nihil magis tibi fidem abrogat, & tuom dogma commonftrat effe veritatis expers, quàm quòd in eo tam parum tecum confentis, & tibi tam malè cohæreas. Nam (vt quidā ait) omnia vera veritati confonant, falfum autem tam à feipfo, quàm à veritate difcrepat femper. Tuum igitur dogma quando nec fibi conuenit, nec veritati, meritò cunćtis exibilandum eft. Sed age, iftud doceamus ità fe habere. Proximo quidem articulo, tibi difplicuit in Ecclefia tanta ceremoniarum varietas: Nunc autem in hoc articulo, non difplicet animorum diffidium. Et vtrum horum quæfo, magis indecorum Chriftianis effe cenfes, animis ne? an ceremonijs diffidere? Animis profećtò, quifquis non infanit, dićturus eft. Nam fi debeant fe Chriftiani, ritibus & ceremonijs inuicem conformare, multò magis animorum fenfus inter eos vnus effe deberet. Et tamen tu permittis Chriftianos animis diffentire, ceremonijs verò diffidere non pateris. Quàm pulchrè fcilicet tibi congruis. Cæterùm eùm tria fint, quæ Chriftiano cuique conueniant, animus, corpus, & opera, quicquid de corporibus, & operibus hominum fuerit, quæ nequeunt non multiformia effe, tamen inter Chriftianos animorum vnitas deberet effe coniunćtiffima.

Quam fanè rem & Paulus, Corinthios per Dei nomen diftrićtiùs adiurat obferuare. Obfecro, inquit, vos fratres per nomen Domini noftri Iefu Chrifti, vt idipfum dicatis omnes, & non fint in vobis fchifmata. Sitis autem perfećti in eodem fenfu, & in eadem fcientia. Ecce quomodo non tibi folùm, verùm etiam Apoftolicæ veritati repugnas plurimùm. Iubet enim ipfe Chriftianos, vt idipfum omnes dicant.

Et tu doces licere Chriftianis diuerfa dicere. Damnat ille fchifmata, tu fchifmata probas. Ille vnam mentem, vnamque fententiam

iam cunctis esse vult, tu singulis diuersam, & diffidentem esse permittis, atque non solùm fratribus inter sese, verùm etiam à Pontifice, & ab Ecclesia diffidium admittis, defendisque non esse peccatum, sic ab eis Christianos dissentire. Hic iam vrgebo te paucis. Si peccatum hoc non fuerit, id quod tu nimirùm asseris, vtique nec improbandum erit, profectò tibi probandum sic oportet. Nam apud te medium nullum est, neque opus aliquod tibi neutrum, aut indifferens vllo pacto creditum. Quoniam igitur istud, vt audis, Paulus reprobat, palàm est tuæ sententiæ repugnare Paulum. Quamobrem aut ipse falsa docuit, quod, scio, nemo dicturus est, aut tuum dogma, velut totius veritatis expers, meritò cunctis erit explodendum. Porrò, quòd ais, Concilium expectari debere, certè Paulus de Concilio nihil est locutus, sed suæ voluit Corinthios auctoritati confidere. Quod & quemque facere Christianum decet, postquam Pontifex vnà cum Ecclesia, sic sentiendum forè, semel docuerit. Cæterùm quem in modum hunc articulum firmes, iam audiamus.

LVTHERVS.

Hæc in indulgentijs dixi, minùs tunc rerum peritus. Stultè enim dixi, quare articulum damno ipsemet, cum enim in eo quæstio de rebus non necessarijs ad salutem versetur, non debui Papæ, aut Concilio tribuere tantum potestatis, vt è non necessaria re, necessariam facere possent. Sed sic debui dicere, sicut & nunc dico: Si Papa, & Concilium sic desiperent, vt in rebus non necessarijs ad salutem determinandis, tempus & studia perderent, habendi, & contemnendi essent pro fatuis, & insanis, cum omnibus suis determinationibus larualibus, cùm tam multa sint necessaria ad salutem, quæ sola tractari oporteat.

EPISCOPVS.

Si de rebus ad salutem nihil conferentibus, dimissis vtilioribus, Pontifex cum Concilio tractet, non istud probarim. Sed plerumque, res quædam vni videtur necessaria, quæ forsitan alteri superuacanea iudicatur. Quamobrem oportet inter Christianos, quendam loco iudicis constitui, cuius decreto par est cæteros omnes obtemperare. Nam alioqui maxima inter Christianos erit dissensio, quibusdam asserentibus, rem quampiam saluti conducibilem esse, quibusdam contrà negantibus. Et quis, te quæso, Iudex potior habendus est de re quauis, an ipsa fuerit ad salutem necessaria, quàm is, qui fuerat in hoc muneris à Deo destinatus? maximè cum ei bona pars Ecclesiæ consenserit.

Neque enim credibile est Christum, cum ipse corporaliter esset in cœlum ascensurus, ità suam Ecclesiam, absque omni duce, & rectore destitutam reliquisse, vt nemo prorsùs esset, ad quem in rebus dubijs diffiniendis, in litibus & controuersijs dirimendis, in reprimendis opinionum nouitatibus, in rebellionibus, & contumacijs coercendis, ac demùm in sedandis cæteris Ecclesiæ perturbationibus accederent Christiani, sed oporteret pro leuissimis quibusuis negotijs congregare Concilium? Quis tam impudens est, vt non perspiciat, quantùm hæc res in Ecclesia confusionem fuisset paritura, si nemini talis auctoritas commissa fuisset? Quando igitur is, qui primus est, & totius Ecclesiæ Princeps, cuique totius orbis cura, Christi decreto commissa fuit, hunc, vel illum sensum vnà cum cæteris Ecclesiæ proceribus approbauerit, istis nimirùm alios, qui reliqui sunt, nisi rationem efficacissimam in contrarium attulerint, se conformare decebit. Quod nisi fecerint, Pauli decretis planè contraueniunt, qui iubet, vt idipsum dicturi sint omnes, ne sint inter eos schismata, sed quòd sint omnes in eodem sensu, & in eadem mente perfecti. Quisquis huic præcepto repugnat, non video quis eum à peccato poterit excusare.

LVTHERVS.

Talis autem fatuitas est, quòd de indulgentijs, de primatu Papæ, de transsubstantiatione panis, & infinitis alijs nugis, ad rem nihil pertinentibus, sæpiùs in Concilijs determinarunt, de quibus Paulus, 1. ad Timoth. 4. Stultas autem, & aniles fabulas deuita.

EPISCOPVS.

Hoc est quod dixi. Quoniam hæc tuo palato fatua videntur, quæ tamen alij censent non esse fatua, cur in his tibi vis credatur potiùs, quàm Pontifici, vel Ecclesiæ toti? Iam omninò iudex quispiam audiendus est, cuius iudicio stare cunctos decet Christianos. Tu scripturam vis esse iudicem, sed hanc rationibus plurimis, ostendimus iudicem fieri non posse, & maximè cùm acriores numquam inter Christianos, quàm de scripturis habitæ sint contentiones, vt super his necesse fuisset alios habere iudices. Nam hæretici vsqueadeò pertinaciter illi sensui, quem semel de scripturis imbiberint, adhærent, vt dirumpi citiùs scripturas paterentur, quàm à suis opinionibus diuelli. Si non hoc animo fuissent Arrios, Macedonius, Euiches, Donatus, Pelagius, ac Hæresiarchæ cæteri, nemo mihi credat.

Quòd si compertissimum sit eos tales fuisse, cur tuo iudicio de scripturis contra Pontificis, & Ecclesiæ decretum stabimus? Æquum hoc tibi videtur, vt tu iudex cunctorum habearis? Verbis Euangelij te compello, quis te iudicem constituit super nos? At hoc certè moliris, cum neque Pontificem, neque bonam Ecclesiæ partem, neque Concilium ipsum generale, sed scripturam sacram solam admittis iudicem. Et hanc haud dubiè non alia ratione, nisi quòd speras eam adinstar nasi cerei te vertere posse in quamlibet partem. Cæterùm quantùm ad hos articulos attinet, quos tibi nugas placet appellare, quoniam de duobus prioribus nonnihil antè diximus, de tertio iam identidem breuiter disseremus. Ego certè persuasissimum habeo, Ecclesiam errare non posse in ijs, quæ ad substantiam fidei pertinent, simul & credo, scripturas id omninò velle, maximè cum proba-

cissimo Pontifici Concilium generale consentit. Nam Pontificem vnà cum Concilio, non est dubium, Ecclesiam vniuersalem repræsentare.

Cum igitur in Eucharistia panis substantiam, in substantiam corporis Christi conuersam esse, Concilium Lateranense sub Innocentio tertio credendum censuit. Et ijs Pontifex (vt Platina, vir alioqui parùm Sacerdotibus fauens, restatur) fuit in quouis vitæ genere probatissimus, & planè dignus, qui inter sanctos Pontifices numeretur. Quis ergo dubitare potest, quin id, quod iste Pontifex cum toto Concilio diffiniuit, verè sit credendum? Portò quòd tua sententia, nec Pontifex, nec Ecclesia potest articulum fidei nouum condere, idipsum ego facilè concedo, tametsi non omninò iuxta sensum tuum. Neque enim opinor Pontificem vnà cum Concilio posse quicquid libebit indiscriminatim decernere, de substantia fidei esse, quod non ante fuerat de substantia fidei. Nam in eorum arbitrio non est situm, vt Scotus ait, vt quicquam tale, vel non tale faciant, sed spiritu potiùs veritatis edocti, id quòd reuera pridem de substantia fidei fuerat, iam declarant esse de substantia fidei. Quando igitur palàm est Pontificem illum, Innocentium inquam tertium, tam doctrina, quàm sanctitate præstantem, cum toto Concilio declarasse, transsubstantiationem panis credendam esse, quis ambigere potest, quin idipsum priùs fuerat de substantia fidei? Neque enim, vt scitè Scotus ait, ob id vera fuit hæc diffinitio, quoniam illi potiùs hanc partem, quàm contrariam diffinierunt: tetrorsum magis, hoc est, ob id illi partem hanc diffinierunt, quia vera fuit, & quia Spiritus veritatis nequaquam eos aberrare permisit.

LVTHERVS.

Laudo ergo egregiam Bullam istam, quæ Papæ, & Concilio tribuit negotium rerum non necessariarum ad salutem: neque enim digni sunt alio negotio, quàm vt statuant, definiant, ferme ne aliena, impertinentia, & non necessaria ad salutem. Quid enim illis, & saluti? Sed & Bulla ipsa, & proles imitatur parentes suos, ferè non laborat, nisi in articulis ad rem prorsùs nihil pertinentibus. Cum ergo è non necessarijs necessaria faciant, & hæc neglectis interim fidei documentis pro articulis, obtrudant populo Dei, non intelligimus adhuc eos, operante Satana, operationibus erroris Ecclesiam vastare? Qui enim potest esse, nisi error, quod cum necessrium non sit, necessarium arbitrio hominum efficitur, vt hominum spem ædificent super arenam, vt credant necessarium, quod necessarium non est. O vos impijssimi animarum seductores, quàm scelerate illuditis populo Dei.

EPISCOPVS.

Iam id (quod & lectorem sæpiùs admonui) quis non aduertit? Ecce Luth. ad conuitia se vertit, quoties efficacia defuerint argumenta. Nihil hactenus attulit pro huius articuli roboratione. Nusquam enim probat, quòd liceat à Pontifice, & à bona parte Ecclesiæ dissentire, aut quòd non sit Pontificum Concilio sentienti credendum penitus. Nos verò docuimus id necessarium esse creditu, quòd Pontifex cum Ecclesia decreuerit esse credendum, non quòd Ecclesia quicquam verum faciat, sed quòd id, quod antè verum fuerat, quamquam à plerisque dubitatum, iam explicatiùs & apertiùs verum esse diffinierit.

LVTHERVS.

Igitur siue Papa, siue pars, siue Concilium sic, aut sic sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisque in suo sensu, in ijs rebus, quæ necessariæ non sunt ad salutem.

EPISCOPVS.

Non possunt non esse necessariæ res ad salutem ipsæ, quas Pontifex cum Concilio tales esse declarauit: non quòd illas Pontifex efficiat salutares, sed quia pridem tales fuerant, idcircò Pontifex à spiritu instructus iam eas esse salutares diffiniuit. Præiudicatum igitur est cuique Christiano, ne diuersum sequatur sensum, hoc est, ne dissentiat ab ijs: quæ summus Pontifex vnà cum Concilio credenda decreuit, sed ijs oportet, & fidem & consensum pariter adhibere. Quis enim alio pacto scite potest, quæ pro veris Euangelijs Christi tenenda fuerint, & quæ respuenda, nisi per Ecclesiæ decretum? Sed non ità, quòd Ecclesia potest quicquam Euangelium efficere, quod non ante fuerat Euangelium, aut id repudiare, quod verum sit Euangelium: sed spiritu veritatis infallibiliter edocta, quatuor nobis Euangelia etradidit, quibus nos firmam adhibere fidem oportet, atque ad hunc modum de cæteris, quæ Pontifex cum Ecclesia decernit, credendum est.

LVTHERVS.

In libertatem enim vocati sumus, vt non sit necesse credere verum, quod alius homo sentit, vel dicit, contenti eis credere, quæ in scripturis docti sumus.

EPISCOPVS.

In libertatem sanè vocati sumus, sed hac abutimur libertate, quando licentiùs, aut sentimus, aut loquimur, quàm Ecclesiæ decreta permittunt. Tunc enim libertas nostra malitiæ velamen est potiùs, quàm libertas. Nec verum est (quemadmodum tu prætexis) quòd vrgeretur quiuis credere, quicquid alius quiliber credit, sed quicquid Pontifex cum Concilio credendum decernit, id omninò credere tenetur quiuis, quamquam in scripturis idipsum non habeatur. Nam plurima sunt (vti suprà diximus) quæ tenemur credere, simul, & facere, de quibus nihil in scripturis agitur. Cæterùm ingentem his verbis licentiam Sacerdotibus concedis, cùm iàm tua sententia, non tenebuntur ad tàm prolixas preces; quas horarias vocant, nec ad alia mul-

multa ; ad quæ per Ecclesiam obligati sunt, quoniam in sacris literis nusquam ista præcipiuntur.

LVTHERVS.

Si verò Papa poterit vllo iota probare, se habere ius condendi, etiam minimam legis literam, ne dum articulos fidei statuendi, libenter hæc reuocabo.

EPISCOPVS.

Sæpè diximus, quòd Papa, quamquam nouum articulum Fidei condere nequeat, tamen si cùm Concilio generali, quiddam, ceu Fidei articulum credendum decreuerit, id quisque Christianus recipere, & credere, certus quòd Ecclesia spiritu veritatis regitur in iis, quæ sunt Fidei. Cæterùm quis hic tuas artes non deprehendit, qui Pontificem oneras huius rei probatione, cùm tibi potiùs incumbit probare tua. Pontifici non desunt, quæ pro sua parte copiosè producat. Sed tu, qui tuis hæresibus totam vexas Ecclesiam, quid hactenus ad hunc articulum comprobandum attulisti?

LVTHERVS.

Vsum, & præsumptionem, quibus hactenus præualuit, non curo, scripturas sanctas quæro, quandoquidem omnia, quæ in Ecclesia fiunt, è scripturis sanctis auctoritatē, & exemplum habere debent.

EPISCOPVS.

Certè quæ præcipiuntur ab Ecclesia, non absque scripturarum auctoritate præcipiuntur, quamquam ipsa, quæ sic præcipiuntur, non semper in sacris literis prodita sint. Dies enim dominicus, aliaque id genus multa (quæ suprà recensuimus) ab Ecclesia præcipiuntur obseruari, & non sine scripturarum ratione, nec tamen ipsa repeteiuntur in sacris scripturis vsquam expressa. Sed & Apostoli multa, post ascensionem Christi ad patrem, nobis tradiderunt, nec sine auctoritate Christi, quamquam anteà de eisdem nihil ab ipso palàm accepissent.

LVTHERVS.

Sicut dicit Deut. quarto: Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo. Et Zach. secundo: Legem Dei requirent ex ore Sacerdotis, quia Angelus Domini exercituum est.

EPISCOPVS.

Quid tibi velis cùm iis scripturis Luthere? Si tuum institutum ex iis probari confidis, falleris quàm longissimè. Nam citrà quàm priorem enunciasset Moses, multa sunt adiecta, multa quin etiam adempta sunt. An tu putas hæc non obligare Christianos, quæ Christus ea tenus adiecit, vt Christianorum iustitia fieret, quàm Iudæorum cumulatior? Sed inquies: De Christo Moses prædixit, quod illi non minor, quàm sibi Fides adhiberetur. Hoc tamen responde. Cur ipsius Christi verbis, & iis præsertim, quæ proximè discessurus dixerat, nempè de Baptismatis forma detrahere quicquam ausi sint Apostoli? Cur de non edendo suffocato, & sanguine legem à Christo numquam traditam, ipsi gentibus imposuerunt? Aut cur postea quàm Apostoli, semel hanc legem imposuissent, ausus fuerat Paulus eamdem immutare? Scribit enim ad Timotheum: Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cùm gratiarum actione percipitur. Vndè factum est, vt nullo non ciborum genere vescerentur Christiani. Quamobrem aut illos omninò condemnabis, aut cùm eodem spiritu, iam regatur Ecclesia, cuius instinctu docti sunt Apostoli prædicta facere, confiteberis Ecclesiæ præcepris, iam esse Christianis omnibus æqualitèr obtemperandum. Sed & assentieris Ecclesiæ iam licere, pro ratione temporum, & personarum, alia quędam adiicere prioribus præceptis, & institutis, nihilò minùs, quàm Apostolorum licuit temporibus. Cæterùm porrò altera (quam affers) scriptura perparum ad rem facit. Quid enim si lex Dei requirenda sit ab ore Sacerdotis? Num propterea sequitur, quòd nemo Sacerdotibus, nisi in iis dumtaxat (quę in sacris literis prodita sunt) obtemperabit? Quis non videt hanc consecutionem, quàm nihil omninò robòris habeat? Hæc igitur ad huius articuli confutationem sufficiunt.

ARTICVLVS XXIX.

LVTHERVS.

Via nobis facta est eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contra dicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, siue probatum fuerit à quocumque Concilio.

EPISCOPVS.

Non potest quisquā articulus hoc vno pestilētior excogitari. Tollit enim vniuersum totius Ecclesiæ robur, sed & animos Christianorum prorsùs incertos reddit, cui potissimùm credere debeant. Nam si generali Concilio secure credi non posset, cuius erit auctoritati credendum? Neque enim quisquam audire potuit vnquam vniuersalem Ecclesiam (postquam semel ipsa per orbem dispersa fuerat) hoc, vel illud affirmantem. Sed nec possibile fuit, vt in vno loco, tanta multitudo congregaretur, vndè posset audiri. Quamobrem si Concilio plenario, quod Pontificis, & singularum Prouinciarum assensu coadunatur, certò credi non posset, haud scio, cui Fidem indubiam adhibebimus? Neque enim erit internoscendi facultas, hæreticum ab orthodoxo, cùm ille minori constantia contendat, apud se veritatem scripturarum esse, quàm orthodoxus apud se: si nullum præter scripturas, eius litis iudicem admitti patiamur. Si Pontificem recusamus, si Concilia contemnimus, non particulari solum,

lùm, sed etiam ipsa plenaria: quid iam reliquum est, nisi vt is præualeat, qui loquacior fuerit, & contensior, atque temerarius magis: quemque non pudet mendacia pro verissimis audacter asserere, modò posset vtcumque mendacium sucare suum, vel contortis scripturis, vel argutijs verisimilibus, vel, si cætera desint, conuitijs, & probris in cnutranitentes acerbissimè iacularis.

Euerua Conciliorum auctoritatem, sic licentia cuique contradicendi gestis eorum: Sinatur quisque pro suo cerebro Conciliorum esse Iudex, & si libet condemnator: Nihil euret quiuis, quicquid à Concilijs siue probatum, seu reprobatum sit, sed impunè quisque pronunciet, quicquid suæ temeritati verum videbitur: & tum, numquid eiusmodi, qualem supra depinximus, non maxima Fides à bona Christianorum parte firmitèr adhibebitur? profectò.

Sed tunc qualem habituri sumus Ecclesiam? quàm inconstantem, quàmve ancipitem? omni chamæleonte mutabiliorem, atque versatiliorem omni cothurno! Si Luthero, si Arrio, Macedonio, Nestorio, Eutichi, Eluidio, Donato, Iouiniano, Pelagio, Wiclefo, magis quàm Concilio generali credendum sit, quomodo posset deinceps Ecclesia columna dici, firmamentumque veritatis? Quis vnquam adeò captus est oculis, vt non perspiciat, quàm futura sint omnia confusa, promiscua, turbata, incondita? Aut quomodo non vacillabit omnium Christianorum Fides, si propter quaslibet phantasticas hæreticorum opiniones, quæ nunquam non insurgere consueuerunt in Ecclesia, nouis, & nouis quotidie dogmatibus imbuemur, & vniuscuiusque somnijs credendum sit magis, quàm Pontifici cùm vniuerso Concilio? Sed iam audiendi Luth. tempus est.

LVTHERVS.

Quàm malignitèr, & insidiosè sanctissimus ille Christi Vicarius captat mea verba.

EPISCOPVS.

Iam aduertit, in quas angustias perduxerit eum sua temeritas, & negare studet, quę palàm scripserat, atque ità subterfugere, sed non effugiet. quomodo Pontifex tua verba Luthere captat nescio, sed tu profectò malignitèr, & insidiosè contrà Pontificem, atque adeò totam Ecclesiam ista scripsisti, volens per hunc modum tuis hæresibus auctoritatem conciliare. Cuius rei non minimam spem concepisse videris. Nam cùm ipse scholasticos omnes pro nihilo repures, cunctosque sacros interpretes, qui tibi non subscribunt, omninò reijcias, Pontificum decreta respuas pœnitùs; Conciliorumque acta protsùs contemnas, confidasque te posse, pro maligno ingenio tuo, scripturas inuertere, quomodo non iam Lutherus, vel solum se regnaturum speret, & Pontificem, vna cum orthodoxis, & Ecclesia conculcandum opinatur?

LVTHERVS.

Sic enim ponit hunc articulum, ac si ego voluerim Concilijs resisti pro cuiusuis libidine.

EPISCOPVS.

Tunc certè verba magìs aperta sunt, quàm vt reuocare iam posses. Si bulla Pontificis, aliter tua verba, quàm ipse scripsisses, recensuisset, tum rectiùs incusasses Pontificem. Sed cùm palàm asseras, viam vobis factam, nempè tibi, tuisque confœderatis, enernandi Conciliorum auctoritatem, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidentèr confitendi, quicquid verum videtur, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocumque Concilio: cùm hæc tàm planè scripseris, non est subterfugiendi locus. Nam qui dicit à quocumque Concilio, nullum omninò Concilium excipit. Sed & ijs verbis licentiam cuique facis sequendi, quicquid sibi verum videbitur, nihil obstantibus cuiuscumque Concilij decretis.

LVTHERVS.

Ego enim docui Concilij dissentire, & resistere, si quando contraria, vel scripturæ, vel sibi ipsis statuissent.

EPISCOPVS.

Quicquid alibi docueris, nihil refert, quandoquidem hæc abs te fuisse scripta, negare non poteris, hic haud dubiè loqueris, non solùm de Concilijs illis, quæ vel sibi, vel scripturis contraria statuerunt, sed generatim de vno quoque Concilio, prorsùs nullum excipiens.

LVTHERVS.

Scripturam, inquam, volo iudicem esse Conciliorum.

EPISCOPVS.

Et ego quoque scripturam non recuso iudicem, modò non hæreticus eam, sed orthodoxus interpretetur. Si scriptura per seipsum loqui norit, aut si Spiritus veritatis in scripturis, loquens audiri posset, esset ipsa nimirùm optima sui interpres. Sed hæretici crebriùs eam ità trahunt, & intorquent ad sensum suum, vt scriptura per eos deprauata Concilijs repugnare videatur, cùm ipsis alioqui maximè quadret.

LVTHERVS.

Quod dixi, propter concilia illa nouissima, in quibus nihil definitum est, iuxtà scripturas, sed omnia secundùm mera hominũ statuta, & somnia, si qua optima statuta sunt, vt potiùs hominum conciliabula, quàm Ecclesiæ concilia dicere possis. Nam quid Constantiæ statutum sit, videbimus infrà.

EPISCOPVS.

Si de nouissimis Concilijs illud voluisses intelligi, non tàm generatim, de quocumque Concilio fuisses locutus. Neque dixisses viam vobis factam eneruandi Conciliorum auctoritatem, cùm is sermo protinùs de cunctis accipitur. Neque ego penitùs cuiuscumque Concilij decreta probanda censeo, sed eius quodcumque fuerit in Spiritu sancto Pontificis auctoritate, cunctisque præmonitis, quorum interest adesse conuocatum. Tale concilium in ijs, quæ ad Fidem pertinent, errare non posse, firmiter opinor. Cæterùm quædam erant conuicilia, quæ nec in Spiritu sancto, neque Pontificis auctoritate congregabantur, cuiusmodi nonnulla fuere Donatistarum, in quibus ipsi iactitabant se multos Episcoporum centenarios habuisse. Fuit & Arimini quoddam olim celebratum numerosa Episcoporũ multitudine, sed nec Spiritu sancto, nec Pontificis auctoritate congregatum, de quo Hieronymus affirmat, quòd in eo, sub nomine vnitatis, & fidei, scripta fuit infidelitas. Et huius Concilij res gestas Damasus Papa nouo conuocato Concilio rescidit penitùs. Fuit etiam Constantinopoli Concilium, contra Sanctorum imagines, pari modo sine Spiritu sancto, sineque Pontificis auctoritate coactum: in quo 370. fuerant Episcopi. Sed hoc Concilium posteà reuocatum fuit, non modò per Stephanum Papam in Romano Concilio, verùm etiam per Synodum septimam omninò condemnatum; sed & contra cunctos defensores eius anathema seuerissimè fulminatum erat. Præter hæc, & quædam fuerunt Concilia, per Pontificis auctoritatem congregata, sed absque Spiritu sancto, quale fuit Concilium Stephani VI. (quemadmodùm Platina scribit) aduersùs prædecessorem suum Formosum, cuius acta magis odio parcitus, quàm vllo charitatis affectu reprobauit.

Similiaque nonnulla subsecuta sunt, cùm, vt Platina tradit, longo tempore posthac fieri consueuit, vt acta priorum Pontificum successores aut infringerent, aut omninò tollerent. Dilucidum igitur ex ijs esse potest, multa Concilia frequenter errasse: sed nos de plenarijs loquimur, quæ per Pontifices conuocata fuerunt, & quibus ijdem plenum in Spiritu sancto præbuerunt assensum. Nàm semper mihi suspecta videntur, vbi vel à Concilio Pontifex diffideat, vel Concilium à Pontifice, nisi manifestissima Pontificis culpa factum id fuerit. Verùm vbi mutuò consenserint, & in charitate conuenerint, non est dubium, quin quicquid ad fidem pertinens decreuerint, id firmum, solidumque cunctis habendum sit.

LVTHERVS.

Quòd si etiam nunc dicerem, cuilibet pro libidine licere Concilijs resistere, rectè dicerem, quia articulo præcedente confitetur sanctissimus Vicarius Dei, se in Concilijs determinare ea, quæ non necessaria sunt ad salutem, eaque posse vertere in necessaria, ideò non solùm resisti licebit, sed etiam sicut delirum, aut morionem rideri à morionibus oportet, vt qui in rebus sacris tanta vel leuitate, vel amentia etiam lucari, & nugari tùm audeat ipse, tùm cogat alios.

EPISCOPVS.

Profectò nisi frontis esses perfecti simæ, te puderet toties de Pontifice mentiri. Nihil huiusmodi Pontifex in articulo superiori dixit. Errorem certè tuum reprobauit, quo tibi placet, quatenùs cuique liceat absque peccato sentire contrarium eius, quod Pontifex cum magna sentit Ecclesiæ parte.

Ego tamen nihil ambigo, quin Pontifex vnà cum Concilio posset ea, quæ pridem absque periculo salutis explicitè non fuerunt credita, facere necessaria creditu. Quod si posse constiterit, quis iam negabit illum, ex non necessarijs ad salutem, posse facere necessaria? Palàm enim est articulum de processione Spiritus sancti à Patre, simul & à Filio, sine discrimine salutis aliquamdiù non fuisse creditum.

At posteaquàm per Concilium, & Pontificem approbatus erat de substantia fidei fuisse, iam cuncti de necessitate salutis illum credere tenentur. Neque ità tamen, quòd Pontifex hunc ceu nouum articulum condiderit, sed quòd eum, qui priùs de substantia fidei fuerat, iàm de nouo talem esse declarauerit.

LVTHERVS.

Adduxi autem pro mea sententia Panormitanum, de elect. cap. Significasti, dicentem plùs esse credendum vni priuato Fideli, quàm toti Concilio, aut Papæ, si meliorem auctoritatem, vel rationem habeat. Cur hunc non damnauit sanctissimus Christi Vicarius. Quid in meis verbis odiosè criminatur, quæ aliundè pendent? si voi priuato plùs credendum est, quàm Concilio, in aliquo casu, nonne auctoritas Conciliorum quoque subiecta esse eidem priuato Fideli?

EPISCOPVS.

Multa sunt à nobis hìc dicenda.

Et primùm, quòd non rectè nobis obijcias hìc Panormitanum. Nàm quid hunc producis, quem in iure solùm, non item in Theologia doctum fuisse probè nosti? Et certè quando ipse tam odiosè Iuristas incessis, ineptè suades, vt nos eis contra Theologos fidem adhibeamus.

Deindè, cùm sint magni nominis Theologi, & ijdem haud exiguo numero, qui contrà sentiunt, cur huic vni fidem adhibendam censes, tanta reiecta multitudine?

Tertiò, si tu, quæ paulò superiùs asseruit Panormitanus; admittere velis, nos ea lege pollicemur, eadem haud quaquam reiecturos. Sin tu legem istam spreueris, & nolis prioribus Panormitani verbis teneri, non æquum postulas, vt ista, quæ subsequenter dixit verba nos obligare debeant. Sic vtique paulò superiùs scripsit idem Panormitanus: Licèt potestas fuerit data Papæ, & toti Ecclesiæ:

Papæ

Papæ tamen fuit attributa tamquam capiti, vndè debet moueri corpus ad difpufitionem capitis. Audis hæc verba Luthere? Admitras ex ijs oportet, Pontificem effe caput Ecclefiæ, & ad eius moderamen reliquum corpus moueri debere. Iftud fi concefferis, & nos, qui reliquum eft, non afpernabimur.

Quartò, videamus an ipfe Panormitanus ea folidè probet, quæ dixit, an fecùs. Concilium, inquit, errare poteft, ficut aliàs errauit fuper matrimonium contrahendum inter raptorem, & raptam, & dictum Hieronymi meliùs fentientis poftea fuit Prælatum toti Concilio, vt probatur 36. quæft. 2. in cap. Tria, iuncto cap. Placuit. Hæc Panormitanus.

Huic nos refpoodemus, quòd non ex ijs capitulis efficaciter oftenditur, quòd folus Hieronymus fe contra Concilium oppofuit. Nàm Meldenfe Concilium priùs idipfum definiuit, nempè quòd raptori liceret peracta pœnitentia, raptam in coniugem ducere, quemadmodùm paulò fuperiùs eadem quæftione, cap. Si autem, conftat. Non rectè igitur ex hoc facto, Panormitanus colligit, plùs credendum effe vno priuato Fideli, quàm toti Concilio.

Quintò, finge neminem præter Hieronymum, huic oppofuiffe fefe Concilio, tamen quia Concilium hoc plenarium non fuit, nec Pontificis auctoritate conuocatum, vti Iuriftæ tradunt, nihil facit aduerfum nos.

LVTHERVS.

Sed finge Panormitanum hoc non dixiffe, quid ad Paulum dicemus, qui Galath. 1. dicit: Si Angelus de Cælo aliud euangelizauerit, anathema fit. Vide hic fanctiffime Papa, Paulus anathema iubet effe, etiam fi Angelus de Cælo aliud docuerit. Et quantò magis anathema effe debet, fi Papa de terris, vel Concilium de inferno aliud docuerit?

EPISCOPVS.

Certè fi Angelus de Cœlo quicquam aliud docuerit, hoc eft diuerfum, & repugnans Euangelio, non iniuria foret anathematizandus.

Sed quid prohibet alia, præter ea, quæ in Euangelio continentur, quæque vel ad illuftrandam fidem, vel ad bonos mores conferri poffent, adijcere? Nihil profectò. Nam id priores Patres (vt fuprà non femel oftendimus) fæpenumero fecerunt, vt nihil hic fit cur incufes Pontificem, quem tu toties cum ironia fanctiffimum nominas.

LVTHERVS.

Idem 1. Corinth. 14. Quòd fi fedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Nonne & hìc Apoftolus docenti, & maiori obftruit os, fedenti, & inferiori aliquid fuerit reuelatum, & planè maiorem fubijcit minori? Quid ergo fibi arrogat Papa, & Concilium, contra hæc fcripturæ fanctæ exempla, & documenta?

EPISCOPVS.

Nihil omninò locus ifte, aut certè quàm minimùm pro te facit. Nam Paulus hic molitur; quòd in Corinthiorum Ecclefia nullus fieret vocum tumultus, fed vt ordine quodam imperturbato, fcripturæ cunctis exponerentur.

Propter quod, & præmifit inquiens: Prophetæ verò duo, aut tres in hoc officium deputari voluit, ità quòd non fimul omnes loquantur, fed viciffim vnus poft alium, ne confufio vocum fieret. Ob quod, & iuffit ei, qui priùs verba fecit, protinùs, vt paratum alterum ad loquendum viderit, conticefcere. Neque alia ratione fubiecit Paulus, quod tu iam citaras.

Quod fi fedenti reuelatum fuerit, prior taceat.

Et profectò nifi conforti dictuto, mox ille cefferit, vterque fimul verba faciet, atque ità confufionem non exiguam parient auditorio. Porrò qui præfentes fuerint, facilè dijudicabunt, fi propriùs ad rem loquatur, alioqui velut impudens, confeftim exibilabitur.

Cæterum neque voluit Paulus, ipfum qui fermonem inchoaffet interrumpi, nifi fuiffet alteri quiddam, quod plebem potiùs ædificaret, reuelatum.

Et fanè, cui reuelatum quippiam eiufmodi dignusmeritò fuerit, is eft, qui præ cæteris audiatur. Sed priufquam ipfi fides vlla fuerit adhibita, dijudicare, quid dixerit, auditores debent. Cæteri, inquit Paulus, dijudicent. Quod & in Concilijs ideoidem fieri notiffimum eft. Audiuntur finguli, fi quis de re propofita quicquam dicere velit, & tamdem, quod omnium calculis maximè comprobatur, fiue Pontifex, feu quiuis inferiorum id dixerit, id in modum decreti redigitur. Ad vniuerfum itaque cœtum dijudicare fpectat, quid quiuis dixerit. Et nemo propriæ fententiæ fuæ iudex admittitur. Neque credibile eft fi plenarium Concilium ea charitate, quæ Chriftianos decet, congregetur, quin id, quod de neceffitate præfens negotium fpectat eorum alicui, qui præfentes fuerint, potiùs reuelabitur, quàm externo cuilibet. Ex ijs itàque, quæ diximus nemo non intellegit, hanc fcripturam, quam ex Paulo produxifti, nihil aduersùs Conciliorum auctoritatem facere.

LVTHERVS.

Paulus etiam reprehendit Petrum Galath. 2.

EPISCOPVS.

Quid fi reprehenderit? Num propterea nulla Concilijs remanebit auctoritas? hoc enim eft, quod te probare iam oportet. Neque enim iam de Pontificis auctoritate, fed Conciliorum differimus magis. Atqui neque licet cuiuis, quod licuit Paulo. Prufer quempiam, qui Pauli dotes æquare poffet, qui fic vocatus à Chrifto, fic miffus ad homines, tanta fide illuftretur, tanta charitate ferueat, fapientia tanta præfter cæteris, tot

reuela-

reuelationibus afflatus fit, miraculis denique cuncta (quæ dixerit) comprobet tam apertissimis. Talem, inquam, profer, & nihil hæsito, Concilium hunc audiet, quàm libentissimè. Verùm non ità si quispiam Arrius, aut Nestorius, aut Macedonius, aut alius horum similis emerserit, qui pro suo cerebro, scripturas contra Patrum omnium sententias inuolueret: nemo Christianus, aut Pontificem, aut Concilium, ab eiusmodi bellua, reprehendi sustineret.

LVTHERVS.

Et Iacobus Auctorum 15. mutauit Petri sententiam.

EPISCOPVS.

Certè, si Iacobus Petri sententiam mutauit, falsum est quod Hieron. ad Augustinum scribit. Nam postquam paucis Petri sermonem perstrinxisset, illicò subdidit. Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam eius Iacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Ecce palàm hic affirmat Hieron. Iacobum vnà cùm cæteris in Pauli sententiam transiisse. Et subiungit protinus: Hæc non debent, inquit, molesta esse lectori, sed & mihi & illi vtilia, vt probemus ante Apostolum Paulum non ignorasse, Petrum Principem esse huius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Hoc Hieron. Ex quo satis apparet, Iacobum haud quaquam sententiam Petri mutasse. Sed finge rem ità se habuisse, nempè quòd Iacobus, Petri sententiam mutasset, quid istud Conciliorum auctoritati præiudicat? Nemo prohibitus in eo Concilio fuit, suam sententiam dicere. Sed licuit cuique, quod senserit liberè pronunciare. Petrus primum, Ceu Princeps, & Caput locutus est. Deindè Paulus, & Barnabas. Postremò Iacobus.

Cæterum decretis Concilij nemo repugnabat, sed concordibus animis omnes consenserunt. Nihil igitur Concilio derogabat, quamquam à Petro Iacobus dissenserit. Quo & perspicuum efficitur, non posse tuum institutum ex eo probari, vel si donauerimus hoc ipsum tibi, nempè quòd Iacobus mutarit Petri sententiam, quod tamen ex Hieronymo falsum fuisse constat. Sed & hodie, dum per Pontificem Concilia celebrantur, licebit cuiuis, qui se putat meliorem habere sententiam, etiamsi à Pontifice diffideat, in medium eam proferre: sic tamen, vt eam non pertinaciter defendat, sed aliorum submittat iudicio?

LVTHERVS.

Nec ipsi Apostoli in suo Concilio quicquam statuerunt de sola præsumptione spiritus, sed per scripturas sua probauerunt.

EPISCOPVS.

Cuius, te precor, spiritus præsumptionem intelligis? humanine? an diuini magis? Si diuini, falsum est. Nam alioqui, cur iidem Apostoli dixerunt: Visum est Spiritui sancto, & nobis? Et Paulus ait: Spiritus manifestè dicit. Neque hæc certè, de quibus ità loquuntur, priùs erant in scripturis tradita. Sed & pro septem Diaconis, qui per Concilium deputati fuerunt, nullam Apostoli scripturam attulerunt, neque pro alijs id genus multis, quæ docente Spiritu recenter adiecta fuerant. Quòd si nihil præter scripturarum auctoritatem, aut fecerint, aut docuerint Apostoli, quomodo quæso, contra Christi mandatum expressum, baptismatis formam ausi sint immutare.

LVTHERVS.

At nos incomparibiliter minores, statim vt nobis quicquam rectum visum fuerit, Concilij titulo in articulum fidei vertimus.

EPISCOPVS.

Vtcumque fuerint ij, qui iam sunt in Ecclesia minores Apostolis, eadem nihilominus Ecclesia iã esse creditur, quæ tunc fuerat, nimirùm Apostolorum temporibus, paremque vtrobique sortita potestatem. Neque enim pro solis illis Christus suum fudisse sanguinem, neque pro solis illis sanctum è Cœlo demisisse Spiritum putandus est. Quamobrem vt illi Concilio Spiritus nonnulla mutarunt, ità nunc quid prohibet Ecclesiam cum Pontifice similia facere? Præsertim cum quotidie nouis succrescentibus morbis, noua necesse sit remedia prouidere. Non habuit, fateor, Ecclesia primitiua, tot explicatos articulos fidei, quot habentur hodie. Nimirùm quia nondum hæretici tot emerserant. Si numquam aliquis Arrius emersisset, non hodie forsitan inter articulos haberetur filij consubstantialitas, quam Augustinus affirmat nusquam in scripturis esse repertam. Sic propter Macedonium, Nestorium, Eutichen, Theodorum, Macharium, & alios ingeniti numero explicatior euasit articulorum numerus. Nam quia compertissimum habuerunt patres, plerosque Christianos plus satis hæreticis fuisse credulos, apprimè necessarium fore dixerunt eorum errores condemnare, & quæ pro singulis erroribus è regione credenda forent, per Concilia decernere. Quamobrem, quòd hodie tot articuli nobis traditi sint, hæretici fuerunt in causa, qui tot pestilentes hæreses nobis suscitarunt. Nam hi scripturas longè quidem irreuerentiùs tractarunt, quàm ipsi milites, de quibus suprà locutus es, tunicam Christi inconsutilem. Hi certè reuerebantur, hanc tunicam scindere, sed hæreticos sacras literas dilacerare nihil puditum est. Hæc itaque pro articuli huius explosione sufficere putamus.

FINIS.



REGESTVM.


ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee.

Omnes ſunt Duerniones, præter Eeee, quæ eſt Ternio.
Principium eſt Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.





